Digitized by Google

X.II
E
34
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
E
34
NAPOLI
XII
e
34

R.P. FRANCISCVS
BARDI
DE
RATIONE DICTANTE
SEV
DE CONSCIENTIA

R. P. FRANCISCI BARDI PANORMITANI

E SOCIETATE IESV

IN COLLEGIO PANORMITANO eiuſdem Societatis Theologiæ Profeſſoris, & Studiorum Præfecti, & apud Fidei Quæſitores Qualificatoris, & Conſultoris.

DISCEPTATIONES MORALES

DE CONSCIENTIA IN COMMVNI, RECTA, ERRONEA, PROBABILI, DVBIA, ET SCRVPVLOSA.

OPVS OMNIBVS NON MODO CONFESSARIIS, AC Pœnitentibus, verumetiam Vtriuſque Iuriſconſultis perutile.



PANORMI, Apud Cirillum. M. DC. L.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

D. MARIAE BARDI.
ET CENTELLAS E COMITIBVS VERNII
ILLVSTR. MARCHIONIS SAMBVCAE FILIAE, AVTHORIS EX FRATRE NEPTI.

IOSEPH DE LAVRENTIO IN OBSEQVIVM D. D.

AMbitioſa venit ad te cla:[ma] Domina noſtra Chalcographia, vt impetret vel infimis precibus à tua præcelſæ indolis humanitate, vt patiaris pręclari tui nominis coronamento noſtros typos ornari. Nouum itemq; magnum fateor fœminę offerri doctos libros, nouum planè dixerim, & inauditum, Theologiam Reginam Scientiarum à fœmineis manibus attrectari; ſed enimverò id eſt, quod pręter cæteras te extollit ſublimē, vt ſecula conſequentia habeant quod admirentur, & fidem apud poſteros faciant experimenta. Colit ſuam Gręcia Palladem, diuinitùs nimirum in terras delapſam ſapientiam, ab omni ſeiunctam contagio coniugij. Sed quod illi doctis fabulis confinxerunt Numen, in Te vna, veritas reperit ſuum decus, cœlibem ſcilicet altiſſimarum rerum comprehenſionem. Nihil attinet deinceps extollere ſuam Phœnicem Arabiam, ſingularem in terris auem, immortalitatem ſibi doctam parere experimento ſeculorum de odoratis cineribus mortalitatis. Tu enim vna, magnum quidpiam auſa Phrygium

dedignans Arachnes opus,auro textili contempto, atq; acu, ſepoſito ſermone patrio, quem adeò vulgus amat garrulus cæterarum mulierum, latine cum doctis ſerere diſſertationes, de ſubtilibus rebus,iiſque Diuinis in pretio habes, atque in delicijs,quid igitur magis vnicum, ac ſingulare;vt adeo à nemine iure me reprehenſum iri pro certo habeam, quòd Theologica donaria, è doctiſſimo viro elucubrata,qui item Patruus tuus eſt,& quo meritò inter auitas imagines gloriaris ad te ſupplex attulerim; ſi enim ad militem quis afferat enſem ſatis apto munere donabit ſtrenuum; ita me Deus amet, qui ad ſapientem ſapientiſſima mittit volumina rem proculdubio gratam ſe illi facere ſibi perſuadeat. Quare quis credat clariſſimi ſplendorem generis vix in tua laude reperire ſuum locum, cum proprijs adeo fulgeas,vt à maioribus nil habeat neceſſe mutuari commendationem, qui te velit venerari; quis enim credat Bardi nominis claritudinem à Comitibus Vernij,in Tuſcia florentiſſima Prouincia deductam,qui nullum in ſua ditione agnoſcunt Superiorē, & in Regno Siciliæ inſitione multiplici,regijs tam eiuſdem, quàm Hyſpaniarum familijs inſertam, & plurium ſeculorum ſyrmate peramplas deriuatam Dynaſtias non memorari ab eo, qui epidicticum inſtituit ſermonem; ita profectò comparatum eſt, vt alienis non egeat, qui proprijs abundè diteſcit. Itaque ſatis conſultò meæ operæ pretium feciſſe puto, ſi in tuam clientelam obſequentiſſimum me iubeas recipi,vt ſperem aliquando etiam tuis proprijs monumentis meas formas immortalitatem conſequuturas. Vale, & de noſtris annis diutiùs viue Sapientiſſima Domina. Ita voueo. Ita precor. Panormi 25. Nouembris die Doctiſſimę Virgini Catherinę Sacro. 1649.

BENEVOLO LECTORI.

AMICE Lector, qui ad has etiam noſtras demittis oculos lucubrationes, reſiſte paulùlum primo hoc in veſtibulo; Iuuat .n. familiariter te alloqui aliquantiſper, & perplacide quidem, vt meus fert genius; Iuuabit etiam meum ſcribendi conſilium candide tibi aperire. Erat animus poſt triginta ferme annos, quibus publicas ſcholas noſtro hoc in Imperiali Panormitano Collegio explicaueram, aliquid poſteritati relinquere tot laborum, ac ſtudiorum, vel fructum, vel monumentum. Erant qui impellebant pro ſua quiſque humanitate, ac in me beneuolentia auditores mei, quos eo temporis decurſu ſatis multos habueram, & iiſdem religioſæ vitæ rationibus, ac ſingulari animorum cōiunctione deuinctiſſimos; erant præterea viri amiciſſimi, qui auctoritate & omni officio plurimum apud me, vt par erat, valebant; qui negabant boni hominis officium eſſe immenſos in ætate florenti à me ſuſceptos in re litteraria labores velle obdurato animo in obſcura relinquere obliuione: Per ea tempora demandauerant tum mihi Moderatores mei Studiorum Præfecturā, cui dū animū, ac vires appello nata è re ipſa mihi eſt hæc opportuna cogitatio: cœpi enim memoria repetere, quos in eo munere anteceſſores habuerim, quos ego idem de facie nouerim, & cum quibus ætatem, ac ſtudia contulerim. At quos viros! ſane ſapientiſſimos & Societatis, & verò ætatis noſtræ (abſit verbo inuidia) fulgentiſſima lumina, qui plerique omnes ſatis pretioſo cenſu litterarum Rempublicam, non modo voce, dum inter viuos degerent, ſed libris editis in omnem poſteritatem locupletauerant; Itaque ad meas manus deuoluta face, hæreditaria mihi viſa eſt demandata prouincia, vt ego etiam ſimbolum in litterario cōuiuio apponerem, ne plane omninò de orcheſtra diſcederem ſine ſaltu, ac cantu. Primus qui menti occurrit, quem ſtudiorum inueni Præſidem cum iunior acceſſi ad ſtudia, fuit Vincentius Regius ſanctitate, & ingenio cōferendus cum primis, qui tum in Italia florebant, magna itidem in Germania notus, vbi & doctoratus inſignia adeptus, Theologicas docuit facultates, hic editis in Euangelia pijs æque, ac docti commentariis pietatem, ac rem litterariam mirifice ornauit. Iacobus Carybdi amœniſſimi vir ingenij, qui Regio ſucceſſit ſi per valetudinem ei licuiſſet diutius in eo munere immorari locupletaſſet quidē ſapientiæ cenſū, at illo ad Patriū Cœlum tranſlato Ioſeph Raguſa præficitur profundi vir ingenij, qui Lutetijs Pariſiorum prima dedit ſuæ doctrinæ ſpecimina, hic et benemeritus eſt de noſtra Theologia, duos .n. reliquit de Incarnatione typis impreſſos ex multis, quos habebat poliendos præ manibus libros: hos dum manus amica adueniat, quæ faueat puerperio bona lucina, ſeruat in pluteis bene deſcriptos noſtra Bibliotheca, quam ſane magnificētiſſimā, & librorum regia gaza & omni ornamentorum ſplendore conſpicuā ex Dei munere habemus: Deinde Raguſa ad plures ſublato Ioſeph de Auguſtino ſubrogatur, vir ingenij chriſtallina perſpicuitate, & morum candore intaminatæ

inna-

innocentiæ teſte,& Romæ vbi Philoſophica,& Lugduni in Gallijs, vbi Theologica auſpicatus eſt, in magno ſemper pretio habitus, hic totos triginta ferme annos,quos deſudauit in Theologico gymnaſio eos, omnes in reuoluendis, ac perſcrutandis ex fide Angelici Magiſtri limpidiſſimis fontibus propeſiſſimo in S.Doctorē animo volens deuouit,ac lubens,cuius per egregiū cōmentarium auſpicatus,adeo Authoris placitis collatis multis de eodē argumento locis voluit inſiſtere, vt ſi opus integrū vt in primā,ſic in duas alias Theologicæ ſūmæ partes potuiſſet abſoluere,næ ille D.Thomā nitido & recenti cultu tradidiſſet in ſcholis.Sed quæ vnquā ætas poterit ab intimis medullis diuellere Frāciſcum Del'Bene,qui Auguſtino ſucceſſit?effodit pectus meū memoria hominis amiciſſimi,ac ſimul humaniſſimi, quem niſi præpropera falce mors importuna abſtuliſſet,reliquiſſet ille quidē opinor ſui egregij ingenij monumētū;meditabatur.n. cōmentari more ſcholaſtico in Ius Canonicū vniuerſum. Has ego imagines veræ nobilitatis emblemata cū intueor,incendor quā maximé fateor,nō amore gloriolæ,quæ quam ſit vana,ac futilis ſatis habeo perſpectum,ſed.n. verò vt profitear non ſibi;ſed Reipublicæ vixiſſe hominem, qui ſepoſitis mortalium curis,totum ſe deuouit ſtudio bonarum artium.

Dum hæc agitarē nutantē omninò impulit auctoritas Cæſaris à Boſco,quæ apud me,vt itidē apud oēs, qui hominē norunt maximū habuit ſemper pōdus. hic vti vir ſapientiſſimus,& ingenio prope ſingulari,quod annos ferme viginti,quibus Romæ,& Panormi Philoſophicas,& Theologicas ſcholas habuit maximo noſtrorū hominū ornamento,ac fructu præ ſe tulit;de quo haberent docti ingenioſas de fide, & ſpe, & Charitate diſputationes , quas ab incude ſub qua erant,præripuerunt geminatæ Præfecturæ Siculæ, & Tranſpadanæ prouinciæ,vt itidē Panormitanæ,& Romanæ domus,ita ab honeſtiſſimo litterarum otio adpublicū negotiū tranſlatis grauiſſimis Prudentiſſimi hominis curis iactura non contemnenda rei litterariæ: Hic ergo vir tantus, & mihi etiam ſanguinis coniunctione venerandus non quieuit vnquam donec propelleret ad ſcribendum manum de ſe pauidam, & iudicia ſapientum ſubmiſſe verentem, etiam aduocato R,P. Mutij Vitelleſchi Generalis per litteras ad me tranſmiſſas de ea re præcepto, iudicijs humaniſſimis de meis laboribus factis.

Sed enim verò altera ſuborta illico eſt dubitatio;cuinam argumento deberem potiſſimum primam manum adijcere,ſubtili ne atque argutæ diſputandi rationi,cui deſudamus in ſtadio ſcholaſtico, an potius placido ſcribendi generi ,quod morale appellamus , de rebus nimirum,quæ mores informant ad innocentiam,& ſanctitatem: Et verò inclinabat animus conferre meam operam , qualemcumque in explicanda Magni Aquinatis doctrina,quæ vt ſubtiliſſima, ac profundiſſima ſane eſt, ita & mutatis in ſcholis die ipſa loquendi formulis, vt ſæpè fit ſub obſcura apparet non raro,& in deteriorem ſæpe ſententiam à pleriſque detorta reprehenditur,ſed reuocauit manum non laboris inſani timor, deuoraueram enim ætate ac viribus integris grauiores, & ma-

gis

gis implexos in ea re nodos; ſed quia videbam ſubtilia iſta, quæ ingenium, atq; ætatem in Equuleo detorquent vix à paucis attingi, & blattis ac tineis deuorandos in pluteis relinqui. Contra verò quæ ac mores faciunt, quippe ad noſtra hominum commercia viciniora, continuo deteri manibus ſapientum, Bibliopolis, ac Typographis non pænitendo operæ pretio. Itaque firmato conſilio, ad planiora deſcendere ſtetit ſententia, & eam inire in ſcriptione rationem co gitaui, ꝗ non diſpliceret doctis, ac ab ea pauidi aufugerent mediocriter eruditi ſcripſi in Bullam Cruciatæ, quæ tum mihi viſa ſunt opportuna, alterum nunc expono Tomum de Conſcientia, Tertium iam ad limam reuoco, & ſi vita, ac vires erunt ſuperſtites non parcam labori, nec deſidiæ me dedam. Faxit Deus vt labores noſtri, itemque ſtudia omnia, cogitatus omnes in vnius Dei gloriam, vti voueo cedant. Hæc volui te non latere.

IGNATIVS GARGANVS PROVINCIALIS Societatis Ieſu in Sicilia.

CVM librum cuius titulus eſt: De Proxima Humanorum Actuum Regula, quæ eſt Conſcientia, Morales Diſceptationes: à Patre Franciſco Bardi Noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, Tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultate nobis à Reuerendo Patre Vincentio Carrafa Generali communica-
ta, concedimus, vt idem typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litte- Panormi die 19. Ianuarij 1649.
ras manu noſtra ſubſcriptas, & noſtro ſigillo munitas dedimus.

Ignatius Garganus. Locus Sigilli.

PErlegi P. Franciſci Bardi opus de Conſcientia; in quo nihil, quod vel à fide Catholica, vel à Chriſtianis moribus abhorreret, offendi; imò quantum ſplendoris ex eo hominibus conſcientiæ dubiæ tenebris inuolutis emanaturum ſit experientia ipſa non ſine eximio vtilitatis fructu legentibus proculdubio teſtabitur; Vnde opus iudico digniſſimum, quod Typis, hoc eſt glorioſæ æternitati tra- Panormi die 25. Nouembris 1649.
datur.

Hieronymus la Chiana è Societate Ieſu Deputatus Reuerendiſſimi D. Franciſci Salerno V.G.S.V. & Illuſtriſſimi D. Lucij Denti Præſidis M.R.C. huius Regni Siciliæ.

APPROBATIO P. CAROLI VENTIMIGLIA. Societatis Ieſu in Collegio Panormitano Moralis Theologiæ Profeſſoris.

EXimium hoc P. Franciſci Bardi de Conſcientia opus per quam ſtudioſe vidi; & nil ſane in eo deprehendi, quod Orthodoxæ fidei, moribuſque integerrimis aduerſaretur; quin in ingenti rerum perplexarum difficultate ſummam æque, ac clariſſimam Authoris perſpicuitatem ſum admiratus: quare hoc non minorem ſapientum gratulationem, ac plauſum, quam illud eiuſdem Authoris de Bulla Cruciatæ aſſequuturum arbitror. Digniſſimum igitur opus eſt, quod æternæ memoriæ ad immor- Panormi die 24. Nouembris 1649.
tale Reipublicæ Chriſtianæ commodum mandetur.

Carolus Ventimiglia Societatis Ieſu.

ERuditiſſimæ, ac Morales de cõſcientia Diſceptationes à R.P. Franceſco Bardi e Soc. Ieſu in hoc opere inſtitutæ, vt vnanimi Theologorũ cõſenſu ſummis laudibus celebrãtur; ita iure quidẽ meritiſſimo eiſdẽ, iã inde vbi primũ ad manus meas delatæ fuerũt, ſapiẽtiæ, atq; immortalitatis palmã decreui; nec ſine ingenti Chriſtianę Reipublicę emolumẽto in lucem prodituras affirmo; vnde vt quã primũ imprimãtur, ac promulgentur nõ omnẽ modo facultatẽ largior, verũ etiã quantũ in me eſt, Volo, ac iubeo. Panormi die 6. Decembris 1649.

Don Franciſcus Salerno V.G.S.V.

Summa Priuilegij

A SERENISSIMO

DON IOANNE AB AVSTRIA

CONCESSI.

SEreniſſimi D. Ioannis ab Auſtria Magni Prioris Caſtellæ,& Legionis armorum maritimarum Gubrenatoris Generalis, S.C.M. Italiæ Plenipotentiarij, in hoc Siciliæ Regno Proregi, & Capitanei Generalis authoritate ſancitum eſt, patentibus literis cautum ne quis in Regno, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ incohandos, ac numerandos, excudat vendat, excudendum, vendendumq; quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur De Proxima Humanorum Actuũ Regula, quæ eſt Conſcientia, Diſceptationes Morales ab A.R. P. Franciſco Bardi è Societate Ieſu præter Ioſeph de Laurentio Bibliopolam Panormitanum, aut illos quibus ipſemet per actum publici Notarij conceſſerit: prohibitum inſuper eadem authoritate eundem librum, alibi impreſſum, etiam cum additione in Regno vendere ſine conſenſu dicti Ioſeph de Laurentio in modo prædicto, idque omne ſub confiſcatione librorum alijſque pœnis originali dipplomate contra delinquentes expreſſis. Dat. &c. die 18. Septembris 1649.

DOCTORIS DON ALFONSI SALVO

ADmodum Reuerendus Pater P. Franciſcus Bardi Societatis Ieſu, in Collegio Panormitano, Studiorum Præfectus.

Anagramma Purum.

DE Conſcientia firma tradis praecepta:
Orbi, dum vſurus eſt tali papyro, diem das;
En gloria, fouet orſus cuncto munere.

ODE.

CVR intermiſſos reddis, Polyhymnia, verſus,
Diuque contemptam Chelyn?
Quid reſides iterum calamos ad carmina cogis?
Sat in iuuenta luſimus.
Magna, reor, cauſa eſt; non fruſtrà Helicona recludis
Cyrrhæque fontem porrigis.
Pro benefactis æquum, inquis, perſoluere grates:

Fran-

Franciſcus illa contulit.
Ergo ad te noſtræ veniant, Franciſce, Camœnæ
Inſuetæ, at ingratæ minus.
Quattuor ipſe hyemes diuinæ nectare mentem
Paſcis ſcientiæ meam.
Mnemoſynon tibi ſit carmen; quod fama per Orbem
Iugi volatu deferat.
Nunc age, Muſa, Viri, eſt fas, percurramus honores;
Immenſa ſunt aſt æquora:
Laus tamen haud parua in magnis voluiſſe putanda eſt,
Tantam aggredi viam ſatis.
Inclyta nobilitas ſummæ virtutis amore
Calcata vel magis nitet.
Doctrina ingenij circumuolitantibus alis
Peruenit extremas plagas.
Illum Orbis Sophiæ theſauros promere dudum
Miratus eſt ab exedris.
Ille & Pontificis diploma inſignibus auctum
Rubra Cruce exponit Cætus.
Nunc FIRMA en TRADIT curſu PRAECEPTA ſecundo
DE CONSCIENTIA: dabit
Et maiora; hinc; DVM TALI, doctaque PATRO EST
VSVRVS, ORBI DAT DIEM.
Quid dicam? CVNCTO laudandi MVNERE tantos
Iam GLORIA ORSVS EN FOVET.

ADMODVM REVERENDO PATRI

FRANCISCO BARDI

SOCIETATIS IESV.

Quidam eiuſdem Societatis.

*R*EGINA fuſas Calliope comas,
Sinuſque laxos collige, turbidos
Tranare nimbos, & canoros
Te licet ingeminare planſus.
Vides, vt vrnam pandat, & aureas
Oretus vndas expuat, inclytos
Franciſci honores, & liquaci
Vortice perpetuò remurmuret.
Calcantem auitæ ſtemma gloriæ,
Magniſque onuſtam diuitys domum
Te Fama ſublimi perennis
Conſpicuum decorat volatu.

Vitæ theatrum ſic animum tuo
Sacytientem cernis acumine,
Denſas vt è noſtris refulgens
Mentibus eijcias tenebras.
Iam cum megæra Tiſiphone vagos
Implexa crines anguibus intremit,
Dum quaſſat Alecto furentes
Horrida cum facul is ceraſtas:
Quis audet, inquit, tam fera peruicax
Inferre diris bella ſororibus?
Periclitantes ſubleuans, heu
Hoſtibus eſt Cynoſura noſtris.

ELO-

ELOGIVM.
ADM. R. P. FRANCISCO BARDI
PANORMITANO
E SOCIETATE IESV.

VIrtutum omnium cultori vigilantiſſimo
Qui
Clariſſimo Genere prognatus,
Auitam nobilitatem indefeſſis amplificauit ſtudijs;
Neque vna contentus ſanguinis claritate,
Dignam Indole Eruditionem conſequutus
Inuidiæ
Sapientia materiam largitur,
Calumniæ
Doctrina, ac Veritate ſubtrahit,
Vtraque Patriam Feliciſſimam
Illuſtrat, Felicitat.
Dum Philoſophicis, ac Theologicis Diſciplinis
Deditus, Addictuſque
Nulli ex eximijs Societatis Ingenio ſecundus
In Collegio Panormitano Studiorum Præfectus
Apud Fidei Quæſitores Qualificator, & Conſultor Benemerentiſſimus
Magnum Societatis Decus,
Vrbis noſtræ Præſidium,
Orbis Miraculum;
Cuiuſcumque Scientiæ fines explens ſolus,
Inter tot Inſignes BVLLÆ Explanatores Inſignis
Fama Immortalitatem adeptus,
Tandem CONSCIENTIAE ERRONEAE, DVBIAE, & SCRVPVLOSAE,
Vt pote Ingeniorum Sol,
Omnes expellit Tenebras
Omnes fugat Errorum Caligines.
Cuius
Acumen in Speculationibus
Maturitatem in Reſolutionibus
Hac noſtra tempeſtate admirati
Ab Ore, & Conſilijs, tamquam ex Tripode reddentis Oracula,
Rebus in arduis pendentes vel inter Doctores Doctiſſimi,
Ingenium ſuſpiciunt, ac Sententias venerantur.
D. AVGVSTINVS DE LAVRENTIO Philoſophus, & Medicus
Deuotionis Cauſa.

Impr. Salernus V.G. S.V. *Impr. Pro Spect. F.P. Franc. Meroldus.*

INDEX

DISCEPTATIONVM CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

DISCEPTATIO I.

DE Natura conſcientię in communi, & de varijs eiuſdem acceptionibus, & diuiſionibus fol. 2.

Cap. I.

Quid ſit Conſcientia ſecundum nominis rationem, & ad quam potentiam pertineat. fol. 2.

Cap. II.

Quænam ſit realis definitio conſcientiæ. fol. 4.

Cap. III.

Quo pacto conſcientia differat à Synterefi, & à quibuſdam, quæ ſunt moralium actuum menſura. fol. 7.

Cap. IV.

Vtrum Synterefis, & conſcientia extingui valeant? fol. 8.

Cap. V.

An conſcientia pertineat ad Superiorem, an verò inferiorem animæ partem? fol. 10.

Cap. VI.

An Conſcientia reſpiciat ſpecialem habitum, à quo procedat? fol. 11.

Cap. VII.

De Varijs conſcientię diuiſionibus. fol. 15.

Cap. VIII.

An ad rectè operandum requiratur practicum iudicium conſcientiæ, ſemper eſſe conforme iudicio ſpeculatiuo? fol. 16.

Cap. IX.

An iudicium practicum, quod eſt regula operationis, debeat eſſe certum, & euidens? fol. 17.

Cap. X.

Vtrum operans contra conſcientiam duplex committat peccatum? fol. 19.

DISCEPTATIO II.

DE Conſcientia recta. fol. 20.

Cap. I.

Conſcientiæ rectę conditio explicatur. fol. 20.

Cap. II.

Vtrum iudicium rectę conſcientiæ debeat formaliter, & actualiter præcedere, vt voluntatis operatio ſit moraliter bona? fol. 24.

Cap. III.

Duobus ſimul concurrentibus iudicijs, quorum vnum ex motiuo honeſto, alterum ex prauo exercendam proponat actionem, ſi ipſa actio ſequatur, vtro ex iudicio proceſſiſſe cenſeatur? fol. 27.

Cap. IV.

Vtrum obiectiua bonitas dependeat à conſcientia recta, non ſolùm vt à proponente, ſed vt à conſtituente ipſammet bonitatem? fol. 27.

Cap. V.

Vtrum omnis actus, qui ab homine efficitur, ſit à recta conſcientia? fol. 30.

Cap. VI.

An conſcientia ſit recta per conformitatem ad legem æternam? fol. 31.

DISCEPTATIO III.

DE Conſcientia pro vt in errore verſatur. fol. 33.

Cap. I.

Quid ſit conſcientia errans, & quæ ſint cauſſæ, ex quibus oritur. fol. 33.

Cap. II.

De multiplici diuiſione conſcientię erroneę. fol. 34.

Cap. III.

Vtrum homo peccet operando contra conſcientiam erroneam? fol. 35.

Cap. IV.

Vtrum illicitum ſit, ſibi complacere de actu, ex ſe maloexercito tamen ex conſcientia inuincibiliter errante? fol. 37.

Cap. V.

An ſit grauius peccatum operari iuxta conſcientiam vincibiliter erroneam, quàm contra illam? fol. 38.

Cap. VI.

Si conſcientia inuincibiliter dictet, vtrumq; contradictorium eſſe peccatum, an voluntas vnum ex illis amplectens peccet? fol. 40.

Cap. VII.

An peccatum contra conſcientiam erroneam ſpecie differat à peccato contra conſcientiam rectam circa idem obiectum? fol. 41.

Cap. VIII.

Vtrum agere contra conſcientiam erroneam malum in genere dictantem, ſit peccatum mortale, an verò veniale? fol. 42.

Cap. IX

An ſit peccatum agere contra conſcientiam erroneam, quæ ſit ſolum in habitu? fol. 43.

Cap. X.

Cui ſit potiùs parendum, pręcepto Superioris, an conſcientiæ erroneę oppoſitum dictanti? fol. 44.

Cap. XI.

Quo pacto deponenda ſit conſcientia erronea, vt contra ipſam operans non peccet? fol. 44.

DISCEPTATIO IV.

DE Conſcientia probabili, & opinante. fol. 47.

Cap. I.

Quę ſit opinio probabilis, & quæ ad eius aſtruendam probabilitatem requirantur? fol. 47.

Cap. II.

Quantum Authorum pluralitas opinionum probabilitati faueat. fol. 48.

Cap. III.

Quænam cenſenda ſit communis opinio? fol. 50.

Cap. IV.

Vnius Doctoris authoritas, an probabilitatē opinioni afferat? fol. 50.

Cap. V.

An probabilitas ſufficiens idiotis ſit ſatis etiā pro doctis? fol. 52.

Cap. VI.

Quęnam in concurſu veterum, ac Recētiorum ſeu Theologorum, & Canoniſtarum contraria ſentientium, ſit præferenda opinio? fol. 53.

Cap. VII.

Vtrum inter probabiles opiniones inueniatur vna, quæ ſit altera tutior? fol. 55.

Cap. VIII.

An dari poſſit opinio ſpeculatiuè, & non practicè probabilis? fol. 56.

Cap. IX.

Vtrum ſtante ęquali probabilitate inter duas contrarias opiniones, licitum nobis ſit, alterutram eligere? fol. 60.

Cap. X.

Liceat ne ſequi minus probabilem opinionem probabiliori relicta. fol. 62.

§. I.

Nonnulla iaciuntur fundamenta, quibus rationes à Philaletho allatæ ſoluuntur. fol. 66.

§. II.

Argumenta Philalethi diluuntur. fol. 68.

Cap. XI.

Doctrina Apologę proponitur, & impugnatur. fol. 70.

Cap. XII.

An ſit poſſibile haberi in eodem intellectu probabilem aſſenſum, per principia intrinſeca, de duabus opinionibus contrarijs circa idem obiectum? fol. 73.

Cap. XIII.

An opinio in quouis tenui probabilitatis gradu licitè admittatur? fol. 74.

Cap. XIV.

Licitum ne ſit pro arbitrio variare opinionem probabilem circa idem numero obiectum? fol. 75.

Cap. XV.

Si quis de duabus oppoſitis ſententijs probabilibus dubitet, & neutri aſſentiatur, poſſit ne alterutram licitè ſequi? fol. 79.

Cap. XVI.

Stante iudicio de ſalutate alienę opinionis, an poſſit quis prudenter conſcientiam deponere iuxta opinionem illam operando? fo. 80.

Cap. XVII.

An opinio probabilis iuriſdictionem cōferat? fol. 81.

Cap. XVIII.

An ex probabilibus ſententijs ea, quę poſſeſſioni fauet, ſit reliquis præferenda? fol. 83.

Cap. XIX.

An tutus maneat in conſcientia varios inquirens Theologos, donec inueniat reſpondentem iuxta ſuum placitum? fol. 84.

Cap. XX.

An Profeſſor moralis Theologiæ conſultus de re aliqua, teneatur iuxta ſuam, an verò iuxta aliorum opinionem, quamuis minus probabilem, reſpondere? fol. 85.

Cap. XXI.

Quomodo gerere ſe debeat Confeſſarius, cum inter ipſum, & pœnitentem eſt opinionum contrarietas? fol. 87.

Cap. XXII.

Vtrum Conſiliarij, & Parlamentarij in Regis fauorem minus probabilem ſequi poſſint opinionem? fol. 88.

Cap. XXIII.

An Conſiliarij tuta conſcientia credere poſſint Regi, ſuam, aut Regni neceſſitatem aſſerenti? fol. 89.

Cap. XXIV.

An licet Principi, Superiorem temporalem non agnoſcenti, ex probabili opinione indicere bellum ad recuperandum Regnum contra alium Principem abſolutum? fol. 90.

Cap. XXV.

De opinione, quam Princeps in tributis imponendis ſequi debet circa iuſtitiam cauſſæ finalis? fol. 92.

Cap. XXVI.

An ſubditus contra propriam opinionem Superiori parere teneatur? fol. 93.

Cap. XXVII.

Iudex licitè ne ferat ſententiam ſecundum minus probabilem opinionem? fol. 97.

Cap. XXVIII.

Vtrum vnus ex Iudicibus, ad quos eiuſdem cauſſę deciſio ſpectat, poſſit, contra proprium ſenſum iuxta alterius Collegæ opinionem, ſententiam ferre? fol. 101.

Cap. XXIX.

Quam viam ſequi debeat Aduocatus in opinionum electione? fol. 102.

Cap. XXX.

De opinione à Medico in ægrorum curatione eligenda? fol. 104.

Cap. XXXI.

Quam opinionem admittere oportet in Sacramentorum adminiſtratione? fol. 105.

DI-

DISCEPTATIO V.

Conſcientiæ dubiæ ratio explicatur. fol. 108.

Cap. I.

Quid, & quotuplex ſit dubium. fol. 108.

Cap. II.

Dubia exiſtente conſcientia, an honeſtè operemur? fol. 110.

Cap. III.

Vtrum in dubio iuris, aut facti, tutior pars ſit eligenda? fol. 111.

Cap. IV.

An potior ſit in omni materia poſſidentis conditio? fol. 112.

Cap. V.

Firma traditur regula ad dignoſcendum, pro quo in dubijs ſtet poſſeſſio. fol. 113.

Cap. VI.

Quę ſunt facti, ſunt ne pręſumenda, an verò probanda? fol. 115.

DISCEPTATIO VI.

De dubia conſcientia ſigillatim. fol. 116.

Cap. I.

Ambiguæ conſcientię difficultates circa vota, & iuramenta, enodantur. fol. 116.

§. I.

Stante dubio de voti emiſſione, an illud adimplere cogamur? fol. 116.

§. II.

Quid ſi in voti fauorem ſuboriatur ſuſpicio? fol. 117.

§. III.

An opinio de illius emiſſione, obliget nos ad illud ſeruandum? fol. 117.

§. IV.

Si conſtet emiſſio voti, & dubium ſit, an fuerit adimpletum, teneamur ne ad eius obſeruationem? fol. 117.

§. V.

Et quid, ſi dubium vertetur circa defectum voluntatis ſe obligandi? fol. 118.

§. VI.

Dubitans, an tempore, quo vouit, habuerit ſufficientem deliberationem, ſit ne obligandus? fol. 119.

§. VII.

Certus de voto emiſſo in ebrietate, ſeu furore, & ambiguus, an plenum habuerit iudicium, à voto obligetur, nec ne? fol. 120.

§. VIII.

Si dubium ſit de voto ante, vel poſt amentiam emiſſo, an ad illud implendum voués aſtringatur? fol. 120.

§. IX.

Certus de ſubſtãtia voti, & dubius de eius qualitate, teneatur ne ad id, quod eſt tutius? fol. 121.

§. X.

Incertitudo de honeſtate materiæ, circa quam fuit votum, an obligationi eiuſdem voto obſtet? fol. 121.

§. XI.

Votum ante pubertatem initum, ſi vouens dubitet, an poſt pubertatem illud ratum habuerit, obſtringendus ne ſit? fol. 122.

§. XII.

Si votum ſub pluribus conditionibus promiſſum fuerit, & dubium ſit, an conditiones illę copulatiuè, an vero diſiunctiuè ſint verificandę, quid determinandum? fol. 122.

§. XIII.

Iuramentum de ſeruandis ſtatutis alicuius Ciuitatis, vtrum in dubio extendi debeat ad ſtatuta edenda? fol. 123.

§. XIV.

In voto ieiunandi in feria ſexta totius anni, etiamſi Vigilia Natalis Domini in eamdem diem eadat, vtrum in dubio præſumatur incluſa, an verò excluſa pinguior illa refectiuncula? fol. 124.

§. XV.

Vouens peregrinationem Lauretanam, & intuitu alicuius negotij Lauretum petat, Sacramque domum viſitet, vtrum in dubio cenſeatur voto ſatisfeciſſe? fol. 124.

§. XVI.

Votum nolendi viuere in ſæculo, ſi de intentione vouentis non conſtet, ſit ne iudicandum votum Religionis, atq; adeo reſeruatum? fol. 125.

§. XVII.

Si quis poſt acceptam voti commutationem in melius, dubitet, num renuntiauerit iuri ſuo, ſcilicet, libertati redeundi ad priſtinum votum, an præſumptio ſtet pro ipſo vouente, an pro voto? fol. 126.

§. XVIII.

An votum pœnale in dubio obliget pro prima vice tranſgreſſionis, an toties quoties? fol. 126.

§. XIX.

Dubitans, an in voto Religionis, ſolùm ingreſſum promiſerit, an etiam profeſſionem, teneatur ne profiteri? fol. 127.

§. XX.

Emittens votum caſtitatis, & ſimul Religionis in dubio, an votum Caſtitatis cenſeatur elicitum dependenter, nec ne, à voto Religionis? fol. 128.

§. XXI.

Si quis ambiget, an votum ingrediendi Religionem, cum animo ſtatim exeundi, fuerit ne per modum vnius, an per modum plurium, quid reſoluendum? folio 128.

§. XXII.

Voto Religionis, & ſimul debitis aſtrictus, dubitans, an breui temporis ſpatio in ſæculo manens, poſſit illis ſatisfacere, teneatur ne ingreſſum differre, an ſtatim illum exequi? fol. 131.

§. XXIII.

In dubio reuocans, an metus, quo quis religioſam emiſit profeſſionem, fuerit ne grauis, aut leuis, quid terminare debeat? fol. 133.

§. XXIV.

Profeſſionem religioſam cum dubio de ſufficientia ætatis emittens, ſi poſtea comperiat, tempore legitimo eam peregiſſe, an valide profeſſus fuerit? fol. 133.

§. XXV.

Sit ne valida præſumenda religioſa profeſſio, ſi dubium emergat, an vouens legitimam, nec ne, attigiſſet ætatem? fol. 135.

§. XXVI.

Qua ratione enodandum ſit dubium, an quinquennio tranſacto, inualida profeſſio fuerit, nec ne, confirmata? fol. 136.

§. XXVII.

Profeſſus Societatis Ieſu ad prælaturam extra Societatem promotus, tenetur ne Conſilium P. Generalis ſequi, ambigens num melius ſit eo, quod ſibi in mentem venit? fol. 136.

§. XXVIII.

Dubio inſurgente de emiſſione voti ante, vel poſt pubertatem, poterit ne Pater illud irritare? fol. 137.

§. XXIX.

Quid dicendum ſi vxor, aut ſerua ambigat, an votum fuerit, nec ne, emiſſum ante matrimonium; aut ante ſubiectionem? fol. 140.

§. XXX.

Maneat ne firma irritatio prędicta, ſi poſtea comperiatur, votum ante ſubiectionem emiſſum fuiſſe? fol. 140.

§. XXXI.

Votum nunquam rem cum fœminis habendi, an legitimum excludat coniugium? fol. 141.

Cap. II.

Quæ in legum, & præceptorum obſeruatione dubiam efficiunt conſcientiam, excutiuntur. fol. 144.

§. I.

Hęſitans, an lex aliqua teneri, vtrum ad ſui obſeruationem conſtringatur? fol. 144.

§. II.

Quid ſi dubium inuincibile ſit circa legis acceptationem? fol. 144.

§. III.

Dubitans, an per deſuetudinem lex ſit abrogata, vtrum ab eius obligatione eximatur? fol. 145.

§. IV.

Ambigens, an conſuetudo contra legem ſit, nec ne, introducta, num fidem pręſtare poſſit Doctori excellenti id affirmanti? fol. 145.

§. V.

In dubio, an leges aliquas ſub præcepto, an verò ſub conſilio latæ ſint, quid præſumendum? fol. 146.

§. VI.

Lex in conſcientia obligans, vtrum in dubio iudicanda obligare ſub mortali, an verò ſub veniali? fol. 147.

§. VII.

Si quis anceps maneat, an conſuetudo inducta ſit intuitu deuotionis, an verò obligationis, quid pręſumi debeat? fol. 148.

§. VIII.

Conſcientia ſit ne deponenda, ſi intellectus titubet, an ſit parendi obligatio? fol. 148.

§. IX.

In dubio, an ratione ætatis, aut temporis lex aliqua vrgeat, eſt ne ſeruanda? fol. 149.

§. X.

Tenetur ne dubitans de legitima Iudicis interrogatione, ad eius mentem reſpondere? fol. 150.

§. XI.

Quando eſt ambiguitas, an caſus aliquis ſub lege comprehendatur, quid pręſumendum? fol. 153.

§. XII.

Titubans, graue ſibi nocumentum obuenturum, ſi aliquod ſeruet Eccleſiaſticum præceptum, vtrum diſpenſatione indigeat, vt ab obligatione eximatur? fol. 153.

§. XIII.

Vtrum in dubio iuriſdictio conceſſa, cenſenda ſit ordinaria, an verò delegata? fol. 154.

§. XIV.

An iuriſdictio ordinaria cenſeatur priuatiuè, an cumulatiuè conceſſa? fol. 155.

§. XV.

Vtramque habens iuriſdictionem, ſecundum quam in dubio, præſumitur proceſſiſſe? fol. 155.

§. XVI.

Titius, vt Reus deprehenſus, dubio eueniente, an ſit Clericus, an verò Laicus, pertineat ne determinatio ad forum Eccleſiaſticum, an ſeculare? fol. 156.

§. XVII.

Reus, ſi poſt crimen patratum Clericus fiat, vtrum in dubio pręſumatur in fraudem declinandi forum ſeculare, clericatum aſſumpſiſſe? fol. 157.

§. XVIII.

An ſit præſumenda fraus, ſi eadem die delata fuerit cauſa ad Iudicem Laicum, & pariter aſſumptus habitus Clericalis, dubium verò ſit, quid ex his duobus pręceſſerit? fol. 158.

§. XIX.

Hęſitans, an Reus alicuius delicti ad Inquiſitionem ſpectantis, ſit ne correptus, debeat illum denunciare, nec ne? fol. 159.

§. XX.

An malefico aſſerenti non ignorari ab ipſo medium licitum ſoluendi maleficium, ſit fides adhibenda? fol. 159.

§. XXI.

Vtrum in dubio tres latæ ſententiæ præſumantur conformes? fol. 169.

§. XXII.

An quis teneatur Crucifixum apparentem venerari, dubitans ſub illa figura Dæmonem

nem inueniri? fol. 160.

§. XXIII.

In dubio, an ſomnium ſit à Deo, an verò à Dæmone, vtrum ſit illi credendum? fol. 160.

§. XXIV.

Debita diligentia appoſita, an tales reliquiæ ſint alicuius Sancti, perſeuerante dubio, ſit ne illis cultus adhibendus? fol. 160.

CAPVT III.

De vſu Epÿkiæ in ordine ad ambiguum conſcientiæ dictamen. fol. 160.

§. I.

Nonnulla, quæ ad vocem, & Epÿkiæ realitatē pertinent, aperiuntur. fol. 161.

§. II.

In dubio verſantibus, liceat ne vti EpÿKia in lege humana? fol. 162.

§. III.

Eſt ne idem aſſerendum, cum nullam caſus moram permittit recurrendi ad Superiorem? fol. 163.

§. IV.

Licitè ne conſcientiam deponat, ambigens, an malum ſit, verbis legis ſe conformare, cum per EpijKiam ſibi liquet, caſum ſub lege non comprehendi? fol. 165.

§. V.

Sit ne licitus vſus Epijkiæ, ſi ſolùm probabiliter iudicetur, Legiſlatorem non potuiſſe, aut noluiſſe caſum ſub lege comprehendere? fol. 166.

§. VI.

In lege naturali admittitur ne vſus EpijKiæ? fol. 168.

§. VII.

Num in lege diuina vſus EpijKiæ reperiatur? fol. 171.

§. VIII.

Qua ratione ſit Regularibus permittendus EpijKiæ vſus, in eorum legibus, & votis? fol. 172.

§. IX.

Num religioſæ paupertati deroget alicuius rei vſus per ratihabitionem, ſi quoad ſubſtātiam placeat Prælato, diſpliceat verò quoad modum? fol. 176.

§. X.

Quænam cognitio huius præſumptæ licentiæ requiratur? fol. 180.

§. XI.

Notæ præſumptam Superioris voluntatem inferentes, aperiuntur. fol. 181.

§. XXII.

Religioſus aliquid per ratihabitionem accipiens, tenetur ne poſt factum Superiori id aperire? fol. 183.

CAPVT IV.

Quæ in priuilegiorum vſu incertum reddunt animum, exponuntur. fol. 185.

§. I.

Reale ne, an verò perſonale in dubio, ſit exiſtimandum priuilegium? fol. 185.

§. II.

Priuilegium de non ſoluendis decimis, in dubio, explicandum ne ſit de decimis ſuper prædia tantùm acquiſita, an etiam acquirenda? fol. 185.

§. III.

Priuilegium ad inſtar prædeceſſoris priuilegij conceſſum, vtrum in dubio cenſeri debeat extraordinarium perſonale, nec ne? fol. 186.

§. IV.

Perſiſtente animi dubietate, an priuilegij confirmatio ſit ſub forma ſpeciali, an potiùs ſub forma communi, quid iudicandum? fol. 187.

§. V.

Exoriente dubio, an priuilegia hìc, & nunc eximant Regulares ab Epiſcopi iuriſdictione, pertineat ne ad ipſum Epiſcopum eorumdem priuilegiorum interpretatio? fol. 187.

§. VI.

In dubio, an priuilegium fuerit, nec ne, reuocatum, ſit ne pro reuocatione præſumendum? fol. 188.

CAPVT V.

Quæſita conſcientiæ, quæ in diſpenſationibus vſu veniunt, examinantur. fol. 188.

§. I.

An diſpenſatio in dubio ſtrictè, an verò latè ſit interpretanda? fol. 189.

§. II.

Sit ne idem aſſerendum de poteſtate diſpenſandi, animo hæſitante, an, ad aliquem caſum ſe extendat? fol. 189.

§. III.

Duos eodem Epiſcopo generales habente Vicarios, diſpenſationem Pontificiam ad Vicarium, nomine nimè expreſſo, directam vter ex illis exequi debeat? fol. 190.

§. IV.

In dubio, an diſpenſatio ſit valida, quid determinandum? fol. 191.

§. V.

Irrita ſit ne habenda diſpenſatio, ſi deprehendatur, non potuiſſe Prælatum diſpenſare? fol. 193.

§. VI.

Temporis diuturnitas eſt ne ſufficiens ad deponendum dubium, an interuenerit, nec ne, aſſenſus Apoſtolicus in alienatione rei Eccleſiaſticæ? fol. 193.

CAPVT VI.

Quæ in beneficiorum Eccleſiaſticorum ratione conſcientiam efficiunt ſollicitam, enodantur. fol. 195.

§. I.

Dubitatione occurrente, an beneficium ſit Regulare, an Sæculare, ſimplex, an curatum, quid dicendum? fol. 195.

§. II.

Exiſtente animi hæſitatione, an ius patronatus

tus

tus ſit ne erectum, & ex quibus bonis, Eccleſiaſticis, an vero patrimonialibus, quid iudicandum? fol. 195

§. III.

Quando non liquet, an quis fundauerit ius patronatus, quod poſſidet, præſumi ne debeat vſurpatum? fol. 196.

§. IV.

Ius patronatus exiſtimandum ne ſit hæreditarium, an verò gentilitium, ſi veritas lateat? fol. 196.

§. V.

Cappellania ſit ne exiſtimanda beneficium Eccleſiaſticum, quando de hoc dubitatur, & fundata in Regularium Eccleſia cenſenda ſit Regularis, an Sæcularis? fol. 197.

§. VI.

Conſenſus Ordinarij in conſtitutione beneficij Eccleſiaſtici, ſi dubitetur, an interuenerit, præſumitur adfuiſſe, nec ne? fol. 197.

§. VII.

Si Clericus beneficium habeat, redditibus tamen ſui patrimonij ſe aluit, dubitet poſtea, an id fecerit animo non compenſandi cum fructibus Eccleſiaſticis, poterit ne ex eiſdem fructibus tantundem capere, illudque in vſum etiam non pium intumere? fol. 197.

§. VIII.

Si ignoretur ætas ad beneficium requiſita, & ex duobus altercantibus neget vnus, affirmet alter, cui probandi onus incumbit? fol. 199.

§. IX.

Si ambigatur virum quis beneficium viginti, aut paucioribus ante mortem diebus reſignauerit, ad quem pertinet alterutram partem oſtendere? fol. 199.

§. X.

Si Pontifex, & Ordinarius eadem die idem beneficium diuerſis contulerint, ſi neutrius collationis anterioritas appareat, quænam ſit præferenda? fol. 199.

§. XI.

Si vltima die menſis Epiſcopalis beneficium vacat, & dubium ſit, an vacauerit, media nocte tranſacta, quando incipit menſis Papalis, pro quo ſit reſoluendum? fol. 200.

§. XII

Beneficiarius de beneficij tenuitate anceps, an ad horas Canonicas ſit aſtringendus? fol. 201.

§. XIII.

Beneficij diuiſio ſit ne in dubio præſumenda? fol. 202.

CAPVT VII.

Variæ dirimuntur controuerſię de cenſurarum, & irregularitatum valore, dubiam habentis conſcientiam. fol. 202.

§. I.

In dubio, an excommunicatio ſit pręſumenda? fol. 203.

§. II.

Virum in dubio præſumenda ſit irregularitas? fol. 206.

§. III.

Hæſitans, an in homicidium concurrerit, habendus ne ſit irregularis? fol. 207.

§. IV.

Si quis cauſſam dedit abortui, & dubitatur, an fœtus fuerit animatus, quid iudicandum in ordine ad irregularitatem? fol. 208.

§. V.

Quid dicendum, ſi ſolùm dubitetur, an cauſſa applicata fuerit, nec ne, ſufficiens ad abortum, ſiue ad aliud homicidium? fol. 209.

§. VI.

Diligentia adhibita ad dignoſcendum, an abortus fuerit Mas, vel Fœmina, vtrum in dubio præſumendus ſit vir, an verò fœmina? fol. 210.

§. VII.

In dubio, an homicidium, caſu, an verò ex propoſito fuerit illatum, quid iudicandum in ordine ad diſpenſationem irregularitatis contractæ? fol. 210.

§. VIII.

Incertus, an homicidium vi ſui conſilij ſit ſequutum, debet ne irregularem ſe exiſtimare? fol. 210.

§. IX.

Anceps, an in bello iuſto hoſtem interfecerit, ſit ne irregularis cenſendus? fol. 211.

§. X.

Repertus in puteo mortuus, aut laqueo ſuſpēſus, ſi dubium exter, an ſe ipſum interfecerit, ſit ne Eccleſiaſtica ſepultura priuandus? fol. 212.

§. XI.

Vtrum Infantes, qui in hoſpitali, aut in alio publico loco exponuntur, quorum parentes ignorantur, cenſendi ſint illegitimi, atq; adeo irregulares? fol. 212.

CAPVT VIII.

Nonnulla diſcutiuntur; quæ contra falſum cōſcientię dictamen in materia cenſurarum, & irregularitatum fiunt. fol. 213.

§. I.

Ex errore iudicans, cenſuram, aut irregularitatem actioni, quam exercet, annexam, num illis attrictus maneat? fol. 213.

§. II.

Si quis Titium Clericum verberet, ex errore tamen putans, Sortem pariter Clericum ſe percutere, ſit ne excommunicatione aſtrictus? fol. 214.

CAPVT IX.

Ambiguitates conſcientię in materia iuſtitię ſoluuntur. fol. 216.

§. I.

Dubitans, rem, quam habet, eſſe alienam, an illam reſtituere teneatur? fol. 216.

§. II.

Quid dicendum ſi poſſeſſor illius rei, inclinat, eam potiùs eſſe alienam? fol. 216.

§. III.

Stante prædicto dubio, an poſſit res illa à poſſidente alienari? fol. 217.

§. IV.

I N D E X

§. IV.

Si nulla moraliter ſit ſpes, vt Dominus compareat, an teneatur alienans admonere aliũ, cum quo contrahit? fol. 217.

§. V.

Si poſſeſſor poſt diligentiam præſtitam, in propriam vtilitatem rem illam conſumit, an comparente Domino, teneatur pretium illius rei reſtituere? fol. 218.

§. VI.

Si bona fide res aliena conſumetur, & ceſſante ipſa bona fide, conſumens dubitet, an fuerit effectus ditior, ad quid obligetur? fol. 218.

§. VII.

Si fuerit indiligens in veritate indaganda, an res ſit aliena; poſtea verò pœniteat, & fiat impotens ad veritatem inueniendam, teneatur ne aliquid vero Domino reſtituere? folio 218.

§. VIII.

Exiſtente dubio reſtitutionis circa determinatas perſonas, quarum nulla ſit in poſſeſſione quid à dubitante ſit faciendum? fol. 219.

§. IX.

Si Titio prædium concedatur, vt eo mortuo, ſuccedat eius primogenitus, & duo ſimul naſcantur, pro quo ſit iudicandum? folio 220.

§. X.

Depoſitarius dubius, an ſua culpa amiſerit depoſitum, teneatur, nec ne, ad reſtituendum? fol. 220.

§. XI.

Quid de Commodatario dicendum? fol. 221.

§. XII.

Si Caius per fraudem in ludo lucratus ſit, dubium de alterius colluſoris victoria, ſi fraus non interueniſſet, obliget ne Caium, præter lucrum iniuſtè acceptum ad aliquid aliud reſtituendum? fol. 221.

§. XIII.

Hæſitans Titius, an vi conſilij ab ipſo præſtiti, ſequutum, nec ne, fuerit furtum, à Sorte commiſſum, num ad reſtitutionem ſit obligandus? fol. 222.

§. XIV.

Similiter dubitent de iuſtitia belli, an poſſint tuta conſcientia præliari in fauorem illius Principis, qui tale indixit bellum? fol. 224.

§. XV.

Quędam diluuntur obiecta? fol. 227.

§. XVI.

Si Titius, facta diligentia, dubitet, an ſoluerit, quod Sorti debebat, teneatur ne integrum debitum ſoluere? fol. 229.

§. XVII.

Hæſitans moroſus debitor, an à Creditore monitus ſoluiſſet, teneatur ne damnum rependere, quod creditor pro dilatione eſt paſſus? fol. 229.

§. XVIII.

Occulta compenſatio facta à creditore, an in dubio cedat in extinctionem anterioris, ſeu magis priuilegiati, vel minus antiqui, ſeu minus crediti priuilegiati? fol. 231.

§. XIX.

Si quis certus ſit, ſe debitorem eſſe in decem tritici modijs, & dubius, an tales modij, in quibus eſt debitor, ſint maioris, vel minoris menſuræ, ad quid obligetur? fol. 232.

§. XX.

Mortuo viro, ſi vxor ſtatim cum alio nubat, & intra nouem menſes à die ſecundi matrimonij pariat, cuius viri cenſenda ſit proles? fol. 232.

§. XXI.

Duobus cum eadem muliere rem habentibus, ſi illa pariat, à quo ex illis duobus alenda ſit proles, quando de eius genitore minimè conſtat? fol. 232.

§. XXII.

Quando hæſitatio emergit, an virgo fuerit per ſeductionem deflorata, quid præſumendum? fol. 234.

§. XXIII.

Vtrum in dubio præſumatur virginitas fuiſſe in puella deflorata contra ſeductorem, id negantem? fol. 235.

§. XXIV.

Mutuatarius aliquid ſupra Sortem mutuanti ſoluens, vtrum in dubio præſumatur exceſſum gratuitò donaſſe? fol. 236.

§. XXV.

Duo contractus eodem die confecti, quibus Titius alijs ſe deuinxit, ſi bona ipſius non ſunt ſuffectura, vter ex illis contractibus in dubio præſumatur anterior? fol. 237.

§. XXVI.

Caius cuidam ſuo conſanguineo alimenta præſtitit, in dubio cenſeantur ne exhibita animo repetendi, an verò gratis donandi? fol. 237.

§. XXVII.

Quando eſt dubium, an citatio fuerit, nec ne, ex mandato Iudicis, eſt ne præſumendum pro parte negatiua, an verò affirmatiua? fol. 237.

§. XXVIII.

In dubio præuentionis, citatio realis, an præferenda ſit verbali? fol. 238.

§. XXIX.

Exiſtente dubio, quis ex duobus Iudicibus præuenerit, Eccleſiaſticus ne, an Laicus, in rebus mixti fori, pro quo eſt decidendũ? fol. 238.

§. XXX.

Res à Domino directo conceſſa, an iudicetur in feudum; an verò in allodium? fol. 238.

§. XXXI.

In dubio verſans, an Petrus extrema laboret neceſſitate, teneatur ne ſtatim illi opem ferre? fol. 239.

§. XXXII.

Famulus nonnulla ad quę non tenebatur, Domino præſtitit obſequia, vtrum in dubio præſumendum ſit liberaliter, an verò intentione mercedis exhibita fuiſſe? fol. 239.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Titius petit ab hęrede Sempronij, cui vt famulus inſeruiuit, debitam ſibi mercedem, hæres dubitat, an fuerit, nec ne, ſatisfactus, quid in tali dubio ſit decidendum? fol. 240.

§. XXXIV.

Petrus rem ſuam decem vẽdendam aureis Paulo commiſit, qui eam vndecim vendidit, poſtea hæſitans, an proprio, an verò Petri nomine vendiderit, poſſit ne exceſſum pretij ſibi retinere? fol. 241.

§. XXXV.

Prælatus bona aliqua acquirens, poſtea ab inteſtato moritur, vtrum in dubio pręſumantur ex redditibus Eccleſiæ, an verò proprij patrimonij acquiſita? fol. 243.

§. XXXVI.

An acquiſita per concubinam, durante concubinatum, præſumantur in dubio ex bonis amaſij? fol. 244.

§. XXXVII.

In plublicis comitijs ſi quis ex ſuffragatoribus ambigat, an ſuffragium ſuum, ante, vel poſt aliorum iniurioſè concludentium puncta, latum fuerit, ſit ne ad reſtitutionem aliquã aſtringendus? fol. 246.

§. XXXVIII.

Ex officio ſuffragium ferens de Nouitio ad profeſſionem admittendo, ſi dubitet, an Monaſterio expediat, debeat ne illum reprobare? fol. 248.

CAPVT X.

Conſcientia circa vltimas voluntates obſcura, illuſtratur. fol. 250.

§. I.

Si teſtamentum careat debita ſolemnitate, & dubitetur, an teſtator voluerit conficere teſtamentum clauſum, an verò apertum, vtrũ teſtamentum illud valeat, vt nuncupatiuum? fol. 250.

§. II.

Diſpoſitio aliqua, quando non conſtat, an præſumatur modalis, an verò conditionalis? fol. 250.

§. III.

Legatum pro Miſſis celabrandis, ſi nihil exprimatur de applicatione, in dubio, an præſumatur relictum ad ſolum Dei cultum, an verò applicandum pro anima legantis? folio 251.

§. IV.

Legatum, quod Epiſcopo relinquitur, an præſumatur in dubio relictum intuitu Eccleſiæ, an verò contemplatione ipſius Epiſcopi? fol. 252.

§. V.

Teſtator cuidam determinato pauperi decem legauit aureos, ſi pauper ille obeat, teneatur ne hæres legatum alteri pauperi erogare? fol. 252.

§. VI.

Titius tempore, quo condidit ſuum teſtamentum legauit centum aureos Eccleſię Parochiali, nomen Eccleſiæ minimè exprimendo; poſtea verò mortuus eſt in alia Parochia, ſi dubium inſurgat, quęnam fuerit legataria, vtri dandum ſit legatum? fol. 252.

§. VII.

Si legatum relinquatur exprimendo nomen Eccleſiæ, v.g. Sancti Petri, & in ea Ciuitate eiuſdem nominis plures ſint Eccleſiæ, penſatiſque omnibus, dubia maneat adhuc intentio Teſtatoris, quid ſit determinandum? fol. 253.

§. VIII.

Si Teſtator legauit aliquos annuos redditus, vt ſingulis diebus ſacrum pro ſua anima celebretur, & non declarauit quo loco voluerit Miſſas illas celebrari, in dubio quęnam Eccleſia ſit eligenda? fol. 253.

§. IX.

Eligens ſepulturam in aliena Eccleſia, & relinquens legatum proprię Eccleſiæ Parochiali æquiualens quartę funerali, vtrum in dubio præſumatur legare animo compenſandi cum quarta ipſi Eccleſię Parochiali debita? fol. 254.

§. X.

Legatum relictum creditori, cauſa non expreſſa, vtrum in dubio cenſeatur relictum animo compenſandi cum credito? fol. 254.

§. XI.

Teſtator legans domum, in qua inhabitat, an intelligitur comprehendere domum, quam habet rure? fol. 255.

§. XII.

Domus legata poſt mortem Teſtatoris, ſi per partes reficiatur de nouo, ita vt nihil prioris maneat, & mens Teſtatoris non conſtet, an legatum reducatur caducum? fol. 256.

§. XIII.

Si penſatis omnibus eſt dubium, an legatum ſit relictum dignitati, aut perſonæ, pro qua ſit pręſumendum? fol. 256.

§. XIV.

Teſtator aliquos legauit aureos Fratri cuiuſdam Pręlati Regularis, vtrum in dubio iudicandum ſit relictum Fratri carnali, an Fratri Religioſo? fol. 256.

§. XV.

Lgatum in dubio cenſeri ne debeat intuitu legatarij, an vero alicuius qualitatis, qua legatarius afficitur? fol. 257.

§. XVI.

An legatum relictum Eccleſiæ in dubio cenſeatur perpetuum, an verò prima vice extinguatur? fol. 257.

§. XVII.

Legata ad piam cauſſam, ſi forte inueniantur deleta in teſtamento, & non conſtet de intentione Teſtatoris, an præſumantur caſu adempta? fol. 257.

§. XVIII.

Caius reliquit legatum ſub conditione, ſi ipſe legatarius Religionem ingrederetur, in dubio,

bio, an legatum præſumatur pro ſolo ingreſſu, an verò pro profeſſione? fol. 258.

§. XIX.

Si Eccleſia, in qua eſt Cappellania, violetur, aut deſtruatur, in dubio de mente fundatoris, an alibi ſit celebrandum? fol. 259.

§. XX.

Si ambigatur, an qualitas legato adiecta, ſtet demonſtratiuè, an potiùs taxatiuè, quid iudicandum? fol. 259.

§. XXI.

Hæres prudenter ambigens, an ſacrificia pro anima Teſtatoris debita à Sacerdote, peracta, aut applicata fuerint, tenetur ne iterum ea celebranda curare? fol. 261.

§. XXII.

Legata ſtrictam ne, an verò latam poſtulent interpretationem? fol. 261.

CAPVT XI.

Conſcientiæ heſitationes de Sacramentorum valore, & effectu, enodantur, & primò circa Baptiſmum? fol. 264.

PARS PRIMA.

§. I.

QVI in infantia abrepti ſunt ab infidelibus, & dubitatur, an fuerint capti, antequam recæperint Baptiſmum, ſint ne baptizandi? fol. 264.

§. II.

Nati à parentibus Catholicis, & inter Chriſtianos educati, ſi poſtea dubitetur, an fuerint baptizati, debent ne baptizari, ſaltem ſub conditione? fol. 265.

§. III.

An Infantes in loco publico expoſiti præſumi debeant non baptizati, atque adeo ſub conditione baptizandi? fol. 265.

§. IV.

Si dubitetur filios infidelium habere, nec ne, vſum rationis, an ſint baptizandi inuitis parentibus? fol. 265.

§. V.

Si parentes offerant puerum, vt baptizetur, ipſe verò renuat, & ſit dubium, an habeat ſufficientem vſum rationis, an poſſit baptizari? fol. 266.

§. VI.

Dubio exiſtente, an partus ſit homo, an verò brutum, vtrum ſit baptizandus? folio 266.

§. VII.

Si partus præſeferat caput humanum, reliquum verò corporis ferinum, an præſumendus ſit homo, ideoq; Baptiſmo vngendus? fol 267.

§. VIII.

Si monſtrum naſcatur, & ambigatur, an ſit vnus homo, vel duo, ſit ne baptizandum vno, vel duplici Baptiſmo? fol. 267.

§. IX.

In dubio iuris, aut facti, an Baptiſmus fuerit collatus, ſit ne ſemper iterandus? folio 267.

PARS SECVNDA

§. I.

NVM hæſitans fuerit, nec ne, confirmatus, poſſit Sacramentum hoc recipere? fol. 268.

§. II.

Perſiſtente dubio, an Balſamum oleo permiſtum fuerit, poſſit hoc Sacramentum iterum conferri? fol. 269.

§. III.

Vtrum caſu prædicto occurrente, Chriſma ſit ſub conditione, & non abſolutè conferendum? fol. 269.

PARS TERTIA.

§. I.

AMbigens, an aliquid cibi, ſeu potus, poſt mediam noctem deglutierit, poſſit ne mane Euchariſtiam ſumere? fol. 270.

§. II.

Stante certitudine de comeſtione, ſeu potione, ſi dubium ſit de tempore, an ſcilicet fuerit ante, vel poſt mediam noctem, vtrum ieiunium naturale præſumi debeat adhùc perſeuerare pro Euchariſtia ſumenda? fol, 170.

PARS QVARTA.

§. I.

DVbitans, an aliquod lethale commiſerit peccatum, poſſit conſcientiam deponere, illudque in confeſſione ſacramentali reticere? fol. 275.

§. II.

Ambigens, an peccatum lethale à ſe patratum ſacramentaliter aperuerit, teneatur ne illud fateri? fol. 280.

§. III.

Heſitans, an peccatum à ſe commiſſum ſit reſeruatum, debet ne pro tali illud exiſtimare? fol. 284.

§. IV.

Quid determinandum, ſi pro vtraque parte dubium poſitiuum emergat? fol. 287.

§. V.

Si de peccato, quoad reſeruationem, dubio, pœnitens à Confeſſario inferiori abſolutionem obtinuerit, reſeruatione poſtea clareſcente, teneatur ne Superiorem adire, vt ab illo iterum abſoluatur? fol. 289.

§. VI.

Teneatur ne Confeſſarius pœnitentem abſoluere, ſciens peccatum aliquod eſſe reſeruatum, ſi de ſua poteſtate ſit anceps? fol. 290.

§. VII.

Caſus in Bulla Cœnæ, alijque in ſecundo Clementis Octaui decreto contenti, cenſentur ne vi eiuſdem decreti, in dubio reſeruati? fol. 290.

§. VIII.
Prælatus Regularis facultatem Titio Sacerdoti conceſsit abſoluendi ſubditos à caſibus reſeruatis, eo menſe occurrentibus; num menſe tranſacto, poſſit Titius ſubditos illos abſoluere à caſibus menſe deſignato patratis? fol. 293.

§. IX.
Confeſſarius hæſitans, an puer ſeptennis vſum rationis habeat, poteſt ne illum abſq; conditione abſoluere? fol. 297.

§. X.
Dubium peccaminoſum de aliquo fidei myſterio exterius prolatum, contineatur, nec ne, ſub reſeruatione? fol. 299.

§. XI.
Ambigens Titius Sacerdos fuerit, nec ne, aliquod crimen per ordinem ad confeſsionem ſibi à Sorte manifeſtatum, num teneatur ſub ſigillo, an verò ſub naturali tantùm ſecreto illud celare? fol. 301.

§. XII.
Si Confeſſarius reuelet crimen Sortis in confeſsione receptum, & aſſerat id ex eius licentia detegiſſe, vel aliundè ſciuiſſe, quid in dubio dicendum? fol. 302.

PARS QVINTA.

§. I.
DVbitante Parocho, num ęgrotus ſit mortuus, ſit ne inungendus? fol. 303.

§. II.
Sit ne ægrotanti Sacramentum hoc conferendum, ſi de eius vitę periculo probabili iudicium ferri nequeat? fol. 305.

§. III.
Num ab huius Sacramenti valore ſufficiat probabilitas periculi pręſumpta? fol. 305.

PARS SEXTA.

§. I.
HÆſitans Titius, an legitimam ad Sacros Ordines ſuſcipiendos ętatem attigerit, num ad illos promoueri valeat? folio 307.

§. II.
Clericus de inualiditate Ordinis à ſe recepti ambiguus, debeat ne ad eumdem iterum promoueri? fol. 308.

PARS SEPTIMA.

§. I.
DVbitans Sponſus, an ſi defectum, qui reperiebatur in Sponſa, agnouiſſet, ſponſalia fuiſſet contracturus, poſſit ne illa diſſoluere? fol. 310.

§. II.
Anceps de matrimonij valore bona fide contracti, an teneatur debitum reddere, & etiam licitè illud petere? fol. 311.

§. III.
Quid reſoluendum, ſi vterque coniux de matrimonij valore ambigat, alter verò ante diligentiam adhibitam ad veritatem indagandam illicitè debitum petat? fol. 313.

§. IV.
Inito matrimonio, dubitans alter coniux de impedimento dirimente, quod ab ipſomet dubitante tolli poteſt, an teneatur debitum reddere alteri coniugi petenti? fol. 315.

§. V.
Cum dubitatur, an impotentia coeundi præceſſerit, an verò ſubſequuta fuerit matrimonium, quid iudicandum? fol. 315.

§. VI.
Animo hęſitante, num impotentia, quæ præceſſit, ſit ne vera, an ſimilitudinaria, vel an naturalis, an potius accidentalis, quid præſumendum? fol. 317.

§. VII.
Ambigens, an metus fuerit incuſſus ad contrahendum matrimonium, præſumi ne debeat non incuſſus, & ſi incuſſus, & dubitetur an grauis, vel leuis, quid dicendum? folio 318.

§. VIII.
Adulter dubitans, an tempore adulterij, & promiſsionis de matrimonio cum adultera contrahendo, ſuperſtes fuerat alter coniux, incurrerit ne in impedimentum dirimens? fol. 318.

§. IX.
Si quis heſitet, an Sacerdos, ex Parochi licentia matrimonio interfuerit, onus id probandi incumbat ne eam affirmanti, an verò contra eam opponenti? fol. 319.

§. X.
Duobus ab eadem perſona initis matrimonijs, quorum primum, ob aliquam ſolemnitatem præſumptam legitimum cenſeatur, ſecũdum verò, quoad eamdem ſolemnitatem, certum, vtrum horum manere debeat? fol. 320.

§. XI.
Dubitans de impedimento dirimente matrimonium, poſſit ne illud inire? fol. 321.

§. XII.
Ex errore exiſtimans impedimento matrimonium dirimente ſe teneri, an validè contrahat? fol. 324.

§. XIII.
Nonnulla ſimilia deciduntur? fol. 325.

§. XIV.
Dubietas, an Titius ſit ne à legitimo, an potiùs adultero parente procreatus, num matrimonium inter ipſum Titium, & adulteri conſanguineam prohibeat? fol. 326.

DISCEPTATIO VII.

DE Conſcientia ſcrupuloſa. fol. 328.

Cap. I.
Definitur ſcrupulus, ſecundum nomen, & realitatem. fol. 328.

Cap. II.
Quos actus ſcrupulus inuoluat, & vtrum ad ſolum intellectum pertin eat? fol. 331.

Cap.

Cap. III.

De cauſſis, ex quibus ſuboriuntur ſcrupuli. folio. 332.

Cap. IV.

An ſcrupulus ſit deponendus, vt honeſta ſequatur actio. fol. 333.

Cap. V.

De cauſſis ſcrupulorum remouendis in genere. fol. 335.

Cap. VI.

De Remedijs ſcrupolorum pro determinatis materijs. fol. 337

§. I.

Nimia in iterandis confeſſionibus, pręteritiſq; criminibus enucleandis Religio, quo pacto moderanda. fol. 337.

§. II.

Efficax ſuggeritur forma ad vanum abigendũ timorem de doloris ad confeſſionem requiſiti defectu. fol. 339.

§. III.

Solicitudo inaniter metuentium mentem torquens, an malis aſſenſerint ſuggeſtionibus qua ratione expellenda. fol. 340.

§. IV.

Quomodo contra ſcrupulos inſiſtendum in ſacris precibus ex pręcepto fundendis. fol. 341.

§. V.

Qua via ſuperfluis occurrendum Religioſorum timoribus, de vitę perfectione curanda. fol. 344.

§. VI.

Vtrum conſuetudo, aut firmum propoſitum tranſgrediendi regulas, ſub mortali minimè obligantes, grauem inuoluat contemptum contra præceptum tendendi ad perfectionem. fol. 345.

§. VII.

Quid ſit tranſgredi regulas ex formali contemptu. fol. 346.

DE PROXIMA HVMANORVM ACTVVM REGVLA, QVAE EST CONSCIENTIA

MORALES DISCEPTATIONES.

PRIMAM, ac præcipuam, quamuis remotam, humanorum actuum regulam, eſſe legem æternam omnes fatentur: eſt tamen hæc nobis extrinſeca, nam ſub ratione indicantis bonum, & malum inuenitur in diuino intellectu; ſub ratione verò imperantis, & pręcipientis in diuina voluntate: oportet igitur præter extrinſecam, & increatam, dari aliam regulam creatam nobis intrinſecam, quæ ſit participatio quædam, & ſimilitudo ipſius primæ, & increatæ regulæ: Noſter igitur ſermo in his Diſceptationibus non verſatur circa ipſam primam, & remotam; ſed circa ſecundam, & proximam regulam, quam in operando reſpicere debemus, eidemq; noſtras morales actiones conformare. Hanc autem regulam nobis ita proximam, quæ eſt directiua earumdem actionum in particulari, *CONSCIENTIAM* Theologi appellare conſueuerunt, cuius naturam trutinandam ſeligimus, vtpote omnibus perutilem, & neceſſariam. Hanc vero tractationem varias in Diſceptationes, & Capita, & quando opus erit Capita ipſa in Sectiones, maioris diſtinctionis gratia, diuidemus.

DISCEPTATIO I.

De natura Conſcientiæ in communi, & de varijs eiuſdem acceptionibus, & diuiſionibus.

PRæmittimus quædam ſpectantia tum ad entitatem, tum ad definitionem conſcientiæ in vniuerſum, vt horum cognitione adepta ad caſus particulares melius deſcendamus.

CAPVT I.

Quid ſit Conſcientia ſecundum Nominis rationem, & ad quam potentiam pertineat.

SVMMARIVM.

1 *Conſcientia deriuatur à verbo conſcire.*
2 *Conſcientia eſt cordis ſcientia.*
3 *Significat applicationem ſcientiæ ad opus.*
4 *Conſcientia non importat ſcientiam ſtrictè, ſed largè ſumptam*
5 *Applicatio, quæ ponitur in deſcriptione conſcientiæ ſumitur intranſitiuè.*
6 *Eſt formaliſſima applicatio principiorum ad opus particulare.*
7 *Vtitur quodam ſyllogiſmo ſiue implicitè ſiue explicitè.*
8 *Eius maior ſubminiſtratur a Synteresi.*
9 *Minor à ratione ſiuè ſuperiore ſiuè inferiore.*
10 *Eſt concludens ſcientia.*
11 *Eius applicatio extẽditur ad præſentes actus præteritos, & futuros.*
12 *Dicitur etiam ſcientia cum ſe ipſo.*
13 *Pertinet ad intellectum, vt colligitur ex etymologia.*
14 *Probatur ex Patribus.*

NAturam, ſeu formalem rationem conſcientiæ inquirentes, pauca quædã pri⁹ de eius etymologia, ſeu nominali definitione, antequã eius qualitatẽ aperiam⁹, proponẽda cenſemus. Spectando igitur vim nominis, dicimus † cõſcientiam deriuari à verbo cõſcire; ſicut etiam vox illa, conſcius, vt notauit *Salas in par. 2. tr. 8. diſp. vnica. ſec. 1. n. 4.* Rurſus dicimus conſcientiam ſecundum vocem importare ſcientiam cum alio, dictio enim illa, *Con*, ſimultatem ſignificat; difficultas autem eſt in explicãdo quid ſit hoc aliud, & duos inuenio dicendi modos; nam aliqui volunt per ly, *aliud*, ſignificari ipſum hominem ſecum aliquid ſcientem, licet exterius nihil dicat; *ita Ioannes Salas l. c.* cui etiam adhæret *Breſſerus lib. 1. de conſc. in genere cap. 2. n. 19.* idq; confirmat ex dicto illo Horatij [*hic murus aheneus eſto nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa,*] hoc ipſum videtur voluiſſe *Hugo de Sancto Victore lib. 2. de anima*, definiens enim con-
2 ſcientiam, ait † *Conſcientia eſt cordis ſcientia*, & ſubdit *Cor noſcit ſe, & alia, quando autem ſe noſcit, appellatur conſcientia, quando vero præter ſe alia noſcit, appellatur ſcientia*; extant etiam eadẽ verba in operibus *S. Bernardi to. 2. lib. de interiori domo cap. 22. & lib. de cõſcien. c. 4. initio*; quæ opera, dubium eſt, an ſint ipſius Bernardi, vt animaduertit *Bellar. de Scrip. Ecc.* & hic eſt primus modus hãc vocem exponendi.

Alij vero inquiunt per conſcientiam ſignifi-
3 cari † applicationem ſcientiæ ad opus, ſeu ad actum particularem: ita *S. Thomas quæſt. 17. de Veritate primo* [illegible] *ad ſecundũ 1. par. quæſt. 79. a. 13.* [illegible] *in 2. diſt. 39. q. 3. nu. 7. S. Antoninus par. 1. tit. 3. c. 10. Caiet. in epiſt. ad Rom. cap. 2. ſuper illa Apoſtoli verba [teſtimonium reddente] Capreolus eadem diſt. quæſt. prima concl. 2. Valen. in p. 2. diſp. 2. quæſt. 14. p. 4. ver. [Item quarto] Martinez in p. 2. q. 19. à 5. dub. 1. ad argum. ſecundæ ſententiæ. Ludouicus Caſpenſis in ſuo curſu theologico tract. 11. diſp. 1. n. 4. Eligius Baſſæus in flor. theol. v. conſcientia num. 1. Malderus in p. 2. q. 19. art. 6. tract. de conſcientia diſp. 82 con. 5 & alij.* Ad-
4 uertendum tamen hic eſt, † quod conſcientia non importat ſcientiam ſtrictè ſumptam, quatenus eſt verorum tantum cognitio, ſed ſumitur largè pro quacunq; notitia, in quantum iuxta conſuetum loquendi modum, ea, quæ nouimus, ſcire dicimus; ſic aduertit *S. Thomas art. 2. cit. de ver. ad ſecundum.* Vterque modus enumeratus eſt admittendus, quia vterque importatur per conſcientiam, vt expreſsè docet *S. Thomas in 2. diſt. 5. quæſt. 2. ar. 4. in corp.* explicãdo enim varia huius vocis ſignificata, verſus finem ſic ait [*& inde dicitur conſcientia, quaſi cum alio ſcientia; quia ſcientia vniuerſalis ad actum particularem applicatur; vel etiam quia per eam aliquis ſibi conſcius eſt eorum, quæ fecit, vel facere intendit*] Hæc D. Thomas, cuius verba probationem huius explicationis cõtinent. Pro qua re aduertendum eſt cum Valentia loco ſuperius citato, Applicationem hanc, ſecundũ quam conſcientia exponitur, non eſſe ſumendã tranſitiuè, quaſi conſcientia applicationem illã
5 cauſſet, † ſed intranſitiuè; nam ipſamet conſcien-
6 tia eſt formaliſſima applicatio † principiorum vniuerſalium practicorum ad actum particularem. Vt autem melius hoc intelligatur ſupponendum eſt ex *S. Thoma eo loco in 2.* quod ra-
7 tio in eligendis, & fugiendis, † ſyllogiſmo quodam vtitur, qui interdum formaliter, & explicitè, interdum vero virtualiter, & implicitè adeſt
8 † cuius maiorem ſubminiſtrat ſynterèſis, quoniã in ipſa maiori habentur principia vniuerſalia,
9 quæ ad ſynterèſim ſpectant, † minorem vero ſubminiſtrat ratio ſuperior, aut inferior, quia in ipſa minori continentur rationes magis particulares, operationique propinquiores pertinẽtes, ſiue ad ſuperiorem, ſiue ad inferiorem rationem, vt mox videbimus, ex his denique eli-

ciitur

citur concluſio in particulari, quæ ad conſcien-
tiam ſpectat, ideoque conſcientia merito à *S.*
10 *Antonino* dicitur † concludens ſcientia, ferè
idem dixit *Aureolus lib.* 2.d.24.§. *Nunc ergo*,
cum vult conſcientiam eſſe concluſionem illatã
ex ſynteresi &c. & maioris explanationis gra-
tia ponamus exemplum: à ſynteresi v.g. ſubmi-
niſtratur hæc vniuerſalis propoſitio: Omne
malum eſt fugiendum, poſtea ratio naturalis
aſſumit hanc minorem: Furtum eſt malum,
& ſi hoc aſſumat ex eo, quod per legem æternã
Dei eſt prohibitum, dicitur minor ſubmini-
ſtrari à ratione ſuperiori, quæ procedit per cau
ſas æternas, & diuinas; ſi vero ex eo, quod furtũ
ſit iniuſtum, lædens ius alterius, tunc minor di-
citur ſubminiſtrari à ratione naturali inferiori,
quæ procedit per cauſas temporales, & huma-
nas, & ex his elicitur talis concluſio: Ergo fur-
tum eſt fugiendum; cuius actus eſt à conſcien-
tia, quæ eſt formalis applicatio iudicij vniuer-
ſalis, & etiam iudicij procedentis à ratione.
Proinde conſcientia dicitur ſcientia, non quo-
modocumque, ſed cum applicatione, ita vt ly,
cum, non importet aliquod diſtinctum ab ipſa
conſcientia, ſed tantum applicationem quali-
tatis, ſeu conditionis, quæ eſt vniuerſalium
principiorum applicatio.

Præterea applicatio iſta, quæ eſt conſcientia,
11 indifferenter poteſt ſe habere † ad actum ſiue
præteritum, ſiue præſentem, ſiue futurum: & ex
his colligimus triplicem eſſe actum cõſcientiæ,
vt etiam notauit *S. Antoninus ca.cit.§.2* vide-
licet, teſtificari, accuſare, vel excuſare, ſoluere,
vel ligare; ſi enim conſcientia eſt de præterito,
dicitur teſtificari ſiue bonum, ſiue malum, in
quo ſenſu *S. Paulus ad Rom.cap.2. inquit* [*Te-
ſtimonium illis reddente conſcientia eorum.*]
Alius actus conſcientiæ eſt, accuſare, reprehen-
dere de malo præterito commiſſo, vel bono
omiſſo, vel excuſare à culpa, & ſic intelligitur
illud *Eccleſiaſtici 7. ſcit conſcientia tua, quia
tu crebrò maledixiſti alijs, & ex S. Greg. lib.6.
Epiſt. cap.*178. qui refertur *in 2. parte Decreti
11. quæſt.3. cap. In cunctis*, habentur hæc verba
[*Quem enim conſcientia defendit, & inter ac-
cuſationes liber eſt, & liber, vel ſine accuſa-
tione eſſe non poteſt, ſi ſola, quæ interius addi-
dit, conſcientia accuſet.*] Secundus, & tertius
actus conſcientiæ eſt ligare, vel ſoluere, ſiue de
præſenti, ſiue de futuro, & ſignificatur ab A-
poſtolo *ad Rom.*14. illis verbis [*omne, quod nõ
eſt ex fide, peccatum eſt.*] nempe quod non eſt
ſecundum conſcientiam, peccatum eſt, ita hũc
locum explicant Commentatores.

Ex his omnibus inferimus conuenienter ex-
plicari conſcientiam, per hoc, quod ſit ſcientia
cum alio, ſeu, vt loquitur D. Antoninus, ſit con-
cludens ſcientia, ſubintellige, concludens par-
ticularem actum; quatenus notitia illa vniuer-
ſalis, quæ à ſynteresi ſubminiſtratur, & illa alia,
quæ à ratione ſuperiori, vel interiori, vt decla-
rauimus, applicatur alicui actui particulari ſiue
præterito, ſiue futuro, aut præſenti.

Denique eſt etiam admittenda illa prior ex-
poſitio, ſecundum quam dicitur conſcientia
12 eſſe † ſcientia cum ſe ipſo, hoc enim minimè
aduerſatur alteri explicationi, quia per hanc
ſcientiam concludentem, ſeu actui applicatam
homo, ſe, ſuaſque actiones cognoſcit, & quia
conſcientia eſt veluti quidam accuſator, teſtis,
& inquiſitor interior propriarum actionum.
Et hæc ſatis ſuperque dicta ſint circa nominis
ſignificationem. Deueniendo autem ad reali-
tatis explicationem ipſius conſcientiæ ſe offert
opinio Henrici, & Durandi. *Henricus enim
quodlib.1. quæſt.*18. putauit conſcientiam rea-
liter eſſe quamdam voluntatis inclinationem,
& conſequenter eius proprium ſubiectum eſſe
ipſammet voluntatem, & hoc probat ex varijs
attributis, quæ prædicare ſolemus de ipſa con-
ſcientia; dicitur enim aliquando conſcientia
bona, aut mala; bonitas autem, aut malitia in
actibus voluntatis inueniuntur. Rurſus *ad He-
br.*11. dicitur conſcientia mundari, emundatio
autem à maculis fit per actum voluntatis. Du-
randus vero cenſuit cõſcientiam eſſe aggrega-
tum plurium realitatum, & ſecundum vnam eſſe
in intellectu, ſecundum vero aliam in volunta-
te, quod probat primo ex vi nominis; nam cõ-
ſcientia importat ſcientiam ſimul cum aliquo,
ſeu aliquid cum ſcientia. Hoc autem aliquid
ait eſſe quamdam propenſionem volũtatis re-
ſpondentem ſcientiæ practicæ, quæ eſt in intel-
lectu, & vtramque eſſe conſcientiam; ſecundo
ex conditione actuum, qui conſcientiæ tribu-
untur, dicitur etiam teſtificari, quod pertinet
ad intellectum; rurſus dicitur interdum remor-
dere, quod ſignificat triſtitiam habere de opere
malefacto, & vt ſic ſpectat ad voluntatem.

13 † Dicendum tamen eſt conſcientiam ad in-
tellectum pertinere: eſt communis ſententia,
quam docet *S. Th. p.p. quæſt 79. a.13. & alibi.
Suarez in p.2. diſ.15. ſect.2. Vaſquez in eã-
dem prim.am.2. diſ.59. cap.1. Breſſerius de cõ-
ſcientia lib.1. ca.2. Martinez in p.2. quæſt.19.
art.6.* Nicolaus Baldelli vir eruditiſſimus, &
de noſtra ſocietate benemeritus *in ſuis morali-
bus diſputationibus theol. lib.4. de conſcientia
diſ.2. Caſpenſis, & Baſſæus loc.cit. Franciſcus
de Amico in p.2. S. Thomæ diſp.15. ſect.2. n.16.
Arriaga in p 2. S. Thoma d.22. ſec.2. Ioannes
Præpoſitus ibidem quæſt.19. ar.6. dub.1. & alij*,
inter quos aliqui dicunt eſſe habitum, vt S. Bo-
nauentura, & Scotus; Alij vero actum & quid
pertinens ad intellectum. Probatur concluſio
ex ſacra Scriptura; nam *in Eccleſiaſte cap.7.* di-
citur [*ſcit enim conſcientia tua, quia tu cre-
brò maledixiſti alijs*] *& ad Rom. cap.2.* [*teſti-
monium reddente illis conſcientia ipſorum:*]
ſcire autem, & teſtimonium reddere ſunt ope-
rationes intellectus; præterea *ad Rom.*11. dici-
tur [*omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*]
per fidem autem intelligitur conſcientia, qua-
tenus eſt credulitas, ſeu perſuaſio rationis, vt
declarant ibi Commentatores, & ſenſus ille eſt:
omne, quod non eſt ſecundum conſcientiam,
peccatum eſt.

Secundo probatur ex ipſamet voce, & nomi-

nis etymologia; nam conſcientia, vt inquit S. Thomas, & ſupra fuſiùs vidimus, ſignificat ſcientiam cum alio.

14 Tertio efficaciter ſuadetur † Patrum auctoritate, quorum dicta ſatis ſuperq; manifeſte indicant conſcientiam eſſe operationem intellectus, & primo loco *Origenes, qui libro illo 2. in cap. 2. ad Rom. ſuperius relato*, multa proferens de conſcientia, inter alia ſic inquit [*hac enim, & alibi dicitur, quia reprehēdat, non reprehendatur, & indicet hominem, non ipſa indicetur, ſicut ait Ioannes: Si cōſcientia, inquit, non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum, & iterum ipſe Paulus alibi dicit: quia gloriatio noſtra hac eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ,*] hæc Origines, qui poſt pauca appellat conſcientiam Pedagogum, & Rectorem animæ; at reprehendere eſt actus intellectus, cum nihil aliud ſit, niſi deteſtatiuè malum commiſſum oſtendere ipſi Reo: ſimiliter iudicare, & dirigere, quod eſt munus Pedagogi, & Rectoris, nequeunt eſſe in anima, niſi ab intellectu; voluntas enim cum ſit potentia cœca nequit reprehendere, iudicare, dirigere, &c. hæ enim ſunt cognitiones quædam.

Baſilius homilia in principium Prouerbiorum circa medium, vocat conſcientiam iudicium quoddam naturale, per quod ab iniquis facile bona diſcernimus, & addit, conſcientiam ſedere pro tribunali, nempe, iudicare.

S. Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 4. ſic inquit [dum in quadam ſumus delinquendi libidine, nebulis quibuſdam inſipientia mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis oculi eius caligant, ne videat eorum, quæ concupiſcit, deformitatem; ſed cum omnis nebula trāſierit, & fulgor ſapientiæ fulſerit, grauia tormenta exercentur in quodam male conſcij ſecretario,] obnubilari autem, videre, &c. opus intellectuale importat, ſicut etiam ſecretarium male conſcij, per quod conſcientia intelligitur.

S. Hieronymus in cap. 1. Ezechielis ſuper illa verba, [& quattuor facies vni,] appellat ſynterēſim ſcintillam cōſcientiæ, indicans conſcientiam eſſe veluti ignem ſplendentem, hoc autem cognitionem importat, & ideo paulo poſt, cōſciētiam comparat cum viſione Aquilæ, cuius intuitus eſt valde perſpicax.

S. Chryſoſtomus hom. 20. in cap. 4. Geneſ. circa medium ait [Quis enim iſtum, dic obſecro, talem ad confeſſionem adegit, nullus alius, quam conſcientia, & incorruptus ille Iudex: nam ſimul ac in peccatum declinauerat, & opere perfecerat malum conatum, ſtatim ſurrexit conſcientia, inclamanſq; & oſtendens peccatorum magnitudinem.] inclamare autem, oſtendere, &c. intellectui, & non voluntati congruunt.

D. Auguſtinus in Pſal. 37. poſt medium, ſuper illa verba. *Quoniam in te Domine ſperaui*, [*Quando Deus*, inquit, *Iudex erit, alius teſtis, quam conſcientia tua non erit,*] munus teſtis eſt in locutione, atq; adeo eſt à potentia cognoſcitiua, quæ in hac materia non eſt, niſi intellectus.

D. Gregorius lib. 11. moral. cap. 19. Cōſcientiam vocat internam accuſatricem, *& lib. 32. cap. 7.* ait eſſe teſtem, quæ omnia ad intellectum pertinent.

Deniq; *S. Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Euangelium longe poſt mediam verſus finem*, de conſcientia ſub denominatione oculi loquitur in hunc modum. [*At nullus de tāta numeroſitate ſpectantium moleſtior oculo ſuo cuiuſq; Non eſt aſpectus ſiue in cælo, ſiue in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit.*

Hæc, & plura alia tum ex Patribus, tum ex prophanis auctoribus, quos refert *Cornelius à Lapide in cap. 26. Leuitici Ver. 36.* afferri poſſent, quæ aperte oſtendunt conſcientiam eſſe actum intellectiuæ potentiæ. Sed prędicta à nobis allata ſufficiant.

CAPVT II.

Quænam ſit realis Definitio Conſcientiæ.

SVMMARIVM.

1 *Conſcientia non conſiſtit in notitia tantum apprehenſiua, ſed in Iudicatiua.*
2 *Reperiri poteſt in iudicio illatiuo.*
3 *Eſt iudicium intellectus, immediate verſans circa morales actiones.*
4 *Cuius definitionis rectitudo probatur, & declaratur per partes.*
5 *Sub illa comprehenduntur etiam omiſſiones.*
6 *Comprehenduntur etiam opera conſilij.*
7 *Non eſt iudicium per modum imperij.*
8 *Nō eſt iudicium vltimum practicè practicum.*
9 *Aſſignatur maior ratio cur ponatur in iudicio dictanto, & non in iudicio vltimo.*

OSTENDIMVS capite præcedēti conſcientiam proprie dictam ad potentiā intellectiuam pertinere, tamquam eius actum, nunc verò magis in particulari quærendum eſt, ſub qua intellectus operatione ſit ponenda, vt eius realem definitionem tradamus.

Dicendum itaque eſt primò eam non conſi-
1 ſtere in notitia tantum † apprehenſiua, ſed in iudicatiua, atq; adeo non eſſe primam intellectus operationem: ſic expreſſe *Corduba lib. 3. quæſtionum in tract. de conſc. queſt. 1. ver. Dicitur, & Breſſerus lib. 1. de conſc, cap. 4. nu. 31. 32. 33.* Probatur concluſio primò, ex munere propriiſſimo ipſius conſcientiæ, quod eſt dirigere noſtras morales actiones, eaſq; factas examinare, & iudicare: tale autem officium nequit conſiſtere in ſola, & ſimplici apprehenſione, niſi enim iudicemus de honeſtate, aut in-

hone-

honeſtate actionis temerè illam vel exercemus, vel repellimus; & impoſſibile eſt de actionibus præteritis ſententiam ferre, ſiſtendo in ſola apprehenſione, vt de ſe eſt ſatis manifeſtum.

Secundò, probatur ex eius etymologia, quam ſupra expoſuimus; diximus enim conſcientiam eſſe ſcientiam actui applicatam, & concludentem, hoc autem importat iudicium, & non ſimplicem apprehenſionem.

Tertiò, ex eius diuiſionibus, vt videbimus, diſtinguẽdo eam in rectam, erroneam &c. quæ, vt patet, inuoluunt operationem iudicatiuam.

Quartò ſunt dicta Patrum, quæ retulimus, & manifeſtè indicant munus conſcientiæ eſſe iudicare.

Dicendum eſt ſecundo poſſe conſcientiam
2 reperiri in tertia operatione intellectua, ſeu † in iudicio illatiuo, & diſcurſiuo. Eſt contra Breſſerum, qui in *fine numeri* 33. *citati* clariſſimè negat diſcurſum, ſeu tertiam operationem intellectus eſſe conſcientiam, ſed eſt omninò reijciendus, tum quia quod negat, non probat, tum quia alij auctores oppoſitum docent, vt S. Antoninus, qui ait conſcientiam eſſe ſcientiam concludentem, vt ſupra vidimus, & Aureolus dixit eſſe concluſionem illatam ex ſynterefi, tũ denique quia ratio pro parte affirmatiua eſt efficax, primo, quia iudicium ſecundæ operationis, in quo ponitur conſcientia, eſt virtualiter, & implicitè illatiuum, cum enim non verſetur circa prima, & vniuerſaliſſima principia, neceſſario eſt deducibile ab alio ſaltẽ implicitè, v.g. iudicium, quo determinamus hunc contractum in ſpecie non eſſe faciendum, quia inuoluit iniuſtitiam contra ius alterius, infertur ex principijs primis practicis, nempe, Nullũ iniuſtum eſſe faciendum, & hoc ex alio principio magis vniuerſali, Quod tibi nõ vis, alteri ne facias. Ex his aut ſimilibus principijs cognita iniuſtitia huius contractus in particulari, infertur: ergo contractus iſte non eſt faciendus. Si igitur iudicium illatum, vt virtualiter contentum in iudicio ſecundæ operationis, eſt directiuum, & regulatiuum noſtrarum actionum moralium, multo magis id erit aſſerendum de eodem iudicio illatiuo in ſe ipſo, & formaliter; inauditũ enim, & incredibile eſt aliquod eſſe poſſe regulam, vt implicitè in alio contentum; & non poſſe regulam eſſe in ſe ipſo exiſtens.

Secundo probatur, quia omnes illæ conditiones, quæ reddunt iudicium ſimpliciter compoſitum, quale eſt ſecunda operatio, aptum ad regulandas actiones, inueniuntur etiam in iudicio illatiuo, poteſt enim concludendo oſtendere quid ſit proſequendum, quidue fugiendũ: Rurſus actiones præteritas rectas, ſeu rationi conformes fuiſſe, aut diſformes, & ſic de reliquis conditionibus, quæ iudicio compoſito tribuuntur, quatenus habet rationem conſcientiæ, ergo non eſt negandum in tertia operatione dari poſſe veram & propriam conſcientiam. Ex his hactenus dictis colligere poſſumus realem conſcientiæ definitionem, quæ propter.

3 Dicendum eſt tertio: Conſcientia † eſt iudicium intellectus immediatè verſans circa morales noſtras actiones, dictans quid ſit faciendũ quidue fugiendum, & id, quod fecimus, an fuerit conſentaneum, an vero rectæ rationi diſſentaneum. Definitionem hanc eſſe conueniẽter traditam oſtendi poterit diſcurrendo per ſin-
4 gulas conditiones. Et primo † dicimus eſſe iudicium intellectus, quia, vt ſupra probauimus, conſcientia propriè dicta pertinet ad intellectum, & non eſt ſimplex, & mera apprehenſio, ſed adhæſio, atque adeo eſt iudicatiua; & hoc habet conſcientia loco generis, cũ ſit quid commune ad plura alia, quæ non ſunt conſciẽtia, ſed quædam iudicia intellectus pertinenti ad morales actiones, qualia ſunt iudicia, quæ à prudentia, & ab alijs habitibus prudentiæ annexis eliciuntur, nempe ab Eubulia, Syneſi, &c. Non diximus autem hoc iudicium, in quo conſcientia conſiſtit, eſſe practicum, quia voluimus per definitionem aſſignatam comprehendere omnem conſcientiam; nimirum, & eam, quæ immediatè circa actiones futuras, ſeu à nobis exercendas verſatur; & circa actiones præteritas a nobis factas: ideoque licet reſpectu faciẽdarum conſcientia ſit iudicium, ſeu dictamen proprijſſimè practicũ; nihilominus circa præteritas non eſt propriè iudicium practicũ, ſed potius ſpeculatiuum; nam præteritum vt ſic nequit eſſe factibile: proinde nonnulli diſtinguũt conſcientiam in ſpeculatiuam, & practicam, in quantum illa habet pro obiecto præterita; iſta vero futura, poteſt tamen minus preſsè vtrumque iudicium dici practicum, quatenus circa morales actiones factibiles, à futuris, & præteritis abſtrahendo, verſatur.

Secundo dicitur verſari immediatè, &c. quia inter conſcientiam, & actiones morales nullum aliud mediat obiectum.

Tertio explicatur eius obiectum, cum dicitur eſſe circa morales actiones; nam conſcientia non reſpicit actus neceſſarios, vt ſunt illi, qui à Theologis vocantur primo primi, & actus aliarum potentiarum, quæ voluntati non obediunt, vt ſunt operationes potentiæ negatiuæ; hi enim non ſunt capaces moralitatis, & directionis, & per hanc, & ſequentes particulas conſcientia ſecernitur, tanquam per propriam ſpecificam differentiam, ab alijs actibus iudicatiuis intellectus.

Quarto additur, Dictans, explicatur per hãc particulam officium conſcientiæ, quod eſt dirigere noſtras actiones, quid facere debeamus oſtendendo, & quid vitare oporteat; idcirco conſcientia ſolet etiam appellari: Dictamen rationis.

Quinto ponuntur actiones tum præteritæ, tum futuræ, vt aſſignetur integrum, & adæquatum obiectum conſcientiæ, ſicuti ſupra explicuimus.

Sexto ſubditur formalitas, ſub qua à conſcientia actiones iſtæ reſpiciuntur, nempe, vt morales, ſeu quod in idem recidit, vt conſentaneæ, aut diſſentaneæ naturæ rationali, vt rationali, ſeu rectæ rationi.

Ex

Ex his conditionibus ita declaratis inferi-
mus rectitudinem traditæ definitionis; in ea
enim nihil poteſt, tamquam abundans, aſſigna-
ri, neq; poteſt afferri alia conditio conueniens
conſcientiæ, quæ non contineatur in prædicta
definitione, neq; actus aliquis conſcientiæ ex
illis, quos Theologi conſueuerunt tamquam
propria officia ipſi conſcientiæ aſcribere, vt eſt
reprehendere, remordere, ligare, & ſoluere; hi
enim duo vltimi actus pertinēt ad cōſcientiam
vt verſantem circa futuras actiones; reliqui ve-
rò circa præteritas, & ſic conſcientia, vt à nobis
explicata, eſt adæquatū principium omnium
officiorum, ſeu actuum ad conſcientiam ipſam
pertinentium; ergo cum adæquatè conſcientiæ
natura per definitionem prædictam explice-
tur, erit tradita conuenienter eius definitio, &
iuxta leges bonæ definitionis, quas Logici re-
quirunt.

Sed dices Primò, Conſcientia verſatur etiam
circa omiſſiones, tum præteritas, tum futuras,
quod in noſtra definitione non ponitur. ergo
eſt deficiens.

Reſpondeo dupliciter, & Primo, affirmatio-
nem, & negationem oppoſitam ad idem ge-
nus ſpectare: Sicuti in ſimili docet S. *Thomas*
p.2.q.71.ar.6.ad 1. vbi quærens, an rectè defini-
tum ſit peccatum actuale à S. *Auguſtino*: eſſe
dictum, factum, concupitum contra legem
æternam, & dicens rectè definitum fuiſſe, obij-
cit primo loco contra ſeipſum, ſub illa defini-
tione non contineri peccatum omiſſionis; re-
ſpondet S. Doctor contineri, quia affirmatio, &
negatio ad idem genus reuocantur: proinde
quando dicitur peccatum eſſe dictum, factum,
&c. ſubintelligitur, aliquando etiam non dictū,
non factum, &c. eſſe peccatum; ſic in caſu no-
ſtro reſpondere nos poſſumus, quod cum dici-
mus conſcientiam verſari circa actiones mora-
les, intelligendum erit verſari etiam circa ea-
rumdem actionum negationes. Secundò re-
ſpondeo, nos non cogi recurrere ad continen-
tiam implicitam, aſſerendo negatiuum oppoſi-
5 tum ſubintelligi, &c. nam dicimus † explicitè
omiſſiones in definitione appoſitas fuiſſe, di-
ximus enim cōſcientiam tum circa faciendum,
tum circa fugiendum, & circa factum, & non
factum iuxta rectam rationem verſari; in his
verbis clarè declarantur omiſſiones morales eſ-
ſe etiam conſcientiæ obiectum, quia ſi con-
ſcientia aliquid dictat eſſe faciendum, certum
eſt, omiſſionem actionis faciendæ, eſſe malam;
& cum dicimus verſari circa id, quod eſt fu-
giēdum, denotamus omiſſionem alicuius actus
eſſe bonam, & actum oppoſitum eſſe malum.
Tertius, quando dicimus verſari circa factum,
an fuerit cōſentaneum, an verò rationi diſſen-
taneum, explicamus omiſſionem aliquam eſſe
malam, cum omittimus id, quod erat rationi
conſentaneum; & eſſe bonam, omittendo id,
quod erat eidem rationi diſſentaneum.

Dices Secundò. Præter officia prædicta, da-
tur aliud pertinens ad ipſam cōſcientiam, quod
tamen omiſſum à nobis fuit, & non explicatum
in definitione allata; ergo definitio eſt deficiēs;
Antecedēs, in quo eſt difficultas, probatur, quia
conſcientia poteſt ſepè dictare aliquid, quod
tamen ſit ſolum ſub conſilio, & non cadat ſub
præceptum, vt ſunt omnia opera, quæ vocan-
tur ſupererogationis, & talis conſcientia ap-
pellatur conſulens, & non ligans.

Reſpondeo *ex Breſſerio cap.4. cit. n.27.* ſub
illis particulis, nempe, faciendum, & fugiēdum,
ſuper erogationis opera contineri; nam facien-
6 dū, & fugiendū ſumuntur latè, † quatenus com-
prehēdūtur actiones ex præcepto, & ex cōſilio.

Dicendum eſt Quartò. Conſcientiam non
7 eſſe † iudicium per modum imperantis, ſed ſo-
lum iudicantis: sic *Malderus poſt concluſionem*
citatam in 2. corollario, & Martinez §. Reſtat
autem, ſoluendo dubium contra argumentum
Durandi; at Breſſerus hac de re loquitur ob-
ſcurè, nam *cap.4. cit. num.* 28. cōſcientiæ dicta-
men explicans, expreſsè docet ipſi conſcientiæ
conuenire quoq; imperare: at *inferius num.* 35.
ver. Probatur 2. ait conſcientiam non eſſe im-
perij actū à reliquis diſtinctum, & ſubdit, tum
quia ille, videlicet, actus imperij non datur; tum
quia, & ſi daretur, non eſſet conſcientia. Sed
quicquid ſit de mente huius auctoris, probatur
noſtra concluſio tamquam certa, quia munus
conſcientiæ eſt dirigere voluntatem noſtram
in ordine ad operationes morales; atq; adeo
eſt per modum conſilij, non imperij, & ſe ha-
bet veluti conſultor noſter, qui debet actiones
noſtras humanas iudicare, quod clarius fiet
manifeſtum ſoluendo quamdam Durandi obie-
ctionem.

Dices igitur cum Durādo *diſt.39. cit. quæſt.*1.
Si conſcientia conſiſteret in iudicio practico
Intellectus, vt explicuimus, numquam contin-
geret operari contra conſcientiam, quod eſt
apertè falſum; quia operatio moralis, vel eius
omiſſio ſemper eſt iudicio practico conformis,
vi cuius homo mouetur ad operandum, vel
omittendum, quod iudicium appellari ſolet
vltimum, & practicè practicum, ſiuè ſit impe-
rium, ſiue ab imperio diſtinctum; ergo cum
actio ſemper ſit conformis iudicio, ex quo ſe-
quitur, numquā erit illi difformis, & ſic num-
quam homo diceretur contra conſcientiæ iudi-
cium agere.

Reſpondeo hoc *Durandi* argumentum nul-
lam contra nos habere vim, & facile diſſolui,
diſtinguendo duo iudicia, vnum, per quod di-
ctatur, quid hic, & nunc ſit faciendum: aliud ve-
rò, per quod homo iudicat, v.g. exercendam
eſſe talem actionem, quamuis primum illud
iudicium dictauerit actionem hanc eſſe ratio-
ni diſſentaneam: conſcientiam autem poni-
8 mus in primo illo iudicio, quod non † eſt vlti-
mum, neq; eſt practicè practicum: cum poſſit
non eſſe efficax, quia voluntas ſæpè allicitur ab
obiecto, vt delectabili, aut vtili, non obſtante
quod per primum illud iudicium oſtenſum, &
dictatum fuerit obiectum hoc eſſe inhoneſtū,
& ſic voluntas ab obiecti delectabilitate alle-
cta, operatur contra primum iudicium, ſeu
con-

contra conſcientiam. Negandum igitur eſt Durando ex noſtra ſententia ponente conſcientiam in iudicio intellectus, ſequi, numquam hominem operari contra conſcientiam. Vtrum autem ſemper detur vltimum illud iudicium practicè practicum, quando humano operamur modo, & vtrum debeat ſemper eſſe per modum imperij, alibi eſt determinandum, ſatis nobis in præſentia erit, ſiue ſemper detur, ſiue aliquando, non ſequi illud Durandi abſurdum.

Sed poſſet quis in contrarium tali pacto vrgere. Cum iſta duo iudicia à nobis poſita ſint practica, quorum vnum deſcribitur, alterum vero à voluntate admittitur, cuius ductum ſequendo, non apparet quæ ſit ratio, cur nomen conſcientiæ priori dumtaxat iudicio tribuatur, nō autem poſteriori, & per conſequens neq; maior erit ratio cur homo peccans dicatur operari contra conſcientiam, & non potius iuxta illā; & hoc quia licet voluntas operetur difformiter ad vnum iudicium, operatur tamen ſemper cōformiter ad aliud, ſupponendo, antequam liberè voluntas operetur, dari ſemper tale iudicium practicè practicum; ſiue enim in hac inſtantia hoc ſupponimus, quia reſponſio à nobis ſuperius data, argumento Durandi ſoluendo, non fundatur in eo, quod tale iudicium non detur; cum dictum ſuperius ſit, ſiue ſemper detur, ſiue non, non ſequi, hominem numquam contra conſcientiam operari.

Reſpondeo negando non eſſe maiorem rationem, cur priori, & non poſteriori iudicio conſcientiæ nomen tribuatur, & negatur pariter non eſſe maiorem rationem, cur homo peccans dicatur operari contra, & non iuxta conſcientiam, non obſtante quod, peccando inueniatur ſemper difformitas cum vno, & cum altero iudicio conformitas.

Pro cuius intelligentia aduertendum eſt in illo iudicio practico, conſcientiam conſiſtere, quod ſe habet, vt proxima regula volūtatis directiua ad operandum in ordine ad finem, † qui eſt bonum aliquod rationis rationali naturæ conſentaneum: oſtendere autem debet per huiuſmodi iudicium, quid hic, & nunc ſit operandum, aut omittendum in ordine ad rectum finem, & hoc modo ſe habens per modum conſilij dicitur dirigere, & actiones humanas menſurare, vt debito fini ſint conformes. Hæc autem omnia conueniunt priori illi iudicio, cuius munus eſt proponere, an hic & nunc talis operatio ſit conueniens, nec ne, at non reperiuntur in poſteriori iudicio, quod ſe habet potius per modum imperij, quàm conſilij. Ponamus exēplum: apprehendatur ab intellectu actio furandi pecuniam ſub ratione boni vtilis, & ſub ratione mali, quatenus eſt contra legem æternā, tunc accedit conſcientia dictans actionem hāc eſſe vitandam, quia eſt mala moraliter; at, hoc non obſtante, formatur aliud iudicium practicè practicum, ſiue ſit imperium, ſiue non, iuxta varias ſententias, per quod intellectus vltimo iudicat, bonum eſſe hic, & nunc, pecuniam illā furari, quia vtile eſt, ideoque imperat voluntati, quæ huius vltimi iudicij ductum ſequens, externas mouet potentias ad ſurripiendam pecuniam, & ſic peccat. In hac autem ſerie actuū internorum, conſcientia eſt illud iudiciū, quod actionem illam eſſe malam dictat, & ideo vitādam: vt ſic enim humano modo dirigit voluntatem, quæ ab illo diſcordans, dicitur operari contra conſcientiam, quatenus contra regulam proximam operatur, licet ſe conformet vltimo iudicio, quod eſt per modum imperij, & non conſilij, regulæ, & menſuræ.

CAPVT III.

Quo pacto Conſcientia differat à Synteresi, & à quibuſdam, quæ ſunt moralium actuum menſura.

SVMMARIVM.

1 *Datur diſcrimen inter conſcientiam, & ſynteresim.*
2 *Conſcientia ſtrictè ſumpta differt à ratione.*
3 *Secernitur à prudentia preſsè accepta.*
4 *Multipliciter differt à lege naturali.*
5 *Hæc omnia largè loquendo interdum confunduntur.*

DICENDVM eſt primò; Conſcientiam preſsè ſumptam, de qua loquimur, † diſtingui à ſynteresi, quia iſta immediatè verſatur circa prima principia practica vniuerſaliſſima, videlicet circa hæc, & ſimilia: Omne bonum eſt proſequendum, malum vero fugiendum: Quod tibi non vis, alteri ne facias. Deus eſt colendus, & amandus: Parentes ſunt diligendi; Temperatè eſt viuendum, & his ſimilia, quæ abſque deductione apparent; & quamuis ſit aliqualis dubitatio, & controuerſia: An concluſiones ex his, & ſimilibus principijs imperceptibili ſyllogiſmo deducibiles, quales ſunt Decalogi præcepta, ad ſynteresim pertineant; Theologi tamē communiter aſſerunt ſub legem naturalem cadere, vt fuſè probat *Suarez ex S. Th. & alijs lib. 2. de leg. cap. 7. per totum.* Regula autem vniuerſalis erit ea, primò, & per ſe ſynteresis materiam eſſe, quæ ſecundum ſe, & intrinſecè euidentem habent honeſtatem, & ſunt neceſſaria ſimpliciter ad rectitudinem morum, vt prima ſunt principia. Secundariò autem ad ipſam ſpectant ſynteresim, ſeu legem naturalē eaq; imperceptibiliter, & euidenter ex eiſdem primis principijs deducuntur, vt Decalogi ſunt præcepta. Synteresis interdum nominat aliquod per modum habitus, interdum vero per modum actus in quodam iudicio conſiſtentis;

illud

illud autem quod eſt per modum habitus, Nominales putant non eſſe realiter diſtinctum ab ipſamet ratione, ſeu potentia intellectiua; at S. Thomas, aliiq; cenſent eſſe diſtinctum, & eſſe verum habitum realiter potentiæ ſuperadditũ; qua de re loquens *Conradus in quaſt. theol. lib. 3. quaſt. 1.* noluit queſtionem decidere, ſed disiunctiuè tantum loquitur.

Cæterum conſcientia eſt de ſingularibus, ideoq; ſatis diſtinguitur à ſynterèſi, Rurſus aliud eſt diſcrimen, nam conſcientia interdum per morum prauitatem deperditur; at nunquã ſynterèſis, etiam in Damnatis.

Dicendum eſt ſecundò; Conſcientiam etiã
2 † à ratione differre, nam iſta, ſecundum vnam acceptionem eſt potentia quędam omnium tũ vniuerſalium, tum ſingularium, tum ſpeculabilium, tum etiam practicorum cognoſcitiua; conſcientia vero, vt diximus, ſolum de practicis eſt, & ſingularibus; & non eſt potentia, ſed actus, & vt ſic etiam ſecernitur à ratione, vt actuali, modo explicando *ſequenti Diſceptatione capit. primo.*

Dicendum eſt tertiò; Inter Conſcientiam,
3 & Prudentiam preſsè acceptam † eſſe diſcrimẽ; nam & ſi vtraq; de particularibus ſit, Prudentia tamen ſemper eſt de veris practicis, at conſcientia eſſe poteſt etiam practicè de falſis: rurſus Prudentia ſemper eſt bona moraliter, conſcientia vero interdum eſt mala, quãdo eſt vincibiliter, & culpabiliter erronea.

Dicendum eſt quartò; Legem naturalem, &
4 conſcientiam † multipliciter inter ſe differre, vt rectè animaduertit *Suarez lib. 2. de leg. cap. 7. num. 15. & Meralla tom. 2. diſput. 4. capit. 1. num. 32.* Primo enim differunt, quia lex naturalis eſt regula generalis de agendis, conſciẽtia vero eſt de ſingularibus. Secundò Conſcientia interdum eſt falſa, & erronea etiam vincibiliter, lex autem ſemper eſt vera, & recta; eo enim ipſo, quod eſt erronea, ſtatim à ratione legis ceſſat. Tertiò lex eſt de futuris actionibus, conſcientia vero latius patet, cum de pręſentibus ſit, futuris, & præteritis, eiuſque munus eſt legem omnem ſiue naturalem, ſiue diuinam, ſiue humanam ad opus applicare.

Dicendum quintò, & vltimò eſt: Quod ſi non ita propriè, ſed largè loquamur, aliqua
5 ex enumeratis † confunduntur; & ſic aliquando conſcientia ſynterèſis vocatur, ita *Diuus Hieronymus in primum Ezechielis* ſuper illa verba *Quatuor facies vni, &c.* & refertur à *Sancto Thoma p. p. quaſt. 79. ar. 13. in corp.* Nam ſynterèſis eſt cauſſa directiua cõſcientię, quæ reducitur magis propriè ad exemplarem, quatenus eſt eiuſdem conſcientiæ directiua, effectus autem, & cauſſa, eodem nomine, quãdoque appellantur. Præterea Conſcientia interdum dicitur lex naturalis, ſic *S. Thomas in 2. d. 24. quaſt. 2. ar. 4. ad 5. & 6.* & hoc, quia à lege naturali cauſſatur, vt ibidem idem S. Doctor notat.

CAPVT IV.

Vtrum Synterèſis, & Conſcientia extingui valeant.

SVMMARIVM.

1 *Synterèſis in actu primo eſt ipſe intellectus: in actu ſecundo eſt habitus diſtinctus.*
2 *Synterèſis primo modo accepta nunquam extinguitur.*
3 *Secundo modo de potentia abſoluta Dei deſtrui poteſt, ſecus de potentia ordinaria.*
4 *Actus ſecundus ſynterèſis quoad principia vniuerſaliſſima per ſe loquendo non extinguitur; per accidens verò aliquo modo obſcuratur.*
5 *Impoſſibile eſt vt ad oppoſitum actum deflectatur.*
6 *Ceſſare poteſt in ordine ad aliquod particulare operabile.*
7 *Conſcientia circa plura extingui poteſt.*
8 *Totaliter extingui non valet.*
9 *Homo liberè malum eligens ſaltem implicitè & virtualiter prima principia practica agnoſcit.*

DE re hac fusè agit *Corduba in quaſtionario lib. 3. quaſt. 11.* breuiter tamen, & quantum in materia morali permittitur nõnulla, quæ ad huius quæſiti deciſionem pertinent, in medium afferam.

Dico igitur primò, Synterèſim bifariam ſumi poſſe, nempe vel pro ipſo principio, ſeu actu primo, à quo proueniunt actus, vel pro a-
1 ctu ſecundo: actus autem primus radicalis † eſt ipſamet potentia intellectiua; actus vero ſecũ-
2 dus formalis † eſt quidam habitus eidem potẽtiæ ſuperadditus, & congenitus, at de ſynterèſi ſub vtraq; hac acceptione loquutus eſt *S. Thomas in 2. ſenten. diſt. 24. quaſt. 2. art. 3. in fine corp.*, quamuis ſub diſiunctione his verbis: *Et ideo dico, quod ſynterèſis vel habitum tantum nominat, vel potentiam ſaltem ſubiectam habitui, ſic nobis innato.* Synterèſis autem ſũpta pro ſecundo actu nihil eſt aliud, niſi iudicium illud, quod circa prima vniuerſaliſſima principia practica verſatur, videlicet: Bonum eſt proſequendum, malum vero fugiendum. Quod tibi non vis, alteri ne facias, & ſimilia; extenditur autem ſynterèſis ad alia principia minus vniuerſalia, veluti ſecundariò, vt adulteriũ, furtũ, &c. non eſt faciendum: Temperatè eſt viuendum: Parentes ſunt colendi &c.

Dico Secundò. Synterèſis, quæ eſt actus primus, impoſſibile eſt, vt manente anima ratio-
3 nali † extinguatur. Concluſio eſt certa, & ponitur expreſsè à *Corduba quaſt. cit. cõcl. 1.* nam ab anima ſeparari nequit potentia intellectiua: at loquendo de Synterèſi formali, quæ im-
4 portat habitum ſuperadditum, idem † aſſero;

quis

quia licet de potentia abſoluta poſſit Deus hũc habitum deſtruere, nihilominus id non facit, quoniam connaturaliter exigitur ab ipſo homine, ſicuti etiam exiguntur ſpecies, quibus intelligit, & multo magis id affirmare debem° ſpectando potentiam ordinariam: hoc ipſum eſt dicendum de ipſo intellectu, etiam poſita reali diſtinctione inter entitatem animæ, & ipſum intellectum, & admiſſa opinione, quæ vult proprietates reales ſeparari poſſe à Deo manente principio, à quo fluunt, hoc autem non obſtante, dicimus intellectum de potentia ordinaria eſſe inſeparabilem, quoniam debetur naturæ humanæ. Probatur etiam concluſio auctoritate Patrum, inter quos eſt S. *Hieronymus in cap. primum Ezechielis ſuper illa verba, Et quattuor facies vni*, applicat facies iſtas iuxta Platonis ſententiam quattuor facultatibus animæ rationalis, inter quas quartam ait eſſe illam, quam Græci *συντήρησιν* vocant, ideſt ſynterefim, & ſic addit: *Quæ ſcintilla cõſcientiæ in Cain quoq; peccatore, poſtquam eiectus eſt de paradiſo, nõ extinguitur. S. Auguſtinus lib. 2. Confeſſ. cap. 4.* ſic habet: *Furtum certè punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidẽ delet iniquitas*, & idem docet alijs in locis: per legem autem in cordibus ſcriptam intelligitur ſynterefis; eodem modo loquitur. *S. Thomas par. 2. quæſt. 94. art. 6.* probãs legem naturalem, quatenus verſatur circa prima, & communiſſima principia aboleri non poſſe à corde hominis, ſub nomine legis ſynterefim intelligit, vt patet ex ipſomet contextu: hoc enim aſſerit Gloſa ſuper illa verba S. Lucæ: *Abierũt ſemiuino relicto*, ſic enim inquit; *Immortalitatem exuere, ſed rationis ſenſum omnino abolere non poſſunt.*

Dico Tertiò. Neque quoad actum circa vniuerſaliſſima principia extingui poteſt Synteresis per ſe loquendo. Hãc cõcluſionem docet *S. Thomas in 2. ſentent. d. 39. quæſt. 3. art. 1. & loc. cit. in par. 2.* cum in corpore articuli ait legem naturalem, cuius nomine ſynterefim intelligit, vt diximus, non deleri in ordine ad principia communia: ratio autem eſt quia principia iſta communia ſunt per ſe nota, proinde apprehenſis terminis ſtatim eorum veritas innoteſcit, vt: Quod tibi non vis, alteri ne facias, & ſimilia: quemadmodum id contingit in principijs vniuerſaliſſimis ſpeculatiuis, vt: Quodlibet eſt, vel non eſt: Omne totum eſt maius ſua parte, &c. Dixi, per ſe loquendo, nam per accidens poteſt homo, vel ratione infirmitatis ob organi læſionem, vel aliquo alio ſimili impedimento prohiberi, quin exeat in actũ, vt aſſerit. *S. Thomas quæſt. 16. de verit. art. 3.* Concluſio ſimpliciter loquendo, eſt adeo vera, vt etiam in Damnatis, Synteresis, quoad hunc actum, minime extinguatur, & hic eſt ille remorſus, ſeu vermis conſcientiæ, quo ipſimet Damnati cruciantur, vt ponit *S. Thomas in 4. d. 50. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. & alibi.*

Dico Quartò. Neque poſſibile eſt, vt ſyn-

5 tereſis per ſuum actum ad oppoſitũ deflectatur, nempe ad malum inclinet. eſt contra *Cordubam loco citato propoſ. 2.* vbi vult quod ſyntereſis quoad ſuum immediatũ actum poſſit impediri, aboleri, & deprauari; noſtra tamen concluſio eſt *S. Thomæ quæſt. citata de veritate*: & ratio eſt manifeſta, quia ipſa ſyntereſis, quæ eſt principium actus eſt eſſentialiter habitualis inclinatio in bonum honeſtum, proinde nequit eſſe principium actus oppoſiti; ſicuti neq; habitus principiorũ in ſpeculatiuis poteſt ad falſum inclinare, ad iudicandum, V. G. totum non eſſe ſua parte maius; aliquod ſimul eſſe, & non eſſe, &c.

Dico Quintò. Poterit ſecundum quid ſynte-
6 reſis extingui, nimirum in ordine ad aliquod particulare operabile, quatenus homo quando eligit, non applicat iudicium vniuerſale ipſius ſyntereſis, ex eo quod ratio ob aliquam paſſionem abſorbetur: ita *S. Thomas loc. cit.* hoc autem non eſt ſynterefim extingui quoad ſuum immediatum actum, ſeu quoad iudicium illud vniuerſale circa communiſſima principia, vt voluit Corduba; ſed ſecundum quid dicitur extingui, nempe quoad aliquod iudicium particulare proueniens ab errante ratione, & non applicante propriũ ipſius ſyntereſis iudicium.

Sed dices cum Corduba: poſſunt prima principia practica non præſentari intellectui, vel ſi præſententur, poterit intellectus à ſuo iudicio impediri, vel ex voluntatis imperio, vel ex aliquo impedimento naturali, nempe læſione, infirmitate, indiſpoſitione, &c. Rurſus poteſt etiam deprauari, ita vt eliciat actum oppoſitũ, ſcilicet, diſſentiendo primis principijs practicis, & hoc ex imperio voluntatis deprauatæ; circa hoc fusè loquitur ipſe Corduba aſſignãs in progreſſu ſui diſcurſus veluti triplicem cauſam huius deprauationis, nempe malitiam voluntatis, paſſionem, aut diſtractionem intellectus, quamuis concedat id ad tempus contingere poſſe, nam poterit intellectus, ablata deprauationis cauſſa actum naturalem impediente, elicere per ſynterefim actum vnum immediatum circa prima principia.

Cæterũ argumenta, quæ adducuntur à Corduba non probant, niſi hanc vltimam concluſionem; nam eſto demus quod prima principia, quando homo liberè operatur eligendo, nullo modo præſententur, quod tamen eſt falſum, vt infra videbimus, tunc nihil aliud ſequitur, niſi ſynterefim actu non verſari circa ſuum immediatum obiectum, & hoc impediente voluntate, vel aliqua paſſione, aut naturali diſtractione, &c. non autem ſequitur ſynterefim quoad ſuum immediatum actum poſitiuè deprauari, eliciendo nimirum actum oppoſitum, quod eſt impropriè, aut ſecundum quid extingui, vt diximus in vltima concluſione: Ad illud verò aliud, quod pro ſe affert Corduba, negandum eſt, poſſe hominem ita deprauari, vt ſyntereſis actum, primis principijs practicis contrarium, eliciat, vt in prima, & ſecunda concluſione auctoritate Patrum, & ratione oſtendi-

mus; nam prima principia cum ſint per ſe nota
impoſſibile eſt, vt ipſis apprehenſis intellectus
oppoſitum iudicet, & quid ſimile euenit in
apprehenſione principiorum ſpeculatiuorum.
7 Dico Sextò. Conſcientia † poteſt circa plu-
ra extingui in nobis. eſt communis, eamque
docet, & probat *Breſſerus de conſc. in genere*
lib. 1. cap. 14. & manifeſte patet; nam homo
peccans poterit ita in voluntate deprauari, vt
in multis falsũ culpabiliter iudicet; inde eſt, vt
plures Nationes exiſtimauerint adulterium nõ
eſſe malum, vſuram eſſe licitam, Periurium
fieri poſſe abſq; peccato ob bonum finem, &c.
Dico Septimò. Numquam Conſcientia ita
8 deprauari poteſt, vt † omnino extinguatur: *ita*
Breſſerus loc. cit. & ratio eſt in promptu, quia
niſi aliquo modo Peccator, quando peccat,
præcognoſcat id, quod eligit, eſſe malum, &
conſcientia id dictet, non peccaret; poneretur
enim laborare inuincibili ignorantia, quæ à
peccato excuſat. Oportet igitur conſcientiæ
indicantis aliquo pacto in obiecto malitiam
dictamen præcedere.
Ex hac concluſione colligitur id, quod ſupra
9 innuimus, † falſum ſcilicet eſſe quod prima
principia, cum homo liberè malum eligit, vel
liberè bonum omittit, quod facere debet, ali-
quo modo intellectui non præſententur; nam
quamuis explicite non ſemper ſe offerant, ni-
hilominus implicitè, ſeu virtualiter ſemper ha-
bentur: patet, quia ſi habetur conſcientia di-
ctãs aliquod eſſe malum, quod eſt neceſſarium
ad hoc, vt homo peccet, conſcientia illa, cum ſe
habeat veluti concluſio particularis, oportet
fundari in principijs, in quæ eſt reſolubilis, vt
accidit in ſpeculatiuis, in quibus impoſſibile
eſt intellectum aſſentiri concluſioni, quin im-
plicitè, & virtualiter aſſentiatur principijs, à
quibus concluſio illa procedit; ſic in caſu no-
ſtro, quando intellectui indicatur per cõſcien-
tiam, actionem hanc, V.G. furtiuam, eſſe ma-
lam, fundatur in eo quod lędit ius alterius, &
hoc non eſſe lędendum, quia ſicuti nemo vult
ſuum ius ab alio auferri, ita neq; debet alienum
auferre, quod enim tibi non vis alteri ne facias,
&c. & hæc pro hac materia ſint ſatis.

C A P V T V.

An Conſcientia pertineat ad ſu- periorem, an verò inferiorem Animæ partem.

S V M M A R I V M.

1 *In anima rationali duplex reperitur portio ſu-*
perior, & inferior.
2 *Diſtinctio vtriuſq; portionis eſt ſecundũ ha-*
bitudinem ad rationes diuinas, & æternas,
aut temporales, & humanas.
3 *In omni potentia animæ rationalis vtraq; in-*
uenitur portio.
4 *Portiones iſtę interdum inter ſe diſcrepant, in-*
terdum conueniunt.
5 *Cõſcientia pertinet ad partẽ animæ ſuperiorẽ.*
6 *Procedit per rationes diuinas, & æternas.*

MOVET dubitationem hanc
Martinus Breſſerus lib. 1. de
conſc. in genere cap. 5.
Pro ſolutione ſupponenda eſt
diſtinctio, quam Theologi in
1 anima † rationali agnoſcunt, vi-
delicet partis ſuperioris, & inferioris, non
ſolum quatenus pars inferior partem ſenſiti-
uãm importat, & pars ſuperior partem intelle-
ctiuam; ſed etiam ſiſtendo in eadem parte.
Theologi duplicẽ hanc agnoſcunt portionem,
de qua *S. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 7. in*
fine, & cap. 12. S. Thom. p. 2. q. 74. art. 9. Diſtin-
2 ctio verò iſta non eſt ſecundum † diuerſitatem
potentiarum, ſed einſdem potentiæ in ordine
ad diuerſas rationes obiectiuas iuxta diuerſi-
tatem officiorum, vt aduertit *idem S. Auguſti-*
nus cap. 4. hæ autem rationes ſunt in duplici
differentia; nam aliquæ dicuntur diuinæ, &
æternæ, aliquæ verò humanæ, & temporales.
Rationes æternę ſunt illæ, quæ pertinent ad
legem naturalem, vel poſitiuam, ſiue diuinam,
ſiue humanam, ſeu, quod in idem recidit, omnis
ratio virtutis, quia ipſamet honeſtas virtutis
eſt ſecundum legem Dei æternam; ideoq; in
omni virtute ratio aliqua æterna reperitur, cui
peccatum, vitiumq; contrariatur. Rationes ve-
rò temporales, quæ inferiores appellãtur, ſunt
rationes vtilitatis, delectationis, honoris tem-
poralis, & ſimiles, quæ aliquam virtutis ratio-
nem non reſpiciunt; quando igitur mens circa
priores æternas rationes verſatur, dicitur ratio,
ſeu portio, & pars ſuperior, quãdo verò in ra-
tiones ſecundo loco poſitas, fertur, ratio, ſeu
portio pars inferior vocatur.
Præterea ſupponendum eſt, portiones † iſtas
3 non inueniri in ſolo intellectu, ſed etiam
in memoria, & voluntate. in memoria quate-
nus in ipſa ſeruantur ſpecies omnium prædi-
ctarum rationum; & ſic vt retinens ſpecies ra-
tionum æternarum vocatur pars ſuperior, vt
retinens ſpecies temporalium dicitur pars in-
ferior memoriæ: in intellectu pariter vtraq;
reperitur portio, in quantum enim rationes
conſiderat æternas, & quatenus eaſdem conſu-
lendo per illas de alijs iudicat, portio ſuperior
dicitur; conſiderans verò, & conſulens rationes
temporales pars inferior appellatur: deniq; in
voluntate ambas etiam has portiones agnoſci-
mus, prout enim afficitur prioribus æternis ra-
tionibus pars ſuperior nuncupatur; prout ve-
rò poſterioribus afficitur, pars inferior nomi-
natur; quod etiã animaduertit *Vaſquez in p. 2.*
diſp. 105. cap. 1. n. 2. idq; colligit *ex S. Auguſti-*
no, & S. Thoma.
Deniq; ſupponendum eſt, has duas portio-
4 nes interdum inuicẽ † diſcrepare, interdũ verò
conuenire, v.g. ſi alicui offeratur occaſio furã-
di pecuniam, poterit pars inferior furtum eli-
gere ob motiuum propriæ vtilitatis, & cõmodi
tẽporalis: pars verò ſuperior ex principijs æter-
nis

nis poterit contradicere proponens furtũ illud eſſe malũ, quia eſt cõtralegem Dei, quia eſt offenſa Dei, &c. Cõuenient autẽ ſi pars inferior, &c. eligeret comeſtionẽ quorũdam ciborũ ſanitati conferentiũ, & para ſuperior conſulens rationes æternas conſentiret, ex eo quod conſeruare ſanitatem eſt iuxta legem naturalem, & diuinam, Deoq; gratum, &c.

His omnibus pro quæſiti declaratione præhabitis, inquirimus ad quam partẽ ex his pertineat iudicium, in quo conſcientia conſiſtit, ad partem ſuperiorem an verò ad interiorem?

5 Dicẽdum igitur eſt conſcientiã † ad partem animæ ſuperiorem ſpectare; *ſic Breſſerus l. c.* Probatur primo auctoritate Patrum, qui talia officia conſcientiæ tribuunt, vt haud obſcurè eam in ſuprema animæ parte iudicent inueniri: dicunt enim eſſe ſpiritũ animæ, eius rectorem, iudicem ſupremũ internũ, qui ita reprehendit, vt non reprehendatur, *ſic Origines lib. ſuo 2. ad Rom. ſup. cit. S. Baſilius in principium prouerbiorum Salomonis* comparat conſcientiam cũ iudice, qui in alto ſedet. *S. Bernardus de interiori domo* plura dicit de cõſcientia, eiuſq; laudibus, eam domum appellãs *cap. 7.* ſeptem columnis firmatam, quæ ſunt bona volũtas, memoria beneficiorum Dei, cor mundum, animus liber, ſpiritus rectus, mens deuota, ratio illuminata, quæ omnia in ſequẽtibus capitibus declarat: manifeſtũ autem eſt has rationes eſſe diuinas, æternaſq; quibus innititur conſcientia, nullam verò aſſignat Bernardus rationem humanam, ac temporalem.

Rurſus in toto libro, quẽ inſtituit ſupra conſcientiam, quã plura de illa profert encomia, ait enim eſſe ſpeculũ quoddã, in quo rationis oculus tam indecens, quam quod decẽs in ſe eſt, apprehendit; inſuper ait eſſe domũ, in qua Deus inhabitat, proinde excolendã: eſſe librũ, ad quẽ diſcutiendũ omnes alios fuiſſe inuentos: vide etiã *S. Antoninum p. 1. tit. 3. c. 10 §. V. & VI.* multa in cõſcientiæ laudem aſſerentẽ. Hæc autem omnia, & plura, quæ apud alios Patres habentur, conſcientiam eſſe ſupremam, altamque animæ partem oſtendunt.

6 Probatur Secundò. Cõſcientia † ducitur per rationes diuinas, ac æternas; ergo reſidet in ratione ſuperiore. patet cõſequentia ex dictis: diximus enim iudiciũ ex motiuis æternis ad ſuperiorem animæ partem ſpectare; probatur ergo antecedens: Conſcientia nõ alio modo dirigit, regulatq; humanas actiones, niſi ea oſtendendo, quæ ſũt iuxta legẽ æternã naturalẽ, aut diuinã, vel iuxta ea, quę ſunt cõſentanea naturæ rationali, quæq; ſunt diſſentanea, & cõtra legem: hęc aũt motiua, quibus cõſcientia ipſa procedit ſũt diuina, & æterna, nũquam enim ipſa, vt moralũ actionũ regula aliqua proponit eſſe proſequẽda, alia verò fugienda, quia ſunt nobis temporaliter vtilia, afferentia honorẽ tẽporalem, aut inutilia, nociua, aut cõtra humanos honores &c. & quamuis interdum talia proponit motiua, illa tamen regulat ſecundũ rationes æternas diuinę legis, & ſecundum virtutis rationem.

CAPVT VI.

An cõſcientia reſpiciat ſpecialem habitum, à quo procedat.

SVMMARIVM.

1 *Si aliquis habitus ſpecialis elicitiuus cõſcientiæ eſſet aſſignandus, deberet eſſe intellectualis.*
2 *Aliqui hunc habitum non diſtinguũt ab entitate animæ.*
3 *Gabriel Vaſquez tribuit S. Bonauent. & alijs quaſi agnoſcentibus ſpecialem habitum, ſed non rectè id illis impertitur.*
4 *Communis ſententia talem non cõcedit ſpecialem habitum.*
5 *Opinio Authoris.*
6 *Nequit conſcientia elicitiuè eſſe ab habitu fidei, neq; opinionis.*
7 *Proponuntur plura argumenta contraria cuiuſdam Recentioris.*
8 *Reſpondetur ad illa.*
9 *Conſcientia tantũ remotè procedit à ſynteresi.*
10 *Habitus prudentiæ immediatè concurrit ad conſcientiam actualem rectam.*
11 *Actus prudentiæ ſunt tres inquirere, iudicare præcipere.*
12 *Prudentia per Eubuliam, & ſynteresim, aut Gnomen concurrit in conſcientiam.*
13 *Non concurrit præcipiendo.*
14 *Peccans actualiter eſt imprudens.*
15 *Conſcientia erronea culpabilis eſt per malam principiorum applicationem.*
16 *Applicatio iſta procedere poterit à diuerſis habitibus prauis, vel ab ipſo tãtũ intellectu.*
17 *Actus conſcientiæ rectæ frequentati pertinent ad illum habitum, qui reſpicit materiam circa quam ipſi actus verſantur.*

1 SVPPONIMVS ex dictis Conſciẽtiam eſſe actum intellectus, atq; adeo ſi † habitus aliquis erit illi aſſignandus, neceſſario debet eſſe intellectualis, ad eamdem enim potentiam pertinẽt habitus, & actus, qui à tali elicitur habitu; quo poſito. inquirimus an cõſcientię ſit aſſignandus proprius & ſpecialis habitus. Prima opinio ea eſt, quã ſuſtinet *Capreolus in 2. d. 39. q. vnica art. 1. cõcl. 2. & ar. 3. ad 3. & 4. cõtra eamdẽ cõcluſionẽ*, videlicet nullũ dari habitũ, à quo cõſciẽtia actualis eliciatur; in eadẽ opinione videtur eſſe *Martinus Breſſ. tr. de cõſ. lib. 1. c. 3. n. 20. 24. 25.* ponit autẽ Auctor iſte cõſcientiã habitualẽ nõ in alio ſubiecto ab anima diſtincto, ſed inquit eſſe ipſam

2 animæ entitatem, † in quantum potens eſt ipſam actualem conſcientiam elicere, & hoc probat ex varijs locutionibus, quæ entitati tantum animæ conuenire poſſunt, vt cum dicitur conſcientiam ſcire, eſſe puram, inqui-

nari, & emundari Chriſti Domini ſanguine, &c. hæ autem locutiones,& ſimiles non congruunt actui, neq; habitui propriè dicto; & ſic auctor iſte dum quærit,& aſtruere nititur conſcientiam habitualem,eam exterminat, cum nullam aliam entitatẽ agnoſcat præter ipſam animam,quod perinde eſt,ac negare habitum, de quo eſt ſermo, nempe qualitatem aliquam permanentem animæ ſuperadditam: proinde eius opinio cum illa Capreoli conincidit, quia cum negat dari ſpecialem habitum cõſcientiæ, non intendit hoc de animæ entitate, ſed de qualitate diſtincta,& ſuperaddita.

Secũda opinio tribuitur *à Vaſquez* loco in-
3 ferius citãdo † *S. Bonauenturæ, Riccardo, Gabrieli, & Durando*, quaſi agnoſcentibus habitum aliquem ſpecialem,à quo conſcientia actualis procedit; ſed hi Auctores ſolum dicunt conſcientiam eſſe actualem,& habitualem; at non explicant, an conſcientia habitualis ſit vnicus, & ſpecialis habitus:an vero ſit quilibet habitus per conſcientiam actualem applicabilis.

Tertia,& ſatis communis Doctorum ſenten-
4 tia eſt † conſcientiã actualem non pertinere ad vnum tantum ſpecialem habitum,ſed ad varios pro diuerſitate materiæ, circa quam ipſa conſcientia actualis verſatur: ita *plures in p. 2. S. Thom. Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 1. num. 8. Suarez de bonit. & malit. act. num diſt. 12. ſect. 1. in fine, Vaſquez d. 59. cap. 1. num. 2. Gaſpar Hurtado de actib. hum. diſp. 4. diff. 1. Martinez in quæſt. 19. S. Thom. ar. 6. dub. 1. in ſolut. 2. obiectio: poſt concluſionem, Malderus d. 82. concluſ. 7. Arriaga d. 22. ſect. 1. Ouiedo tract 5. de actib. hum. controu. 1. punt. 1. num. 5. & alij*, qui dicunt, quando conſcientia eſt recta, atq; adeo certa,& euidens ipſam pertinere ad prudentiã; quando vero non eſt euidens,& certa,ſed ineuidens,& incerta tunc pertinere ad fidem, vel ad opinionem;cum vero eſt falſa, & erronea vincibiliter ſpectare ad diuerſos habitus erroneos; aliqui vero, vt *Salas, & Hurtado* volunt poſſe interdum procedere à ſynterẽſi, quando conſcientia ipſa certa eſt,& clara;vel à fide diuina, quando eadem conſcientia eſt obſcura. Hæc,& ſimilia prædicti Auctores dicunt, quorum ſententiam,vt iacet,non admitto; valde enim confusè, & non ſufficienter pũctum hoc declarant, immò aliqua meo iudicio falſa in ſuis dictis,vt videbimus,admiſcent placet igitur quæſitum propoſitum apertius enodare,& quid mihi probabilius videtur in medium afferre.

5 Dicendum eſt primò † nullũ dari ſpecialem habitum conſcientiæ, cuius munus nihil aliud ſit,niſi facilem, promptamq; reddere potentiã ad conſcientiam actualem. Hæc eſt S. Thomæ opinio, quam defendit, & declarat Capreolus loco citato, eamq; S. Doctor expreſſit *quæſt. 17. de verit. ar. 1.* docens nullum dari habitum ſpecialem,quem conſcientia nominet,& *in ſolutione ad 5.* apertè inquit conſcientiam nec eſſe potentiam, nec habitum,ſed actum,& ſubdit,quod quamuis actus iſte non ſit in dormiẽte,nec ſemper maneat; nihilominus manet in ſua radice, & exponens radicem hanc,ait manere in habitibus ab ipſamet conſcientia applicabilibus;ſi autem daretur talis habitus ſpecialis à S. Thoma cognitus,ad declarandam radicem,in qua manet conſcientia,nõ recurreret ad habitus applicabiles, qui non ſunt, propriè loquendo,conſcientia;ſed ſolum materia, circa quam verſatur conſcientia: ſed recurreret ad proprium, & ſpecialem habitum, & in hac eadem ſententia abſque dubio eſſe debent Auctores citati in relatione tertiæ ſententiæ, cum dicunt conſcientiam ad varios habitus pertinere,licet id clarè nõ expoſuerint.

Poteſt tamen ex vſu loquendi dari conſciẽtiam habitualem,ſeu in habitu, quatenus præceſſit actualis,& non fuit retractata;ſicuti dicitur manere peccatum habituale, ſeu in habitu, etiam ex eo præcise, quod fuerit commiſſum, & ſufficienter non retractatum: Rurſus poſſunt etiam quamuis largè appellari conſcientia habitus illi,qui ad eam concurrunt,& præſertim ſynterẽſis,vt notat *S. Thomas in ſolutione ad 6. ſecundo loco poſitum, & alibi.*

6 Dicendum eſt ſecundò; Conſcientiam † nõ poſſe elicitiuè procedere à fide,ſiue humana, ſiue diuina, neq; ab habitu opinionis,quia iudicium conſcientiæ,vt infra videbimus, & fatentur Auctores laudati,eſt certum, & moraliter euidens; fides autem ſicuti opinio nequeunt eſſe principium actus euidentis: Præterea opinio, & fides humana non poſſunt actum certum producere,ſed incertum, poſſunt tamen actus horum habituum eſſe materiam, circa quam verſatur conſcientia,vt de ſe patet, & euenit, quando quis ſibi formet certam conſcientiam, ductus vel auctoritate, vel opinione probabili, ſicuti ſuo loco declarabimus.

7 Sed contra hanc concluſionem, quatenus negat, conſcientiam actualem elicitiuè ab habitu fidei procedere poſſe, inſurgit quidam recentior, plura proponens mihi argumenta.

Primò enim ſic arguit. Conſcientia dictat hic,& nunc, vrgente Tyranno, fidem eſſe fatẽdam,ſed hic actus eſt ab habitu fidei,ergo &c.

Secundò; Qui operaretur contra conſcientiam in hac materia, eſſet infidelis, ergo qui operatur eſt fidelis: ergo à fide procedit actus ille.

Tertiò Fides prout includit habitum piæ credulitatis inſidentem in voluntate, inclinat ad gaudendum,& fruendum de rebus fidei:ergo & ad actum conſcientiæ in ſua materia.

Quartò Actus conſcientiæ in materia fidei habet bonitatem, vel malitiam ex motiuo fidei;ergo ab illo habitu.

Quintò Iſte eſt diſcurſus conſcientiæ. Eliciendus eſt actus fidei vrgente præcepto, vel ſcandalo;ſed hic,& nunc vrget præceptum,vel ſcandalum;ergo &c. Maior eſt euidẽs per ſynterẽſim, quæ eſt cognitio verſans circa principia practica;minor patet, vt ſingulare contentum ſub vniuerſali, conſequentia ad minus ſe-

que-

quetur claritatem illam, quam habet maior, & ab eodem habitu elicietur. Ita obijcit prædictus recentior: Cæterum non erit difficile argumentis propoſitis plene ſatisfacere, reſpondendo iuxta formam, & diſtinctè ad ſingula.

8 Ad primum † negatur minor; nam iudicare practicè hic, & nunc eſſe fidem fatendam, potius eſt actus elicitiuè procedens a prudentia, ſeù ab aliquo habitu ad ipſam ſpectante, quam à fide, probatur, quia actus a fide diuina procedentes debeat eſſe infallibiliter veri, & certitudinem, ſeù veritatem in re ipſa habere, nam fidei falſum ſubeſſe non poteſt, vt determinatur *in Tridentino*, & communiter Theologi in a. 2. at prudentiæ licet falſum practicum conuenire nequear, quia eſt vna ex virtutibus intellectualibus, quæ in verum tendunt, ferri tamen poteſt in falſum ſpeculatiuè ſumptum, vt vnanimi conſenſu Theologi affirmant.

Ad ſecundum, diſtinguo antecedens. Eſſet infidelis, ſi interiùs diſſentiret myſterio fidei, concedo. Si non diſſentiret interiùs, nego antecedens; licet præſumptiuè in foro externo exiſtimandus eſſet infidelis, negando myſteriũ; nihilominus in foro conſcientiæ peccaret aliquo modo contra fidem, operando, aut omittendo aliquid contra confeſſionem fidei, & etiam contra rectum dictamen conſcientiæ, licet non ſit duplex, ſed vnum peccatum, vt infra cap. 10. demonſtrabimus. Diſtinguo etiam conſequens. Qui operatur eſt fidelis, &c. formaliter ſub illa præciſa ratione, in quantum operatur ſecundum conſcientiam, nego: eſt fidelis ſuppoſitiuè, quatenus credit id, quod fatetur, concedo conſequentiam. Et addo ab arguente nimium probare, nam ſequeretur omnem actum prudentiæ, quæ eſt virtus generalis potens operari circa quamcumq; materiam, eſſe elicitiuè à fide, quando verſatur circa res fidei, & idem etiam poſſet dici de religione, exercente cultum circa res diuinas, quæ fide creduntur.

Ad tertium reſpondeo: Primo quidquid ſit de habitu illo piæ affectionis, ſeù credulitatis, nam aliqui eum negant, vt non neceſſarium, alij confundunt ipſum cum habitu charitatis & conſequenter dicunt ordinari ad perfectionem fidei formatæ, & non informis, & in homine iuſto tantùm inueniri: ſo tamen admiſſo, non video quem effectum habear in hac materia; neq; dicas effectum eſſe inclinare voluntatem, vt intellectui imperet ad iudicium conſcientiæ producendum, ne dicas hoc, quia intellectus non indiget habitu voluntatis, vt tale iudicium eliciat, ſufficienter enim adiuuatur à proprijs habitibus in ipſomet intellectu inſidentibus, & non eſt eadem ratio de actu conſcientiæ, & de actu fidei, ad illum enim non oportet intellectum captiuari, ſicuti ad actum fidei, pro quo ponitur habitus piæ affectionis; nullus igitur effectus aſſignari poteſt pertinẽs ad conſcientiam, qui fit à tali habitu piæ affectionis. Et ſi vlterius dicas munus huius habitus eſſe, elicere actum conſcientiæ, ſi dicatur hoc, tolleretur de medio ſententia illa, ſecundum quam dicebatur, conſcientiam eſſe elicitiue ab habitu fidei. Rurſus eſſet valdè inconueniens aſſerere actum intellectus, qualis eſt conſcientia, elici ab habitu alterius potentiæ, neq; eſt poſſibile elicitiuè eſſe ab vtroque habitu.

Reſpondeo ſecundò; Quamuis demus gaudium, ſeù fruitionem prædictam elici ab habitu ſpeciali piæ affectionis, negandum omninò eſt, conſcientiam elici ab eodem habitu; nam conſcientia actualis formaliter eſt actus intellectus; vt ſupra oſtendimus; inauditum enim eſt actum intellectus elici ab habitu voluntatis, quamuis ab illo imperari queat.

Ad quartum aio, argumentum eſſe ex falſa ſuppoſitione, nempè actum conſcientiæ eſſe capacem formaliter bonitatis, & malitiæ moralis, ipſa enim conſcientia actualis dicitur bona, aut mala directiuè; quatenus enim dictat vincibiliter malum, appellatur mala cauſaliter; bona verò quando dictat actum bonũ, poterit enim obiectiuè eſſe bona, aut mala, dependenter tamen ab actu voluntatis, vt bene, aut male in illam ferentis, & eadem vtentis. Rurſus aio, bonitatem, aut malitiam moralem dari non poſſe à motiuo fidei, niſi pro vt ſubeſt voluntati, à qua ſola formaliter deſcendit totum genus moris, quoad bonitatem, & malitiam.

Ad quintum dico, diſcurſum illum non eſſe a ſola conſcientia, ſed etiam à ſynrereſi, à qua procedit maior, & ab habitu prudentiæ, ſeù ab alijs habitibus intellectualibus, à quibus procedit minor; concluſionem tamen eſſe actualẽ conſcientiam, & ratione talis cõcluſionis poſſe progreſſum illum intellectualem aliquo modo appellari diſcurſum conſcientiæ, quia totus ille diſcurſus ordinatur ad concluſionem; multa alia eſſent expẽdenda, quæ ponuntur in prędictis argumentis; ſed hæc ſufficiant pro firmitate noſtræ concluſionis. Maneat igitur tamquam certum conſcientiam actualem elicitiuè non procedere à fide diuina.

Dicendum eſt tertiò; Neque elicitiue, & immediatè procedere ab habitu ſyntereſis; probatur, quia ſyntereſis immediatè de principijs iudicat vniuerſalibus, conſcientia vero de particularibus eſt, & ſingularibus.

Dicandũ eſt quartò; Procedere conſcientiã

9 à ſynrereſi † remotè eo modo, quo in ſpeculatiuis procedit ſcientia actualis, ſeù concluſio ab habitu primorum principiorum, & hoc probat *S. Thomas quæſt. cit. de verit. ar. 6.* ex eo, quod conſcientia cùm ſit de aliquo actu particulari, nequit applicari iudicium ſynrereſis, quod eſt vniuerſale, niſi aliquod particulare intermedium aſſumatur, quemadmodum in ſpeculatiuis ex principijs generalibus immediatè inferri nequit concluſio aliqua particularis; niſi media aliqua propoſitione particulari; v. g. ex eo, quod omne animal ſit ſubſtantia, non ſtatim infertur Petrum eſſe ſubſtãtiam, niſi aſſumatur minor particularis, per quã dicatur, & ſupponatur: Petrum eſſe animal: ſimili-

militer ex eo, quod totum ſit maius ſua parte,
nequit immediatè inferri A eſſe maius B, niſi
interponatur A eſſe totum, & B eſſe partem, et
ita pariter in practicis ex eo, quod omne bonũ
ſit proſequendum, & malum fugiendum, ne-
quimus formare in nobis conſcientiam dictan-
tem hoc in particulari eſſe amplectendum, vel
deteſtandũ; niſi medio aliquo particulari prius
aſſumpto, per quod videtur hoc, de quo eſt for-
manda conſcientia, eſſe bonum, aut malum; at
ſynterelis, quæ verſatur circa illa principia pra-
ctica vniuerſalia ſolum mediatè poterit con-
currere ad conſcientiam, quæ eſt de ſingulari.

Dicendum eſt quinto; Habitum prudentiæ
10 immediatè † concurrere ad conſcientiã actua-
lem rectam, ſiue talis concurſus ſit per habitũ
prudentiæ ſpecialiter & preſsè acceptæ; ſiue per
habitum ipſi prudentiæ annexum, eiq; ſubor-
dinatum; pro qua re ſupponendum eſt ex Ari-
ſtotelis doctrina communiter recepta *libr. 6.
Eth. cap. 5.* prudentiam, quæ eſt recta ratio agi-
bilium, eſſe habitum cum recta ratione actiuũ,
circa ea, quæ, & bona, & mala ſunt homini: Ac-
tus autem prudentiales ſunt tres, vt docet *S. Th.
ex Ariſtotele p. 2. quæſt. 17. ar. 6. & 2. 2. quæſt.*
11 *46. ar. 7.* † nēpè inquirere, ſeu conſiliari, iudica-
re, & præcipere: iſte vero vltimus eſt præcipuus
reliquis, vt pote proximior fini, nempe opera-
tioni: ad hos actus dantur habitus, ad primum
Eubulia, ad ſecundum ſyneſis, quæ eſt iudicati-
ua per rationes communes, & ordinarias; ſi au-
tem per extraordinarias datur gnomen; ad vlti-
mum actum datur prudentia ſpecialiter, & ſtri-
ctè ſumpta. Controuerſia autem eſt inter Do-
ctores, an prædicti habitus inter ſe ſint diſtin-
cti realiter nec ne; & aliqui affirmant, aliqui ve-
ro negant; ſed quidquid ſit, noſtrum non eſt in
præſentia hoc decidere, ſed ſuppoſitis prædi-
12 ctis, aio † prudentiam concurrere ad cõſcientiã
tum per Eubuliam conſultando, tum per ſyne-
ſim, aut Gnomen, quæ ſunt habitus iudicati-
ui circa particularia: at non dari influxum pru-
13 dentiæ per vltimum illum actum, † primo, quia
conſcientia non præcipit, aut imperat; ſed ſolũ
iudicat quid faciendum, quod vitandum, at ille
14 actus eſt per modum imperantis: † Secundò,
quia ſequeretur in Peccatore, dum actu peccat,
eſſe perfectam prudentiam; nam actus ille eſt
completiuus prudentiæ, vt aſſerit *S. Thomas 6.
Ethi. lec. 9.* prudentiam autem eſſe non poſſe
in peccatore actu peccante docet *Ariſtoteles
lib. cit. cap. 12 in fine*, his verbis concludens,
quod dixerat; *Quare non poſſe quempiam pru-
dentem eſſe, niſi bonus ſit, manifeſtum eſt.* pro-
inde *Vaſquez p. 2. d. 18. cap. 2. num. 12.* cum in-
quit, quod aliquis ſciens, & prudens poteſt pec-
care contradicit Ariſtoteli, niſi explicentur
largè loqui de prudentia, nempe in ordine ad
illos duos actus antecedentes; prudentiam au-
tem latè ſumi poſſe affirmat *S. Doctor in 2. 2.
quæſt. 11. ar. 2. ad ſecundum*; ac non conſiſtere
prudentiam perfectam cum actuali peccato;
præter Philoſophi auctoritatē, ratione ſuaderi
poſſet; & quia non eſt huius loci rem hanc lõ-
gius, vt par eſt, diſcutere, breuiter rationem
tango ſic diſcurrendo: homo peccans impru-
denter ſe gerit, non applicans, ſeu non conſi-
derans motiua illa, quę efficaciter bene perſpe-
cta retrahere poſſent voluntatem ab affectu
peccandi, & conſiderans motiua, quæ ad malũ
alliciunt, ideoq; deficit à virtute prudentiæ,
quam ſi applicaret, reſiſteret vtiq; tentationi,
& hæc obiter ſint dicta.

15 Dicendum eſt ſextò, † Quando conſcientia
eſt erronea culpabiliter, tunc intellectus malè
applicat principia vniuerſalia, & applicatio i-
ſta non oportet, vt ſemper ab aliquo habitu
etiam erroneo, cum prouenire poſſit à paſſio-
nibus immoderatis trahentibus appetitum
ad malum, v. g. ſit aliqua actio vſuraria, ſeu
alio defectu ſit iniuſta, ſynterelis ſubminiſtrat
vniuerſale principium, videlicet nullam actio-
nem, quæ continet iniuſtitiam, eſſe faciendam;
poſtea ratio naturalis deprauata iudicat hanc
actionem non eſſe iniuſtam. Ex his principijs,
quorum vnum eſt rectum, ſed malè applicatũ;
aliud vero erroneum, conſcientia concludit
hanc numero actionem non eſſe vitandam, et
proinde exerceri poſſe, illud autem iudicium,
in quo ponimus conſcientiam actualem falsã
vincibiliter, non eſt neceſſe, vt ab habitu aliquo
intellectus proueniat, cum poſſit ab ipſamet
16 potentia intellectiua formari, † interdum ve-
ro cauſſatur ab aliquo habitu erroneo circa
aliquam materiam; concedimus autem cum
Maldero *concl. cit.* poſſe per frequentatos ac-
tus conſcientiæ circa aliquam determinatam
17 materiam † produci, & augeri habitum ſpec-
tantem ad talem materiam, qui tamen habitus
non diceretur proprius habitus conſcientiæ,
ſed habitus verſans circa illam peculiarem ma-
teriam ſiue honeſtam, ſiue inhoneſtam, v. g. ſi
quis ex affectu temperantiæ frequentet actum
hunc conſcientiæ, hic, & nunc temperatè ho-
mo debet ſe gerere, poterit ex frequentia
talium actuum gigni, vel genitum augeri ha-
bitum ſpectantem ad temperantiam; & hoc
eſt affirmandum, etiam ſi dictamen illud con-
ſcientiæ procedat in aliquo caſu ex conſcien-
tia inuincibiliter erronea, vt ſi quis inculpabi-
liter putaret aliquam actionem eſſe ſecundum
leges iuſtitiæ commutatiuæ, cum re vera
non ſit, & frequentaret actus conſcientiæ
circa talem actionem exercendam ex affectu
iuſtitiæ, augéretur habitus iuſtitiæ: ſic etiam
ſi quis ex conſcientia vincibiliter, &
culpabiliter erronea frequentaret
actus conſcientiæ circa eaſdem
materias habitus praui op-
poſiti generarentur,
aut augeren-
tur.

CAP.

CAPVT VII.

De Varijs Conſcientiæ Diuiſionibus.

SVMMARIVM

1 *Diſcrepant Authores in diuidenda conſcientia.*

2 *Tot modis diuiditur, quot ſunt habitudines ad obiectum tum ſecundum ſe, tum pro vt eſt in apprehenſione.*

3 *In ordine ad obiectum materialiter acceptum conſcientia ſecernitur in veram, & falſam.*

4 *Secundum tempus appellatur, præterita, præſens, aut futura.*

5 *In ordine ad apprehenſionem diuiditur in certam, erroneam, probabilem, dubiam, ſcrupuloſam.*

6 *Conſcientia recta tranſcendit per ſpecies allatas, ſuſpicioſa ad dubiam reuocatur.*

7 *Conſcientia bona, aut mala, tranquilla, confuſa non ponunt diſtincta membra ab enumeratis.*

8 *Conſcientia prædictis conditionibus affecta ſumitur ſubiectiuè, & formaliter talis.*

9 *Declaratur conſcientia dubia, formalis, & obiectiuè.*

10 *In ordine ad praxim vtraque eumdem cauſat effectum.*

ABSOLVTIS iis, quæ ad naturam, & realitatem conſcientiæ ſpectare videbantur, eiuſque definitione inuenta, illius diuiſionem in hoc capite aperimus, in qua aſſignanda Aucto-
1 res † ſolent aliquantulū diſcrepare, quando aliqui plures, aliqui vero pauciores ſpecies aſſignant.

2 Mihi vero † tot modis videtur diuidi poſſe, quot ſunt eius habitudines ad obiectum tū ſecundum ſe, tum prout eſt in apprehenſione mentis; ideoque poteſt

3 Primo conſiderari † in ordine ad obiectum materialiter acceptum, ſeù pro vt eſt à parte rei, & ſic diuiditur in conſcientiam veram, & falſam, quatenus conformitatem, aut difformitatem inuoluit cum ipſomet obiecto in re.

4 Rurſus poteſt etiam ſpectari † in ordine ad tēpus, ſeù ad obiectum tali, vel tali duratione affectum, & ſic erit triplex, nempe, circa præterita, futura, & præſentia; at diuiſio iſta, ſi nihil aliud addatur, potius ad intellectum ſpeculatiuum, quam practicum ſpectat; ideoq; magis ad praxim conſiderata, & pro vt ſubſtat mentis apprehenſioni.

5 Secundò diuiditur † in conſcientiam certam, erroneam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam: hanc autem diuiſionem eſſe ſufficientem, probatur ex eo, quod in tot ſpecies diuidenda eſt, quot ſunt modi, quibus practicè in obiectum fertur; & non plures, neque pauciores; ſed intellectus nequit per conſcientiam alio modo ab enumeratis verſari circa obiectū, igitur non eſt in alias ſpecies diuidenda, aut in pauciores: maior eſt euidens, quia cum conſcientia ſit in ordine ad ſcitum, in quod ipſa tendit, debet & definiri, atq; etiam diuidi per habitudinem ad idem ſcitum, ſeù ad modum tendendi in illud; minor oſtenditur inductione, quia intellectus vel certò, vel falsò, & erroneè, vel probabiliter, vel dubiè, vel ſcrupuloſè fertur in rem aliquam. Alius modus practicè tendendi aſſignari non poterit, proinde omnis alia diuiſio vel erit impertinens, vel ad vnam ex prædictis reuocabilis erit, vt patet conſideranti.

Dices diuiſiones aſſignatas eſſe deficientes, quia aliæ duæ ſpecies omiſſæ fuerunt, nempe conſcientiam rectam, & ſuſpicioſam.

Reſpondeo duo iſta membra non eſſe di-
6 ſtincta à prædictis; † nam conſcientia recta tranſcendit per ſpecies allatas, vt videre eſt in conſcientia certa, quæ cum ſit tum per certitudinem ſpeculatiuam, tum practicā obiecto cōformis, eſt ſimiliter recta; cōſcientia vero probabilis eſt recta: cum igitur rectitudo iſta non faciat ſpeciem à ceteris contradiſtinctam, ideo à nobis explicitè fuit omiſſa, nam implicitè illā ponimus, vt imbibitā in aliis recenſitis, inde eſt vt *Vaſquez par. 2. diſp. 59. cap. 1. in fine, & Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 9. num. 2.* diuidentes conſcientiam in varia membra, non explicuerint conſcientiam rectam: Conſcientia autem ſuſpicans comprehēditur ſub dubia, quia ſuſpicio, vt dicemus, non extrahit à dubitatione intellectum, [illegible] enim inclinationem quamdam in vnam potius partem, quam in aliam abſque aſſenſu. Aliæ di-
7 uiſiones, † quæ à nonnullis fieri ſolent, & quas adducit Malderus, videlicet in conſcientiam bonam, & malam, pacatam, ſeù tranquillam, & perturbatam, ſeù confuſam non faciunt membra à ſupradictis diſtincta; dicitur enim bona, & mala per ordinem ad actiones moraliter bonas, aut malas denominantes ipſam animam, eiuſque iudicium tale, quales ipſæ ſunt. Denominatur pacata, vel turbata, quatenus caret, vel non caret anxietate illa, quæ oriri ex peccatis commiſſis conſueuit, vel ex ſcrupulis, dubiiſque; ideoque conditiones iſtæ membra ab enumeratis diſtincta non ponunt.

Denique aduertendum eſt conſcientiam
8 prædictis affectam conditionibus biſariam ſumi poſſe, videlicet, ſubiectiuè, ſeù formaliter, vel obiectiuè, ſeù extrinſecè: v. g. ſi intellectus ſuſpenſus, & in æquilibrio maneat, nullum poſitiuè eliciens actum, per quem iudicet, an aliquid ſit licitum, vel illicitum, & poſtea veluti reflexè apprehendens perplexitatem illam, iudicet affirmando ſe eſſe dubiū, an res ſit licita, nec ne? tunc conſcientia dicetur ſolum obiectiuè, & extrinſecè dubia; formaliter verò, & intrinſecè erit certa, quia fertur in

ambi-

ambiguitatem, & ſuſpenſionem illam, quæ in ratione obiecti eſt euidens: ſimiliter dum idem intellectus iudicat actionem aliquam probabiliter eſſe licitam, & poſtea per alium actum iudicat ſe probabiliter opinari; conſcientia, quæ cōſiſtit in hoc poſteriori iudicio obiectiuè erit probabilis, ſubiectiuè, & intrinſecè, ſeu formaliter erit certa; quia obiectum huius ſecundi iudicij eſt euidens, nempe aſſenſus ille prior probabilis: at obiectum prioris iudicij non erit certū; eſt enim honeſtas illius actionis non neceſſario, & euidenter connexa cum illa actione, ſed ſolum probabiliter: & ſic diſcurrere poſſumus de conſcientia ſecundum reliquas conditiones.

Quæri autem hic poſſet, verum in ordine ad pœnam eumdem effectum cauſſabit conſcientia ſolum obiectiue dubia,
9 † & conſcientia formaliter dubia; idem etiam quæri de probabili conſcientia poſſet.

Reſpondeo moraliter eumdem effectum à conſcientia vtroq; modo accepta cauſſari: an autem ſemper, & neceſſariò, eſt in controuerſia poſitum; qua de re infra, dum erit ſermo de conſcientia dubia; ibi enim quæſtionem illam exagitabimus: an ſcilicet propoſito aliquo fidei Catholicæ obiecto, ſi intellectus maneat aduertenter dubius obiectiuè tantum, iudicandus ſit hæreticus, necne? Lectorem igitur remitto ad tractatum illum de cōſcientia dubia, vbi plane huius quæſiti ſolutio habebitur.

CAPVT VIII.

An ad rectè operandum requiratur practicum iudicium. Conſcientiæ ſemper eſſe conforme iudicio ſpeculatiuo.

SVMMARIVM.

1 *Per ſe loquendo iudiciū practicum debet cum ſpeculatiuo conformitatem habere.*
2 *Oppoſitum per accidens interdum contingit.*
3 *Iudicium practicum non oritur ex ſpeculatiuo, cui eſt diſſimile, ſed ex alio.*

DIXIMVS ſupra proximam, ſeu immediatam regulam moralium operationum, eſſe iudicium practicum conſcientiæ; ex hoc autem inſurgit difficultas, an tale iudicium, ad hoc, vt ſit rectum, debeat ſequi iudicium ſpeculatiuum verſans circa idem obiectum, eidemq; ſemper ſe conformare? V. G. Si quis conſideret naturam alicuius contractus, & iudicet ſpeculatiuè eſſe iniuſtum, an eliciens iudicium practicum de eadem re, teneatur formare aliud iudicium, quo iudicet hic & nunc non eſſe ſibi licitum inire talem cōtractum; an verò interdum poſſit practicè iudicare oppoſitum, & recedere à iudicio illo ſpeculatiuo.

1 Dico Primò per ſe loquendo iudicium † practicū ſemper eſſe debet conforme iudicio ſpeculatiuo circa eamdem rem verſante. Eſt communis ſententia, quam docet *Coranbach in quæſt. lib. 3. quæſt. 5. dub. poſt primam propoſitionem §. Sed hic poteſt. Vaſquez in p. 2. diſp. 69. cap. 1. num. 2. Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 42. nu. 5. & in ſum. lib. 1. cap. 9. num. 3. & c. 10. num. 7. Breſſerius de conſcientia lib. 4. cap. 2. num. 17. Ioannes Præpoſitus in p. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 3. §. poſteriori notando 2. & alij.* Probatur quia iudicium de aliqua re ſingulari impoſſibile eſt eſſe contrarium iudicio vniuerſali, ſub quo cōtinetur illud iudicium ſingulare; & ita ſi quis vniuerſaliter iudicat omnem hominem eſſe viſibilem, nequit habere iudicium contrarium de aliquo homine in particulari, iudicandō non eſſe viſibilem; nam, vt Logici dicunt, ad veritatem propoſitionis vniuerſalis neceſſariò requiritur veritas omnium indiuiduorum directè contentorum ſub illa propoſitione vniuerſali, & ideo ſi ego iudico contractum talem ſpecificum eſſe illicitum, non poſſum oppoſitum iudicare de contractu aliquo indiuiduali, directè contento ſub illo contractu vniuerſali.

2 Dico Secundò. Interdum per accidens † poteſt practicum iudicium conſcientiæ diſcrepare à iudicio vniuerſali, quando reperitur aliqua ſpecialis ratio, ſecundum quam homo prudenter variat iudicium practicum: ita Auctores citati.

Ratiò autem variandi hoc iudicium deducta eſſe poteſt à principijs extrinſecis, vel intrinſecis: & ſiſtendo in exemplo allato, cum ego cōſidero naturam talis contractus moueor ad iudicandum illum eſſe illicitum, & contra iuſtitiam; ſi accedat auctoritas virorum peritorum, qui oppoſitum mihi affirment, & ego non habeam euidentiam in contrarium, poſſum formare iudicium practicum cōſcientiæ, per quod iudicem licitum eſſe mihi inire contractum illum, nō obſtante illo iudicio ſpeculatiuè contrario, & in hoc caſu iudicium ſpeculatiuum deponitur per principia extrinſeca, nempe illorum auctoritatem; poterit etiam deponi per intrinſeca, vt ſi mouear ad illum contractum ineundum, quia non poſſum alia via compenſare id, in quo ſum creditor alterius cōtrahentis, tunc formo iudicium me non peccaturum in contrahendo, quia hoc pacto iuſtè reſarcio, quod mihi debetur, & ſic in alijs ſimiliter, &c.

Sed ſi contra nos ſic obijciatur, iudicium practicum cum fundetur in ſpeculatiuo, & ab illo procedat, non videtur poſſibile poſſe diſcrepare à iudicio ſpeculatiuo.

Reſpondeo omiſſis aliorum ſolutionibus,
3 quando iudicium practicum † dictat hic, & nunc aliquid eſſe licitum; & aliud iudicium ſpeculatiuum dictat eſſe illicitum, illud iudicium practicum non oritur ex ſupradicto iudicio ſpeculatiuo, ſed ex alio dictante honeſtatem actionis, vt in caſu poſito iudicium practicum,

cum, quod formatur de honeſtate illius cõtractus in his circumſtantijs gignitur ex hoc altero iudicio ſpeculatiuo in hunc modum formando diſcurſum; ſi quis operatur iuxta conſilium prudentum, etiam contra proprium iudicium, non peccat: At ego iniens hunc contractum operor iuxta conſilium prudentum, contra proprium iudicium, ergo non pecco: vel ſi per principia intrinſeca deponatur iudicium ſpeculatiuum dictans iuſtitiam illius contractus, ſic formaretur diſcurſus; licitum eſt vnicuique ſibi compenſare, quod ab alio debetur, etiam grauando ipſum debitorem in aliquo negotio; ſi alia ſatisfactio fieri nequeat; ſed ego ſum creditor Petri, & non poſſum alia via mihi ipſi compenſare meum creditum, niſi ineundo talem contractum, per quem contractum Petrus grauatur, ergo licitum mihi erit talem cum eodem Petro inire contractum; & ſic concluſio iſta practica deducitur ex iudicio ſpeculatiuo diuerſo ab illo, quod dictat contractum eſſe illicitum, eique minimè innititur.

Attamen, vt bene aduertit *Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 2. num. 11.* in ſimili, non eſt neceſſaria hęc reflexio, ſed ſatis erit iudicare in actu exercito licitum mihi eſſe hic, & nunc operari, &c.

CAPVT IX.

An iudicium practicum, quod eſt regula operationis, debeat eſſe certum, & euidens?

SVMMARIVM.

1 *Dubietas de honeſtate obiecti, quo ſenſu ſumatur à Caietano, quando eſt cum certa applicatione ad opus.*
2 *Quando iudicium prudentiæ eſt certum de honeſtate, actio ſequens erit recta.*
3 *Refertur ſecunda opinio.*
4 *Iudicium de honeſtate obiecti eſt diuerſum à iudicio circa operationem.*
5 *Iudicium verſans circa actionem debet eſſe moraliter certum, ne homo peccet.*
6 *Directio prudentiæ nequit eſſe in malum.*
7 *Diluitur fundamentum ſecundæ opinionis.*
8 *Indocti cum rectè operantur in aliquo certo fundantur.*
9 *Ex opinione probabili formari poteſt certum iudicium conſcientiæ.*
10 *Opinio probabilis eſt firmum fundamentum in ratione obiecti.*
11 *Declarantur capita ex quibus oritur interdum timor non obſtante iudicio certo conſcientiæ.*
12 *Actio mala non prærequirit iudicium certum.*

PRIMA opinio docet iudicium, quod eſt conſcientia, & regula operationis, eſſe debere moraliter certum: ita *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 31. reſp. 13. dub. 7. fol. mihi 97.* ait enim ibi, quod non obſtante dubio, quo quis fluctuat, an licitũ, an illicitum ſit pulſare in die feſto, nihilominus ſi nõ dubitet ſibi eſſe licitũ, pulſando nõ peccat, quia dubitatio illa eſt ſpeculatiua, & non regula operationis; ſufficit enim ſi applicatio ad opus ſit certa, quia in re hac nõ eſt attendendum ad *hæſitationem* magnã, vel paruam de licito, aut illicito abſolutè, ſed ad rationẽ operandi in ſingulari; nempè hic, & nunc; ideo his verbis ſic concludit: *Si enim applicatio ad operandũ certa eſt, quicquid tamen ratione, quam in appetitu fluctuat, ſcrupulus eſt, quo ſtante licitè oppoſitũ operamur. Si autẽ applicatio iſta ad opus fluctuat circa rectũ, vel obliquũ moris, ſcrupulus eſt conſcientiæ, contra quã illicitè agitur, et in obliquitatem moralem incurritur. Ratio autem eſt, quia in propoſito conſcientia nõ ſignificat ſcientiã, ſed applicationẽ cognitionis ad opus exercendũ, &c.* Hæc Caiet., qui cũ ait non obſtante dubitatione honeſtatis in actione aliqua, ſi applicatio ad opus eſt certa, eſſe licitum operari, eſt intelligendũ de dubietate latè accepta, quæ reperitur, quando hinc, & inde ſunt variæ Doctorũ opiniones, & omnes probabiles, vel eſt intelligendũ, quando occurrit hic, & nunc ratio variandi iudiciũ practicũ, non obſtãte iudicio ſpeculatiuo cõtrario, vt ſupra declarauimus; nam ſi ſermo eſſet de dubio ſtrictè ſumpto, quatenus dicit ſuſpenſionem ãſſenſus, tunc non poterit licitè applicatio ad opus eſſe cõtraria; teneremur enim per ſe loquendo formare iudiciũ practicũ (in quo eſt conſcientia, & applicatio ſcientiæ,) conforme iudicio ſpeculatiuo, quæ omnia ſupra declarauimus: eandem doctrinam innuit *ipſe Caietanus in ſũma verbo opinionis vſus*, idemq; colligitur *ex Corduba lib. 3. quæſt. de conſc. quæſt. 8. per totam*, & præſertim *poſt primã propoſitionem §. ſed hic poteſt, & ex Nauarro cap. ſi quis autem diſc. 7. de pænit. à n. 61. 62. 63. & ex Leſſio lib. 1. de iuſt. cap. 1. dub. 1. nu. 5. & 6.* cum ait iudicium
2 prudentiæ † quando eſt practicè, & moraliter certum de honeſtate, actio ſequens erit recta: hanc ſententiã in terminis expreſsè defẽdit *Suarez p. 2. diſp. 12. ſect. 3. num. 2. Arriaga in p. 2. diſp. 13. ſect. 4. ſubſec. 2. & alij.* Fundatur hæc opinio in hoc; quia ſi iudicium practicum conſcientiæ non eſſet certum excludens omnem formidinem, homo ſe exponeret periculo peccandi, & conſequenter peccaret, quia vt aſſerit *Eccl. 3. Qui amat periculum peribit in illo.*
3 Secunda † opinio vult ſatis eſſe iudicium probabile. hanc ſententiam, ſequitur *Salas diſp. illa vn. ſect. 4. num. 40. Vaſquez in par. 2. diſp. 62. cap. 5. §. Huius autem rei, Sanchez in ſum. lib. 1. cap. 19. numero 18. Merolla t. 1. diſp. 3. cap. 4. concluſ. 3. Breſſerius de conſc.*

lib. 3. cap. 5. num. 57. Et ratio eſt, quia cum quamplurimæ res ſint nobis ignotæ, aut difficillimæ cognitu, de quibus certitudinem, & euidentiam habere minimè poſſimus, valde oneroſum nobis eſſet in omnibus rebus ad honeſtè operandum requiri iudicium certum, & euidens de veritate illarum rerum.

Pro ſolutione huius difficultatis aduertendū eſt in re hac, duo iudicia diſtincta circa diuerſa obiecta eſſe ſpectanda: primum iudicium eſt, quo intellectus fertur in rem aliquam, de qua ob contrarias opiniones, & rationes hinc, & indè oppoſitas, ſolum probabiliter iudicat eſſe honeſtam cū formidine alterius partis cōtrariæ; Secundum iudicium eſt veluti reflexū, quod interdum formaliter, & in actu ſignato, interdum vero virtualiter, & in actu exercito reperitur, quo idem intellectus iudicat licitū ſibi eſſe operari iuxta probabilem opinionem;
4 obiecta † autem horum iudiciorum ſunt diuerſa; nam obiectum primi iudicij eſt ſolum connexio probabilis inter honeſtatem obiectiuam, & rem illam: obiectum vero ſecundi iudicij eſt ipſamet actio, pro vt hic, & nunc exercenda. V. G. ſi quis det mutuo centum aureos reſtituendos tranſacto anno, & ſit aliquod periculum illos perdendi ob defectum Mutuatarij, ideoque ratione huius periculi petat aliquid ſupra ſortem, probabiliter iudicans id eſſe licitum, quamuis oppoſitum etiam ſit probabile (nam aliqui Doctores exiſtimant non poſſe à mutuante aliquid plus accipi ratione ſolius periculi amittendi mutuum) hoc autem eſt primum iudicium verſans circa probabilem connexionem honeſtatis cum illo lucro: aliud iudicium poteſt interuenire, quo mutuator iudicet ſibi eſſe licitam acceptionem illius lucri iuxta probabilem opinionem: Obiectum autem huius ſecundi iudicij addit aliquid aliud, nempè dictamen prudentiæ, & ideo eſt moralis certitudo obiectiua honeſtatis, quæ reperitur in operatione exercita iuxta prædictum dictamen. His præhabitis.

Dico primò. Ad hoc vt homo honeſtè operetur, non oportet primum illud iudicium eſſe certum, & euidens, ſed ſatis eſt eſſe probabile, & hanc concluſionem probant argumenta ſecundæ ſententiæ; nam habere ſemper euidentiam de bonitate, & malitia omnium rerum excedit connaturalem hominum capacitatem.

5 Dico ſecundò, ad hoc vt homo † non peccet, quando ſolum probabiliter agnoſcit rem aliquam eſſe licitam, & circa rem illam operatur, requiritur iudicium moraliter certum, quo iudicet in his circumſtantijs, talem actionem exercendo, non peccare. Hac opinionem explicatam in his duabus concluſionibus apertè docet *Granado in p. 2. contr. 2. tract. 12. diſp. 3. ſec. 3. 4. & alij*, quos pro prima ſententia citauimus, & hoc forſitan voluerunt ſaltem aliqui Auctores ſecundæ ſententiæ. Probatur concluſio iſta ſi hoc iudicium non eſſet moraliter certū, homo cum tali iudicio operans non eſſet certus hic, & nunc operando, non peccare, ſed ſolum probabiliter iudicaret malè non agere; probabile illi etiam erit peccare, & ſic manifeſte ſe exponeret periculo offendendi diuinam Maieſtatem, & hoc ipſum eſſet malum, & peccatum. Confirmatur, nam iudicium conſcientiæ debet eſſe actus prudētialis; prudentia autem cum ſit virtus intellectualis debet aliquam inuoluere in ſuo obiecto, & in ſuo actu infallibilitatem, & certitudinem; ideoque *Ariſtoteles* ex defectu huius certitudinis *6. Ethic. cap. 6.* reiicit à numero virtutum opinionem, quæ tum in obiecto tum in actu eſt fallibilis, & cum prudentia ſit virtus practica, & non ſpeculatiua, non oportet ſpeculatiuè eſſe veram, & infallibilem, ſed ſolum practicè, ideo eius obiectum licet interdum ſpeculatiuè ſit falſum, practicè tamen eſt verum: quæ omnia ſupponimus *ex 2. 2.* Cum igitur conſcientia debeat eſſe actus rectus per prudentiā, debet eſſe verus, & infallibilis, & nō ſufficit eſſe tantū probabilis, quia vt ſic poterit eſſe falſus, & per conſequens non actus virtutis.

Sed dices certitudinem, pro vt ad rem noſtrā facit, eſſe in duplici differentia; vnam, quæ eſt in modo cognoſcendi, aliam, quæ eſt in directione, ad rationem autem virtutis intellectualis practicæ ſatis eſſe hanc ſecundam certitudinem, & ideo prudentia, licet non ſit certa primo modo, erit certa ſecundo modo, & ſic voluntas ſequens ductum prudentiæ ſemper benè operabitur.

Contra eſt, quia directio, quæ conuenit prudentiæ, ita eſt in ordine ad rectam operationē,
6 vt nequeat † eſſe ad malam; ſi autē hoc iudicium non eſſet certum de honeſtate operationis, ſed ſolum probabile, & vt ſic dirigeret, ſequeretur interdū dirigere ad opus formaliter illicitū, quod eſt abſurdū. probatur ſequela: poſito enim iudicio dictante hanc actionē ſingularem tantum probabiliter nō eſſe moraliter malā, ſtat quod probabiliter ſit formaliter mala, & peccaminoſā; fingamus autem veram eſſe hanc ſecundam partem, tunc iudicium illud prudentiæ dirigens voluntatē ad hanc numero actionem, dirigeret ad actionem malā: hoc autem eſſe abſurdum eſt manifeſtum; nam eſt contra rationem virtutis, quæ ſemper reſpicit optimū, & ideo *Ariſtot. 7. phyſ. t. 17.* dixit virtutem eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum, *& lib. 1. Rhetor. cap. 9.* eſſe productiuam rerum bonarum.

Sufficere autem moralē certitudinem patet, quia in rebus moralibus mathematica, ſeù phyſica certitudo, & euidentia vel nūquam, vel ferè nūquam habetur, proinde ad illam habendā minimè obligamur; neque ex hoc ſequitur nos exponi periculo peccandi, quod tunc cōtingeret, quando iudiciū conſcientiæ eſſet dubium, vel ſaltem practicè non certū; at nulli periculo exponimur, dū hoc iudicium eſt moraliter certum; ideoq; quāuis à parte rei daremus obiectum, circa quod operamur, eſſe materialiter malum, ex hoc non ſequeretur nos peccaturos, ita operando, ſi operamur ex conſcientia prudēter dictante hic, & nunc operationem illam non eſſe malam, ſed licitam.

Fun-

7 Fundamentum autem ſecundæ opinionis † nihil aliud probat, niſi noſtram primam concluſionem, vt patet conſideranti; nam cũ difficillimè cognitu ſint res morales, & de illis non valeamus ſemper habere certitudinem, quo ad rectitudinem, & malitiam moralem; idcirco nõ requiritur ad honeſtè operandum iudicium certum circa certitudinem, & honeſtatem obiectiuam rerum, ſed ſatis eſt iudiciũ probabile.

Dices primò; Ruſtici, & Indocti nequeunt reducere dubietatem, ſeù probabilitatem illam, quæ eſt ex parte obiecti ad practicam certitudinem conſcientiæ; & tamen non ſunt damnandi, ſi probabilem ſequuntur opinionem; ergo ad rectè operandum, quando eſt dubietas, & probabilitas opinionum, non requiritur, vt iudicium conſcientiæ ſit certum, & euidens.

Reſpondeo quamuis Indocti nequeant reflectere ſupra opiniones, quas habent de aliquo obiecto, & per ſyllogiſticam formam cõſcientiam certam ſibi formare; nihilominus vt benè aduertit *Suarez num. 3.* vix accidit, quia
8 † aliquis ratione vtens non poſſit cum morali certitudine operari, quando variæ ſunt opiniones circa aliquod obiectum. hoc poſito ad argumentum neganda eſt conſequentia.

Dices ſecundò, cum Breſſerio, ſi homo non poteſt prudenter ſequi proximè conſcientiam tantum probabilem, neq; poterit opinioni probabili prudenter ſuperaddere iudicium certum: ant ſi poterit, poterit illam ſequi, tamquam regulam, & menſuram operandi: hoc autem vltimum probat hac ratione: Vel enim illud fundamentum, nempè opinio probabilis, eſt ſolidum, vel non: ſi hoc ſecundum dicatur: ergo iudicium, quod illi innititur, & additur, neq; erit ſolidum; ſi enim infirmum eſt fundamentum totum illud, quod ſuperadditur, vacillabit: ſi primum nulla eſt ratio, cur non poterit homo illud proximè, & immediatè ſequi.

9 Reſpondeo negando ſequelam, ſcilicet † nõ poſſe ex opinione probabili ſequi iudiciũ conſcientiæ certum, & firmum; & ratio eſt, quia opinio illa licèt, quatenus fertur in obiectum non euidens, non ſit certa, & firma; in ratione tamen obiecti erit certa; nam euidens eſt eſſe probabile, ſicut dicunt Theologi ſcientiam Dei etiam circa contingentia, & fallibilia, eſſe firmam, & infallibilem; nam res contingentes, quãuis ſecundum ſe ſint fallibiles; in ratione tamen obiecti terminantis diuinam cognitionem ſunt infallibiles; ſic in caſu noſtro iudicium illud veluti reflexum ſuperadditum opinioni probabili, poterit eſſe certum, quia euidenter agnoſcit probabilitatem illius opinionis, & innititur alteri principio, videlicet quod homo ſequens opinionem practicè probabilem non peccat; poſito autem hoc principio, intellectus format minorem etiam euidentem hoc pacto: Veraque præmiſſa eſt certa, proinde certa erit concluſio; atque adeo poterit eſſe regula mouens, & dirigens voluntatem ad honeſtè operandũ.

Ex his patet reſponſio ad reliqua; aio
10 enim † opinionem illam in ratione obiecti eſſe ſolidum fundamentum, proinde poſſe eidem inniti iudicium certum conſcientiæ; non poſſumus autem operari immediatè ſequendo opinionem illam probabilem, quia dum non reducimus eius probabilitatem ad certitudinẽ moralem, exponimur periculo peccandi, & ſupra oſtendimus; dicitur autem reuocari ad moralem certitudinem, quatenus ſecundum ſuam probabilitatem terminat iudicium certum cõſcientiæ, modo explicato.

Dices tertiò, ſæpè operando timemus an rectè, an vero malè agamus? & ij, qui ſunt timoratæ conſcientiæ, præſertim ſcrupuloſi, frequenter operantur cum maxima formidine peccandi, quod ſignum eſt non inueniri in ipſis iudicium moraliter certum: nam ſi illud haberent, non timerent.

Reſpondet *Granado* ad hanc inſtãtiam *diſp. cit. num. 17.* & inquit formidinem illam oriri ex
11 † duplici capite; primo, quia ſimul cum illo iudicio certo, ſunt in intellectu rationes probabiliter ſuadentes contrariam opinionem eſſe veram; & ideo qui ſunt timidæ conſcientiæ, & maximè ſcrupuloſi, interdum veluti excæcantur, & timent ſe non habere iudicium rectum de veriſimilitudine operationis cum recta conſcientia; ſecundo, quia hoc iudicium non eſt ita clarum; proinde poterit quis formidare, an illud habeat.

12 Dico tertiò † ad actionem malam non requiritur, vt procedat iudicium certum, & euidens, per quod iudicemus illicitam eſſe actionẽ illam; ita *Suarez ibid. num. 5.* probatur, quia ad hoc, vt dicamur imprudenter, & malè operari, ſatis eſt carere iudicio de honeſtate, quod tamen requiritur ad rectam operationem: & diſcrimen eſt, quia Bonum oritur ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu. probatur etiam, quia quando non habemus moralem certitudinem de aliqua noſtra operatione, reſultat dubium an ſit licita, aut illicita; quod eſt dubium practicum, cum vertetur circa praxim; proinde ſic operando exponimus periculo peccandi, quod eſt peccatum.

CAPVT X.

Vtrum operans contra Conſcientiam duplex committat peccatum.

SVMMARIVM.

1 *Refertur opinio quorumdam affirmans.*
2 *Opinio negans recipitur.*
3 *Ponitur ratio concluſionem probans.*
4 *Non oportet in confeſſione ſacramentali explicare ſe contra conſcientiam peccaſſe, ſi conſcientia verum dictabat.*
5 *Ex verbis Sancti Pauli ad Rom. 4. Quod non eſt ex fide &c. non intelligitur operari contra conſcientiam eſſe duplex peccatum.*

FVIT opinio *Ioannis Medinæ cod. de confeſſ. quæſt. 8. ver. Deinde fornicari, Adriani in 4. ſenten. tract. de confeſſ. quæſt. 4. & Hieronymi Angeſt. apud Vaſquez in p. 2. diſp. 59. cap. 3. n. 11.*
1 qui † partem affirmatiuam tuentur, & ideo voluerunt quoties quis ſcienter peccat, in actu peccati duplicem inueniri deformitatem, vnam quæ directè opponitur virtuti, contra quam eſt actus peccaminoſus, aliam vero contra conſcientiam, v.g. ſi quis furetur ſciens furtum eſſe peccatum, in ipſo actu furti erit deformitas contra iuſtitiam, & deformitas, quæ conſcientiæ opponitur, dictanti furtum non eſſe faciendum, quia malum.

Sed dicendum eſt: agere contra conſcien-
2 tiam † non ponit diſtinctam deformitatem ab ea, quam habet actus malus per ordinem ad virtutem oppoſitam: eſt communis Theologorum opinio, quam expreſsè docet *Corduba lib. 3. de conſcient. quæſt. 4. dub. 1. poſt ſextam propoſitionem, Sayrus in clau reg. lib. 1. cap. 4. nume. 2. Vaſquez loc. cit. Salas tract. 8. diſp. vn. ſect. 3. quæſt. 7. Franciſcus de Lugo in theol. mor. cap. 1. qu. 8. num. 33. Baldellus in diſp. moral. lib. 4. diſp. 5. num. 4. Sanchez lib. 1. ſummæ cap. 12. nume. 5. Ioannes Præpoſitus in par. 2. quæſt. 19. ar. 6. dub. 2. petitione prima, Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 1. dub. 3. num. 30. ver. Cæterum dicendum eſt, alijque quamplures.*

Ratio † autem eſt, quia conſcientia obli-
3 gat nos eadem indiuiſibili obligatione, qua obligat virtus, ſeù præceptum, contra quod committitur peccatum; proinde cum eadem ſit obligatio, vna erit deformitas in ipſo actu peccati: Antecedens autem probatur, quia virtus, & præceptum non obligant, niſi media ratione apprehendente, & dictante eamdem rationem, & cum ratio, ſeù conſcientia dictet illud ipſum, quod dictat virtus, ſeù præceptum, ſequitur eadem indiuiſibili obligatione vi vtriuſq; nos obligari.

Ex his colligitur † non eſſe neceſſarium
4 in confeſſione explicare, ſe contra conſcientiã peccaſſe, quando conſcientia verum dictabat, ſed ſimpliciter ſatis eſſe dicere ſe tale commiſiſſe peccatum, v.g. furtum, periurium &c. nam vt dictum eſt, agere contra conſcientiam non addit diſtinctam deformitatem. ita *Breſſerius lib. 1. cap. 13. num. 114. verſ. vnde ſequitur. Merolla dub. cit. n. 35. & alij apud ipſum.*

Sed dices *ad Rom. 4.* habetur omne illud, quod non eſt ex fide eiſe peccatum; ideſt omne illud quod non eſt ſecundum conſcientiam, vt explicant Patres, & nos ſupra diximus; ergo facere contra conſcientiam affert ſpecialem malitiam, quia eſt ſpecialiter prohibitum, & ex iſto textu Ioannes Medina colligit ſuam ſententiã.

At Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia per illam propoſitionem Apoſtolus ſolum voluit ſignificare nos ſequi debere ductum rationis, tamquam regulam proponentem id, quod amplecti, & quod vitare debemus, & ideo quod eſt contra tale dictamẽ erit peccatum; ex hac autem pro-
5 poſitione non rectè colligitur, agere † contra conſcientiam addere diſtinctam malitiam, cum ſolum ſit circumſtantia quædam generalis trãſcendens per omne peccatum: neq; Apoſtolus intendit per illa verba nobis proponere ſpeciale præceptum; ſed nos admonere de præcepto illo generali, quod habemus de ſequendo dictamine rationis, & facere contra illud, eſſe ſẽper peccatum, nunc in vna, nunc in alia ſpecie, ſecundum oppoſitionem ad varias virtutes, & præcepta. Et hæc breuiter dicta ſint de cõſciẽtia in communi: nunc aggrediamur ad agendũ de varijs conditionibus eiuſdem conſcientiæ in particulari iuxta partitiones ſuperiùs factas.

DISCEPTATIO II.

De Conſcientia Recta.

ACTVRI de conſcientia in particulari, exordium ſumimus ab ea, cuius munus eſt ita humanos actus dirigere, vt eos, in genere moris laudabiles, & præmio di-
1 gnos reddat; talis autem eſt cõſcientia recta, quæ licet vt ſupra in eius diuiſione innuimus, tranſcendat per varias ſpecies, à quibus minimè diſtinguitur; atq; adeo de illis ſermonem habentes, de ipſamet conſcientia recta loqui proculdubio exiſtimabimus; nihilominus nonnulla ſeparatim proponere, & diſcutere ducimus, quæ & ſi ad theoricam magis, quàm ad praxim ſpectare videantur, viam tamen ad plures caſus decidendos nobis aperiũt, & ad completam, omnibuſq; numeris abſolutã conſcientiæ tractationem iuuant.

CAPVT I.

Conſcientiæ Rectæ Conditio explicatur.

SVMMARIVM.

1 *Omnis conſcientia eſt ratio, non autem è conuerſo.*
2 *Definitio rectæ rationis ſecundum S. Thomam & Ariſtotelem.*
3 *In definitione iſta committi circulum ſenſit Arriaga.*
4 *Refertur expoſitio Suarez, quã reijcit Arriaga*
5 *Ponitur definitio ab Arriaga excogitata, et refellitur.*
6 *Primus modus explicandi definitionem Ariſtotelicam.*
7 *Exponitur ſecundus modus.*
8 *Recipitur vt conueniens vterq; modus.*

9 *Pro-*

9 *Probatur concluſio ratione.*
10 *Recta ratio rectè explicatur per commenſurationem ad appetitum.*
11 *Reijcitur definitio ab Arriaga tradita.*
12 *Confirmatur noſtra expoſitio declarando mentem Ariſtotelis.*
13 *Conſcientiæ rectæ conditio declaratur, & quo pacto differat recta ratione.*

INTER rationem, & conſcientiam eſſe agnoſcendum diſcrimen ſupra declarauimus. Ratio enim ſæpè intellectum nominat, interdum habitus eamdem potentiam perficientes, vt eſt prudentia, quæ dicitur recta agibiliū ratio, quandoque etiam importat iudicium ipſius intelle-
1 ctus; proinde † omnis conſcientia eſt quædam ratio, non autem è conuerſo; quæ tamen paſſim ab auctoribus confunduntur, quod notat *Breſſerius lib 2. de conſc. cap. 1. initio, & Arriaga in p. 2. diſp. 22. ſect. 1.* idq; videtur expreſsè ſupponere S. *Thomas quæſt. 15. ar. 3. & alibi* vt autem rectæ conſcientiæ conditionem aperiamus, quid ſit recta ratio in vniuerſum prius declarare nobis viſum eſt. Proinde examinan-
2 da † ſe offert deſcriptio illa, quam idem *S. Doctor* ſequens *Ariſtotelis* doctrinam tradit eodem articulo *ad 2. & alibi;* ſic enim ait: *In his autem, quæ ſunt ad finem, rectitudo rationis cōſiſtit in conformitate ad appetitum finis debiti, ſed tamen, & ipſe appetitus finis debiti præſupponit rectam apprehenſionem de fine, quæ eſt per rationem,* Hæc S. Doctor; hanc definitionem rectæ rationis colligit S. Thomas *ex Ariſtotele 6: Ethic: cap. 2.* eamq; defendunt cōmuniter Thomiſtæ, *Caietanus in p. 2. quæſt. 57. ar. 5. Corduba lib. 2. quæſt. 9. Scotus in 3. d. 36. quæſt. vnica §. Nec obſtat,* cui eius diſcipuli adhærent, *Martinez in illa quæſt. 19. art. 3. dub. 2. Suarez d. 12. ſect. 2. Ouiedus tract. 5. contro: 1. p. 3. Granado contro: 2. tract. 12. d. 1. n. 4. & alij,* qui licet admittant definitionem allatam, varijs tamen modis illam explicant, vt videbimus.

Cæterum nouiſſimè inſurgit Arriaga pro-
3 bans in definitione iſta vitiolum † cōmitti circulum, ideoq; initio illius ſectionis tali diſcurſu vitium conatur ſuadere: Appetitus dicitur rectus, quatenus rectam ſequitur rationem; igitur ſi recta ratio exponatur per hoc, quod reſpiciat appetitum rectum, non habemus fixam explicationem, ſed in circulum abimus; & ſi dicas rectitudinem appetitus deſumi per ordinem ad rationem rectam, at rectitudinem rationis nō deſumi per ordinem ad appetitum, ſed aliunde, veritas dicitur: ſed remanet declarandum quid ſit illud aliud, ex quo rationis rectitudo deſumitur: ſic diſcurrit Arriaga, qui poſtea reijcit expoſitionem Patris Suarez declarantis definitionem per diuerſa cauſarum
4 genera hoc pacto: † Conſcientia eſt recta per ordinem ad appetitum tamquam ad obiectum, appetitus verò eſt rectus per cōformitatem ad rationem, vt explicantem debitum obiectum appetibile. Hanc Suarez explicationem reprobat Arriaga, quia, vt ipſe inquit, non declaratur quid ſit recta ratio; nam per rationem vel intelligitur conſcientia, vel aliquid aliud; ſi hoc ſecundum dicatur, licet vitetur circulus, malè tamen fit recurſus ad diuerſa genera cauſatū; potius enim eſſet negandum appetitus rectitudinem eſſe ex conformitate ad conſcientiam, cum iam ſupponatur eſſe per cōformitatem ad aliquid aliud: Si eligatur primum iam habemus circulum, quia fit reditus ad eoſdem terminos, qui tamen erant declarandi; proinde intellectus remanet dubius, & ſuſpenſus, ſiue reditus fiat ad diuerſum, ſiue ad idem genus cauſſæ, quod per accidens ſe habet. Confirmat etiam Arriaga exemplo: Si quis. v, g. poſtulet quid ſit homo, & ego dicam eſſe animal rationale, & rurſus ille petat: Quid eſt animal rationale, reſpondeam, eſſe principium diſcurſus, & ſenſationis: ille iterum petat, quid ſit diſcurſus, & ſenſatio, ego verò dicam eſſe id, quod ab homine procedere poteſt; in reſponſione vitium includeretur, vt de ſe patet, quamuis explicatio detur per diuerſa cauſſarum genera; nam homo explicatur per genus cauſſæ formalis, cum dicitur eſſe animal rationale; diſcurſus verò, & ſenſatio per genus cauſſæ efficientis, ideoq; per accidens ſe habebit diuerſitas cauſſæ ad vitandū circulum vitioſum: ſic in caſu noſtro, cum primo petitur, quid ſit conſcientia recta, petēs vult, vt ego declarem quid per eam ſignificetur; idcirco ſi ego illam exponam per conformitatem ad appetitum rectum, & ille iterum petat, quid ſit appetitus rectus, non poſſum illum explicare per ordinem ad rectā rationem, ſeu conſcientiam, abſq; vitio circuli, regred ēs ad eamdem cōſcientiam rectam per quodcūq; diuerſum genus cauſſæ id faciam. Etſi vlterius ad ſoluendam difficultatē dicam operationem eſſe conformem rectæ rationi, idem importare, ac eſſe eam, quam vir prudens, & bonus eligit ſibi faciendam, non recederem à circulo; quoniam prudentia explicaretur in ordine ad bonitatem, bonitas in ordine ad prudentiam. Hæc, & alia congerit Arriaga cōtra definitionem prædictam: tandem *ex Gerſone par. 3. tr. de vita ſpirituali lec. 4. concl. 3. & ex Vaſquez in quæſt. illa 19. art. 3. diſp. 58. cap. 1.* concludit in fine ſectionis vno verbo à ſe explicandam
5 eſſe rectam rationem, ideoq; ait: † *Eſſe iudicium inuincibile de honeſtate obiecti, cui dum quis ſe accommodat per amorem benè operatur; ſin verò fugiat illud, malè, aut ſaltem nō benè operatur, quod ſi è contrario iudicium ſit de turpitudine obiecti, tūc rectè operatur quis illud obiectum fugiēdo; malè verò ſi illud amplectatur.* Sic Arriaga, qui profitens vno verbo rectam rationem exponere, pluſquam alij, & verboſam abſq; neceſſitate nobis proponit declarationem, quam etiam non admitto. Vt autem communem explicationem rectæ rationis tueamur, aduertendum eſt diuerſos eſſe dicendi modos, quos apud Auctores inuenio

ad

ad defendendam traditam definitionem, ſeu deſcriptionem.

6 Primus † autem modus duplicem agnoſcit veritatem practicam, circa media vnam, circa finem alteram; illa cõſultat de medijs proportionatis ad finem per voluntatem iam amatum, & intentum; iſta verò formaliter rectum facit appetitum immediatè verſantem circa ipſum finem; de prima illa veritate aiunt huiuſmodi auctores intelligi deſcriptionem prædictam, & ſanè S. *Thomas articulo illo 3. ad 2.* manifeſte aſſerit Philoſophum loquutum fuiſſe de intellectu practico, ſecundum quod conſiliatiuus, & ratiocinatiuus eorum eſt, quæ ſunt ad finem, nempe mediorum; tunc enim ratio recta, quando iudicat eſſe adhibenda media commenſurata appetitui iam recto per amorem finis honeſti; neq; eidem. S. Doctori fuit ignotum argumentũ, quod ex circulatione in contrarium fieri poterat, vt videbimus. Hac autem duplici veritate poſita, facilè vitatur circulus vitioſus, nam iuxta hunc modum dicimus rectitudinem rationis, vt conſultantis, & iudicantis de medijs menſurari à rectitudine appetitus circa finem, rectitudinem verò hanc appetitus menſurari à rectitudine rationis, vt proponentis obiectum honeſtum; ponamus claritatis gratia ſeriem actuum: primo enim intellectus apprehendit finem honeſtum. V.G. temperantiam contra ſtimulos carnis deordinatè inſurgentis, illam appetitui, nempè voluntati, proponit vt amandam, & ſic in ratione habemus priorem rectitudinem per commenſurationem non ad appetitum rectum, ſed ad obiectum naturæ rationali conſentaneum; poſtea appetitus adiutus per virtutes morales proſequitur obiectum, temperantiam videlicet, illamq; intendit, & mouet intellectum ad inquirenda media: intellectus autem ſeu ratio inquirit media, de illis conſultat, & iudicat, V.G. eſſe carnem maccrandam, eſſe orandum, &c. & ſic ratio erit practicè vera, & recta per conformitatem cum appetitu recto, quatenus verè, rectèq; iudicat de medio proportionato appetitui recto, & ſic ratio ſecundum hanc rectitudinem erit dependenter ab appetitu, licet appetitus ſit rectus dependenter ab eadem ratione vt proponente rectum finem.

7 Secũdus † modus ſumit appetitum rectum concomitanter, ſeu conſequenter: *Sic Scotus in 3. d. 36. §. Nec obſtat.* vbi explicans quo pacto habitus prudentiæ, vt conſiliatiuus dicatur per conformitatem ad appetitum rectum, docet, eſſe intelligendum, quatenus talis ſit cognitio, vt quantum eſt ex ſe praxis recta debeat ſibi conformari, & ita Scotus à poſteriori definit rectam rationem per rectitudinem appetitus dependentem à rectitudine rationis, quem modum explicandi admittunt alij, etiam extra Scoti ſcholam, *vt Suarez d. 12. ſec. 2. num. 3. Ouiedus, Granadus ll. cc. Gaſpar Hurtado de actibus humanis diſp. 4. diff. 2. §. Conſcientia ergo.* Et ſic putant abſq; vitio poſſe defendi deſcriptionem allatam.

8 Dicendum eſt vtrumq; modum explicãdi † eſſe conuenientem, at magis mihi primus arridet, quia eſt S. Thomæ, & rationi conformior, vt videbimus: probatur primo auctoritate Angelici Doctoris, cui non fuit ignotum argumentum ex circulo, nam illud ponit *lec. 2. in 6. Ethic:* & poſtea ſoluit docens priorem hunc modum, eius verba ſunt: *Et ideo dicendum eſt, quod appetitus eſt finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, finis autem determinatus eſt homini à natura, vt in 3. habitum eſt. Ea autem, quæ ſunt ad finem non ſunt determinata nobis à natura, ſed per rationem inueſtiganda. Sic ergo manifeſtũ eſt quod rectitudo appetitus per reſpectũ ad finẽ eſt menſura veritatis in ratione practica, & ſecũdũ hoc determinatur veritas rationis practicæ ſecundum concordiam ad appetitum rectum. Ipſa autem veritas rationis prædicta eſt regula rectitudinis appetitus circa ea, quæ ſunt ad finem, & ideo ſecundum hoc dicitur appetitus rectus, qui proſequitur, quæ vera ratio dicit.* Hęc S. Thomas, qui vt patet ex verbis, ponit expreſsè duplicem illam rectitudinem rationis, & ſecũdum vnam ponit appetitum regulari; ſecundum verò aliam ipſam rationem regulari per commenſurationem ad appetitum.

9 Probatur † vlterius concluſio hoc argumento: Finis in agibilibus ſe habet reſpectu rationis conſiliatiuæ, & iudicatiuæ eorum, quæ ſunt ad ipſum finem, ſicuti principia reſpectu ſcientiæ, quæ in concluſione conſiſtit: ergo rectitudo rationis conſiliatiuæ commenſuratur per ordinem ad appetitum rectum ſecundum finem: antecedens eſt *Ariſtotelis 7. Ethic. cap. 8. poſt medium, & S. Thomę ibidem lec. 8. §. Aſſignat qualiter. & p. 2. quæſt. 57. ar. 4. in corpore*; & ratio eſt clara, nam finis ſe habet vt primum mouens appetitum ordine intentionis, nam eo ſubtracto appetitus minimè moueretur. cõſequentia autem probatur in eadem paritate ſiſtendo; nam ſicuti in ſpeculatiuis rectitudo ſcientiæ, ſeu concluſionis eſt per commenſurationem ad rectitudinem principiorum, à quibus ipſa ſcientia dependet: ita rectitudo rationis conſiliatiuæ eſt per commẽſurationem ad rectitudinem appeltus, vt in finem.

10 Ex his manifeſte colligimus † benè explicari rectam rationem, per commenſurationem ad appetitum rectum, & nullum in tali explicatione reperiri defectum, vt oſtenſum eſt. Ex-
11 plicationem verò, quam Arriaga ponit † non admitto; primo, quia verbis ſatis abundat. Secundò, quia non eſt huius rectitudinis, de qua eſt ſermo, explicatiua; quando enim dicitur recta ratio eſt iudiciũ inuincibile de honeſtate obiecti, per ly, inuincibile, huic materiæ applicatum, iuxta conſuetum loquendi modum, ſignificamus iudicium illud, quo intellectus fertur in obiectum ſecundùm ſe moraliter malum, per inculpabilem tamen ignorantiam apprehẽſum vt bonum; ideoq; per tale iudicium non declaratur adæquatè ratio recta, quæ verſari poteſt tum circa obiectum materialiter malum,

lum, inuincibiliter exiſtimatum bonum; tum
etiam circa obiectum ſecundum ſe honeſtum,
& de tali iudicio non ſolemus dicere eſſe re-
ctum, quia inuincibiliter iudicat de re, ſed ab-
ſolutè dicimus eſſe rectum; quia fertur in obie-
ctum re vera honeſtum, & vt tale apprehenſum.
Tertiò per iudiciũ illud ab Arriaga deſcriptum
exponitur rectitudo rationis circa finem, &
non circa media, quoniam dicitur eſſe de obie-
cto honeſto; obiectum autem in practicis idem
eſt, ac finis. Quartò in poſtrema parte expli-
cationis ponitur iudicium de turpitudine obie-
cti, quod non facit ad rem noſtram; atq; adeo
ſuperfluum videtur; nam fuga, aut proſecutio
talis obiecti pertinet ad rectitudinem, aut pra-
uitatem appetitus, non autem ad rectitudinem
intellectus, quã declarare intendimus. Maneat
igitur optimam eſſe communem explicationẽ,
quæ eſt Ariſtotelis, & S. Thomæ ab alijs re-
ceptam.

Dices *Ariſtotelem in eo cap. 2.* non dixiſſe
tunc ſolum rationem eſſe rectam, quando eſt
appetitui recto conformis, cumq; ſequitur; ſed
dixiſſe, quod quando actiua mens enuntiat ali-
quod verum, illud eſt conſentaneum appetitui
recto; ita Ariſtotelem declarat *Vaſquez p. 2.
d. 58. cap. 2. n. 11.* & ſimiliter quidam alij ex illis
auctoribus, quibus ſecunda expoſitio placet,
timentes admittere rectam rationem; prout de
illa loquimur, commẽſurari ab appetitu recto,
ne in vitioſum circulum incidant, à quo tamen
longè abſunt Auctores primã amplectentes ex-
plicationem, vt probaui.

Reſpondeo igitur ad hanc inſtantiam, Ari-
12 ſtotelem, ſi textus attentè perpendatur, † doce-
re id, quod diximus, videlicet rectitudinem
rationis eſſe eam, quæ eſt appetitui recto con-
ſentanea; docuerat enim bonum rationis eſſe
verum, malum verò eſſe falſum, & hoc eſſe
commune vtriq; parti rationis, nempe ſpecu-
latiuæ, & practicæ; cum hoc tamen diſcrimi-
ne, vt in ſpeculatiua ſit verum, & falſum abſo-
lutè, quod tunc contingit, quando intellectus
conformitatem, aut difformitatem habet cum
obiecto, prout eſt in ſe: at in ratione practica
non ſit attendendum verum, & falſum abſolu-
te in ordine ad obiectum, prout eſt in ſe, ſed
per ordinem ad appetitum; verba autem Phi-
loſophi iuxta vulgatam verſionem hæc ſunt.
*Contemplatiuæ autem cogitationis, & non
actiuæ, neque effectiuæ benè, aut malè eſſe,
eſt verum, & falſum; hoc enim totius cogita-
tiuæ opus eſt, ſed actiuæ veritas eſt, quæ appe-
titui recto conſentanea ſit.* Hæc Ariſtoteles,
cuius verba quæſo ponderemus, diuidẽtes tex-
tum allatum in duas partes, in quarum prima
ab ipſo explicatur bonum, & malum ſpecula-
tiuæ rationis, cum inquit: Contemplatiuæ, nõ
actiuę, &c. eſſe verum, & falſum abſolutè, hoc
eſt abſq; reſtrictione: in ſecunda parte decla-
rat differentiam, inter vtrumque intellectum
ibi: Actiuæ mentis veritas eſt ea, quæ appeti-
tui recto eſt conformis; non expreſſit autem
in hac poſtrema parte falſitatem, quia decla-
rando veritatem eius oppoſitum, quæ eſt falſi-
tas, manifeſtum remanebat, ſcilicet eſſe per dif-
formitatem ad appetitum rectum, ſeu per con-
formitatem ad appetitum deprauatum; hiſ au-
tẽ ponderationibus ſatis clarè colligimus men-
tem Philoſophi fuiſſe deſcribere rectitudinem
rationis per habitudinem ad ſuam menſuram,
nimirum ad rectitudinem appetitus, ad eum fe-
re modum, quo ſi quis ſignans aliquod artifi-
cioſum opus, dicat eſſe rectum, eiuſque recti-
tudinem volens explicare addat eſſe rectum,
quia eſt præceptis artis conforme, iſte declarat
rectitudinem operis per habitudinem ad ſuam
menſuram, quæ eſt ars in mente artificis, & à
nemine hoc negari poterit; hoc ipſum habemus
in caſu noſtro, nam Philoſophus inquit verita-
tem, quæ eſt rectitudo, & bonitas rationis, eſſe
per cõformitatem ad rectitudinem appetitus,
& miror quo pacto Vaſquez, & pauciſſimi
alij dicãt Ariſtotelem dixiſſe ſolum illud, nẽpè
quod quando actiua mens enuntiat aliquod
verum, id eſſe conforme appetitui recto; nihil
enim horum dixit Philoſophus, & hoc repu-
gnat manifeſtè textui, in quo expreſſè dicitur
abſolutè, et nõ conditionatè actiuæ mentis; ſeu
rationis veritatem eſſe eam, quæ eſt appetitui
recto conſentanea.

His præmiſſis deuenimus ad huius conſcien-
tiæ conditionem aperiendam.

Dicendum igitur eſt † cõſcientiam rectam,
13 eſſe rectæ rationis applicationem ad opus; cõ-
cluſionem hanc nemo negare poterit, ijs poſi-
tis, quæ ſupra diximus, nomen declarantes,
ſi enim conſcientia vniuerſaliter ſumpta, &
propriè dicta, eſt applicatio ſcientiæ ad opus,
talis conſcientia in particulari erit applicatio
ad tale opus: & ideò quando eſt rectæ rationi
conſentiens, per eius applicationem, iure opti-
mo, recta erit vocanda: Cæterum vt hæc om-
nia meliùs intelligantur, ea exemplo exponi-
mus, ſupponentes ſeriem illorum actuum, de
qua ſupra; videlicet, apprehenſo debito fine
V. G. paſſionum moderatione, vt conuenien-
te, ea què per appetitum efficaciter volita, ſuc-
cedit imperium, quo voluntas mouet intelle-
ctum ad media huic fini proportionata inqui-
renda, quod fit per rectam rationem, vt conſi-
liatiuam, ſicuti ſupra explicuimus: medijs
autem inuentis, ſequitur iudicium quoddam
dictans hic, & nunc licitum eſſe, & ſæpè de-
bitum tale medium exercere V. G. ieiunium,
& in hoc iudicio applicatiuo talis medij, ſita
eſt conſcientia, quæ rectitudinem habet, in-
quantum applicat rectam rationem peruεſti-
gantem media congrua fini iam præuolito.

Ex his patet quid ſit conſcientiæ rectæ con-
ditio, & quo pacto à recta ratione diſtin-
guatur.

CAPVT II.

Vtrum Iudicium rectæ Cõſcientiæ debeat formaliter, & actualiter præcedere, vt voluntatis operatio ſit moraliter bona?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio refertur.*
2 *Exponitur ſecunda ſententia.*
3 *Media via procedit tertia ſententia.*
4 *Declaratur mens P. Vaſquez.*
5 *Aliqui putant ſolam ſimplicem apprehenſionem ſufficere ad affectus inefficaces.*
6 *Alij id concedunt cum obiectum non mouet per modum finis ſecus quando vt finis.*
7 *Per obiectum hic, & res, & actus voluntatis intelligitur.*
8 *Simplex apprehenſio non mouet voluntatem in ſententia Authoris, & probatur.*
9 *Requiritur practicum iudicium per ſe loquendo.*
10 *Satis erit iudicium virtualiter permanere.*
11 *Appetitus ſenſitiuus non mouet media pura apprehenſione ſed ex æſtimatione.*
12 *Non eſt neceſſaria reflexa cognitio.*

DEFINIENTES in præcedente diſceptatione conſcientiã actualem diximus eam conſiſtere in quodam iudicio, non autem in mera, & ſimplici intellectus apprehenſione; nunc inquirimus an tale iudicium debeat eſſe actu, & formaliter ad hoc, vt libera operatio reddatur honeſta: an verò ſufficiat præcedere virtualiter, immo etiam ſolum aptitudinaliter, ſeu habitualiter.

Deciſio huius quæſiti magna ex parte depẽdet ex ijs, quæ Philoſophi exagitare ſolent de modo influendi cauſſæ finalis in agentibus cognoſcitiuis, & præſertim intellectualibus, & ex ijs, quæ Theologi diſcutiunt in *p. 2.* de modo, quo voluntas à ratione moueatur; nam de hoc quæſito in terminis, & explicitè pauciſſimi tractant: quapropter cogor ſolutionem inueſtigare ex principijs communibus, ea applicando huic materiæ, de qua ſpecialiter loquendo †
1 prima opinio tribui poteſt *Bartholomæo Medinæ in p. 2. quæſt. 19.* vbi explicans tertium articulum poſtquam dixit ſatis eſſe iudicium virtuale ſtatim in vltima concluſione docet neque virtuale iudicium de honeſtate obiecti eſſe neceſſarium, idque tali probat exemplo: Cum quis naturali ductus pietate eleemoſynam erogct, etiam ſi numquam tale habuerit iudicium, nec de illius actionis honeſtate recordetur, abſq; dubio cenſebitur iſte talis opus moraliter bonum exercere; ergo ſufficit iudicium aptitudinale, ſeu habituale: in hac etiam opinione alicui fortaſſe videbuntur eſſe ij, qui volunt ex vi ſolius ſimplicis apprehenſionis poſſe voluntatem moueri ad liberè operandum, nam talis apprehenſio eſt iudicium quoddam aptitudinale.

2 Secunda ſententia † requirit vniuerſaliter iudicium formale, & non ſatis eſſe ſolam apprehenſionem, & iudicium virtuale, & multo minus aptitudinale; ita in terminis *Breſſerus lib. 2. de conſc. cap. 3. num. 17. §. Ex dictis collige.* & pro hac eadem ſententia *Martinez loco infra citando* laudat *aliquos antiquos*, & præſertim *Occhamum in 3. quæſt 13.* qui nõ ſolum expoſtulat iudicium actuale, & quod operatio vi illius ſequatur; verum etiam vult, vt operatio reflexa cognitione procedat intuitu honeſtatis determinatæ, &c. V. G. vt intellectus dicat dandam eſſe eleemoſynam pauperi egenti, quia eſt rationi conſentaneum: in hac opinione debent eſſe illi, qui, vt finis moueat voluntatem, requirunt, vt actu ſit iudicium ex parte intellectus circa conuenientiam, aut diſconueniẽtiam obiecti: ita *Salas in p. 2. tract. 1. diſp. 9. ſec. 2. num. 15.* atq; etiam *Bellarm. lib. 3. de lib. arbit. cap. 8. prop. 6. Valentia p. 2. d. 2. quæſt. 4. p. 1. quæſt. 3. Franciſcus Amicus diſp. 5. de motiuo voluntatis ſect. 3. num. 61. & alij quamplures*, qui requirunt neceſſario iudicium practicum ad hoc vt voluntas operetur.

3 Tertia ſentẽtia † eſt media procedens nonnullis diſtinctionibus, & in ea ſunt varij modi dicendi; nam *Vaſquez par. 2. diſp. 44. ca. 2. initio* aſſerit poſſe voluntatem noſtram moueri in obiectum ſola cognitione apprehenſiua ſine iudicio compoſitionis, & hoc num. 7. probat paritate appetitus ſenſitiui, qui ſola apprehenſione boni conuenientis, aut diſconuenientis, quæ fit per ſenſum, ſatis eſt, vt appetitus moueatur ad amorem, aut odium; ergo ſufficit ſola apprehenſio per intellectum, vt voluntas moueatur per amorem, aut odium; *capite vero 3.* docet in ordine ad aliquos actus requiri iudicium compoſitionis, *& num. 11.* declarans hos actus ait eſſe electionem medij ad finem, talis enim electio poſtulat, vt quædam conſultatio fiat de proportione medij comparati ad finem, ac proinde requiritur iudicium cõplexum: Rurſus idem dicit de actu ſpei, & timoris etiam circa finem, quia ſpes differt à deſiderio quatenus habet opinionem, & credulitatem boni futuri, quam opinionem non inuoluit deſiderium vtſic, deſideramus enim aliquando impoſſibilia, cognita vt alia, ſicuti & timemus malum, quod iudicamus futurum per apprehenſionem conuenientiæ, aut diſcõuenientiæ: †
4 Vaſquez non intelligit meram, & ſimplicem apprehenſionem, quæ omne iudicium excludat, ſed illam tantum, quæ non conſiſtit in iudicio compoſitionem habente, vt notauit *Salas loc. cit.* & non obſcurè colligitur ex eius doctrina; nam initio ſecundi capitis manifeſtè excludit ſolam cõpoſitionem, vult enim poſſe moueri noſtram voluntatem eo modo, quo voluntas Angeli, cuius intellectus iudicat abſq; compoſitione. Rurſus *cap. 4. num. 14.* expreſſè ſe declarat, quod per apprehen-

prehenſionem, vi cuius dixerat moueri poſſe voluntatem, non intelligit quamcumque apprehenſionem, ſed eam, quæ verſatur circa rem, vt bonam, aut vt malam, per talem vero apprehenſionem non excluditur, niſi iudicium compoſitionis, & eſt iudicium ſimplex colligitur ex eo, quod dixit initio illius capitis ſecundi, nempe eſſe ſimilem modo operandi Angelico, qui eſt per ſimplex iudicium, abſque compoſitione: hæc eſt ſententia Patris Vaſ-
5 quez. † Alij vero concedunt in ordine ad ſimplices, & inefficaces complacentiæ, aut diſplicentiæ affectus, ſatis eſſe ſolam apprehenſionem; non autem in ordine ad efficaces: ſic Scotus videtur docere *in ſecundo diſt. 6. quæſt. 1. ad primum, & ſecundum: Suarez tom. 1. met. diſp. 23. ſect. 7. Azor par. 1. lib. 1. cap. 29. quæſt. 6. Tannerus in p. 2. de actibus humanis diſp. 2. quæſt. 2. dub. 2. numer. 16. 17.* Alij, vt *Gregorius Martinez p. 2. quæſt. 19. ar. 6. dub. 1.* diſtinguunt actus elicitos à voluntate ab imperatis, & ad illos aiunt requiri iudicium ac-
6 tuale, ad iſtos vero ſufficere virtuale. † Alij denique putant, quod quando obiectum non mouere debet per modum finis, ſatis eſt ſimplex apprehenſio; cum vero mouet per modũ finis, prærequirit iudicium intellectus: ſic *Bartholomæus Amicus in phyſ. to. 1. tract. 13. quæſt. 5. dub. 6. art. 3. in prima, & ſecunda concluſione.* Hæ ſunt ſententiæ, & modi dicendi, quos apud Auctores inuenio, reliquum eſt, vt quid probabilius in re hac ſit dicẽdũ aperiamus.
7 Pro qua re aduertendum eſt † nomine obiecti in præſentia à nobis intelligi non ſolum rem illam, in quam directè, & explicitè fertur intellectus, ſed etiam actum voluntatis, quo res illa eligitur, & ratio eſt quia conſcientia cum verſetur circa actiones ſingulares hic, & nunc exercendas, vel repellendas, oportet vt intellectus iudicet quid hic, & nunc practicè ſit faciendum, vel non faciendum; obiectum autem huius iudicij adæquate ſpectatũ inuoluit actum voluntatis, quo vt dixi, voluntas eligit aliquid exterius, ſiuè cõſiſtat in re aliqua, ſiuè in actione, vt in ſimili diſcurrit *Suarez diſputa. 23. met. ſect. 7. num. 11.* Hoc poſito ad concluſiones deueniõ à certioribus incipiendo.
8 Dicendum ergo eſt primo † puram, & meram apprehenſionem, quæ abſtrahit ab exiſtentia actuali conuenientiæ, aut diſconuenientiæ, ſeu qua intellectus non videt eſſe actu in obiecto, ſupponi poſſe, non ſufficere ad mouendam voluntatem, & per conſequens neq; ad actionem moraliter honeſtam: concluſio eſt certa, & euidens, & neminem legi oppoſitum tueri; neque auctores, qui dicunt moueri poſſe voluntatem ab apprehenſione, loquuntur de illa, ſed de alia apprehenſione, vt declarabimus. Probatur autem ipſa concluſio ex *Ariſtotele 3. de ani. text. 154.* vbi ſic inquit: *Cum opinamur difficile aliquid, aut terribile ſtatim compatimur, ſimiliter autem, & ſi fuerit res confidenda: ſecundum imaginationem autem ſimiliter nos habemus, ſicut qui conſiderant in pictura difficilia, & confidentia.* hæc Ariſtoteles, cuius verborum ſenſus eſt tunc nos affici ex apprehenſione rei malæ, & terribilis, ſeu rei nobis conuenientis, quando opinamur ita eſſe; at verò cum ſola imaginatione talia fingimus, & formamus, perinde eſt ac ſi in pictura ea perſpiceremus: experientia enim comperimus nos nequaquam timore affici, ſi ſolum imaginemur malum, aut lætitia, imaginando bonum, niſi aliquo pacto ita credamus futurum. Rurſus *lib. 3. de anima text. 30. ipſemet Philoſophus* de intellectu ſic ait: *Cum autem bonum, aut malum affirmauerit, aut negauerit, tunc fugit, aut proſequitur. ſub intellige appetitus; & tex. 46.* inquit: *Speculatiuus enim nihil ſpeculatur agibile, neque dicit de fugiendo, aut proſequendo quicquam.* Ex his autem locis manifeſtè inferimus in doctrina Ariſtotelis vi ſolius puræ apprehenſionis (ſuperius explicatæ) nos affici non poſſe fugiendo, aut proſequendo aliquod obiectum, & quamuis, vt videbimus, aliqui explicent textus prædictos, nihilominus id faciunt ad excludendam neceſſitatem iudicij formalis, & compoſitiui; non autem negare poſſunt, per dictos textus clariſſimè probari concluſionem noſtram ſiſtendo intra limites puræ apprehenſionis, abſque vlla cognitione de actuali conuenientia, aut diſconuenientia in obiecto. Et confirmatur concluſio hac ratione: Si quis non cognoſcit conuenientiam, aut diſconuenientiam in re aliqua, non poterit per appetitum moueri ad proſequendam, vel fugiendam rem illam, vt eſt manifeſtum: at per ſimplicem apprehenſionem intellectus non agnoſcit conuenientiam, aut diſconuenientiam in obiecto; ergo non poterit idem intellectus mouere voluntatem ad proſecutionem, aut fugam. probo minorem: dum quis format ſibi conceptum, ſeu imaginationem de paritate, aut imparitate aſtrorum quoad numerum, non dicitur rete cognoſcere an ſtellæ ſint pares, aut diſpares, & dum imaginatur Petrum in foro, nihil de re hac iudicium habẽs, non dicitur cognoſcere, & ſcire Petrũ eſſe in foro, & ſic de alijs ſimilibus: igitur cum pura apprehenſio nõ ducat intellectum ad cognitionem conuenientiæ, aut diſconuenientiæ obiecti, nõ poterit voluntas ad operationem aliquam liberè exercendam vi talis apprehenſionis induci.
Dicendum eſt Secundò, ad honeſtam operationem liberè procedentem à voluntate
9 per ſe loquendo requiritur, † vt in intellectu præcedat practicum iudicium conſcientiæ rectæ, & in hoc aſſentior auctoribus ſecundæ opinionis, quam expreſſè docet *Suarez par. 2. de voluntario, & inuoluntario diſp. 6. ſec. 5. num. 4. & ſeq.* Probatur autem concluſio, quia vt intellectus efficaciter moueat voluntatem ad liberè, & honeſtè operandum debet proponere obiectum ſub ratione conuenientis relatiuè ad ipſummet operantem, & iam conſcientia, vt ſupra diximus dictat de

actione in ſingulari non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam ſecundum omnes circumſtantias, & præſertim ipſius operantis, nempe licitum eſſe mihi hic, & nunc talem exercere actionem, aut ab illa abhorrere: hęc autem omnia, vt patet, apprehenſionem iudicatiuá expoſtulant, nempe vt intellectus iudicet ita eſſe; ergo ad honeſtam operationem practicum conſcientiæ rectæ iudicium requiritur; ſi autem quis velit ad prædicta interdum iudicium ſimplex ſufficere, & non compoſitum, vt vult P. Vaſquez non eſt admodum contendendum, quia ad inſtitutum nihil refert; dico tamen quod ſi in nobis poſſunt eſſe iudicia ſimplicia, abſque compoſitione, cócedere debemus interdum iudicium conſcientiæ eſſe ſimplex, interdum verò compoſitum.

Dicendum Tertiò, ad prædictam honeſtam
10 operationem ſufficere, † vt virtualiter iudiciũ practicum conſcientiæ permaneat: concluſionem hanc confirmare poſſumus auctoritate *S. Thom, lib. 3. c. g. c. 138. ratione 3.* vbi loquens de voluntate honeſta docet manere poſſe in tota conſecutione actus, ipſumque laudabilem reddere; quamuis in executione operis intellectus non cogitet: hoc etiam docet *Suarez p. 2. de bonitate, & malitia humanorum actuum disp. 6. sec. 5. num. 8.* ſic etiam dicimus quod poteſt homo incipere ex dictamine, & iudicio conſcientiæ rectæ aliquam actionem, quæ habeat tractum ſucceſſiuum; ſeu intendere finem aliquem honeſtum varijs actionibus acquiſibilem, & operari in toto progreſſu ex vi primi dictaminis, licet prius illud iudicium actu in ſe ipſo non perſeueret, cenſetur tamen in ſuo effectu manere, atq; adeo iudicium virtuale conſcientiæ rectæ eſſe: & in hoc ſenſu modum loquendi nonnullorum admitto; qui de hac materia tractantes iudicium virtuale ſufficere dicunt, vt *Malderus p. 2. disp. 72. de conſcient. concl. 6. & alij*. Probatur concluſio ratione ex communi hominum exiſtimatione, per quam iudicant homines operari ex priori intentione virtualiter manente modo explicato; quamuis in progreſſu de prima intentione non cogitẽt. V. G. ſi quis moueatur ad peregrinandum in Domum Lauretanam ex motiuo præſtãdi tale obſequium B. V. licet in exercitio ipſo peregrinandi non cogitet de illo motiuo, communiter cenſent Auctores talem hominem verè ex prædicto motiuo operari: ſic etiam in operationibus prauis, ſi quis iter faciat ad furandum, licet in medio itineris obliuiſcatur illius motiui, tota tamen illa operatio cenſetur mala, quippe quæ ex motiuo furandi procedere exiſtimatur, atque adeo dicitur mala furti malitiã inuoluens: ita eſt nobis de conſcientiæ actualis iudicio diſcurrendum; par enim eſt vtrobique ratio, & nulla aſſignari poterit diſparitas. Cauſſa autem deceptionis eſt, quia dum actu, & humano modo cooperamur, honeſtatis, aut deshoneſtatis operationis iudicium imperceptibiliter elicitur, & adeſt, & in actu exercito, proinde ſæpe illud agnoſcere nequimus, niſi reflectẽdo ſupra modum operandi noſtrum; ſimilibus experientijs poſſemus hoc confirmare. V. G. dum Artifex vi præceptorum artis Cytharam, aut quid ſimile pulſat, ex electione plura circa modum operandi elicit iudicia, quæ quidem difficillimè aduerti queũt, niſi per reflexionem intellectus, adeſſe tamen certum eſt, quia pulſationes illæ maxima ex aduertentia fiunt.

Dices appetitus ſenſitiuus poteſt efficaciter moueri per apprehenſionem boni conuenientis, aut mali diſconuenientis abſque formali iudicio, vt patet in brutis, ergo multo magis appetitus rationalis mouebitur per apprehenſionem intellectualem conuenientiæ, aut diſconuenientiæ abſq; iudicio formali; non enim minus potens, & efficax eſt obiectum intelligibile ad mouendam voluntatem, quam ſit obiectũ ſenſibile ad mouendum appetitum ſenſitiuum.

11 Reſpondeo † appetitum ſenſitiuum non moueri per apprehenſionem puram, & ſimplicem; ſed per quamdam exiſtimationem, quæ eſt in imaginatione æquiualens iudicio formali, ideoque ſolet etiam iudicium appellari, quamuis ſit imperfectum iudicium comparatum cum noſtro, proinde *S. Thomas part. 1. quæſt. 59. art. 3.* ait: *Ouis enim fugit lupum ex quodam iudicio, quo exiſtimat eum ſibi noxiũ, ſed hoc iudicium non eſt ſibi liberum, ſed à natura inditum.* idem docet *Suarez d. 23. met. ſec. 7. num. 10.* adnotans etiam tale iudicium in brutis nõ eſſe per ratiocinationem, nec per compoſitionem, ſed per naturalem, & ſimplicem exiſtimationem de obiecti conuenientia.

Ex his colligimus non eſſe abſolute neceſſa-
12 riam † ad liberè honeſtèque operandum reflexam illam cognitionem, quam ponit Ochamus relatus à *Martinez*, quia ſine illa, vt patet ex diſcurſu facto, poterit moueri voluntas ab intellectu per iudicium practicum conſcientiæ; requiritur tamen reflexio, vt diſtinctè, & explicite agnoſcamus noſtras actiones, vt ſupra diximus.

CAPVT III.

Duobus ſimul cõcurrentibus iudicijs, quorum vnum ex motiuo honeſto, alterum ex prauo exercendam proponat actionem, ſi ipſa actio ſequatur, vtro ex iudicio proceſſiſſe cenſebitur?

SVMMARIVM.

1 *Praenonitur mens Medina.*
2 *Eius reſponſio ad difficultatem oppoſitam.*
3 *Refellitur eius ſolutio.*
4 *Refertur alia, & recipitur.*

PRO-

1 PROPONIT † quæſitum hoc *Bartholomæus Medina in par. 2. quæſt. 19 in explicatione quarti articuli* obijciens contra ſe ipſum in fauorē opinionis Ochami, ſic enim habet tertio loco: Habeat quis duo hæc iudicia, videlicet, honeſtum eſt comedere, & delectabile eſt comedere, ſi comedat, abſolute loquendo talis actus nō eſt maior ratio, cur potius vni, quam alteri iudicio ſit conformis. ita diſcurrit Medina. Supponamus primum iudicium eſſe ex aliquo virtutis motiuo. V. G. eſt comedendum, quia teneor vitam conſeruare ex iure naturali, & diuino; aliud verò iudicium non ſit ex motiuo honeſtatis, ſed quia ſenſui cibus eſt delectabilis; in tali autem caſu comeſtio ſequens agnoſci non poteſt, an ſequatur ex vi primi iudicij, an verò ſecundi: atq; adeo ſit actus virtutis, an potius actus intemperantiæ: ſi enim comeſtio ſit ex primo motiuo conformis erit conſcientię rectæ dictantis hic, et nunc teneri ad comedendum ob corporis valetudinem tuendam: ſi verò comeſtio fiat ex ſecundo motiuo, atque adeo mala erit rectæ conſcientiæ iudicio difformis.

Ad hanc difficultatem † reſpondet *ibi Me-*
2 *dina* referens ſolutionem, quam dat Victoria, nempe non poſſe ita facile decidi, an comeſtio illa ſit recta, nec ne, hoc eſt, an ſit moraliter bona, an mala; verum hac ſolutione omiſſa aliam ipſa *Medina* tradit, & ait *in caſu poſito comeſtionem illam cēſendam eſſe rectam, tum quia bonum fortius eſt ad agendum, quàm malum; tum etiam quia opus illud, quod eſt rectæ rationi conforme ſuapte natura referri debet in bonum honeſtum, quamuis operans de honeſto minime cogitauerit, niſi aliqua mala cir-*
3 *cumſtantia*, Sic Medina. Verum † reſponſio iſta non placet, niſi aliud addatur; nam quod ab ipſo aſſeritur, ſupponitur, & non probatur, videlicet fortius eſſe bonum, quam malum ad agendum, poſſet enim quis abſolute loquendo hoc negare, quia licet bonum honeſtum ſecundùm ſe ſpectatum in ordine ad naturam rationalem, vt ſic, ſit efficacius ad mouendam voluntatē; nihilominus reſpectu naturæ lapſæ oppoſitum experimur, plus ſcilicet in nobis communiter loquendo præualere bonum delectabile ſenſui, quam bonum honeſtū; proinde non recte Medina colligere poterit hoc ſuum primum pronunciatum attendens ſolum obiecti naturam, cum ſit maxime ſpectanda naturæ lapſæ fragilitas, & propenſio, quam poſt peccatum ad malum habet. Illud autem ſecundum dictum Medinæ non facit ad rem, nimirum opus, quod eſt recte rationi conforme, eſſe referendum in bonum honeſtum, hoc eſt, in motiuum honeſtatis, non facit, inquam, hoc ad rem noſtram, quia & ſi verum dicatur, remanet tamen difficultas, & dubitatio in ſuo vigore, à qua auctor iſte expedire ſe nequit vi ſecundæ huius rationis abſq; petitione principij; deberet autem hanc ſecundam reſponſionem ſuſtinendo ſupponere comeſtionem illam eſſe bonam moraliter, vt bono attribuatur motiuo, nos verò hoc ipſum quærimus, & de hoc dubitamus; an ſcilicet comeſtio illa ſit bona, aut mala moraliter, cum procedat ſupponendo duplex illud motiuum per duo illa diuerſa iudicia allatum, & cum non ſit maior ratio, quare vi vnius potius, quàm alterius efficiatur. relicta igitur
4 ſolutione Medinæ † refero aliam, quam dat Martinez eodē loco in fine primi dubij; poſtquam enim Victoriæ, & Medinæ reſponſiones diſcuſſerat, illis omiſſis recurrit ad conditionem, ſeù diſpoſitionem ſubiecti, nempe ipſius operantis; ideoque diſtinguit hoc pacto: Si operans eſt ſtudioſus, rectæque operationi aſſuetus, tunc iudicandum eſſe operationem, ideſt comeſtionem ex motiuo honeſtatis proceſſiſſe: at ſi operans improbus eſt, contra illum eſſe iudicandum, nimirum comeſtionem ex prauo motiuo fuiſſe. Hæc Martinez reſponſio non diſplicet, ſed addendum mihi videtur in re hac non eſſe ſolum attendendam conditionem, & operantis diſpoſitionem; verū etiam materiam ipſam, quia interdum aliqua materia ſolet eſſe communiter magis efficax, quàm ſit altera, etiam ſi hæc ſit ſenſui conformior, illa verò rectæ rationi V. G. ſi aliquod graue immineat periculum vitæ, & voluntas excitetur ad Deum recurrendum, ſi tunc intellectus proponat motiuum vanæ gloriæ, & aliquis in vitæ diſcrimine conſtitutus nequam ſit, mortem timens genuflectat, preceſque in Deū fundet, tūc abſque dubio in talibus circumſtantijs præſumendum efficacius mouiſſe motiuū honeſtum, nempe obtinendi veniam peccatorum, mortis liberationem, &c. quo poſito. Dico in hoc, aut ſimili caſu operationem cenſendam eſſe rectæ conſcientiæ conformem, in alijs verò diſſimilibus caſibus difformem.

CAPVT IV.

Vtrum obiectiua bonitas dependeat à Cōſcientia recta, vt proponente, & ſimul vt conſtituēte ipſammet bonitatem.

SVMMARIVM.

1 *Multa ad nomen pertinentia habentur in cōtrouerſia iſta.*
2 *Quorumdam opinio.*
3 *Difficultas contra hanc opinionem.*
4 *Pro ſolutione duplex ſupponitur bonitas moralis.*
5 *Bonitas obiectiua fundamentalis nō dependet à ratione vt forma, ſed eſt per habitudinem ad naturam rationalem, vt talem.*
6 *Bonitas obiectiua formalis à ratione pendet.*
7 *Eodem modo diſcurrendum eſt de malitia, & explicatur ex doctrina Suarez.*
8 *Colligitur mens S. Thomæ.*

1 CONTROVERSIA præſens nō pauca † inuoluit de nomine, vt in progreſſu fiet manifeſtum, ſed ordinatè procedendo rationes pro vtraque parte in medio afferam; ſupponendo prius ea, quæ ſunt apud omnes certa, ſcilicet bonitatem, quæ ad mores ſpectat, & in obiecto reperitur aliquo modo à conſcientia dependere, ſaltem quo ad directionem, & propoſitionem obiecti; *eius* autem munus vt ſupra oſtendimus, eſt omnes noſtras actiones humanas dirigere, quid faciendum, quidue vitandum ſit oſtēdendo, & per conſequens obiecti bonitas nobis innoteſcit, & declaratur per conſcientiæ dictamen, tota igitur difficultas in vltima reſidet conditione, nimirum an bonitas obiectiua conſtituatur à conſcientia recta, tamquam à forma extrinſeca.

2 Non dependere hoc pacto † ſuſtinēt aliqui, inter quos eſt P. *Suarez tom. 1. metaph. diſp. 10. ſec. 2. num. 12. & in p. 2. de bonit. & malit. actuum diſp. 2. ſec. 2. à num. 10. Tannerus p. 2. diſp. 2. quæſt. 5. poſt ſecundam aſſertionem §. Quæres primo Gaſpar Hurtado de bonit. & malit. actuum humanorum diſp. 4. diff. 2. §. Sed quamuis.* docet enim ibi regulam noſtri operis non eſſe conſcientiam, ſeù rationem, ſed tantum naturam ipſam rationalem, conſcientiam verò eſſe applicationem operis ad regulam, &c. Volunt igitur hi auctores actus omnes humanos ſpeciem moralem deſumere per ordinem ad obiecta, illumque actum eſſe bonum in genere moris, qui obiectum eadem bonitate affectum reſpicit, illum verò eſſe malum, qui tendit ad obiectum illud, in quo malitia reperitur; proinde *Suarez in p. 2. loco citato* referens opinionem, quæ bonitatem obiectiuam aſſerit eſſe per conformitatem ad rectam rationem, eam reijcit, *& num.* 3. impugnando tertium membrum docet obiectum non denominari à iudicio rationis, niſi cognitum, vel dijudicatum, per quas denominationes non conſtituitur ipſum obiectum, vt bonum; attamen per iudicium manifeſtatur tale, & antequam tale denominatur, tale eſt. Demum ait obiecta non eſſe honeſta, quia iudicantur honeſta, ſed potius è conuerſo, ideo per rationem rectam iudicari honeſta, quia ex ſe talia ſunt. deniq; *num.* 10. *& ſeq;* concludit honeſtatem obiectiuam eſſe per conformitatem ad naturam rationalem, vt rationalem. Eodem fere modo loquitur *Tannerus* aſſerens bonitatem obiectiuam eſſe cæteris priorem, & ab illa alias dependere; ex horum autem doctrina manifeſte inferimus in eorumdem ſententia bonitatem obiectiuam à conſcientia recta non dependere, tamquam à forma conſtitutiua, neque extrinſeca, cum conſcientia ſupponat honeſtatem, ſeù bonitatem ipſam obiectiuam.

3 Ex alia verò parte † oppoſitum videtur aſſerendum, nempe obiectum dependenter à ratione recta, ſeu per habitudinem ad illam moralem bonitatem inuoluere, quod declarat *Suarez part. 2. loco citato num.* 2. referens hanc opinionem, & ait obiectum non habere relationem conformitatis ad rectam rationem, quatenus rationem legis habet, ſed inquātum eſt vis repræſentans voluntati id, quod eam amare oportet. Hanc ſententiam defendit *Salas tract. 7. diſp. 2. ſ. cap 5 num.* 44. *Martinus Breſſerus lib. 1. de conſci. cap. 6.* & probari poteſt primo auctoritate *S. Thomæ*, qui pluribus in locis eam docet, & præſertim *part. 2. quæſt. 18. in corpore* ſic habet: Differentia boni, & mali circa obiectum conſiderata comparatur, per ſe ad rationem, ſecundum quod obiectum eſt ei conueniens, vel non conueniens. *& ad primum*: Bonum in quantum eſt ſecundum rationem, & malum in quantum eſt præter rationem diuerſificant ſpeciem moris. *quæſt. 19. art. 1. ad tertium* ſic: *Bonum per rationem repræſentatur voluntati, vt obiectum, & in quantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem moralem in actu voluntatis.* Ratio enim eſt principium humanorum, & moralium actuum. eamdem doctrinam tradit *quæſt. 20. art. 1. in corp. & ad primum quæſt. 2. de malo, & alibi,* ex quibus omnibus locis colligitur S. Doctoris mentem eſſe, conſcientiam rectam non dependere tamquam à forma etiam extrinſeca à bonitate obiectiua, ſed potius è conuerſo bonitatem obiectiuam a recta conſcientia dependere, quam ſub rectæ rationis nomine idem S. Thomas expreſſit. probatur etiam efficaci argumento: Quamuis obiectum ſit malum in genere moris, ſi ratio, ſeu conſcientia inuincibiliter dictet eſſe bonum, actus voluntatis tendens in tale obiectum erit moraliter bonus, & conſcientia dicetur recta; contra verò quantumuis obiectum in genere moris ſit moraliter bonum, & conſcientia inuincibiliter dictet eſſe malum, actus voluntatis erit malus moraliter, quia licet conformis ſit obiecto ſecundum ſe ſpectato, erit tamen diſcordans à conſcientia, potius igitur bonitas obiectiua dependet à ratione, quam iſta dependeat ab illa, quæ actionem terminat, proinde ſignum eſt totum moris genus à ratione, & non ab obiecta re dependere. Vtraque ſententia dici poteſt approbata fuiſſe veluti collectiuè à *Caſpenſi in curſu theologico tract. de bonit. & malit. act. diſp. 1. ſec. 3. concl. 3.* dum ſuſtinet moralitatem actuum deſumi per reſpectum ad naturam rationalem, & ad rationem; ſic enim, ait, conformitas, ſeù auerſio à natura rationali per rationem apprehenſa, eſt moralitas, & ſic, vt ipſemet addit, moralitatem iſtam partim antecedere, partim ſubſequi ad rationis dictamen manifeſtum eſt.

Pro difficultatis huius ſolutione aduerten-
4 dum eſt † duplicem à nobis ſpectari poſſe bonitatem moralem in re extrinſeca, quæ habet rationem obiecti, vna eſt veluti fundamentalis, quam *Breſſerus*, vt ſupra, materialem appellat: altera eſt formalis, quam idem Author, obiectiuam vocat. Hac duplici

plici

plici poſita bonitate, cui duplex reſpondet
malitia reſpectiuè contraria, facile erit vtram-
que opinionem, ſeù dicendi modum ſuperiùs
explicatum conciliare.

Dico igitur; bonitas fundamentalis, quæ
5 in obiecto reperitur † non dependet à ratio-
ne, ſeù à iudicio conſcientiæ, tamquam à for-
ma, à qua talem recipiat bonitatem, ſed eam
habet per relationem ad naturam rationalem,
quatenus rationalis eſt, cui talis res cum omni-
bus circumſtantijs, quibus afficitur, eſt com-
menſurata, & eſt eius complementum, ac ve-
luti quidam ornatus in genere moris, & cui in
ipſamet natura reſpondet nõ ſolum capacitas,
ſed quædam congenita talis obiecti exigentia,
quod reſpicit, tamquam moralem ſui perfecti-
onem; ſicuti è conuerſo malitia oppoſita eſt ei-
dem naturæ rationali diſſentanea, eamque red-
6 dit diſformem. Cæterum † bonitas obiecti-
ua formalis à recta ratione dependet, ſeù iudi-
cio conſcientiæ, & non intelligitur ad rem ob-
iectam aduenire, niſi pro eo momento, quo ra-
tio in ipſam rem tendit, proinde recta ratio
comparatur veluti forma extrinſeca obiecti in
ordine ad hanc formalem bonitatem, & eodem
7 modo diſcurrere debemus † de malitia for-
mali. Similem explicationem habemus apud
Suarez in metaphyſica loco ſuperiùs citato, vbi
exponens, in quo ſenſu bonum honeſtum dica-
tur per conuenientiam ad rectæ rationis dicta-
men, ſic diſtinguit: ſi hoc intelligatur de recta
ratione, prout dicit iudicium actus, quod ex-
pediens eſt fieri, ſic bonitas honeſta nequit cõ-
ſiſtere in conformitate ad dictamen rationis,
neq; eſſe poteſt prima regula, ſeù prima ratio
talis honeſtatis; non enim obiectum eſt bonũ
bonitate morali, quia recta ratio opinatur eſ-
ſe tale, ſed ideo recta ratio iudicat eſſe tale, quia
re vera obiectum tale eſt; iudicium tamen
nobis eſt manifeſtatiuum bonitatis obiectiuę,
quam per relationem ad rationalem naturam
in obiecto ſupponit: ſi vero rationis dictamen
non ſumatur formaliter, ſed quaſi radicaliter,
ſic bene, & à priori dicetur bonum honeſtum
illud eſſe, quod rectæ rationi eſt conſentaneũ,
quod idem importat, quod eſſe conforme na-
turę rationali, quatenus apta eſt iudicare quid
faciendum ſit &c. Hæc ex P. *Suarez*, qui, *vt
ſupra*, diſtinguens dictamen rationis in forma-
le, & radicale, explicat propoſitionem illam,
videlicet, bonum honeſtum, ſeù obiectum
honeſtum eſſe tale per reſpectum ad dictamen,
&c. Hæc autem interpretatio eſt noſtræ ſimi-
lis, ſolum in voce differunt, quatenus *Suarez*
naturam rationalem vocat dictamen rationis
radicale, per ordinem ad quod obiectum bo-
nitatem honeſtatis obiectiuam ſortitur; dif-
ferunt etiam in eo, quod Suarez non apponit
aliud membrum à nobis poſitum, in obiecto,
ſcilicet bonitatem obiectiuam formalem repe-
riri per habitudinem ad rectam rationem, ſeù
ad dictamen rationis formaliter acceptum,
quod eſt iudicium rectæ conſcientiæ. Hac do-
ctrina firmata poſſunt ſupradictæ ſententiæ
conciliari, ideoque vtrumq; explicandi mo-
dum ſuperiùs poſitum cum diſtinctione ample
ctimur; & reſpondendo ad argumentum pro
prima opinione concedimus actus omnes hu-
manos ſpeciem in genere moris per ordinem
ad obiecta deſumere, illumque actum eſſe
bonitate morali bonum, qui obiectum eadem
bonitate affectum reſpicit, & eſſe malum, ſi
tendit in obiectum malitia oppoſita veſtitum:
rurſus concedimus obiectum non denominari
moraliter bonum à rectæ rationis iudicio, ſi
ſermo ſit de bonitate fundamentali, quam ob-
iectum per relationem ad naturam deſumit, &
in hoc ſenſu ratio non erit huius bonitatis mẽ-
ſura; & negamus obiectum non eſſe morali bo-
nitate formali bonum per reſpectum ad rectã
rationem; proinde dicimus rectam rationem
eſſe huius formalis bonitatis menſuram extrin-
ſecam, quæ aduenit obiecto; & hoc efficaciter
demonſtrat argumentum pro ſecunda ſenten-
tia: videmus enim quod, variato rationis iudi-
cio, idem obiectum nunc habet malitiam for-
malem obiectiuam, nunc vero bonitatem op-
poſitam; ſed ex hoc vnum eſt aduertendum,
nempè has duas obiectiuas bonitates non ſem-
per inuicem ſe comitari, quia ſæpe euenit, vt
obiectum ſit naturæ rationali conforme, atque
adeo bonitatem habens fundamentalem; nihil-
ominus quia diuerſo iudicatur modo, malitiã
formalem ſortitur, & è conuerſo interdum erit
eidem naturæ diſforme, & per conſequens fun-
damentalem habens malitiam, ſed quia inui-
cibiliter iudicatur bonitatem honeſtatis habe-
re, bonitatem formalem acquirit: & in hoc
ſenſu loquendo de completa moralitate com-
plectente obiectiuam, & formalem, concedere
poſſumus Caſpenſi conſiſtere per comparatio-
nem ad naturam rationalem, & ad rationem
apprehendentem, ſeù ad rationem; & eſſe par-
tim antecedenter, partim vero conſequenter.

8 Demum manifeſta erit ex his † doctrina
S. Thomæ; quando enim aſſerit locis citatis:
Bonum, & malum morale, quod in obiecto re-
peritur, comparari ad rationem, in quantum
eſt illi conueniens, vel non conueniens; Rurſus:
Bonum pertinere ad genus moris quatenus ſub
rationis ordine continetur &c. loquitur tunc
S. Doctor de bonitate, & malitia formali, quas
obiectum per habitudinem ad rationem ſorti-
tur; non vero loquitur de bonitate, & malitia
fundamentali, ſeù radicali, quæ ſunt per reſpe-
ctũ ad naturam rationalem, vt rationalem.

Præterea poſſet etiam dici bonum,
& malum obiectiuum eſſe per
ordinem ad rationem, vt
proponentem, & in-
dicantem, non
vero con-
ſtituen-
tem.

CA-

CAPVT V.

Vtrum omnis actus, qui ab homine efficitur, ſit à Recta Cõſcientia regulabilis.

SVMMARIVM.

1 *Actus ab homine producibiles ſunt multiplices.*
2 *Actus primi directè non regulantur à conſcientia.*
3 *Conſcientia non regulat actus in pueris, & amentibus.*
4 *Neque actus indifferentes.*
5 *Aliquis actus etiam quoad ſubſtantiam humanus non eſt à conſcientia dirigibilis.*
6 *Libertas, & neceſſitas non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices in ordine ad quodcumque obiectum.*
7 *Actio humana ſumitur phyſice, & moraliter.*
8 *Actus vtroque modo humani ſunt regulabiles à conſcientia.*

1 ACTVS omnes, † qui ab homine effici poſſunt ſuat in multiplici differentia; nam aliqui sũt intrinſeci, vt ſunt, qui immediatè ab intellectu, & voluntate producuntur; aliqui extrinſeci, nimirum illi, qui ab externis facultatibus gignuntur: aliqui dicuntur eliciti, aliqui imperati deniq; alij vocantur liberi, alij vero neceſſarij: verum à nobis in præſentia primo, & per ſe nõ conſiderantur, quatenus aliquam ex prædictis conditionibus inuoluunt, ſed quatenus formaliter ſubſtant, aut non ſubſtant directioni à rationis, ſeu conſcientiæ dictamine prouenienti. His præhabitis.

Dicendum eſt primò: Actus omnino neceſſarij, quales ſunt operationes aliquæ intellectus, vel voluntatis, vt motus, qui vocantur à
2 Theologis primo primi † directè à conſcientia regulari. Probatur concluſio, quia hi actus regulabilitatis fundamento careat, proxima nempè moralitatis capacitate, atq; adeo neque laude, neq; vituperio ſunt digni: ergo nequeũt per conſcientiam regulari; antecedens eſt manifeſtum, conſequentia vero probatur, quia conſcientia, vt ex antedictis habemus, moraliũ actuum eſt regula, in quantum propriũ eius, & adæquatum munus eſt oſtendere quid faciendum, quidue à nobis fugiendum ſit per comparationem ad naturam rationalem, vt rationalẽ modo in præcedenti capite explicato.

Ex hac cõcluſione colligere poſſumus, quod ſi eſt vera illa ſententia, quæ dari vult actus liberos nõ humanos, vt in pueris, quibuſdam amentibus &c. vt ſuſtinet *Victoria in relectione de puero ad vſum rationis perueniente, 1. par. prop. 2. 3. 5. Corduba lib. 1. quæſt. 3. dub. 9. & alij*, quos ſequitur *Molina in 1. par. S. Thomæ quæſt. 14. art. 13. diſp. 2. §. quo loco.* Si inquam
3 vera erit talis opinio, tunc † Conſcientia non erit horum actuum regula, & hoc ob aſſignatã rationem, nimirum, ob carentiam capacitatis ad moralitatem recipiendam. Secundo colligere poſſumus neq; actus indifferentes in indiuiduo, ſi dentur, vt plures aſſerunt, eſſe à recta ratione dirigibiles, quippe qui nõ ſunt actus morales, & proinde extra, vt ita dicam, conſcientiæ ſphœram. Dixi in concluſione non poſ-
4 ſe hos actus directè regulari, † quia indirectè proculdubio directionem admittunt; poteſt .n. voluntas à recto conſcientiæ iudicio duci ad impediendam prædictorũ actuum productionem, auertendo intellectum, quantum fieri poterit, & reprimendo appetitum ſenſitiuum, ne inſurgant, ſaltem ex parte, motus illi.

Dicendum eſt ſecundo, aliquem actum, quo-
5 ad ſubſtantiam ſaltem, humanum, † non eſſe à conſcientia dirigibilem. Concluſio, terminis declaratis, negari non poterit, niſi reducendo quæſtionem ad loquendi modum. probatur autem quia actus à perfectiſſima obiecti cognitione procedens videtur humanus, & talis eſt amor, quo Beati in patria Deum diligũt, & tamen non eſt huiuſmodi amor à conſcientia regulabilis, vt de ſe patet: dixi eſſe humanũ, ſaltẽ quoad ſubſtantiam, quia multi volunt eſſe ſimpliciter humanum etiam quoad modum, non obſtante, quod non ſit liber: iuxta S. Thomæ ſententiam extra Scoti ſcholam communiter acceptam; eſſe autem amorem beatificum actũ humanum oſtendi poterit, quia non ſolum à perfectiſſima Dei cognitione procedit; verum etiam à plena Beatorum voluntate ſecundum totum ſuum conatum, & intrinſecam propenſionem operante; atq; adeo talis actus perfe-
7 ctiſſimam rationem voluntarij habet; nam voluntarium cum dicatur eſſe illud, quod eſt ab intrinſeco, & à cognitione, perfectiſſimum voluntarium à perfectiſſima cognitione erit; Neq; dicas deeſſe libertatis perfectionem, & ſic non eſſe actum perfectiſſimum, ne hoc dicas,
6 quia † libertas in ordine ad obiectum nõ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, nec neceſſitas ſẽper reſpectu cuiuſcumq; obiecti imperfectionem importat, vt bene notat *Suarez p. 2. tract. de volunt. & lib. diſp. 1. ſec. 3. num. 11.* aliter ſequeretur amorem, quo Deus ſeipſum amat, & amorem reciprocum, qui eſt inter Patrem, & Filium, vi cuius Spiritus Sanctus procedit, non eſſe perfectiſſimum actum, quod aſſerere error, maximumq; abſurdum eſſet; proinde dicendũ eſt perfectionem actus eſſe attendendam iuxta obiecti exigentiam, circa quod ipſemet actus verſatur; ſi igitur obiectum ob ſui excellentiam poſtulet, vt voluntas per actum neceſſarium feratur in illud, tunc perfectior cenſendus erit actus neceſſarius, quam liber. Ideoq; ſatis probabiliter ſuſtineri poſſet actum hunc eſſe humanum, ſicuti ille amor, quo Angeli voluntas

tendit

tendit in Deum clare viſum, erit perfectiſſimus actus Angelicus, & quo Deus amat ſeipſum, actus perfectiſſimè Diuinus, & perfectiſſimè voluntarius: quicquid in cōtrarium dicat *Vaſquez in p.2.quæſt.6.ar.2.diſp.23.cap 4 nu.26.* cuius doctrina in hoc, & loquendi modus non placet, nec huius loci eſt eam ex profeſſo refutare, cum ſufficiant, quæ circa hoc punctum ad ſpeculatiuas diſputationes ſpectans, dicta ſunt; & addo nullum ſufficiens apparere argumentū, cur ratio humani actus ad ſolum actum liberū reſtringatur, & perfectiſſimus humanæ voluntatis actus excludatur. menſurandus igitur eſt actus, quoad perfectionis, aut imperfectionis gradum in ordine ad excellentiam, & exigentiā obiecti, in quod actus ipſe tendit: vide *Gaſp. Hurtado in tract. de volunt. diſp. 1. diff. 4.* citātē Auctores, & rationes pro vtraq; parte exagitantem.

Si vero in contrarium obijcias *Diui Thomæ auctoritatem, qui in p.2.quæſt.1.ar.1.in corpore* ſolas illas actiones appellat humanas, quarum homo eſt Dominus, & idem repetit inferiùs addens negatiuam, alias videlicet actiones quæ à voluntate deliberata non procedunt poſſe quidem dici actiones hominis, ſed non humanas, & in alijs locis eodem loquendi vtitur modo.

7 Reſpondeo † actionem humanam bifariā ſumi poſſe, phyſicè, & moraliter, phyſicè autem illa appellanda erit humana, quæ eſt à volūtate ſe mouente ex vi præcedentis cognitionis intellectus; iuxta propoſitionē ipſius intellectus, & exigentiam obiecti præcogniti; moraliter autem addit propoſitionem obiecti includentis rationem boni, & mali, ac in voluntate indifferentiam, denīq; regulabilitatem in eadem voluntate per reſpectum ad rectam rationem, tamquam ad regulam; hoc enim pacto explicui publicè Primam Secundæ legendo, & quid ſit eſſe morale, quidue ſupra phyſicum addat, declarādo; dixi differre à libero; nam liberum ſupra phyſicum indifferentiam in voluntate denotat; morale vero regulabilitatem prædictā. hoc poſito Dico *S. Thomam loco citato* loqui de actibus humanis moraliter acceptis, & hoc nō gratis aſſeritur, quia ibi *in p.2.* ſermonem habet de actibus humanis pro vt ducunt nos ad finem vltimum, nempe ad vitam æternam; idcirco debuit conſiderare actus humanos pro vt eſſe morale inuoluunt; vt ſic enim eſſe poſſunt meritorij, laudeq; digni, & nobis ad beatitudinem, quæ eſt vltimus noſter finis, adiuuant aſſequēdam: proinde expedita tractatione de his actibus humanis, ſtatim S. Doctor proponit quæſtionem de vltimo fine, & beatitudine. eodem fere modo explicari poſſunt cætera Diui Thomæ loca; in quibus ſimilem loquendi formam vſurpat; alias vero explicationes vide apud *Suarez p.2. tract. de actron. volunt. d.2. ſec.2.nu. 9. & apud Martinez in quæſt. 1. eiuſdem partis art.2. dub. 1.* Quæ dicta huc vſq; ſunt de actu amoris beatifico poſſunt amori neceſſario applicari, & naturali, quo Angeli ſecundum propriam naturam ſpectati diligunt ſe ipſos, ſi vera eſt ſententia talem actum neceſſarium ponens in Angelis, de quo *S. Thomas p.p.quæſ. 60.* talis enim actus cum non ſit liber, & moralis non poteſt per conſcientiam dirigi.

8 Dicendum eſt tertiò † omnes illos actus, qui ſunt phyſicè, & moraliter humani, eſſe à conſcientia rectè regulabiles, nullumq; alium præter ipſos; vtraq; concluſionis pars ex dictis facile probata remanet. Prima autem pars oſtendi poterit ex eo, quod omnis actio moralis cenſetur recta, quando conformis eſt ſuæ proximæ regulæ, & hoc ex veritate illius vniuerſalis principij dependet, videlicet in omnibus menſuratis perfectionem eſſe attendendam in ordine ad ſuam menſuram, ſeù regulam, vt inductione comperitur, diſcurrēdo per res naturales; potentiæ enim cenſentur perfectæ, quādo ſuis actibus commenſurantur, & actus ſuis obiectis: actio verò humana moralis commēſurari debet cum recta conſcientia; cum enim ſupremus gradus hominis ſit ratio, quatenus intellectum complectitur, & voluntatem; operatio autem humana debet huic ſupremo gradui conformari, cui cæteri inferiores gradus ſubordinantur, verum cum conſcientia recta manifeſtum faciat, & proponat voluntati id, quod eſt homini, vt rationali, conueniens, debet voluntas, quæ eſt potentia cæca, huic dictamini, tamquam propriæ regulæ ſe conformare; & ab ea diſcordans, operatio erit naturæ rationali, vt rationali diſſentanea; & vituperio digna. Secunda vero pars concluſionis eſt manifeſta ex præcedentibus concluſionibus, in quibus nullam aliam operationem eſſe oſtendimus per iudicium rectæ rationis dirigibilem.

CAPVT VI.

An Conſcientia ſit recta per cōformitatem ad legem æternam

SVMMARIVM.

1 *Lex æterna dupliciter ſumitur.*
2 *Conſcientia non conſtituitur recta immediatè per conformitatem ad legem æternam.*
3 *Poteris conſcientia eſſe recta, & materialiter rationi non conformis.*
4 *Secus in ordine ad obiectum formaliter ſumptum.*

SOLENT nonnulli hic proponere idem quæſitum de conſcientiæ conformitate cum lege diuina, & æterna; at nihilominus de re hac agunt, ſed ad conformitatem noſtræ voluntatis cum æterna lege, & voluntate diuina digrediuntur, de qua *S. Thomas p.2.quæſt.19.ar.10. & commen-*

mentatores ibi, diſſerere autem de tali conformitate pertinet ad vniuerſalem tractationem de actibus humanis ſub ſe comprehendentibus vtriuſq; potentiæ actus, nempè intellectus, & voluntatis: tractatio vero de cōſcientia eſt magis reſtricta, cum ſolum conſideret determinatum actum intellectus, nempè dictamen rationis vt regulatiuum actionum moralium; proinde iure noſtro omittimus agere de conformitate voluntatis creatæ cum diuina, & ſolum ſermonem ad conformitatem cum lege æterna coarctamus, pro vt eſt increatæ rationis dictamen.

1 Pro qua re ſupponendum eſt † legem æternam bifariam ſumi poſſe, ſeù iuxta duplicem habitudinem ad intellectum, & ad diuinam voluntatem, cum in vtraq; potentia inueniatur ſecundum duplex munus, quod exercet; nam pro vt eſt in intellectu ſe habet vt iudicans illud, quod eſt bonum, aut malum; eſt enim quędam ratio practica totius diſpoſitionis, & creaturarum regiminis: pro vt autem eſt in voluntate ſe habet, vt imperans in ordine ad creaturas. In potentia vero nos præcipuè legem hanc æternam conſideramus, pro vt eſt in diuino intellectu; nam vt ſic eſt regula actuū liberorum Dei ad extra, quia reſpectu actuum internorum, nempè proceſſionum perſonarū diuinarum nulla dari poteſt lex; actus enim illi ad intra ſub legem minimè cadunt, cùm ſint neceſſarij, atque adeo regula non indigent, vt docet *Sanctus Thomas par. 2. quæſt. 93. art. 4. in corpore*: actus vero liberi ad extra poſſunt aliquo modo regulari, in quantum procedunt præſuppoſito prudenti ipſius Dei iudicio diuinam voluntatem dirigente, tale autem iudicium eſt dictamen rationis, ſecundum quod diuina voluntas bonum honeſtum vult, & in illo ſibi complacet, ac malum morale honeſtati oppoſitum deteſtatur; & ſecundum quod Deus perfectiſſimè iudicat quid ſe deceat, nempè quid bonitati ſuæ, miſericordiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ expediat. Cæterum dictamina hæc rationem legis reſpectu voluntatis diuinæ non habent, quia ita dictant, vt nullum imponant præceptum, cum ſolum indicent, & oſtendant; nam voluntas diuina cum eſſentialiter ſit recta, immò & rectitudo ipſa non eſt legis capax, aut præcepti, vt docet *Sanctus Thomas p. p. quæſt. 21. ar. 1. 2.* Solum autem requirit iudicium illud ratione vniuerſaliſſima, quia nihil volitum, niſi præcognitum. His igitur obiter dictis, & præſuppoſitis aio in hoc capite à nobis conſiderari legem æternam, quatenus eſt diuini intellectus dictamen, cuius participatio eſt dictamen creatum, ſcilicet conſcientia recta; quærimus ergo: an rectitudo conſcientiæ regulāda ſit, & menſuranda per conformitatem ad legem ęternam ſub illa ratione, ſub qua eſt increatum dictamen, omnium creaturarum intellectualium dictaminis exemplar.

2 Dicendum eſt primò; † Conſcientiam non conſtitui rectam per immediatam conformitatem ad legem æternam. Concluſio eſt recta, quia lex æterna, ſeù dictamen practicum diuini intellectus applicatur nobis mediāte lege naturali in cordibus ſcripta, à Deo impreſſa, nobiſq; congenita, quod *pſalm. 4.* verbis illis ſignificatur. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, & explicatur per cognitionem primorum practicabilium principiorum, nempè per ſynterelim, de qua ſupra egimus; conſcientia vero eſt recta per immediatam cōformitatem ad ſynterеſim ipſam.

Dicendum eſt ſecundò; Quandoq; poterit

3 † conſcientia eſſe recta, & tamen non eſſe materialiter cōformis legi æternę, explicatur, & probatur; accidit enim ſępè, vt homo hic, & nūc iudicet actionem aliquam eſſe honeſtā, cum tamen ſit mala, ſed inuincibiliter homo decipiatur; in tali caſu, ſpectando præciſè ipſum obiectum Deus dictamine ſuo iudicat actionem in tale obiectum tendentem eſſe naturę rationali, vt rationali diſconuenientem; nihilominus ſuo dictamine homo iudicat oppoſitum, nempè actionem illam eſſe conuenientem, & honeſtam; hoc non obſtante, conſcientia, quamuis erronea, erit recta. poterit igitur eſſe, & materialiter non cōformis, immò legi æternę, ſeù dictamini increato difformis. Sub alijs terminis, idem tamen ſignificantibus dicimus cōſcientiam in his caſibus eſſe ſpeculatiuè falſam, practicè vero veram, quemadmodum idem dicere de prudentia ſolemus.

4 Dicendum eſt tertiò; Impoſſibile eſſe † cōſcientiam eſſe rectam, & non eſſe conformem legi ęternę in ordine ad obiectum formaliter ſpectatum, & ratio eſt manifeſta declaratis terminis, nam per obiectum formaliter acceptum intelligimus non ſolum rem ipſam materialem; ſeù actionem ferentem in eadem rem vt ſic; verum etiam rem, & actionem veſtitā omnibus circumſtantijs intrinſecis, & extrinſecis, inter quas eſt cognitio illa, quę eſt inculpabilis deceptionis, & ignorantiæ, tunc enim obiectum pro vt talibus circumſtantijs eſt affectum, repræſentatur vt moraliter bonū, ac proinde lex æterna, ſi res illa ſub præcepto proponitur, obligat hominem ad rem illam proſequēdam, & ſi non repræſentetur ſub præcepto, ſed ſub conſilio, ſeù vt conueniens, conſcientia erit recta dictamini diuino, per quod Deus iudicat actionem vt procedentem à tali homine, qui inuincibili ignorantia laborat, eſſe moraliter honeſtam; atq; adeo conſcientia operātia erit recta per conformitatem ad hoc Dei iudicium, quamuis non ad illud, ſecūdum quod Deus iudicat de ipſo obiecto ſecundum ſe, & non pro vt ſubſtat cognitioni illi erroneæ operātia. Plura hac de re in tractatu de ignorantia expenduntur, ex quibus aliqua ſumus infra, dum erit ſermo de conſcientia erronea, diſcuſſuri.

DISCEPTATIO III.

De Conſcientia pro vt in errore verſatur.

POST tractationem de Conſcientia recta, quæ eſt perfectiſſima conſcientiæ ſpecies, agimus de erronea, quæ eſt reliquis deterior, & magis à recta recedens, eiq; directè oppoſita.

CAPVT I.

Quid ſit Conſcientia Errans, & quæ ſint cauſſæ, ex quibus oritur.

SVMMARIVM.

1 *Definitio tradita ab Azorio, & Sanchez non eſt adæquata, cum ſolum ſpeculatiuæ erroneæ conueniat.*
2 *Ex duplici genere cauſæ conſcientia erronea procedit.*
3 *Explicatur primum genus.*
4 *Exponitur ſecundum.*
5 *Iuxta S. Antoninum ex ſeptem capitibus originatur conſcientia erronea.*

QVID ſit Conſcientia erronea ab omnibus facilè cognoſcitur: Eſt enim dictamen rationis præſcribens eſſe bonum, quod re vera eſt malum, vel è contra, eſſe malum, quod eſt in ſe bonum. ita ex *Azor lib. 2. inſtit. moral. tom. 1. cap. 8. quæſt. 2. & ex Sanchez in ſum. lib. 1. cap. 11. n. 1.*
1 † ſed iſta definitio conceptum conſcientiæ erroneæ adæquatè non comprehendit; ſolùm enim conſcientiæ congruit, quæ eſt ſpeculatiuè erronea, quippe quæ traditur per ordinem ad obiectum, ſecundum illud eſſe, quod inuoluit a parte rei; quod potius eſt fundamentum proximum conſcientiæ, quàm conſcientia ipſa formalis: deberet igitur aſſignari definitio conſcientiæ erroneæ practicæ; euenit enim interdum vt conſcientia ſit ſpeculatiue erronea, ſed practicè recta, & vera; vt ſi hic, & nunc dictet, vt bonum illud, quod re vera eſt bonum, ſed illud dictet eſſe ex præcepto, cum ſit tamen ex ſolo conſilio: vel dictet nos obligari ad ipſummet bonum exequendum ſub mortali, cum tamen ſolùm obligemur ſub veniali; idemque proportionaliter dico de malo, idcirco, vt eius definitio ſit adæquata, debemus ita dicere: Cõſcientia erronea eſt illa, quæ dictat, quod eſt faciendum: vel è conuerſo, nempe quod non eſt faciendum dictat, vt faciendũ; & diuerſo modo ab eo, quo faciendum, vel non faciendũ eſt; & ſic eſt adæquata definitio, & reciprocatur, cum omni conſcientia practicè, & etiam ſpeculatiuè falſa. Et hæc quoad primam quæſiti partem. Quoad verò ſecundam

Aduerto, quod duplex genus cauſſæ, ex quo
2 conſcientia † errans procedit, in præſentia conſiderandum ſe offert, formale videlicet, & effectiuũ: formale autem appello modũ quemdam, ſub quo generatur, illumq; declarat *Sanctus Thomas quæſt. 17. de verit. ar. 1. & S. Antoninus in ſumma par. 1. tit. 3. cap. 10. § 3.*, & aiunt eſſe duplicem, quia conſcientia, vt diximus, cum ſit quædam applicatio ſciẽtiæ ad aliquem ſpecialem actum, ipſa applicatio poterit
3 eſſe deficiens, † vel quia id, quod applicatur ſit falſum; vel quamuis verum ſit, malè tamen applicatur: quemadmodum in rebus ſpeculatiuis concluſio deficiens eſſe poteſt, vel quia ex falſis præmiſſis infertur, vel quia veræ præmiſſæ non rectè diſponuntur ſecundũ formam ſyllogiſticam: exemplis omnia enucleabimus: primò autem modo conſcientiæ error accidit ex applicatione falſi, & quoniam, vt ex dictis eſt manifeſtum, conſcientia ſyntereſis notitia vtitur, quæ errare nequit, cũ ſit circa principia per ſe nota, idcirco in maiori propoſitione notitiam hanc cõtinente non contingit error, in minori vero iuxta primũ hunc modũ aſſumpta inuenitur falsũ, atq; adeò cõſcientia erit falſa, quia concluſio, in qua ipſa conſcientia ſita eſt, talis erit. V. G. ſi intellectus hoc principio practico, & per ſe noto vtatur, quod ſynteteſis ſubminiſtrat: Omne, quod à Deo prohibetur, eſt malum; & ratio ſuperior ſubminiſtret minorem ex falſa ſacrorũ litterarũ intelligentia: Omne iuramentum à Deo prohibetur, dũ *Iacobi 5.* dicitur: *Nolite iurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; quodcumq; aliud iuramentũ &c.* Ex his præmiſſis falſum concludat: Ergo omne iuramentũ eſt malum; conſcientia iſta in concluſione erit erronea per aſſumptionem minoris, quam ſubminiſtrat ratio ſuperior, vel ſi dicas: Nullus cõtractus habens æqualitatem iuſtitiæ eſt prohibitus, iſte contractus inter me, & Titium habet æqualitatem iuſtitiæ; ergo non eſt prohibitus. Si autem per aſſumptionẽ eueniat, vt ille contractus ſit vſurarius, conſcientia concludens erit errans per aſſumptionem minoris ſubminiſtratæ à ratione inferiori, maior erit vera, & manifeſta.

Alius modus, ſub quo gignitur conſcientia
4 erronea † eſt per aſſumptionem verorum, quæ tamen male applicantur, ideòq; falſa cõſcientia infertur, vt ſi quis ex his principijs veris. V. G. Quod Deus præcipit ſemper eſt ſeruandum, Deus præcipit obediendũ eſſe ſuperioribus et diſcolis, vt *S. Petrus 1. cap. 2.* teſtatur; ergo ſemper bonũ eſt illis obedire. Concluſio erit falſa, quia interdum non debemus illis parere, quãdo videlicet mala præcipiunt; error autem cõtingit ex mala applicatione illorum principiorum, quamuis ſint vera; mala vero applicatio eſt in minori, quæ licet ſecundũ ſe ſit vera, & à Deo, nõ debet tñ cuicumq; præcepto applicari,

quod quidem præceptum à ſuperioribus temporalibus ſit datum, & pro quocumq; tempore: in ſyllogismo eſt defectus formæ, quatenus medius terminus in minori non integrè reperitur; omittitur enim ly, ſemper, quod appoſitum fuit in maiori: verum ſic dicendum erat in minore, Deus præcipit ſemper obediendum eſſe ſuperioribus carnalibus, & diſcolis, & tunc minor eſſet falſa, & ſic in alijs ſimilibus eſt diſcurrẽdũ.

Reliquum eſt vt conſideremus aliud cauſſæ genus, quod ad effectiuum reducitur, & de quo ſermonem habens *S. Antoninus loc. cit.* docet errorem conſcientiæ ex ſeptem cauſſis originari. Prima enim cauſſa eſt ignorantia, de qua inferius fusè erit diſcurrendum. Secunda eſt negligentia, per quam homo nõ curat ſcire ea, quæ ſcita à peccato retraherent, ideòq; non venit excuſandus; & de tali homine *in 1. p. decreti diſt. 37. cap. vlt.* dicitur *Ille enim ignorans poteſt excuſari pœna, qui quod diſceret, non inuenit; Illis autem hoc ignoſci nõ poterit, qui habentes à quo diſcerent, operam non dederunt;* his autem non licet ignorare, accipiant ergo veniam, ſi conuertantur. per pœnam intelligitur peccatum, ſeù pœna æterna peccato debita, vt Gloſ. ibi exponit, diſtinguuntur duo perſonarum genera, quorũ primum eſt excuſandum, cum non habuerit, à quo diſceret; ſecundum vero minimè, & petens ignoſci, dicetur eſſe illi veniam concedendam, ſi pœniteat. Tertia eſt amor proprius deordinatus; nam homo ſe ipſum nimium diligens non attendit ea, quæ ſibi ſecundum virtutem cõueniunt, ſed ad obiecta amata propenſus, ea eligit & præcipitãter agit, de quo Seneca inquit: *Perit omne iudicium, cum res trãſierit in affectũ quia affectus obſcurat intellectũ, ne rectè iudicet.* Quarta eſt puſillanimitas, ſecundum quam homo formidoloſus timet, vbi non eſt occaſio timendi, iuxta illud, quod habetur *in pſalm. 13. Trepidauerũt timore, vbi nõ erat timor;* & talis conſcientia nimis anguſta eſt, & periculoſa, vt aduertit *Sanctus Antoninus.* Quinta eſt ſuperbia, per quam homo ita proprio adhæret iudicio, vt per humilitatem nolit ſecum intellectum dicto aliorum prudentum captiuare. Sexta eſt perplexitas, quæ accidit, quando homo duo contraria habet iudicia, quorum vnum dictat aliquid eſſe faciendum ſub præcepto; aliud vero dictat rem illam eſſe ſub præcepto omittendam, & de hac perplexitate infra erit locutio. Septima eſt humilitas cordis, ſecundum quam homo putat defectus patrare, & de tali homine habetur dictũ illud S. Gregorij, quod refertur *par. 1. Decreti diſt. 6. cap. 4.* videlicet: *Bonarum quippe mentium eſt, ibi etiam (aliquo modo) culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt.* Concludit tandem *Sanctus Antoninus* ſex primos modos eſſe reprehenſibiles, hunc autem vltimum laudabilem eſſe.

C A P V T II.

De multiplici Diuiſione Conſcientiæ erroneæ.

S V M M A R I V M.

1 *Modi conſcientiæ erroneæ per ordinem ad ſpecies ignorantiæ colliguntur.*
2 *Conſcientia errans diuiditur ſecundum triplicem habitudinem.*
3 *Ignorantia duplex puræ negationis, & prauæ diſpoſitionis.*
4 *Conſcientia errans reducitur ad ſecundum genus ignorantiæ.*
5 *Talis ignorantia non ſumitur quatenus eſt peccatum, ſed in quantum eſt purus error.*
6 *Diuiſio ignorantiæ in poſitiuam, & priuatiuam non habet locum in diuiſione conſcientiæ.*
7 *Diuiditur conſcientia ex parte obiecti.*
8 *Diuiditur ex parte ſui ipſius.*
9 *Diuiſio ignorantiæ in antecedentem, comitantem. &c. non rectè accomodatur conſcientiæ.*

1 SPECIES, † ſeù modos conſciẽtiæ erroneæ inquirentes nequimus meliori, & expeditiori via procedere, quã recurrere ad ſpecies ignorantiæ, & meritò; nam conſcientia iſta, vt in præcedẽti capit: diximus, inter alias cauſſas, à quibus gignitur, eſt ignorantia, immò ipſamet conſciẽtia eſt quædam ignorantia.
2 Dico igitur primò, † Conſcientiam errantem diuidi à nobis poſſe ſecundũ triplicem habitudinem, nempè in ordine ad ſubiectũ, ideſt intellectum, in ordine ad obiectũ, & in ordine ad ſe ipſam. per habitudinem ad intellectum
3 non ita commodè diuiditur, ſicuti † ignorãtia, quæ vel eſt puræ negationis, ſeù priuationis, & dicitur neſcientia; vel eſt prauæ diſpoſitionis, & dicitur poſitiua, in quantum continet iudicium: at cũ ipſa conſcientia ſit quoddã erroneũ iudicium practicum, vt ex dictis eſt manifeſtũ,
4 † ſemper reducitur ad ſecundum membrum ignorantiæ, nimirum ad prauam diſpoſitionem; hæc autem prauitas non ſumitur in
5 præſentia, quatenus dicit † peccatum, & malos mores, ſed quatenus dicit purum errorem in intellectu non rectè apprehendente; ideòq; talis conſcientia poteſt eſſe recta, ſi eſt inuincibilis, & inculpabilis, ac honeſtæ ac-
6 tionis principium. † Aio igitur diuiſionem illam ignorantiæ in priuatiuam, & poſitiuam locum non habere in conſcientia; & diſparitas eſt, quia conſcientia eſſentialiter importat iudicium, & per conſequens ſemper erit poſitiua: ignorantia vero poteſt eſſe negatiua,
qua-

quatenus homo notitia quarumdam rerum caret, & iudicare poteſt oppoſitum alicuius veritatis, quam neſcit; idcirco ignorantia admittit prædictam diuiſionem, non vero conſcientia,
7 † ex parte autem obiecti conſcientia erronea, vel eſt circa ius, vel circa factum, & in hac diuiſione conuenit cum ignorantia, quæ in iure, & inter Theologos hoc modo diuidi ſolet. Conſcientia erronea iuris eſt, quando homo practicè oppoſitum iudicat diſpoſitioni, quæ eſt per aliquam legem ſiue naturalem, ſiue diuinam, ſiue humanam: Circa factum eſt conſcientia errans, quando diuerſo modo iudicat de ac-
8 tione aliqua humana. † Ex parte vero ipſius conſcientiæ datur illa diuiſio, qua ignorantia partitur, & ideo conſcientia erronea alia eſt inuincibilis, alia vincibilis; illa eſt, quam homo talis conditionis, & in talibus circumſtantijs nequit eam ſuperare, & expellere. Aduertendum tamen eſt inuincibilitatem hanc non cōſiſtere in indiuiſibili; poterit enim ratione diuerſarum circumſtantiarum, & diſpoſitionem ſubiecti eſſe nunc maiorem, nunc minorē, ideoq; à prudenti Confeſſario omnes circumſtātiæ intrinſecæ, & extrinſecæ ſunt diligenter expendendæ, vt rectè iudicet, an Pœnitens laborauerit, nec ne, conſcientia erronea inuincibili: illa enim, quæ reſpectu pueri, aut indocti exiſtimatur inuincibilis, non erit talis iudicanda reſpectu hominis prouecti, aut docti; & etiam reſpectu eiuſdem hominis ſecundum diuerſa tempora, & circumſtantias formandum erit diuerſum iudicium, Vincibilis autem dicitur illa, quæ à tali homine talis conditionis, & in talibus circumſtantijs ſuperari poterat, habetque latitudinem ſicuti inuincibilis, ideoque iuxta latitudinem poterit interdum eſſe craſſa, & etiam affectata: declarationem autem horum terminorum ſuppono ex tractatu de ignorantia. Dici etiam poteſt conſcientia illa inculpabilis, quando eſt inuincibilis; quādo vero vincibilis, appellatur culpabilis.
9 Illa autem diuiſio † ignorantiæ in antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem, ni fallor, nequit bene accomodari conſcientiæ erroneæ, quia cum operatio libera in ſuo eſſe morali neceſſariò dependere debeat à rationis dictamine, ſeù à conſcientia; idcirco ſemper influxum cōſcientia habere debet in operationem moraliter bonam; at vero in operationem peccaminoſam, licet non habeat influxum, neque comparetur vt cauſſa reſpectu illius; nihilominus actio mala, ſeù omiſſio, ſi eſt peccaminoſa, cum repugnare debeat conſcientię oppoſitum dictanti; neceſſariò ſaltem, vt cōditio, præſupponi debet ab operatione moralem malitiam includente; aliter niſi talis conſcientia aliquo modo pręcedat, operatio ſubſequens non poterit eſſe mala in genere moris, & hæc de diuiſione huius conſcientiæ ſufficiant.

†

CAPVT III.

Vtrum homo peccet operando contra Conſcientiam erroneā.

SVMMVRIVM.

1 Idem eſt conſcientiam obligare, & ligare.
2 Refertur prima opinio.
3 Secunda, & communis opinio aſſerit de quacumque re ſit conſcientia, ſemper eſſe peccatum contra illam agere.
4 Hæc opinio vt vera recipitur, & probatur ab Auctore.
5 Si conſcientia vincibiliter dictat, vt bonum quod tamen eſt malum, homo ſiue eam ſequatur ſiue non, peccabit & quare.
6 Secus ſi error ſit inuincibilis, licet obiectum in re ſit malum.
7 Ex Auctoris ſententia non rectè inferuntur abſurda.
8 Nullum eſt inconueniens hominem interdum obligari ad aliquod materialiter malum.
9 Nequit homo inuincibiliter ignorare dilectionem Dei eſſe bonam, & odium in illum eſſe malum.
10 Facta ſuppoſitione impoſſibili, repugnat velle Deo obedire, & illum amare, indicando talem amorem illicitum eſſe.
11 Præceptum inferioris non habet vim contra præceptum ſuperioris ſcitum, ſecus ignoratū.
12 Non videri inconueniens hominem in aliquo caſu obligari ad vtrumque contradictoriū.

SVB alijs terminis in idem recidētibus aliqui difficultatē hāc exagitant; ſic enim eam proponūt: Vtrū cōſciētia erronea obliget, ſeù: An teneamur eam ſequi, vel: An licitū ſit ab ea diſcordare, &c.

Aduertendū hic eſt idē importare, dum quę-
1 ritur: † An cōſcientia erronea obliget, & an liget; quãuis *Durand. in 2. diſp. 39. q. 5. n. 7. & Almain. apud Cord. lib. 3. quæſ. 4. dub.* 3. voluerint hæc duo differre, putantes tunc aliquē obligari in rebus moralibus, quando verè tenetur facere id, ad quod dicitur obligari: ligari vero, quādo eſt ita diſpoſitus circa aliquod opus, vt nequeat licitè procedere, vt res poſtulat, quia impeditur à contrario iudicio; ſed communiter ferè omnes diſtinctionem hanc recipiunt, pro eodē ſumentes obligari, & ligari; ſicuti à nobis etiā in præſenti ſumitur. His poſitis.
2 Varias inuenio ſentētias; † prima eſt quorumdā, quos tacito nomine refert *S. Th. 1. 2. q. 19. ar. 5.* qui diſtinguentes aiūt, quod cōſciētia erronea dictās aliquod obiectū ex ſe indifferēs; eſſe bonū, & præceptū, obliget nos ad ipſū ſequendū; ita vt illud obiectū non amplectentes peccemus: ſi vero errat dictans illud eſſe bonū, quod malū eſt; vel malū, quod eſt bonum: tunc non eſſet peccatū contra talem conſcientiam agere.

Secunda, & communis ſententia docet ſem-
3 per † peccatum eſſe contra erroneam conſcientiam agere; ita S. *Thomas loc. cit. Vaſquez diſp. 59. cap. 2. Azor tom. 1. lib. 2. c. 8. qu. 3. Salas tract. 8. d. vn. ſect. 6. num. 16. in fine, Sãchez in ſumma lib. 1. cap. 11. num. 1. Breſſerus lib. 5. cap. 15. Arriaga diſp. 22. ſect. 3. num. 14 Ouiedo tract. 5. contr. 2. p. 1. num. 3. & ſeq. Caſpenſis in curſu theol. diſp. 2. ſec. 1. Franciſcus Amicus diſ. 15. ſec. 2. nu. 19.*

4 Dicendum eſt primo † cum ſecunda hac ſẽtentia, de quacumq; re ſit conſcientia, ſiue in materia bona, aut mala, ſiue indifferenti; ſiue dictamen inuincibile ſit, ſiue vincibile: Concluſio adeò eſt certa, vt multi dicant eſſe de fide, ſic *Sanchez lib. 1. ſum cap. 11. num. 3. Vaſquez cap cit. num. 6. & alij*, qui id ex ſacra Scriptura probant, & præſertim ex verbis *Diui Pauli ad Rom. 14. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; nempè quod non eſt ſecundum conſcientiã hoc ipſum confirmat nonnullorum Patrum auctoritas *apud Vaſquez num.* 8. & probatur ratione ex Sancto Thoma deſumpta: Obiectum non mouet voluntatem, niſi eo modo, quo proponitur ab intellectu; ergo ſi intellectus proponit obiectum aliquod, vt malum, quod re vera malum non eſt, ſi voluntas tale obiectum apprehẽſum vt malum amplectitur, eo ipſo conuincitur velle malum, & per conſequens peccare conuincitur; Similiter ſi intellectus aliquod proponat obiectum, vt præceptum, & voluntas illud obiectum non proſequitur, præceptum contemnit, ac proinde peccabit. Ratio autem à priori eſt, quia rationis dictamen, ſeù cõſcientia eſt immediata humanorum actuum regula, ideòq; volũtas debet ſue conformari regulæ, & diſcordans, à regula ſua deflectit, atq; adeò peccabit.

5 Dicendum eſt ſecundò, † ſi conſcientia dictet aliquid vt bonum, & faciendum, quod in rei veritate eſt malum, & vincibili ignorantia erret; tunc ſi homo ſiue ſecundum conſcientiã operabitur, ſiue non, peccabit, ita ex *S. Thoma quæſt. cit. ar. 6. & alijs.* V. G. ſi conſcientia dictet periurium eſſe faciẽdum ad vitam alterius tuendam, & vincibiliter in hoc erret, in tali caſu, ſiue fiat periurium, ſiue omittatur, homo grauiter peccabit. Probatur autem concluſio quoad vtramq; partem; nam ſi falſum iuret, quod ſibi putat licitum, immò præceptum pro tuenda proximi vita, cum error iſte ex ignorantia vincibili procedat, vt ſupponitur, ita iurans nõ excuſabitur à peccato, quia ignorantia vincibilis ignorantem non liberat. Si vero non iuret, etiã peccabit, quia omittit iurare, ad quod faciendum conſcientia dictabat, proponens id ſub præcepto.

Dicendum eſt tertiò; ſi quis inuincibiliter putet actionem aliquam eſſe bonam, cum
6 re vera ſit mala, tunc † actio erit honeſta honeſtate, quæ ab operante apprehenditur eſſe in obiecto; ſic *Ouiedo loc. cit.* ex communi ſententia, cuius ratio ex dictis facile colligitur; nam actio libera ſpecificatur ab obiecto non ſecundũ ſe ſpectato, ſed pro vt repræſentato, ideoq; ſi repræſẽtetur, vt affectũ tali honeſtate, eã transfundet in actionẽ, quam terminat.

Dices primò ex concluſione poſita † nonnulla inferuntur abſurda; ergo non eſt admittenda: antecedens oſtenditur primò, quia ſequeretur hominẽ obligari à Deo ad aliquod intrinſecè malum. E. C. ad mentiendum, periurandum, &c. Si conſcientia hic, & nunc inuincibiliter dictaret ob finem bonum mentiri, & falſum iurare poſſe, &c. hoc autem meritò cenſeri debet abſurdum, cum inferretur Deum etiam peccare. Rurſus inferretur aliud abſurdum, vt ſi poneremus hominem tali laborantẽ errore, vt putaret hic, & nunc dilectionem Dei eſſe peccatum, tunc eliciens actum amoris erga Deum ſuper omnia diligendum peccaret, quo nihil abſurdius. Hæc & plura ſimilia obijci poſſent, ſi homo obligaretur ſe conformare conſcientiæ erroneæ, quamuis inuincibiliter.

7 † Reſpondeo negando ex concluſione à nobis poſita aliqua inferri poſſe abſurda, & ad primum de mendacio, quod erroneè putatur eſſe licitum in caſu dato, aio non eſſe inconue-
8 niens in aliquo caſu † hominem à Deo obligari ad aliquid materialiter tantum intrinſecè malum, ſi hic, & nunc formaliter ſit honeſtum, inquantum ab intellectu inuincibiliter, & prudenter iudicante repræſentatur vt honeſtum; ratio autem fundamentalis eſt, quia homo obligatur iuxta regulam, rectæque rationis menſuram operari, obiectum verò non transfundit in actionem honeſtatem, aut malitiam iuxta illud eſſe, quod habet in re, ſed iuxta illud, quod in ratione habet; & ideo Deus nos obligat operari ſecundum id, quod hic, & nunc dictat conſcientia per regulas prudentiæ directa, & ex hoc Deum peccare minimè ſequitur.

Ad aliud ex Dei dilectione deſumptum reſpondeo primò cum *Breſſerio, & Amico* ne-
9 gando dari poſſe † ignorantiam inuincibilẽ, per quam homo inculpabiliter iudicet Deum diligere, eſſe malum, aut odium in eumdem, eſſe bonum; proinde talis ignorantia ſemper vincibilis eſſet, atq; adeò ſtante tali errore nõ poſſet voluntas elicere actum perfectum amoris excluſiuum ex ſe omnis peccati, ſi homo putet per illum actum Deum eſſe offendẽdum. Se-
10 cundò reſpondeo † ſi per impoſſibile id admitteretur, nempe hominem poſſe ignorantia inuincibili id ſibi perſuadere, tũc non poſſet Deũ ſuper omnia amare; eſſet enim manifeſta repugnantia, quia Deũ ſuper omnia amare inuoluit hoc, quod eſt velle tantum id, quod Deus vult, & deteſtari, quod idem non vult, præſertim vero peccatum, ideòq; pugnat hoc, nempe poſitiue credere actum hũc eſſe Dei offenſiuum, & per eumdem actum amare Deum ſuper omnia dilectione perfecta; Deus enim in tali caſu nõ excitaret voluntatem ad ſui amorem, neque ad illum influere charitatis ſupernaturalis habitus poſſet.

Dices ſecundò præceptum Iudicis inferioris

nequit

nequit obligare contra præceptum. Iudicis ſuperioris: conſcientia eſt veluti Iudex inferior; Deus verò eſt Iudex ſuperior; ergo in tali caſu conſcientia non poſſit hominem obligare.

11 Reſpondeo † præceptum Iudicis inferioris non poſſe obligare eo tempore, quo ſcitur à ſubdito præceptum Iudicis ſuperioris: ſecùs ſi ignoratur, ſeù inuincibiliter exiſtimatur Iudicis inferioris præceptum eſſe etiam à Iudice ſuperiore: ideoque dum homo inuincibiliter ignorat actum aliquem eſſe contra Diuinam Legem, ſi ſtante tali ignorantia, oppoſitũ conſcientia dictat, tenebitur homo conſcientiæ dictamini ſe conformare.

Dicés tertiò, ex hac ſententia, quando conſcientia erronea eſt vincibilis, ſequeretur interdum hominem ad duo contradictoria ſimul obligari, ad iurandum V. G. & ad non iurandum; & ſic obligaretur ad aliquod impoſſibile, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo ex doctrina *S. Thomæ de verit: quæſt: 17. art. 4. ad. 8.* dato vno inconuenienti †
12 ex neceſſitate aliud ſequi poſſe, & ſic dato culpabili errore in intellectu dictante hic, & nunc eſſe iurandum. V. G. cum tamen non ſit iurandum, vel è conuerſo; non eſſe mirum hominem ad vtrumque contradictorium obligari; hoc autem ex defectu ipſius hominis prouenire, patet, quia ſi ipſe vellet, poſſet intellectum applicare ad veritatem diſcutiendam, quæ, examine poſito, haberetur, & conſcientiæ error expelleretur: atque adeo non daretur perplexitas, neque homo ad contradictoria obligaretur, ſed quia ipſe ex culpa ſua eſt negligens ad veritatem aſſequendam; idcirco tali inconuenienti dato, mirum non eſt hominem per accidens ad duo contradictoria obligari.

CAPVT IV.

Vtrum illicitum ſit ſibi complacere de actu ex ſe malo, exercito tamen ex conſcientia inuincibiliter errante.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur prima opinio abſolutè damnãs talem complacentiam.*

2 *Alij ſentiunt non eſſe illicitam.*

3 *Media via procedunt alij.*

4 *Nullum eſt peccatum complacere de effectu ſequuto ex mala actione, ſi aliunde effectus non ſit illicitus.*

5 *Non eſt illicita complacentia ſi præcisè terminetur ad negationem actus mali.*

6 *Peccaminoſa erit, ſi feratur in actum de obiecto intrinſecè malo, quamuis operans actum illum, inuincibiliter malitiam ignorauerit.*

7 *Secus ſi obiectum non erit ex ſe malum, ſed ſolũ ex præcepto Eccleſiæ, & ſi aliunde actus poſſit eſſe peccatum.*

IN præcedenti capite ſtatuimus interdũ nos obligari, & licitum eſſe conſcientiam inuincibiliter erroneam ſequi: nũc autem quærimus vtrum homo operans aliquid, quod ex ſe eſt malum, illud inuincibiliter ignorans poſſit poſt factũ, de illo materialiter malo ſibi complacere, ponamus V. G. quod aliquis lucrũ indebitum recipiat, quod tempore exactionis inuincibiliter putauerit licitum, honeſtumque fuiſſe, ſi de eadem exactione poſt errorem compertum, ſibi complaceat, peccat nec ne?

1 Tres ſunt in hac re ſententiæ: † prima enim aſſerit abſolutè abſque vlla diſtinctione complacẽtiam illam eſſe malam, & peccaminoſam: Sic *Palud. 1. in 4. diſt. 9. quæſt. 3. artic. 1. Sotus diſt. 12. quæſt. 1. art. 7. verſ. Non deſunt. Azor. tom. 1. lib. 4 cap. 6. quæſt. 9. Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 2. num. 16. Valentia in part. 2. d 6. quæſt. 6. de peccatis p. 1. ver. Quare ad argumentum, &c: Monteſinus diſp. 7. quæſt. 6. Suarez in eadem part. 2. tract. 5. diſp 5. ſect. 7. n. 54. Malderus quæſt. 74. art. 10. quæſt. 13. Merolla tom. 1. d. 2. cap. 6. dub. 5. num. 43. & alij.*

2 Secunda verò † docet oppoſitum, talem videlicet delectationem ex ſe non eſſe illicitã, niſi ex malo fine capiatur; Sic *Adrianus in 4. tract. de Euch. quæſt. 4. ver. His præmiſſis, Vaſquez part. 1. d. 115. cap. 2. Leſſius lib. 4 de iuſt. cap. 3. num. 105. & 106. Gaſpar. Hurtado tract. de bonit. & malit. actuum d. 4. diff. 14.*

3 Tertia opinio eſt media, † procedit enim cum diſtinctione, aitque ſi actus ille inculpabiliter factus, ſit contra legem naturalem, aut diuinam, tunc poſt compertum errorem, non eſſe licitum de illo complacere; ſi verò ſolùm ſit contra legem poſitiuam humanam, complacentiam de illius affectione inculpabili nõ eſſe peccaminoſam. Sic *Corduba lib. 2. quæſt. 30.*

Pro huius difficultatis ſolutione exordium ſumimus à facilioribus, & certioribus, de quibus vel nulla, vel leuis eſt apud *Doctores* controuerſia.

Dico igitur primò licitam eſſe complacen-
4 tiam de aliquo effectu † nobis vtili relicto ab actu malo, per quamcũq; legem actus ſit prohibitus, quando ex conſcientia inuincibiliter erronea à nobis commiſſus fuit V. G. Si quis emittendo ſagittam occidit hominem putans inuincibiliter eſſe feram, & ex morte talis hominis perueniat hæreditas ipſi occiſori; tunc ſi ipſe non de occiſione, ſed de hæreditate obtenta gaudeat: complacentia iſta ex ſe caret culpa, quia ſecundum ſe non eſt obiectum malum; ſupponitur enim non terminare actum complacentiæ cum reſpectu ad cauſſam, nempe ad occiſionem, quia vt ſtans ſub tali reſpectu eſſet malum obiectum, & per conſequens complacentia eſſet peccaminoſa: ſimiliter ſi

quis

quis rem habeat cum quadam muliere inuincibiliter exiſtimans eſſe vxorem ſuam, et ex concubitu generaretur filius, de quo Pater gaudeat, nullius culpæ erit reus, quia obiectum ſecundum ſe non eſt rationi diſſonum, nempe filium habere, præſcindendo à cauſſa, & ſic in alijs ſimilibus, & ideo de hac concluſione non video diſſentionem apud Doctores, cum res ſit certa.

Difficultas non eſt de complacentia, quæ circa effectum ſubſequentem verſatur; ſed de ea, quæ fertur in cauſſam talis effectus, & tunc reſpondendum erit iuxta varios modos, ſub quibus complacẽtia ferri poterit in obiectum, vt declaramus in cõclusionibus mox ponẽdis.

5 Dico igitur Secundò † Si delectatio, ſeù cõplacentia tendat in negationem actus formaliter mali, videlicet delectetur voluntas de hoc obiecto, nempè actum illum exercitum non fuiſſe cum notitia, & aduertentia; tunc non ſolum nulla erit malitia, verum etiam erit bona, & laudabilis complacentia: probatur, quia eius obiectum erit moraliter honeſtum; nam perindè eſt, ac voluntas ſibi complacere peccatum non patraſſe, ad eum ferè modum, quo quis in ſomnis pollutionem paſſus, quando expergeſit, gaudet pollutionem illam non accidiſſe in vigilia, atquè adeò fuiſſe ſine culpa.

Dico Tertiò. Complacentia, quæ directè tendit in ſubtractum, nimirum in actum malum, quamuis ignoranter factum; ſi actus ponatur

6 intrinſecè † malus, ità vt nũquam aduertẽter factus poſſit cohoneſtari, vt eſt fornicatio, adulterium & cæquæ ſunt peccata contra legem naturalem, & diuinam, delectatio directè tendens in talem actum, erit peccatum mortale, quia obiectum, in quod fertur eſt de ſe malum, quemadmodum eſt pollutio etiam in ſomnis habita abſquè culpa, ſi in vigilia eam paſſus, de illa aduertenter delectetur, delectatio erit culpa lethalis, vt omnes fatentur.

Dico, Quartò. Delectatio, quæ eſt de actu

7 malo, † qui non ſecundum ſe, ſed in quantum per legem poſitiuam Eccleſiaſticam prohibetur, vt eſt fractio ieiunij quadrageſimalis, comeſtio carnium die Veneris, & ſimiles, non erit ex hoc capite peccaminoſa, quoniam eius obiectum non terminat actum, vt inuoluens malitiam aliquam, neque materialiter; dixi, ex hoc capite, quia aliundè poterit eſſe culpa venialis, ſi fiat V. G. abſq; vllo motiuo honeſto, aut eſſet nimia, &c. Sed hoc non pertinet ad inſtitutũ noſtrum.

(:†:)

CAPVT V.

An ſit grauius peccatum operari iuxta Conſcientiam vincibiliter erroneam, quàm contra illam?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum, & ponitur exemplum.*
2 *Prima ſententia vult plus peccare agens ſecundum cõſcientiam dictantem aliquid eſſe contra legem diuinam, quàm agere contra talem conſcientiam.*
3 *Vendicatur Vaſquez à calumnia, quam Vulpes illi impegit.*
4 *Aperitur Vulpis deceptio.*
5 *Non rectè à Vulpe Durandus refertur.*
6 *In re hac certa regula dari nequit, & exẽplis oſtenditur.*
7 *Cæteris paribus grauiùs eſt peccatũ agere cõtra conſcientiam vincibiliter erroneã, quam ſecundum illam.*
8 *Reſpondetur ad rationem in contrarium.*

1 AD clàriùs procedendum † ponamus v.g. quod iudicet quis vincibiliter eſſe licitum falſum iurare ad liberandum quempiam à morte; poſſet enim tale iudicium expelli per veritatis inquiſitionem; nihilominus negligens, falſum coram Iudice cum iuramento teſtetur, certum eſt hoc graue eſſe peccatum, quoniam conſcientia illa eſt culpabilis, vt ſupponimus.

Rurſus ſit alter, cuius conſcientia dictet eſſe læthalem culpam contra religionem, in Eccleſia ſpuere, & non obſtante falſo tali dictamine, expuat; ſane iſta ratione conſcientiæ erroneæ mortaliter peccabit: quæritur nunc ex his duobus peccatis, quale ſit grauiùs, ſi cætera ſint paria, nempe æqualis aduertentia, æqualis gratia ſufficiens ad non peccandum, æqualis affectus, & ſimilia; ſiſtendo ſolùm in eo, quod vnum ſit contra Dei legem de facto exiſtentem; aliud verò contra legem exiſtimatam. Fuit ſententia *Ioannis de Baſſolis in 2. diſt. 39. quæſt. vnica ad tertium dubium artic.* 4. abſolutè inquiens † quod plus peccat agens contra

2 legem Diuinam ſecundum conſcientiam erroneam, quam agens tantũ contra conſcientiam erroneam, cuius rei poſt pauca rationem reddens, ait legem Superioris plus obligare, quàm inferioris: & per conſequens legis Diuinæ tranſgreſſio ſecundum conſcientiam erroneam grauior erit, quàm tranſgreſſio legis conſcientiæ errantis, &c. *Hæc ex Baſſolo*, cuius doctrinã veluti per extenſum fideliter referre, volui † ad

3 vendicandum noſtrum *Patrem Vaſquez* à calumnia, quam imponit illi *Angelus Vulpes in ſua ſumma theologica tom. 2. par. 2. diſp. 71. art. 4.*

art.4.num.2. dicens deceptũ fuiſſe *Vaſquez,* & *Baſſolum* non rectè ab ipſo intellectum fuiſſe, quaſi abſolutè docentem plus peccare aliquem agendo ſecundum conſcientiam contra Dei legem, quàm cõtra conſcientiam ipſam operando; nam *Baſſolus* loquutus eſt de conſcientia erronea in materia determinata per legem Diuinam præcepta, vt, Non falſum teſtimonium dices. Non fornicaberis. non aũt eſt loquutus abſolute de quacumque conſcientia in materia mortali, vel veniali; proinde non friuolè, vt inquit ipſe Vaſquez, ſed maturè diſcurrit.

Cæterum *Pater Vaſquez* Baſſoli ſententiã, vt iacet, & iuxta eius mentem proculdubio re-
4 fert, & rectè impugnat, † at *Vulpes* deceptus in multis deficit. Et primò cum ait Baſſolum, non abſolutè; ſed in determinata materia loquutũ fuiſſe, falſum dicit, quia illius Authoris verba, abſque vlla reſtrictione ſunt appoſita, vt legenti patet, ſed ex verbis, eiuſque diſcurſu, ni fallor, per materiam determinatam intelligit eam, quæ iure aliquo ſub mortali, vel veniali eſt præcepta, & hoc aſſerens, decipitur, quoniam non eſt materia determinata appellanda, quæ omnem comprehendit materiam genericam, ſpecificam, & indiuidualem, de qua eſt lex naturalis, Diuina, & humana. Secundò fallitur *Vulpes* Patri Vaſquez attribuendo id, quod reuera Vaſquez ipſe non dixit, affirmat enim *Vulpes num.3.* controuerſiam hanc exagitari in materia præcepta, & non in materia virtutis ſub cõſilio acceptæ, rectè loquitur, ſed falsò referens hoc quaſi à Vaſquez dictum. Tertiò malè carpit Patrem Vaſquez, qui citat pro ſe *Durandum,* docens in hac re non poſſe certam aſſignari regulam, cùm tamen à Durã-
5 do aſſignetur: † Sed immerito hoc aſſerit *Vulpes,* quoniam illud ipſum, quod dicit vnus auctor, affirmat alter. *Durandus enim lib.2.ſent. d.39.q.5.num.9. in medio* quærens, an plus peccet agens iuxta conſcientiam erroneam, quàm contra illam; reſpondet hoc non poſſe vno ſermone declarari, & Vaſquez ait certam regulam aſſignari non poſſe, ſane hæc duo, quis non videt idem importare? Rurſus vterque poſtea quaſdam proponit animaduerſiones ad dignoſcendum, ex qua parte maior ſe teneat grauitas; idcirco non rectè à *Vulpe Vaſquez* impugnatur, dum pro ſe Durandum eodem prorſus tenore loquentem citat; proinde ſi quis dicat certam à Durando aſſignatam fuiſſe regulam, cogitur hoc ipſum concedere de Vaſquez, & ſi neget à Vaſquez certam ſignari regulam, hoc etiam de Durando negari debet, cum hi auctores idem prorſus dicant, vt conſideranti textum manifeſtum eſt. Pro vtroque tamen addo non aſſignari certam & determinatam regulam, nam ad ſtatuendam rem præmittũtur incerta, qualia ſunt ea, quæ ab illis Authoribus, vt videbimus, prærequiruntur.

6 Dicendum igitur eſt primò † in materia hac dari non poſſe certam, & determinatam regulam. eſt communis ſententia: ita *Corduba lib.3.quæſt.14. Durandus in 3.diſtin.39.quæſt. 5.num.9. Salas tract.8.ſec.3,num.17. Vaſquez loc.cit. Martinez quæſt. 19. art.6. dub.2. Tannerus de actib.hum.diſp.2.dub.2.n.25. Auerſa quæſt.18.ſec.16.§ Cæterum. Malderus diſp. 85. Dunalius de actib.human. quæſt.4. art.11. §.Quæres an ſit. Sanchez lib.1.in decl.cap.11. num.15. Azor tom.1.lib.2.cap.8.quæſt.9. Sayrus cla.reg.lib.1.in decal.cap.11.num.15. Caſtropalaus tom.1.tract.1.diſp.2.p.6. Merolla tom.1.diſp.3.cap.2.dub.3.num 26. Breſſerus lib.5.de conſ.cap.15.num.144. & aly.* Declaratur concluſio, & ſimul probatur: Poteſt euenire, vt cõſcientia erronea culpabilis dictet eſſe licitum præceptum periurandi, vt proximus liberetur à carceribus, dictet etiam periuriũ eſſe peccatũ cõtra legẽ Dei, tũc in hac perplexitate grauius peccatũ erit ſequi conſcientiam illam vincibiliter dictantem periurium, quàm contra illam agere; nam illud eſt peccatum contra religionem, contrarium vero eſt contra miſericordiam, ſeù pietatem proximo debitam, & conſequenter eſt minus peccatum: è conuerſo ſi conſcientia culpabiliter dictet eſſe mentiendum ad proximum à captiuitate liberandum, grauius peccatum eſſet contra conſcientiam agere, quam ſecundum illam, quia iuxta illam operando non committitur, niſi peccatum veniale, mendacium proferendo: at contra illam agendo committitur peccatum mortale contra charitatem proximo debitam, & ſic diſcurrendo per exempla ſimilia manifeſta erit noſtra concluſio. Ex his colligimus quando prædictus occurrit caſus, attendendam eſſe præcepti grauitatem, ſub quo per conſcientiã erroneam proponitur actio facienda, vel omittenda, & tale præceptum eſt comparandum cum præcepto obiectum prohibente; tunc penſatis omnibus eſt determinandum quodnam ſit grauius peccatum: proinde manifeſtum eſt regulam certam, fixamque dari non poſſe, vt ex allatis exemplis oſtenſum eſt.

7 Dicendum eſt ſecundò, † cæteris paribus grauius eſſe contra conſcientiam vincibiliter erroneam, & non depoſitam, agere, quàm ſecundum illam: ſic *Breſſerus in fine capitis citati;* & ratio eſt, quia ſi omnia ſint paria, maius peccatum eſt illud, quod fit ex ſcientia, quam ex ignorantia, peccatum autem, quod contra conſcientiæ dictamen patratur, procedit ex ſcientia; illud verò, quod ſecundum conſcientiam erroneam, ſed vincibilem committitur, fit ex ignorantia, v.g. ſi cõſcientia dictet periurandum eſſe ad liberãdum innocentem à morte, tunc ſi quis tali conſcientiæ diſſentiat, omittit ex ſcientia; ſi verò concordet, peccabit ex ignorantia, quatenus iurat ex ignorantia, quamuis vincibili, & culpabili, eſſe licitum tale iuramentum putans.

8 † Ad rationem vero, cui *Baſſolis* innititur, facile reſpondemus; nam, vt rectè *ait Vaſquez* noſtræ conſcientiæ dictamen non eſt lex propriè loquendo, ſed potius legis oſtenſio, ſeù propoſitio legis; quando enim dictat aliquod obiectum eſſe bonum, & hic, & nunc nos te-

neri

neri ad illud proſequendum : duo ſunt in eodem obiecto ponderanda, primò conuenientia cum natura rationali, vt rationali; ſecundò ratio præcepti, ſeù eſſe materiam præceptam: prima ratio ſolùm conſtituit actionem circa tale obiectum ſolùm de conſilio verſantem: ſecunda verò obligat nos, ideoque conſcientia poteſt primum, aut etiam ſecundum proponere, & proponendo nihil aliud facit, niſi oſtendere nobis aut conuenientiã tantùm, aut etiam obligationem noſtram ex lege aliqua ſiuè naturali, ſiuè Diuina, & interdum humana prouenientem; & idem dico, quando obiectum proponitur vt diſſentaneum naturæ rationali, vel ſaltem illi non conſentaneum, quapropter homo contra conſcientiam peccans, propriè contra legem aut naturalem, aut diuinam, vt applicatam facit; contra conſcientiam verò facit, vt applicantem, ſeù veluti præconem legis, non autẽ contra aliam legem ab inferiori latam, niſi impropriè; ſicut dum publicus Præco promulgat, & legem à Principe latam intimat, ſubditus illam tranſgrediens operari dicitur contra Superioris legem, & non contra præconis legem, licet faciat contra ipſum præconem vt oſtendentem, & intimantem. Ex his infertur cõtra Vulpem, alioſque, hominem non detineri duplici vinculo, quando conſcientia aliquid dictat, quod etiam per legem præcipitur, ſed eſſe idem vinculum à Superiore ordinatum, & à præcone ſuo applicatum.

CAPVT VI.

Si Conſcientia inuincibiliter dictet vtrumque contradictorium eſſe peccatum. An voluntas vnum ex illis amplectens peccet?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui putant quodcumq; eligatur ſemper eſſe peccatum.*

2 *Alij recurrunt ad Dei prouidentiam non permiſſuri talem perplexitatem.*

3 *Altera opinio aſſerit nunquam eſſe peccatum quodcumq; ex contradictorijs eligatur.*

4 *Ne eligens peccet eſt eligendum quod minus malum apparet.*

5 *Poſita omnimoda perplexitate homo eligens non peccabit.*

6 *Reſpondetur ad argumenta contraria pro prima ſententia.*

7 *Satisfit fundamento ſecundæ opinionis.*

8 *Admittitur ex parte ratio pro tertia ſententia, altera verò pars refellitur.*

PONAMVS quod conſcientia V.G. aliquo die feſto dictet audiendum eſſe ſacrum, illudque omittere eſſe peccatum mortale; & ex alia parte dictet grauẽ eſſe culpam, cuſtodiam deſerere domus ſibi commiſſam, & habens talem conſcientiam nequeat diſcernere quam partem hîc, & nunc debeat eligere, nec poſſit viros cõſulere doctos, eos in prõptu nõ habẽs; quæritur an eligẽs ſiue vnam, ſiue alteram partẽ peccet?

1 Aliqui dicunt † quacumq; electa parte peccare, quia electio illa eſt libera tendentia in obiectum apprehenſum, vt malum; proinde ipſamet electio erit mala: antecedens eſt certũ, nam in poteſtate habentis conſcientiam ita perplexam eſt eligere, aut non eligere hanc partem. Confirmat hoc argumentum *Pater Granado* deſumens paritatem ex voluntate, quam Chriſtus Dominus ſubeundi mortem habuit; licet enim ſtante diuino decreto, & ſua impeccabilitate potuerit mortem non pati, liberè tamen, & meritoriè dicitur mortem ſuſtinuiſſe, quatenus poterat ex hoc, vel illo motiuo in his, alijsue circumſtantijs mori; ita quãuis ſtante illa perplexitate non ſit in poteſtate hominis vtramq; partem omittere, ſufficiet in eius libertate eſſe determinatam partem eligere; proinde cum qualibet apprehendatur mala, electio erit peccatum.

2 Alij vero dicunt ad ſuauem Dei prouidentiam † pertinere hominem non relinquere in talibus anguſtijs, vt peccatum vitare nequeat, ſed ab ipſo Deo illuminandũ fore ad perplexitatem tollendam, & iſte dicendi modus placet *Granado contr. 2. tract. 12. diſp. 7. ſect. 2. nu. 11.*

3 Alij deniq; magis communiter inquiunt † hunc non peccaturum, ſiue vnam, ſiue alteram partem eligat: ita *Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 11. num. 14. Ioannes Sanchez in ſelectis quæſ. diſp. 41. num. 27. Merolla in theol. moral. tom. 1. diſp. 3. cap. 2. dub. 3. num. 11. Caſtropalaus tom. 1. de conſcient. diſp. 2. punt. 5. Breßerus de conſc. erronea lib. 5. cap. 17. num. 162. Cardinalis De Lugo de libert. Chriſt. diſp. 26. ſec. 1. Baldelli lib. cit. diſp. 4. num. 1. & 2. Franciſcus De Lugo par. 3. theol. cap. 1. quæſt. 7. num. 32.* qui quidem Auctor numero præcedenti limitat hanc ſententiam, requirens, vt error, ex quo oritur perplexitas non ſit vincibilis; & eãdem ſententiam ſequuntur *alij apud laudatos Auctores.* Ratio huius opinionis eſt, quia homo ita perplexus non habet ſufficientem libertatem ad peccandum; requiritur enim ex parte obiecti non ſolùm libertas ad hanc, vel illam partem contradictionis eligendam: ſed etiam ad culpam vitandam requiritur [illegible] ſimpliciter, & abſolutè poſſe non eligere, & cũ illa perplexitate per ignorãtiam inuincibilem apprehendatur vtramq; partem cõtradictionis eſſe malam moraliter, & homo ſit neceſſitatus ad vnam ex illis partibus eligendam, ſi eligendo peccaret, peccaret in eo, quod euitare non poſſet, quod eſt abſurdum.

Dicen-

4 Dicendum eſt primò, † ſi conſcientia erronea in caſu poſito dictet vnam partem eſſe grauem culpam, aliam vero partem eſſe leuem; aut ſi mortalem, non in æquali, ſed in grauitate minori, tunc tenetur homo in ea perplexitate hanc ſecūdam partem eligere; & ſi eliget primam, læthaliter peccabit, quia ex duobus malis, quando vtrumq; vitare nequimus, minus eligendum eſt, vt habetur *in cap. duo mala diſt. 3.* & docent *Communiter Theologi, vt Suarez tom. de pœnit. diſp. 3. ſect. 10. num. 7. Merolla loc. cit. & alij.*

5 Dicendum eſt ſecundò, in tali perplexitate † ſi homo ſit ita conſtitutus, vt laboret ignorantia, quam nullo modo in his, & his circumſtantijs vitare nequeat; atque adeo ſit ignorantia inuincibilis, valde probabile eſt id, quod dicunt tertiæ huius ſententiæ Authores, hominem ſcilicet ita perplexum non peccaturum, quamcumque partem eligat; quia cum maneat in eius poteſtate vtrumque contradictorium omittere, & neutrum appareat magis, quam aliud obligare, & eſſe maioris momenti, non erit maior ratio, cur potius vnum, quàm aliud eligi debeat: ideoque in talibus circumſtantijs quęcumque pars eligatur, non eligitur imprudenter, & per conſequens homo illam eligens non peccabit.

6 Ex his † reſpondeo ad oppoſita: & ad primæ ſententiæ fundamentum aio in illis circūſtantijs electionem non eſſe practicè malam; neque hìc, & nunc ferri in obiectum malum, quia & ſi ſpeculatiuè exiſtimetur malum, nihilominus quatenus cum altero obiecto concurrit apprehenſo etiam vt malo: & in quantum alterutrum neceſſariò eſt eligendum, non eſt obiectiuè, & practicè malum. Scio alio modo ab huius ſententię ſectatoribus huic difficultati ſatisfieri, vt videre eſt apud Sanchez, eorum tamen reſponſiones; non multum placent.

7 † Ad fundamentum autem ſecundæ ſententiæ, aio gratis aſſeri à Deo, numquam eſſe permittendam perplexitatem illam non ex parte rerum, ſed ex ſubiecti ignorantia, nempe hominis, prouenientem.

8 † Ratio verò fundamentalis, quam vltimæ ſententiæ auctores afferunt, quatenus probat electionem vnius partis ab homine perplexo factam, non eſſe malam, admittenda eſt à nobis, ſed cum tali conditione, vt homo eligens deponat practicè cōſcientiam, vt explicuimus, ſed non admitto id, quod dicit Sanchez, ſcilicet electionem illam in genere entis, ſiue naturæ eſſe liberam; non autem in genere moris: hoc autem non eſt intelligibile; omnis enim actio libera debet eſſe in genere moris, actio verò, quæ non eſt in genere moris, libera non eſt, & quamuis eſſe liberum ſit quid diuerſum ab eſſe morali, vt oſtendimus in *p. 2.* inſeparabiliter tamen ſe comitantur; neque libertas in genere moris impeditur ex eo, quod electio ad alterutram ex illis partibus indeterminatè ſit neceſſaria; ſufficit enim, vt ſit libera reſpectu partis determinatæ, & hoc conuincitur argumento, quod Pater Granadus adducit ex libertate Chriſti in ordine ad mortem ſubeundam.

CAPVT VII.

An peccatum contra Conſcientiam erroneam ſpecie differat à peccato cōtra Conſcientiam rectam circa idem obiectum.

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*
2 *Peccatum contra conſcientiam, verum, aut falſum dictantem eſſe eiuſdem ſpeciei.*
3 *Probatur auctoritate, & ratione.*
4 *In Confeſſione Sacramentali non ſunt neceſſario vt diſtincta aperienda.*

1 PONAMVS † Fidelem aliquem die feſto Sacrum omiſiſſe abſq; rationabili cauſſa; ita vt grauiter contra Eccleſiæ præceptum peccauerit, & die feriata putans ex cōſcientia erronea eſſe diem feſtum, omittat etiam Sacrum abſque cauſſa, & peccet etiam mortaliter; quæritur, an hę duę omiſſiones ſpecie differant, & an in Confeſſione ſacramētali oporteat diſtinctè illa duo peccata manifeſtare, dicens, ſemel in die feſtiuo omiſi Sacrum, & alia vice omiſi etiam ſacrum in die feriato, putans ex conſcientia erronea eſſe feſtiuum; vel an ſatis ſit dicere; bis omiſi Sacrum feſtiuis diebus?

2 Dicendum eſt primò † peccata contra conſcientiam rectam, ſeù veram, & contra conſcientiam erroneam, quando verſantur circa idem obiectū ſunt eiuſdem prorſus ſpeciei. ita *Sāchez lib. 1. decal. c. 11. n. 5. Salas in p. 2. tr. 8. diſp. vn. ſect. 3. n. 28.* eamdem opinionem vidētur etiā docere *Vaſquez p. 2. diſp. 59. c. 3. nu. 11. Layman tr. 1. de conſ. c. 4. n. 2. Martinez in p. 2. q. 19. ar. 6. dub. 2. con. 4. Baldellus lib. 4. nu. 4. &*
3 *alij.* † Probatur manifeſte cōcluſio, & primò ea colligitur *ex S. Th. quæ. cit. ar. 5. ad. 3.* Probatur ſecundò, quia voluntas in operādo tenetur cōformare ſe iudicio cōſcientię, quæ eſt eius proxima, & immediata regula, vnde ſi conſcientia hìc, & nūc proponit eſſe peccatū, ſiue latū eſſe præceptū de aliqua re, cū re vera id, quod proponitur, neq; ſit peccatū, neq; latū ſit præceptū; at reſpectu voluntatis, quæ tenetur ſequi rationis ductū, perinde ſe habet quoad obligationē, ſiue ſit falſū, ſiue verū id, quod cōſciētia dictat; tūc. n. voluntas diſcordans à rationis dictamine facit contra illam virtutem, cui opponitur peccatum, quod à ratione proponitur.

Dicendum eſt ſecundò, peccatū contra veram conſcientiam, & peccatum cōtra erroneam

4 non ſunt neceſſario † diſtinguenda in Confeſſione. oppoſitum ſentit *Nauar. in manual. c. 6. num. 14.* at *Merolla tom. 1. diſp. 3. dub. 3. nu. 33.* noſtram tuetur opinionem; quæ à priori ſuaderi efficaciter poteſt; nam eiuſdem ſpecificæ malitiæ eſt, ſiue voluntas feratur in malum, ſiue in re ſit tale, ſiue tale exiſtimetur, quamuis in re tale non ſit; proinde cum peccata, quæ fiunt contra conſcientiam veram, & quæ fiunt contra erroneam eamdem habeant formalem malitiam, eamdemq; prorſus grauitatem includere poſſint, idcirco nulla eſt ratio, cur in confeſſione ſint diſtinctè aperienda.

CAPVT VIII.

Vtrum agere contra Conſcientiam erroneam, malum in genere dictantem, ſit peccatum mortale, an verò veniale?

SVMMARIVM.

1 *Eadem ratio eſt in hoc de conſcientia erronea & vera malum in genere dictante.*
2 *Aliqui putant eſſe peccatum tãtum veniale.*
3 *Alij exiſtimant eſſe lethale.*
4 *Secunda ſententia vt probabilior recipitur.*
5 *Modificatur.*
6 *Soluuntur argumenta contraria.*

1 PRÆSENS quæſitum fieri etiam poteſt de conſcientia † vera malum aliquod in genere dictante, quod ita ſit; nam in hoc eadem eſt vtriuſque ratio: proinde pro vtraque conſcientia in hoc capite determinabimus idem. Aio igitur poſſe interdum, & præſertim rudibus hominibus cõtingere, vt practicè iudicent aliquod obiectum eſſe malum, non diſcurrendo an ſit culpa grauis, an verò leuis circa tale obiectum agere. quæritur an ſi de facto quis talem non deponẽs conſcientiam operetur, peccet mortaliter, an ſolum venialiter?

2 Prima ſententia eſt multorum, qui dicunt eſſe † tantum peccatum veniale; ita *Lopez p. 1. inſtrut. cap. 3. Nauar. in ſum. præl. 9. num. 9. Valentia p. 2. diſp. 2. quæſt. 14. p. 4. Franciſcus Delugo in theol. mor. cap. 1. quæſt. 2. concl. 2. Baldelli diſp. 5. num. 6.* qui hanc ſententiam, vt probabilem admittit *Diana p. 1. de circũſt. reſol. 24. Salas tract. 8. diſp. vnica. ſect. 9. n. 33.* qui limitat, & rectè, ſi nulla occurrat dubitatio an ſit mortale peccatum, quia tunc ratione periculi, cui homo, ita operando, exponitur, certum eſt mortaliter peccare; & in eadem ſententia nouiſſimè eſt *Breßerius, lib. 5. de conſc. cap. 20. num. 205.*

3 Secunda ſententia docet eſſe † peccatum mortale; ita *Vaſquez par. 2. diſp. 19. cap. 3. num. 10. Sanchez lib. 1. in ſum. cap. 11. num. 6. Azor p. 1. lib. 2. cap. 8. quæſt. 6. Sayrus in clau. reg. lib. 1. cap. 4. num. 17. Reginaldus in prax. lib. 11. num. 32. Bonacina de legibus diſp. 2. pun. 6. num. 22. Merolla de conſc. cap. 1. dub. 3. num. 38.* & in hanc opinionem inclinare *Malderus in p. 2. diſp. 84. in fine* videtur.

Sed dicendum eſt, quamuis prima opinio probabilitate non careat, ſi procedat cum illa limitatione, quam ponit *Salas, & alij*
4 † probabiliorem tamen hanc ſecundam cenſeo; & ratio, quæ me mouet, eſt, quia cum intellectus apprehendit, & iudicat practicè aliquod obiectum eſſe malum, ponitur in voluntate obligatio inquirendi, an malitia illa ſit grauis, an verò leuis; proinde puto moraliter eſſe impoſſibile excuſari poſſe, ſi abſque vllo examine ipſe homo malum illud, cuius grauitatem neque agnoſcit, neque ad eam cognoſcendam adhibet diligentiam, præcipitanter amplectitur.
5 † Si enim fingamus à prædicto examine ob inuincibilem inaduertentiam, vel ob ignorantiam, vt accidere poſſet in Ruſticis, hominem excuſari; tunc non diſplicet prima opinio, quia ablata obligatione prædicti examinis, ſi voluntas amplectitur dumtaxat malum vt ſic, nulla inculpabiliter cognita grauitate, videtur adhuc ſiſtere intra limitea rationis communis vtrique peccato, mortali, & veniali; nam ratio mali vt ſic, inuenitur tota, & in peccato mortali, & in veniali: ideoque cum ratio mali vniuerſaliſſime accepta præſcindens à malitia mortali, & veniali non inuoluat actu aliquod poſitiuè repugnans diuinæ amicitiæ, cum actu, & poſitiuè non ſit auerſio ab ipſo Deo, idcirco voluntas malum illud amplectens non videtur grauiter peccare ablato periculo illo, de quò ſupra: cæterum quia in praxi cenſeo moraliter ſemper ab intellectu, ſaltem confuſè, agnoſci periculum; ideo ſpeculatiuè ſolum, & non practicè primam ſententiam eſſe probabilem cenſeo.

6 Argumenta † verò, quæ contra noſtram concluſionem faciunt, facilè ſoluuntur cum prædicta limitatione; ideoque argumenta primæ ſententiæ ad ſummum non probant; niſi hanc conditionalem à nobis poſitam: argumenta verò ſecundæ ſententiæ ſolum probant primam noſtræ concluſionis partem, in qua dicimus moraliter numquam deeſſe periculum in grauem labendi culpam, proinde eſſe peccatum mortale amplecti malum vt ſic, nullo adhibito examine, an ſit graue, an verò leue, & hoc ob periculum ſuperius dictum.

***
†

CAPVT IX.

An ſit peccatum agere contra Conſcientiam erroneam, quæ ſit ſolum in habitu.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum.*
2 *Affirmatiua opinio refertur.*
3 *Negatiua admittitur.*
4 *Si iudicium erroneum manet virtute, licet non actu homo peccabit contra illud operando.*
5 *Quid ſit manere virtute.*

SVB nomine conſcientiæ in habitu nunc non intelligimus qualitatem aliquam acquiſitam † ex 1 frequentatis actibus permanentem, & quæ ſit in ſpecie prædicamenti qualitatis, ſed intelligimus conſcientiam ipſam actualem, quæ cum extiterit, non fuit per contrarium iudicium reuocata. V.G. iudicet quis erroneè die Veneris, & Sabbati prohibitam eſſe lacticiniorum comeſtionem ab Eccleſia ſub peccato mortali; poſtea non reuocans tale iudicium, ſed illius immemor comedat die Veneris lacticinia: quæritur an comeſtio iſta cenſeatur graue peccatum ratione conſcientiæ erroneæ in habitu, modo explicato.

2 Partem affirmatiuam † docent *Michael Medina in p. 2. quæſt. 19. art. 6. verſ. Sed numquid. Manuel in ſum. p. 1. cap. 71. num. 2.* licet enim hi auctores videantur loqui de conſcientia erronea, quæ virtute manet eo tempore, quo exercetur actio, quam intellectus grauem culpam eſſe putauit; quid ſit tamen virtute manere per hoc declarant, quod eſt præceſſiſſe iudicium illud, & numquam fuiſſe reuocatum, ideoque manere virtute id intelligunt, quod nos dicimus manere habitu.

3 † Dicendum eſt primò, cum homo operatur immemor conſcientiæ erroneæ, vt plurimum habet iudicium oppoſitum conſcientiæ erroneæ præteritæ; quia vel exercet operationem aliquam ex obiecto indifferentem; vel honeſtam, quam prius iudicauit malam, & tunc ſaltem in actu exercito habet conſcientiam dictantem actionem illam eſſe indifferentem, aut honeſtam ex obiecto, & ſic operatur ex vi iudicij actualis reuocantis iudicium primum erroneum; vel putat per errorem eſſe graue peccatum, & ſic non ſumus in caſu, quia conſcientia eſſet actu, & non habitu; vel putat comeſtionem illam non eſſe prohibitam, ſed honeſtam, aut indifferentem, & ſic habet iudicium oppoſitum priori iudicio oppoſito, quod intelligitur per illud iudicium actuale reuocatum.

Dicendum eſt ſecundò. Ad hoc vt homo cenſeatur facere contra conſcientiam, & peccare debet iudicium † conſcientiæ actu vel virtute adeſſe tempore, quo contra talẽ conſciẽtiã 4 operatur homo: ita *Vaſquez in p. 2. diſp. 60. c. 3. n. 15. in fine, Salas tract. 8. diſp. vnica. ſect. 3. num. 29. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 8. quæſt. 12. Sanchez lib. 1. decal. cap. 11. num. 7. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub. 4. Arriaga in par. 2. d. 22. ſec. 5. ſubſ. 4. Ioannes Præpoſitus ibidem quæſt. 19. art. 6. dub. 2. pet. 3. & 4.* & in hac eadem ſententia puto eſſe *noſtrum Patrem Frãciſcum de Lugo in decurſu præuio ad theol. moral. agens de conſc. cap. 1. quæſt. 3.* cum diſtinguit, & ait eſſe peccatum, ſi obliuio erroris ſit culpabilis; ſi verò ſit inuincibilis, non eſſe peccatum, & *Baldelli diſp. 5. num. 7.* hanc ipſam ſuſtinet opinionem cum alijs. Probatur concluſio, quia ſi iudicium illud erroneum neque in ſe ipſo manet, neque in aliquo ſui, non poteſt actu regulare actionem illam, neque aliquid voluntati præſcribere; proinde actio non poteſt dici eſſe contra conſcientiam, quę actu fuit, & nunc nullo modo remanet; ergo homo contra talem conſcientiam operans non peccabit; Sicuti ſi imponat Epiſcopus ſubdito præceptum aliquod, ne ſcilicet operationem aliquam exerceat, & poſtea Epiſcopus ille moriatur; tunc ſubditus propriè loquendo illam exercens actionem poſt Epiſcopi mortem, non dicitur contra obedientiæ præceptum facere, niſi cum addito, nempe contra præceptum, quod fuit, & nunc non eſt; & hoc quia mortuo Epiſcopo pręceptum illud nequit amplius eſſe menſura, & regula illius actionis, quę ſub tale præceptum cadebat. quod de hominis pręcepto dico, applicandum eſt iudicio conſcientiæ; quæ eſt regula interna morales noſtras actiones præſcribens; dixi in concluſione, ſi maneat conſcientiæ iudicium actu, vel virtute; † manere autem 5 virtualiter dicitur, quando manet in aliquo effectu ab ipſa conſcientia relicto, vt ſi conſcientia dictet furtum oboli eſſe mortale, & hoc non obſtante media ponat homo ad furtum illud patrandum, quibus poſitis furetur, etiam ſi tempore furti conſcientia illa erronea non maneat in ſe ipſa, dicitur tamen manere in ſuis effectibus. etenim actualis illa acceptio eſt actualis effectus mediorum, cum quibus eſt connexa; & applicatio mediorum fuit effectus alicuius voluntatis, quæ repugnauit conſcientię dictanti furtum illud eſſe læthale peccatum; ideoque talis conſcientia manere, & furtum contra conſcientiam ipſam eſſe † cenſetur.

†

CAPVT X.

Cui ſit potius parendum præcepto Superioris, an conſcientiæ erroneæ oppoſitum dictanti?

SVMMARIVM.

1 *Refertur opinio S. Thomæ, & S. Bonau. & aliorum inter ſe diſſidentium.*

2 *Conſcientia inuincibilis fortiùs quam Prælati præceptum obligat.*

3 *Præceptum ſuperioris magis obligat extenſiuè quàm conſcientia erronea contraria, ſed vincibilis, ea tamen non depoſita veluti intenſiuè plus obligat, ſi omnia ſint paria.*

4 *Hæc intelligenda ſunt de præcepto humano ſecus de diuino aut naturali, tunc enim magis obligaret præceptum, quam conſcientia vincibiliter errans.*

5 *Conciliantur S. Thomæ, & S. Bonauent. ſententia.*

VARIA in hac rè dixerunt Au-
1 thores Scholaſtici, & primò † *S. Thom. in 2. d. 39. art. vlt. ad 3. & de verit. q. 17. art. 5.* cenſuit conſcientiam erroneã plus obligare, quam Superioris præceptũ, at *S. Bonauentura eadem diſt. art. 1. quæſt. 3.* ad vltimum oppoſitum docere videtur, nempe plus ſtandum eſſe præcepto Prælati, quàm propriæ conſcientiæ; hanc opinionem defendit, *Vulpes in ſum. theol. tom. 2. p. 2. d. 71. ar. 7. n. 4.* nonnullas verò diſtinctiones habet *Arriaga p. 2. d. 22. ſec. 5. ſubſec. 5. & Ioãnes Præpoſitus quæſt. 19. art. 6. dub. 3. in fine.* Præter has duas ſententias refert *Vaſquez diſp. 61. cap. 1. nu. 2.* aliorum opinionem, qui nonnullas adhibent diſtinctiones, & partim cum prima cõueniunt, partim cum ſecunda. Sed his omiſſis,

2 Dicendum eſt primò, Conſcientia † quando eſt inuincibilis, plus, hoc eſt, fortiùs obligat, quàm cuiuſcumque Superioris mandatum. Probatur concluſio, quia cum ſubditus laborat ignorantia inculpabili ſequendo proprium dictamen, quàmuis erroneum, non peccat; at ſtante illa cõſcientia obediẽdo Superiori, peccat, quia facit contra immediatam humanorum actuum regulam, & qua mediante omnis lex extrinſeca, & quodcumque præceptũ vim habet obligandi.

3 Dicendum eſt ſecundò. † Si conſcientia eſt vincibilis, non abſolutè, ſed cum quadam diſtinctione loqui debemus; nam extenſiuè magis obligat præceptum Superioris, quia eo poſito ad duo tenemur, ad deponendam videlicet conſcientiam, & ad exequendum id, quod præcipit Prælatus. Igitur extenſiuè plus obligat ipſum præceptum, quam conſcientia prædicta, quæ ſola obligat ad vnum, nempe ad faciendum quod ab ipſa præſcribitur; & non depoſita, veluti intenſiuè, plus obligat conſcientia ipſa erronea, quamuis vincibilis, quàm præceptum Superioris; quia ea non depoſita, cæteris paribus, grauior culpa erit agere contra ipſam, quàm facere cõtra præceptum hominis, vt rectè notauit *Sanchez, Merolla, Martinez, aliique locis citatis.* quidquid dicat in oppoſitum *Caſtropalaus tom. 1. diſp. 1. pun. 6. num. 3.* Et ratio eſt, quia operans contra conſcientiam directè, & immediatè tranſgreditur legem naturalem *in* corde impreſſam; ſed faciens contra Superioris mandatum directè violat præceptum humanum, & ſolùm indi-
4 rectè diuinum, & naturale, † hoc autem eſt intelligendum, de præcepto poſitiuo, & humano; nam ſi Superior imperaret aliquod contentum ſub lege naturali, aut Diuina; tunc maius peccatum, quo ad ſubſtantiam eſſet non obedire Superiori, quàm operari contra conſcientiam vincibilem: nam in tali caſu non obediẽs Superiori, faceret etiam directè contra præceptum naturale, aut diuinum.

5 Ex his concluſionibus poſſunt, ni fallor, † *S. Thomæ, & S. Bonauenturæ* ſententiæ conciliari; nam rectè Angelicus Doctor aſſeruit plus obligare conſcientiam, quam præceptum Superioris, quia dum eſt inuincibilis, tenemur eam ſequi, & non deponere; cum autem eſt inuincibilis tenemur eam ſequi, & non deponere; cum autem eſt vincibilis, & non deponitur, ſtrictiùs ipſa obligat, quia eſt immediata regula, vt oſtendimus: at S. Bonauentura etiam rectè dixit plus obligare præceptum Superioris, quatenus eo poſito regulariter tenemur conſcientiam deponere, & Superiori obedire: ideoque loquutus eſt quoad derogationem, & regulariter, quia ordinariè debemus Superiori obedire, rectam in nobis formando conſcientiam, & oppoſitam relinquendo.

CAPVT XI.

Quo pacto deponenda ſit Conſcientia erronea, vt contra ipſam Operans non peccet.

SVMMARIVM.

1 *Refertur opinio Caietani, & aliorum.*

2 *Iudicium erroneum probabili ratione conceptum deponendum eſt iudicio probabili oppoſito.*

3 *Nequit ſolo voluntatis imperio deponi niſi temere.*

4 *Non eſt neceſſe, vt ratio oppoſita, per quam deponitur, ſit efficacior.*

5 *Si iudicium erroneum non fuit ex ratione probabili, ad illud deponendum non eſt neceſſaria ratio in oppoſitum.*

6 Con-

6 *Conſcientia deponi poteſt, vel per principia intrinſeca, vel extrinſeca.*

1 Refertur † opinio *Caietani in p. 2. qu. 19. ar. 5.* vbi ait conſcientiam erroneam deponi poſſe non ſolùm per actiones contrarias, ſed per ſolam excluſionem iudicij erronei, v. g. putet quis erroneè non eſſe licitum iter facere diebus feſtiuis, poſtea abſq; ratione in contrarium poterit non admittere tale iudicium, & eo non admiſſo formare ſibi conſcientiam, licitum ſibi eſſe tale iter facere, & ſic iter faciendo non peccare; hanc ſententiam videtur ſequi *Valentia p. 2. diſpu. 1. quæſt. 14. p. 4. ver. Atq; ex eodem. Ioannes Sancius in ſelect. 99. diſp. 41. num. 27.* citari etiam ſolet *Nauarr. cap. ſi quis autem num. 62. de pœnit. dist. 7. & quidam alij.* Fundatur hæc opinio in hoc, quod ratio culpæ reperitur in actione exercita contra conſcientiam erroneam, cum tota procedat ex errore, ſi error non acceptatur, nulla videtur culpę ratio remanere.

2 Dico primò, † ſi iudicium conſcientię erroneę aliqua probabili ratione cōceptum fuit, tunc deponi non poteſt, niſi vi alicuius rationis probabilis oppoſitum ſuadentis, aliter homo abſque tali noua ratione operans contra prius iudicium, non excuſabitur à peccato: ita *Vaſquez p. 2. diſp. 67. cap. 1. num. 4.* Sanchez *loc. cit. Granado p. 2. contr. 2. tract. 12. diſp 7. ſect. 5. Salas, Caſtropalaus, Merolla, Baſsæus in flor. V. conſcien. num. 8. & alij antiquiores.* Probatur conclusio, quia cum nulla repræſentetur ratio variandi iudicium illud erroneum, impoſſibile eſt, vt intellectus aſſenſum oppoſitum eliciat.

Dices, poſſe illud ex voluntatis imperio elici ad talem aſſenſum inclinantis intellectum.

3 Contra eſt primò; † quia dum nulla apparet ratio oppoſitum ſuadens ei, quod dictat cōſcientia erronea, nequit intellectus obedire imperio voluntatis, vt oppoſitum formet iudicium: ſicuti idem intellectus dum non agnoſcit rationem potiùs pro vno, quàm pro alio contradictorio, etiam ſi millies imperetur à voluntate ad eliciendum aſſenſum determinatum circa veritatem vnius potiùs, quam alterius contradictorij, impoſſibile eſt, vt talem formet aſſenſum, v. g. inter has duas contradictorias propoſitiones: Aſtra ſunt paria: Aſtra non ſunt paria, nequit intellectus determinatè iudicare, quænam propoſitio ex illis ſit vera, etiam ſi à voluntate imperetur; quicquid dicat *Caietan. in p. 2. qu. 62. ar. 4.* cuius opinio, vt ſolet ab Auctoribus intelligi, videtur manifeſtè falſa; & ideò in alio ſenſu, ſicuti & eius ſequaces forſitan loquuti ſunt.

Contra eſt ſecundò, licet gratis demus poſſe ab intellectu elici talem aſsenſum ex voluntatis imperio, aſsenſus tamen iſte erit temerarius, vt pote procedens abſque fundamento, & ex ſolo voluntatis affectu; proinde homo contra prius iudicium erroneum operans à peccato non excuſabitur, imò talis aſsenſus abſq; ratione, & ad libitum formatus potiùs erit regulę contemptus, quam conſcientiæ depoſitio.

Dico ſecundò in prędicto caſu, quando conſcientia erronea fuit concepta vi alicuius rationis probabilis ad eam prudenter deponendam, † non oportet adeſſe rationem efficaciorem. Eſt contra *Vaſquez cap. cit. num. 5.* qui ductus fuit ad hoc aſſerendum, quia ex vi rationis minus efficacis non poſſe, putauit, aſsensū contrarium conſcientiæ erroneę generari; at noſtram concluſionem tuetur *Sanchez cap. ci. nu. 10. Merolla dub. ci. nu. 14.* & probatur, quia vt fuſiùs dicturi ſumus, ratio etiam minus efficax, ſi agnoſcatur, vt probabilis, ſatis erit ad aſſenſum generandum, non obſtante maiori efficacitate, & contrariæ rationis probabilitate. 4

5 Dico tertiò, † quando iudicium erroneæ conſcientię fuit abſque vlla probabili ratione formatum, tunc ad illud deponendum non eſt neceſſaria noua aliqua ratio in oppoſitum, & ſufficit aduertere falſitatem illius iudicij, & tale iudicium non admittere, ſed illud excludere formando ſibi conſcientiam de operationis honeſtate. ita *Vaſquez, Sanchez, Merolla, Breſſerus, & alij.* Ratio autem pro hac concluſione eſt manifeſta, quia cum conſcientia errans temere concepta non innitatur alicui rationi, ſufficit ad licite operandum, temeritatem illam aduertere; proinde abſque vlla alia ratione deponi poterit; & ſi hoc voluerunt *Caietan. & alij*, non ſunt reijciendi, fundamentum verò, cui eorum opinio innititur, & quę à nobis primo relata fuit, nihil aliud probat, niſi hanc concluſionem. Concedimus igitur conſcientiam abſq; ratione conceptam deponi poſſe per excluſionem pręciſā iudicij erronei, abſq; alia ratione, dummodo illius iudicij inſufficiētia, & temeritas aduertatur.

6 Dico quartò, † Conſcientiam erroneam deponi poſſe, vel per principia intrinſeca, vel per extrinſeca: principia intrinſeca vocantur cauſſa rei effectus, vel ipſius rei definitio. Principia vero extrinſeca ſunt authoritas Doctorū, virorumq; prudentum, eorum exemplum, &c. Sed de modo, quo per huiuſmodi principia deponenda prudenter ſit conſcientia, fuſiùs in capite ſequenti ſermonem habebimus.

CAPVT XII.

De modo, quo Confeſſarius gerere ſe debet cum Pœnitente, qui Conſcientia erronea laborat.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens conſcientia erronea laborans non eſt*

eſt ſemper monendus à Confeſſario.

2 *Debet moneri, quando eam ſequitur culpabilis ignorantia.*

3 *Quando ignorantia eſt inuincibilis, & ſpirituale detrimentum affert pœnitenti, Confeſſarius debet ipſi pœnitenti veritatem detegere.*

4 *Secùs ſi nocumentum non affert, & ex manifeſtatione veritatis ſcandala timentur.*

5 *Si nullum timetur damnum ſequuturum ratione officij, aſtringitur Confeſſarius aperire veritatem.*

6 *In dubio, an admonitio ſit profutura, ſi damnum non timetur, veritas eſt manifeſtanda, ſecùs ſi eſt formido damni ſequuturi.*

7 *Quando dubium eſt, nocumentum, & an vtilitas ex manifeſtatione ſit ſequutura, eſt conſiderandum, quod nam magis præponderat*

8 *Regula attendenda, an fieri, nec ne, debeat admonitio.*

INſtructio iſta in hoc loco non abre erit, imò pro Confeſſarijs in ordine ad ſuos pœnitentes magnoperè vtilis;
1 ✠ ſunt enim aliqui Confeſſarij adeo inexpertes, vt ſtatim videntes aliquem pœnitentem conſcientia erronea laborare, eidem veritatem manifeſtent cum maximo ipſius pœnitentis etiam ſpirituali detrimẽto, quia non obſtante, quod veritatem agnouerit pœnitens, ſumit ex tali cognitione potiùs materiam peccandi; proinde peculiaris in Cõfeſſario requiritur prudentia, vt diſcernat, quando veritatem expediat aperire, quando verò eam tacere, qua de re nonnullas dabimus regulas, & inſtructiones.

Dico primò, quando pœnitens habet con-
2 ſcientiam erroneam culpabiliter † conceptam, atque adeò manet in malo ſtatu, tenetur Confeſſarius veritatem illi manifeſtare, antequam illum abſoluat. Concluſio iſta ponitur *à Soto in 4. diſt. 18. qu. 2. ar. 4. ad 2. ab Aragona in 2. 2. qu. 33. ar. 6. à Granado in p. 2. contr. 2. tract. 12. d. 7. ſect. 5. num. 5.* & eſt certa, quia ex ſuppoſitione, quod homo ille culpabili laboret ignorantia, & ſit in malo ſtatu, non eſt capax abſolutionis, & ideò Confeſſarius tenetur illum admonere, vt faciat illud, ad quod tenetur.

Dico ſecundò, ſi ignorantia, qua pœnitens
3 laboret, ſit † inuincibilis, & inculpabilis, eſt diſtinguendum; ſi enim ratione illius ignorantiæ, & conſcientiæ erroneę tale habet impedimentum, vt nequeat validè abſolui, v. g. ſi putaret ſufficere ſolum propoſitum non amplius peccandi abſq; actu doloris ad accipiendam abſolutionẽ, vel ſi ignoraret myſteria fidei ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, vel quid ſimile: & error, vel ignorantia iſta ipſi Confeſſario innoteſceret, tunc ex parte Confeſſarij eſſet obligatio inſtruendi pœnitentem, eúmq; excitandi ad dolorem peccatorum concipiendum, ante abſolutionem ſacramentalem, vel ad docendum myſteria illa fidei, quando eorum adeſt
4 ignorantia, † ſi verò conſcientia erronea, & inculpabilis verſetur circa res alias, quarum ignorantia pœnitentem confeſſionis, & remiſſionis peccatorum incapacem non reddit, eſt etiam diſtinguendum; nam ſi ex manifeſtatione veritatis grauia timerentur ſcandala, aut ſpirituale ipſi pœnitenti damnũ, tunc in talibus circumſtantijs Confeſſarius deberet potiùs diſſimulare, & veritatem non aperire. ita *Auctores citati*, quibus addo *Bartholomæum Medinam in ſum. lib. 2. cap. 3. regul. 2.* & ratio eſt certa, quia veritas, quæ pœnitentem latet, in tantùm manifeſtari à Confeſſario deberet, in quantùm eius manifeſtatio in Dei gloriam, & ipſius pœnitentis ſpiritualem vtilitatem redundaret: at in caſu prædicto oppoſitum eueniret, quando maiora, & grauiora peccata, & detrimentum ſpirituale ipſius pœnitentis obuentura prȩuiderentur. Pono exemplum in caſu trito, & vulgari: Confeſſarius ſcit matrimonium à pœnitente contractum ob aliquod impedimẽtum eſſe nullum, & id inuincibiliter ignorari ab ipſo pœnitente, & rurſus probabiliter iudicat ex manifeſtatione nullitatis matrimonij graues ſequuturas rixas, & à pœnitente non petendam fore diſpenſationem, ideoque cum peccato contra caſtitatem cum illa muliere, quæ vxor eſt putatiua, cohabitaturo. In hoc caſu malefaceret Confeſſarius impedimentum aperiẽdo, ſed deberet veritatem tacere, & pœnitentem ſuum cum bona illa fide relinquere, quam habuit contrahendo matrimonium, & quam adhùc conſeruat: ita *P. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 38. num. 8. Granado p. 2. contr. 2. tract. 12. d. 7. ſect. 5. num. 32. De lugo de pœn.*
5 *diſp. 22. ſect. 2. §. 1. num. 24.* † Si autem ex veritatis manifeſtatione nullum timeatur damnũ, aut incommodum, tunc Confeſſarius ratione proprij muneris teneretur veritatem ipſi pœnitenti detegere,

6 Dico tertiò, † quando eſt dubium, an admonitio facienda à Confeſſario debeat prodeſſe, ſi nullum timeatur damnũ, tenebitur Cõfeſſarius inſtruere pœnitentem, quia ex hac ſuppoſitione nullum eſt futurum inconueniens, &
7 poterit eſſe profectus; † ſi verò dubium ſit, an ex admonitione ſit ſequuturum damnum, an verò vtilitas, tunc vt notat *De lugo ſect. cit. nu. 31. ex Fillinc. tom. 2. tract. 28. num. 135.* eſt inter vtrumq; facienda cõparatio, nempè, inter vtilitatem, quæ prouenire põt, & inter dãnum, inter gradum ſpei, & timoris; at ſi vnum notabiliter prȩponderat, ſecundum illud eſt operãdum, pẽſatis circumſtãtijs arbitrio boni viri, verũ, quãdo hic, & nunc oĩa apparẽt æqualia, quid ſit eligendum, nõ inuenio apud Doctores in terminis deciſum aliquid in ordine ad Confeſſarium, ſed ſolum colligi poterit ex doctrina, quam Auctores tradunt, loquentes de obligatione faciendi correctionem fraternam; dicunt enim in dubio, an ſit profutura, vel obfutura, ceſſare obligationem corrigendi proximum, vt ex multis docet *Bonacina tract. de char. diſp. 3. in decal.*

q. 4. p. 7.

q.4.p.7. nu.8. limitant tamen alij hanc opinionem, quando aliquis corrigendus eſſet in articulo mortis; tunc enim aiunt eſſe corrigendum non obſtante tali dubio; & ſimiliter corrigendus eſſet ſi ex omiſſione correctionis ſequerẽtur damna contra commune bonum, vel in detrimentum innocentis; ita ego à pari poſſum in tali dubio de damno, vel vtilitate ſequutura dicere non teneri per ſe loquendo Confeſſarium ad veritatem pœnitenti aperiendam, hoc cum prædictis limitationibus id intelligendo.

Ex his, multiſq; alijs ſimilibus, quæ dici in
8 hac materia poſſent, colligimus † hanc regulã eſſe attendendam, ſeruandamq; an ſcilicet ex admonitione facienda, vt conſcientia erronea tollatur, qua pœnitẽs laborat, ſperetur vtilitas, vel ex admonitionis omiſſione ſpiritualia ipſius pœnitentis damna vitentur; hęc autem regula per ſe loquendo eſt reſpicienda, exceptis quibuſdam caſibus ſuperiùs tactis circa bonũ commune, innocentis damnum, &c.

DISCEPTATIO IV.

De Conſcientia probabili, & opinante.

1 *Proponitur dubitatio ſecundum quam Auctor videtur contraria aſſerere.*
2 *Duplex acceptio conſcientiæ probabilis, & ſoluitur dubitatio.*

NE videar contraria aſſerere, & ad omnem ęquiuocationem tollendam, declarandum in animo eſt quid per conſcientiam probabilem hic intelligam; & hoc, quia *in prima diſceptatione cap.* 9. contra paucos ex communiori ſententia ſtatuimus iudicium conſcientiæ eſſe debere certũ, & moraliter euidens; nunc verò de conſcientia probabili me acturũ proponendo, videor contrarium putare, iudicium ſcilicet conſcientiæ eſſe poſſe tantum probabile, contra id, quod ſupra aſſerui; cæterum facilè omnis tollitur dubitatio æquiuocationem aperiendo, quæ ex eiuſdem nominis applicatione ad plura oritur. Aio igitur per conſcientiam à Doctoribus interdum intelligi ipſum rationis dictamẽ, quod eſt proprijſſima & formalis acceptio conſcientiæ, & tale dictamen diximus *cap.* 9. ad hoc vt rectè humanas dirigat actiones, eſſe debere certum, & euidens; interdum verò per conſcientiam intelligitur fundamentum proximum cõſcientiæ formalis, atq; de cõſcientia in hac acceptione procedit titulus, & tota ferè iſta tractatio; dicimus inſuper eſſe poſſe certum, & quãdoq; non certum, ſed tantum probabile, neque eſt nouum idem nomen ab Auctoribus tribui, & fundamento, & illi, quod ex eodem fundamento innaſcitur; ſic in rebus phyſicis nomen Ecclypſis datur cauſæ, & effectui; dicimus enim eſſe interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam; iterum de eadem aſſerimus eſſe priuationem luminis in Luna ob interpoſitionem prædictam, illa eſt cauſalis; iſta verò formalis Eclypſis: Hac præmiſſa declaratione, deuenio nunc ad quæſtiones.

CAPVT I.

Quæ ſit Opinio probabilis, & quæ ad eius aſtruendam probabilitatem requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Diſcrimen agnoſcitur à Martinez inter ſentẽtiam, & opinionem, ſed indiſcriminatim ſumenda ſunt.*
2 *Duo ſunt capita vniuerſalia, ex quibus oritur opinionum probabilitas.*
3 *Opinio probabilis ea eſt, quæ non leui innititur fundamento.*
4 *Moralis probabilitas fundatur in eo, quod eſt naturæ rationali, vt rationali conueniens.*
5 *Fundamentum probabilitatis aliud eſt intrinſecum, aliud verò extrinſecum.*
6 *Quattuor conditiones ad fundandam probabilitatem.*

1 AB vniuerſalioribus exordium ſumentes ſupponimus † indiſcriminatim; & pro eodem in progreſſu huius tractatus accipi ſẽtentiam, & opinionem, quamuis *Gregorius Martinez in p. 2. S. Thomæ quæſt. 19. ar. 6. not. 1* differentiam inter eas agnoſcat; vult enim ſententiam eam eſſe quæ à quolibet affirmatur; ſiue cum fundamẽto, ſiue abſq; illo; opinionem verò reſtringit ad ſententiam tantum probabilem. Sed quidquid ſit de hac diuerſitate, indifferenter, vt dixi, de hac loquimur; quo poſito aio opinionem vt ſic præſcindendo à probabili, & improbabili eſſe determinatum aſſenſum, quo intellectus non firmiter, ſed cum formidine ſiue actuali, ſiue virtuali, ſeù denique radicali inhæret obiecto. Definitionem hãc ſuppono, vt notam, ex Philoſophia, ideòq; in illius declaratione non eſt valdè immorandum, ſed breuiter percurrendũ. Dixi eſſe aſſenſum determinatum; ſi enim deſit aſſenſus, quamuis intellectus aduertat motiua ad aſſentiendum circa rem aliquam, propter hoc præcisè non diceretur opinionem de illa habere; immò quando pro vtraq; parte ſunt hinc inde oppoſita motiua æqualia, ſolet intellectus eſſe ſuſpenſus, nullum eliciendo iudiciũ opinatiuum, vt ſuo loco dicemus. Requiritur ergo ad opinandum, vt intellectus poſitiuè, & deter-

determinatè actum eliciat, quo vni contradictionis parti adhæreat, talis autem adhæſio eſt proximum fundamentum, ex quo ſequitur iudicium, ſeù dictamen rationis, in quo ſita eſt formalis conſcientia, & adhæſio dici poteſt cōſcientia cauſſalis, ſeù fundamentalis, quæ etiam poſito fundamento prædicto non habetur neceſſariò, ſed ex voluntatis imperio mouentis intellectum ad conſcientiam formandam. His præſuppoſitis ad opinionem probabilem iam deuenio.

2 Dicendum eſt Primò, duo eſſe veluti † capita vniuerſalia, ſeù fundamenta, ex quibus opinionum probabilitas dependet; nempe authoritas, & ratio; quando autem in priori capite fundatur, procedere dicitur per principia extrinſeca; quando verò in ſecundo, dicitur eſſe per principia intrinſeca: interdum autem hæc duo capita ſimul concurrunt, & tunc vtroque modo dicitur opinio probabilis; interdum verò ſeparantur, & tunc ſi procedit ex ſecundo capite tantum, non dicitur probabilis per principia extrinſeca, ſed tantum per intrinſeca. At ſi curioſè hic quis quærat, an poſſit fundari in primo capite, reſpondeo explicitè, & formaliter poſſe, non autem implicitè, ſeù, vt melius dicā, præſumptiuè: declaro totum, licet aliquis, cui nulla occurrit ratio intrinſeca ad ſuadendam opinionem aliquam, vt probabilem, poſſet moueri per authoritatem aliorum; nihilominus ideò mouetur ad adhærendum vni parti, quatenus implicitè ſupponit Auctores doctos fuiſſe ad opinionem illam docēdam optimis rationibus; proinde ſecundum caput numquam eſſe excludendum, ſed ſaltem præſumptiuè eſſe ſupponendum interueniſſe. Et hæc vniuerſaliter circa fundamentum opinionis probabilis dicta ſint. Deueniendo autem ad eius definitionem

Dicendum eſt Secundò, opinionem proba-
3 bilem † eam eſſe, quæ non leui innititur fundamento, & quo fundamentum hoc erit maius, eo probabilior erit opinio. Definitio hæc, quāuis alijs terminis proponi à nōnullis ſoleat, nihilominus idem importat, videndi autem ſunt Auctores de hoc loquentes, vt *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 5. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 2. num. 3. Caſtropalaus tom. 1. diſp. 2. p. 1. num. 2. Breſſerus de conſc. lib. 3. cap. 2. n. 23. & alij communiter:* explicatur concluſio,
4 & probatur: † Probabilitas in genere moris, de quo loquimur, fundari debet in eo, quod eſt naturæ rationali, vt rationali conſentaneum, id autem, quod conformitatem hanc habet, eſt fundamentum non leue, ſed magni momenti; atq; adeo ſufficiens ad conſtituendam opinio-
5 nem, vt probabilem; † eſt autem hoc fundamentum duplex, extrinſecum omnino, & talis eſt auctoritas; vel connexum, & aliquo modo intrinſecum, & tales ſunt rationes adinuentæ ad probabilitatem ſuadendam, & opinionem ipſam: proinde opinio aliqua dici ſolet probabilis per principia extrinſeca, & intrinſeca, vel alterutro ex his, modo explicato, ſiue magis, ſiue minus iuxta qualitatem fundamenti, in quo ſe fundat opinio. Verum ex his, quæ ſunt vniuerſalia, deſcendere debemus magis in particulari ad conditiones requiſitas ad probabilitatē faciendam.

6 Dicendum eſt Tertiò, † Conditiones requiſitæ ad aſtruendam probabilitatem aſſignātur à *Salonio in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 63. art. 4. contr. 2. concl. 4. Ver. Eſt hoc autem, & à Frāciſco Merolla tom. 1. theol. moral. diſp. 3. cap. 4. dub. 2,* quibus ego nonnullas alias addam.

Prima igitur conditio, eaq; potiſſima eſt, vt opinio, quæ in examen reuocatur, non contineat errorem aliquem contra ſacras litteras, aut Concilia à Summo Pontifice confirmata, neque ſit contra Patrum traditiones: aliter non ſolum omni eſſet probabilitate carens, ſed etiam digna, vt iuxta ſalſitatis gradum cenſuraretur.

Secunda conditio eſt eorum authoritas, qui talem tuentur opinionem; videlicet an ſint viri docti, & periti in ea facultate, de cuius materia agitur, ideoq; ſi eſt in materia Theologiæ, authoritas eorum, qui Ius ciuile, aut Canonicum profitentur, non erit ſufficiens ad probabilitatem practicè tutam; idemq; aſſero ſi opinio ſit in materia Theologiæ ſcholaſticę; at ſi caſus pertinebit ad Ius ciuile, & ad Canonicum, authoritas vtriuſq; Iuris peritorum credibilitatem eidem opinioni deferet, & magis quàm ſi à puro Theologo ſpeculatiuo approbetur. Concurrere etiam debet prudentia, & pietas; ſi enim talis determinatæ opinionis defenſores ſint docti, deficiant tamen in prudentia, aut non ſint timorati, non auderem ſtatim eorum admittere opinionem ſine aliqua diſcuſſione, aut aliorum idoneorum conſilio; deficiente enim prudentia faciliſme homo præcipitatur in rebus eligendis, & ſi deeſt timor Dei laxiores opiniones ab ipſis admittuntur nullum adhibere conantibus examen in ordine ad mores.

Tertia conditio admodum neceſſaria eſt rationum diſcuſſio, quibus innititur opinio, & pariter rationum, quæ in contrarium fieri valent, quæ omnes inuicem comparari debent ad probabilitatis pondus diſcernēdum, quod vna, aut altera habet opinio.

Hæc autem, & ſimilia mihi videntur attendenda ad hoc, vt rectum feramus iudicium de varijs, & oppoſitis ſententijs, quæ nobis ſe offerunt.

CAPVT II.

Quantùm Auctorum pluralitas opinionum probabilitati faueat.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui in ſtatuenda probabilitate ſolum Auctorum pluralitatem attendunt, ſed redarguuntur.*

2 *Pluralitas iſta non cauſſat formaliter probabilitatem.*

3 *Sequens prudentum opinionem non aſtringitur regulariter loquendo inquirere rationes pro opinione illa.*

4 *Per accidens interdum ad rationum inueſtigationem obligabitur.*

1 IN opinionibus eligendis non deſunt, qui ſiue ſpeculatiuè, ſiue practicè procedant, † nihil aliud attendant, niſi Auctorum turbã, & hac contenti diligentia ſibi ipſis ſatisfeciſſe videntur acquieſcentes in ſupputando Doctorũ numero, & ad inſtar auium, quæ vnam volantem aliæ õnes ſequuntur, eamdem viam, ac volatũ inſectãtur; hos autem doctus, & pius ille Senex Nauarrus infra citandus meritò redarguit; eorumque deceptionem, rationes, & communis probatorum Auctorum ſenſus palam facient.

Dico igitur Primò, Authoritas pluriũ præciſè 2 ſpectata formaliter † probabilitatẽ minimè cauſſat, niſi præſũptiuè. Concluſionẽ hanc ſecundum vtramq; partem docet *Ferdinãdus Caſtropalaus to.1.diſp.2.p.1.n.8. Oniedus p.2.tra.3.contr.3.p.1.n.11.* Primæ aũt partis veritas manifeſtè colligitur ex doctrina paſſim à Doctoribus tradita exprobantibus modũ hunc ſcientiarum probabilitatẽ inquirendi; hi aũt ſunt tũ Canoniſtæ, tũ Theologi, vt *Alexander conſil. 502.n.7.to.7. Decius conſ.494.n.15.to.2. Nauarr.in Enchirid.c.27.n.280. Gratia de benef. par.5.cap.1.n.364.& ſeq. Azor.to.1.lib.5.c.16.quæſt.3. Sanchez in ſelect.d.44.n.8. Franciſc. de Amico d.13.ſec.4.n.52. Arriaga de act.hu. diſp.24.ſec.3. Caſpenſ.de conſ.diſp.3.ſec.4.n.3.* quibus placet addere Ethnicum, & celebrem Philoſophum *Senecam in lib. de vit. beata c.1.* ſic loquentem: *Nihil ergo magis præſtandũ eſt, quã ne pecorũ ritu ſequamur antecedentium gregem, non quo eundum eſt, ſed quo itur.* Probatur autem concluſio primò ex vtroq; Iure ciuili, & Canonico: inſignem habemus textũ *in L.p.ver.ſed neq; C.de veteri Iure enucleando;* volens enim Iuſtinianus Imperator nonnullas particulares ex antiquis ſententijs in vnum redigere corpus, ſic loquitur: *Sed neq; ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius eſt iudicatote, cum poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.* Hæc Iuſtinianus. *In ſacris Canonibus* habemus textum *cap. Nicæna Synodus diſt.32* vbi *Paphnutij* opinio, licet ſingularis præponitur ſententię pluriũ in eodem Concilio interuenientium, quod aduertit *Gloſ.Verb.Sent.* dicens: *Sententia vnius poteſt alios trahere ad partem ſuam, & cap.Capell.de ferijs.* Ex duabus opinionibus Põtifici relatas, poſterior electa fuit, quãuis prior vniuerſaliter fuerit. Probatur ſecundò, quia experimur in diẽ à quibuſdam alioquin ſapientibus aliquas receptas fuiſſe opiniones, quæ tamẽ tẽporis progreſſu ab alijs Auctoribus rationes exactius põderantibus exiſtimatæ fuerint improbabiles, & aliquæ falſę, aut temerariæ, nonnullæ ex his opinionibus referũtur *ab Azorio lib.2.rit.cap.17.* Et cõfirmatur, nã frequenter videmus multos alioquin doctos alicui opinioni ſe ſubſcribere nõ alio ducti motiuo, niſi authoritate alicuius illã ſuſtinentis opinionem; ideoq; in tali caſu pluralitas, vel nihil, vel ferè nihil probabilitatis addit, cũ tota probabilitas, qualis qualis ſit, reducatur ad vnũ, in cui verba alij ſubſcripti iurarunt. Igitur ſola pluralitas, vt ſic, nequit formaliter probabilitatem dare opinioni; ſi enim formaliter illam præſtaret, pluralitate poſita haberemus probabilitatem, tamquam effectum formalem, nõ improbabilem poſita forma, & ideò non deberent damnari opiniones, quas plures antiquiores ſuſtinuerunt, quod eſt falſum. Et hæc de prima parte cõcluſionis. Probanda nũc eſt alia eiuſdem concluſionis pars, videlicet, per Doctorũ multitudinem cauſſari poſſe in nobis præſumptionẽ probabilitatis, quia ſi de errore, aut falſitate opinionis nõ conſtet, præſũmptio ſtat pro ipſa probabilitate, quia credere debemus tot Doctores graues allucinatos non fuiſſe, ſed omnia ponderaſſe, & de illorũ opinionibus, quoad probabilitatẽ verificatur Ariſtotelis dictũ, *qui 1.Top.c.1.* loquens de probabilib. ſententijs ſic eas definit: *Probabilia aũt ſunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut ſapiẽtibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis.* Loquitur autẽ Philoſophus de probabilitate præſũptiuè, quæ in multorũ authoritate fundatur, eiuſq; dicta intelligi non poterunt de forma dante probabilitatem ob rationes allatas.

Dico ſecundò, Non tenetur quiſq; ſequẽs ſa-
3 pientũ opinionem, † & regulariter, ſeù per ſe loquendo inquirere talis opinionis veritatẽ, & rationes, ſic à fortiori docet *Granadus p.2.contr.2 trac.12.diſp.4 ſec.1.n.7.& ſec.2.n.8. Onied. loc. ſuperiùs cit.* cũ hoc affirment & quando opinio eſt vnius tantũ Doctoris, concluſio autẽ oſtenditur, quia ad rectè, & honeſtè operandũ ſatis erit per ſe loquendo ſequi opinionẽ, quam viri ſapientes, & prudentes probabilem exiſtimant, proinde operans iuxta illorum dictamẽ efficacẽ habet præſumptionem ſuæ honeſtæ operationis; idcirco poterit vi talis præſũptionis formãs practicè ſibi conſcientiã iudicare li-
4 citũ eſſe, ita operari † dixi regulariter, &c. nã ſi aliqua ipſi operanti ratio in contrariũ offeratur, quã aduertit cognitã, aut examinatam non fuiſſe ab illis Doctoribus, nõ poterit prudenter ſibi conformare conſcientiã de honeſtate operationis, ſequẽdo opinionem illã; quapropter vt ſine temeritate procedat, deberet eiſdẽ viris doctis, ſeù aliquibus ex illis hanc rationem in contrarium proponere, & ſi hoc nõ obſtãte, illi perſiſtant in eadem ſententia; poterit propriã

deponens conſcientiam ſequi Doctorum opinionem, indicando rationem hanc in contrariũ non eſſe ſufficientem ad probabilitatem talis opinionis eneruandam.

CAPVT III.

Quænam cenſenda ſit communis Opinio.

SVMMARIVM.

1 *Quandoq; non erit facile diſcernere, quænam ſit opinio communis.*
2 *Nonnulli confundunt communem.*
3 *Alij dicunt communem, quæ efficacioribus fulcitur rationibus.*
4 *Illa eſt communis, quæ à probatioribus Auctoribus defenditur, licet paucioribus, v.g. ſex, aut ſeptem.*
5 *Si duæ opiniones à talibus defenduntur, ambæ communes appellantur.*

1 EVENIT, & non rarò, vt non ita facilè diſcernere † valeamus, quę nam, inter plures, opinio cenſenda ſit communis; nam Auctores inter ſe contendentes, vnuſquiſque eorum propriam ſentẽtiam appellat communem, proinde cõueniens mihi videtur nonnullas veluti regulas ad illam agnoſcendam tradere.

2 Aliqui pro eodem cõmunem, † & probabiliorem ſententiam ſumentes, debent cõſequenter eiſdem vti regulis pro intelligẽda probabiliori, ac pro cõmuni, ſed decipiũtur, quia poterit aliqua opinio à multis defendi, qui tamẽ vel non aduertentes efficaciam rationũ alterius oppoſitæ, vel non ita exactè ſuam vocant cõmunẽ

3 † Alij verò Auctores, quamuis pauciores, efficaciam rationũ animaduertentes ſuam nuncupari ſolent communem; nihilominus fateor, vt plurimum, ita rem ſe habere, probabiliorem ſcilicet exiſtimari communem.

4 Dico Primò. † Illa opinio cõmunis appellari meretur, quæ à probatioribus defenditur, licet ſint pauciores, ſex v.g. aut ſeptem, poſt diligens examen rationũ omnium: ita *Azor p.p. lib.2.cap.13.in fine. Sanchez lib.1.ſum.cap.9. num.9 & lib.3.de matrim. diſp.44. num.2. ex Menochio de præſump.lib.2.præſump.7.nu.39. Alciatus hoc etiam docet reg.1.præſump. 51. nu.2.Ver.Item intellige, & optimè docet Nauarr.in Enchirid.cap.72.nu.289. Caſtropalaus tom.1.Theol.moral.diſp.2.p.1.n.10.* Ratio autẽ eſt, quia communis opinio nequit eſſe, niſi ab ijs, qui ex profeſſo, & non perfunctoriè de illa agunt, dũmodo competentem faciant numerũ arbitrio boni, & prudentis viri, idcirco ſeptem, aut ſex opinionem cõmunem facere poſſunt, ſic *Nauarr.in ſum.cap.27.n.289. Azor lo.cit.* qui non obiter, & ſuperficialiter, ſed accuratè tractant de re aliqua æquiualent^r pluribus, qui per tranſennã, & abſq; diſcuſſione rem eamdẽ cõſiderarũt, immò illi ſunt maiore fide digni, idcirco eorũ opinio meritò erit cõmunis iudicãda.

5 Dico Secundò. Quando duæ † contrariæ opiniones à probatis, claſſicisque defenduntur Doctoribus, qui eas exactè ventilauerint, ita vt quęlibet habeat ſex, aut octo patronos graues, tunc vtraq; opinio exiſtimari, & vocari poterit communis: ſic *Nauarr. vt ſupra, & Baldellus tom.1.lib.4.diſp.11.n.18.* Cõcluſio iſta ſequitur ex dictis; diximus enim opinionem appellari communem, ſi habeat pro ſe ſex, aut ſeptẽ Auctores, qui de ea ex inſtituto pertractauerint; cum igitur contingere queat, vt vtraq; opinio ſit talis, vt non poſſit maius rationũ põdus magis in vna, quam in altera internoſci; conſequens eſt, vt vtraq; cõmunis vocetur, ab efficacia videlicet rationũ, & à numero Doctorũ, qui ſufficiens ad talem denominationem videtur. V.G. ſententia, quæ vult circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe neceſſariò in cõfeſſione Sacramentali aperiendas eſt valde probabilis, & Doctorum numero, & etiam rationibus, proinde communis dici poterit; & ſic dicitur à *Suarez* qui eam docet *to.4. in 3.p. diſp.23.ſec.* Contraria verò ſententia, quæ negat, & ait ſolũ eas, quæ ſpeciem mutant eſſe de neceſſitate fatendas, non habet pauciores, & minus graues Defenſores, itidemq; validas rationes, quã illa altera; proinde valdè cõmunis vocatur ab eodẽ *Suarez ib.n.1.* Rurſus opinio aſſerens abſtinẽtiam à carnibus eſſe de eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici, eſt cõmuniter à quamplurimis recepta, ſicuti etiam alia huic oppoſita, quæ negat eſſe de eſſentia, ſolum eſſe partem integralem exiſtimans: Præterea eſt æquè controuerſum, an Beneficiarij teneãtur ex iuſtitia, an ex ſola charitate ſuperflua diſtribuere ex bonis eccleſiaſticis in pauperes, aut opera pia, & vtriuſq; opinionis Sectatores communem appellant ſuam ſententiam, & ſic in multis alijs. Igitur opinionem communem illam cenſere debemus, quæ validis rationibus à quamplurimis admittitur, etiam ſi alia opinio contraria ob eaſdem rationes communis à ſequacibus ſuis nuncupetur.

CAPVT IV.

Vnius Doctoris authoritas, an Probabilitatem opinioni afferat.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui volunt ſufficere vnius Auctoris placitum in ijs, quæ ſunt de Iure humano.*
2 *Aliqui id admittunt, quando eſt ab vno Auctore exagitata.*

3 *Abſo-*

3 *Abſolutè alij loquuntur de vno tantùm, authore contenti, ſi ſit probatæ doctrinæ, & omnia expenderit.*
4 *Admittenda eſt doctrina iſta ſi opinio tunc primò in lucem edita fuit,*
5 *Nonnullæ tamen in hoc vnico Doctore deſiderantur qualitates.*
6 *Non eſt ſatis ſi opinio incidenter tractetur.*
7 *Satis eſt, vt à tali Auctore tantùm, vt probabilis tradatur.*
8 *Non obſtantibus alijs peritis Iuris contrarium ſentientibus, opinio contraria per hoc non ſpoliatur probabilitate.*
9 *Si ſit contra communem, vel non erit probabilis, vel ſuſpecta per ſe loquendo.*
10 *Quæ dicta ſunt locum habent in rebus ad Ius humanum, & etiam ad Ius diuinum.*
11 *Exemplum probi viri poterit reddere probabilem opinionem.*
12 *Si plures probi viri aliquam exerceant actionem, faciant illam probabilem, niſi aliud occurrat in contrarium.*

ALIQVAM apud Doctores circa
hoc punctum inuenio diuerſitatem,
quã in mediũ afferre placet.
1 † Fuit opinio, quam docuit
Adrianus in quodlib. 4. ar. 1. lit.
N. & quam poſtea amplexus eſt *A-*
Corduba lib. 2. q. 3. in ſolut. confirm. pro primo
argumento Ver. Ad Pandulphum. videlicet in
iis; quæ Iuris humani ſunt ſufficere vnius Au-
ctoris placitum; ſecus autem in ijs, quæ ad Ius
diuinum ſpectant, quia in illis non oportet ad-
hibere tam exactam diligentiam, quam in iſtis.
Secunda ſententia eſt *Laurentij de Portel-*
lis in dubijs regul. Verb. opinio num. quarto
2 qui diſtinguens ait † ſatis eſſe authoritatem
vnius Doctoris, ſi caſus de nouo ſit ab vnico
Doctore excogitatus; at quando eſt ab alijs
expenſus non ſufficere vnius authoritatem: ab
hac opinione parum diſtat *Ferdinandus Ca-*
ſtropalaus tom. 1. diſp. 2. p. 1. num. 3. nam præ-
dicta diſtinctione poſita, conuenit cum *Por-*
tellio ſi ſermo ſit de ſententia prius non ven-
tilata; at de ventilata inquit rarò licere receſſũ
à communi ad ſingularem vnius ſententiam.
3 Tertia ſententia abſolutè † loquitur aſſerens
ſatis eſſe iudicium vnius probati Doctoris, qui
omnia hinc inde expenderit ad ſerendam opi-
nionis probabilitatẽ: ita ſentiũt *Angelus Ver.*
Opin. num. 1. Sylueſter eod. verb. quaſ. 1. 2. Va-
lentia p. 2. diſp. 2. quæſt. 14. p. 4. Ver. Quomodo
autem. Emmanuel Sà V. dubium. num. 3. Vaſ-
quez p. 2. diſp. 62. cap. 4. initio. Azor tom. 1. lib.
2. cap. 17. quæſt. 6. Sanchez in decal. lib. 1. cap.
9. num. 7. Turrianus in 2. 2. diſp. 55. dub. 3. Ver.
Sed difficultas, quamuis Auctor iſte *de iuſt. &*
iure diſp. 50. dub. 2. num. 7. dicat non ſufficere
ſolam authoritatem trium, aut quattuor Sum-
miſtarum; loquitur autem quando reliqui ſunt
in contraria ſententia; ruſus hanc tertiam ſen-
tentiam docet *Filliuccius tract. 21. cap. 4. num.*
134. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. n. 6. Ioan-
nes Sanchez in diſp. 44. à num. 61. Breſſerus de
conſc. lib. 3. cap. 3. per totum, & alij: ducuntur
quia opinio probabilis cum illa ſit cenſenda,
quæ non leui innititur fundamento, vt ſupra
ex communi diximus; vnius autem grauis Au-
ctoris docti, & pij, qui omnia examinauit, non
eſt leue, ſed magni momenti fundamentũ, ideò
probabilem reddit opinionem.
4 Dicendum eſt Primò, † Si opinio, quã vnus
Doctor ſubſequentes habens qualitates exco-
gitauit, non ſit prius excogitata, ſed tunc primò
in lucem edita, abſq; dubio ſufficiens erit ad il-
lam probabilẽ reddendam illius Doctoris au-
thoritas. Probatur concluſio, quia ex vna parte
talis opinio, quamuis ſingularis, nullum, vt ſup-
ponitur, habet contradictorẽ: ex alia verò par-
te, quatenus à tali viro approbatur ſufficienti
innititur fundamento; idcirco nihil illi deeſſe
videtur, vt probabilis exiſtimetur.
Dicendum eſt ſecũdò debere in tali Docto-
5 re † nonnullas inueniri qualitates, quæ in fa-
cultate illa eum fide dignum reddant, & primò
vt illam ſententiam profiteatur non perfũcto-
riè, ſed ex inſtituto, proinde ex eo præcisè,
quod aliquis in vniuerſitate aliqua ſit ad Do-
ctoris gradũ promotus, non ſufficit, quæ expe-
rientia conſtat paſſim promoueri omnes; & ra-
sò reprobari, & ſine delectu. Secundò non eſt
ſatis perfectè ſcholaſticam, & ſpeculatiuã The-
ologiam callere, ſi agatur de rebus ad moralem
ſpectantibus Theologiã; frequenter enim agno-
ſcimus nonnullos in ſpeculatiua peritos, ieiunos
tamen eſſe de cõſcientiæ caſibus. Tertiò, vt nõ
ſoleat præcipitãter decidere, ſed matura conſi-
deratione adhibitã. Quartò, vt non moueatur
ex affectu; ſi enim affectus aliquis præcedit, in-
tellectus non ita bene poterit diſcernere veri-
tatem, & prudentem electionem facere.
Dicendum eſt Tertiò, non ſufficit ad proba-
6 bilitatem, † ſi opinio iſta incidenter, & veluti
per tranſennam occaſione alicuius argumenti
probata ſit; quæ enim obiter dicuntur fortè ad
colorem, & non ad probationem afferuntur; &
multò minus ſufficit, ſi in indice operis repe-
riatur, quia ea, quæ in indicibus ponuntur, non
ea diligentia ab Auctore inſpiciuntur, & ſæpè
huiuſmodi indices ab alio formantur; ſic *Ca-*
ſtropalaus diſp. 2. p. 1. n. 5. & Ioannes Sanchez
diſp. cit. n. 69. Qui tamen addit in fine illius nu-
meri limitationem quandam, nempe ſi in indi-
ce apponatur, vt ratio concluſionis, tunc vult
opinionem illam admitti poſſe: at iſta limitatio
eſt nimis ſpeculatiua, proinde puto non eſſe
admittendam.
Dicendum eſt Quartò. Prima concluſio
ſuſtinetur, etiam ſi Doctor ille vnicus ſo-
7 lum, † vt probabilem, & non vt veram opi-
nionem illam ſuſtinuerit. Eſt contra *Breſſerum*
qui loc. cit. num. 28. vult tunc probabilitatem
ſingulari opinioni deferri, quãdo illius Auctor
vt veram docuit, & non tantum probabilem.
ſed coarctatio iſta non placet, quia ob idem
motiuum, quo duci poſſumus ad recipiendam
talem opinionem, cum vt vera traditur,

poſſumus etiam duci ad illam, vt ſolum probabilem admittẽdam; nam eadem authoritas, quæ ſuadet eam, vt veram, eſt ſufficiens ad eamdem ſuadendam, vt probabilem, & in hoc prorſus latet me diſparitas.

8 Dicendum eſt Quintò; Quamuis aliqui etiã docti ſint in contraria ſententia, † nihilominus ſingularis opinio ſuam retinere poterit probabilitatem: nam ex eo, quod aliqui pauci oppoſitum iudicent, non apparet cur auferri debeat probabilitas illius opinionis. Hanc cõcluſionem docet *Caſtropalaus p. cit. n.* 3.

9 Dicendum eſt Sextò, Si opinio illa ſingularis ſit contra communem per ſe loquendo † vel non debet probabilis cenſeri, vel ſaltem eſſe val de ſuſpecta de falſitate: ſic *Vaſquez cap.* 4. *cit. num.* 17. loquendo in caſu, quo quis agnoſcit eſſe contra propriam, & communem; idem ſẽtit *Sanchez in eodem caſu cap.* 9. *num.* 9. *in fine. Reginaldus in praxi lib.* 13. *nu.* 102. *Breſſerus l. c. num.* 30. *Iacobus Mancinus pract.* 1. *de opinione eligenda dub.* 1. & ratio eſt, quia leue cenſeri debet fundamentum, quando communis aliorum cõnſenſus eſt in contrarium. Dixi, per ſe loquendo, quia ſi contingeret, quod Doctor ille vnicus ſit magnæ authoritatis, & expendens argumenta contraria, quibus innititur communis ſententia, eas ſufficiẽter diluat, & rationem aliquam afferat nõn præuiſam ab alijs, in tali, inquam, caſu poſſet talis opinio ſingularis, vt probabilis admitti: ita *ex Vaſquez cap. illo* 4. *initio Ver. Sed antequam Azor to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 6. *Merolla tom.* 1. *d.* 3. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 78.

10 Dicendum eſt Septimò, Quæ dicta ſunt, locum † habẽt non ſolum, dum agitur de iure humano, verum etiam diuino: eſt contra *Adrianum, & Cordubam ſupra relatos*, ſed defenditur *à Sanchez num.* 7. *in fine Breſſerio nu.* 39. *Paſqualigo deciſ.* 3. *num.* 2. *& alijs.* Probatur, quia authoritas viri grauis, & probi eſt magni momenti, & materialiter ſe habet verſari circa vnum, aut aliud ius, dummodo ille ea, quæ ad tale ius pertinebant, ponderauerit; neq; obſtat ratio in contrarium, quia & ſi maiorem diligẽtiam adhibere debeamus, quando agitur de rebus ius diuinum, aut naturale concernentibus, quam cum ſolum agitur de iure humano, nihilominus vir pius, & doctus poterit requiſitam apponere diligentiam iuxta ipſarum rerum exigentiam. Adde, quod cum agitur de re magni momenti, vt ſolent eſſe v. g. res ad communitatem pertinentes; quæque in publicis colloquijs tractari conſueuerunt, vt eſſet impoſitio tributorum, donatiua facienda Regi, & ſimilia: tunc prudentia dictat, vt non vnius tantùm Doctoris opinionem ſequamur, ſed pluriũ

11 Dicendum eſt Octauò; † Ex facto, ſeu exẽplo vnius viri, quantùmuis docti, & pij non deducitur prudenter probabilitas; ita *Ioannes Sanchez num.* 71. *Caſtropalaus nu.* 6. *Paſqualigus deciſ.* 373. *Breſſerus num.* 33. Probatur, quia poterit vir ille doctus, & pius moueri, vel ex aliqua ratione indiuiduali, vel ex diſpẽſatione, vel ex errore, aut interdum ex paſſione; proinde eius exemplum abſolutè ſpectatum, vt ſic non videtur ſufficiens fundamentum, ex quo vniuerſaliter deducamus eſſe licitum etiam pro alijs.

12 Dicendum eſt Nonò; † Si plures viri docti & probi aliquam exerceant actionem, vt præſertim ſi ſint religioſi, quorum religio eſt in viridi obſeruantia, ex illorum facto, & exemplo probabilitas honeſtatis in illa actione, & opinione de eadem actione exercenda, prudenter infertur, ita Auctores citati, vt videtur etiam docere *Emmanuel Sà in Aphoriſmis ver. dub. num.* 3. Probatur, quia niſi aliud conſtet, vel aliqua circumſtantia contraria cõcurrat, ratione cuius prudenter iudicandum ſit, eſſe peculiarem rationem in illis, qui actionem illam exercent, probatur, inquam, quia, his limitationibus poſitis, cenſendum eſt tot viros graues moueri ex magno fundamento; atq; adeò vniuerſaliter pro omnibus videntur ipſo exemplo docere opinionem de honeſtate talis actionis eſſe aut veram, aut ſaltem probabilem.

CAPVT V.

An Probabilitas ſufficiens Idiotis, ſit ſatis etiam pro Doctis,

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio negat eamdem eſſe regulam pro Doctis, & Idiotis.*
2 *Alij indifferenter loquuntur.*
3 *Per ſe loquendo eamdem regulam non eſſe.*
4 *In aliquo caſu eadem erit ratio pro Doctis, & Idiotis.*

FVIT opinio *Henrici quodlib.* 4. *qu.* 33. *Cordubæ in ſuo quæſtion. lib.* 2. *quæſt.* 3. *in ſolut. ſecundæ confir. pro primo argum.* & citatur etiam pro eadem opinione *Conradus de contract. quæſ.* 100. *concl.* 2. quibus adhæret *Azor par.* 1. *inſt. moral. lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 5. fuit, inquam, horum

2 opinio, † quæ negat eamdem eſſe regulam pro rudibus, & pro doctis, peritiſq; circa ſententiarum probabilitatem; & ratio eſt, quia vir doctus debet argumenta, & fundamẽta, quibus innititur opinio, expendere; ſecus aũt rudis, & imperitus, ad quem tale munus non pertinet, cum eius excedat captũ: † ſed alj Auctores, vt *Granadus in p.* 2. *contr.* 2. *tract.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 7. *& Ouiedus ibid. tract.* 3. *contron.* 3. *p.* 1. *nu.* 6. indifferenter de vtroq; perſonarum genere loquuntur; eximunt enim virum doctũ à tali onere, ſi in contrarium ratio aliqua illi non ſe offerat. Verùm ſi punctum hoc rectè explicetur, nõ video poſſe difficultatem, & controuerſiam interuenire.

3 Dico

3 Dico igitur † per ſe loquendo non eſſe eamdem regulam ſeruandam pro imperitis, quod notauit *Sanchez lib. 1. in decal, cap. 9. num. 8.* & in hac concluſione conuenio cum Authoribus primò loco adductis, & puto, ni fallor, nō diſcrepare alios Authores ſecundò loco recenſitos. Declaratur, probaturque concluſio ſequenti diſcurſu: Dico igitur in re hac taliter eſſe procedendum, vt tam rudibus, quam peritis proportionatum imponamus onus, prout dictat recta ratio, & curemus quantum expedit Fideles ab omni onere ſupra vires liberare; quibus poſitis, aio improportionatum, & grauiſſimum videri onus obligare hominem idiotam, & imperitum ad examinandas rationes opinionum, quas à viro docto, & pio audiunt, & ſic bene animaduertit *Arriaga in p. 2. diſp. 24. ſec. 3.* ſufficere rudibus ad formandum prudens iudicium de probabilitate alicuius ſententiæ, vt à docto viro diſcant hoc, aut illud eſſe ſibi licitum; alioquin in Oppidis, vbi non moratur, niſi vnus Parochus, non poſſent idiotæ ibi habitantes conſcientiam deponere in ſuis ſcrupulis iuxta proprij Parochi directionem, ſed tenerentur huc, & illuc peregrinari viros doctos inquirentes, & ab illis conſilium petere; hoc tamen non videtur rectę rationi, & ſuauitati Diuinæ legis conſentaneum. Contra verò vir doctus, qui poteſt rationes per ſe ipſum examinare, non debet eſſe contentus de ſimplici illius Parochi dicto, ſed in rebus dubijs erit obligandus diligentiam maiorem adhibere, aut ſtudendo, aut argumenta hinc inde ventilando, veritatem inquirere; aliter ſi tali omiſſa diligentia dictum Parochi ſequatur, interdum poterit periculo errandi ſe exponere, quod periculum facilè vitare poterat rationes diſcutiēdo, ideoque licet in Ruſtico iudicium, quo Parochi ſui adhæret opinioni, exiſtimari debet prudens: nihilominus in viro docto imprudens cenſendum erit. † Dixi, per ſe loquendo, quia
4 ſi Parochus opinionem illam docens ſit vir doctus, & prudens, & affirmet illam ex profeſſo ponderaſſe, poterit alius vir etiam doctus fidem illi præſtare abſque alio examine; nam talis viri authoritas valde iuuat ad ſuadendam illius opinionis probabilitatem: & ſi obligationem ad examinandam opinionem imponeremus, vel ad alios viros peritos conſulendos, nihil authoritati talem docentis opinionem deferremus, quod non videtur conſentaneum, cum opinio illa non leue habeat fundamentum in doctrina hominis prudentis, & nō parum in ſcientijs verſati, neq; neceſſe eſt alios ſemper viros doctos conſulere, immò eſſet valde oneroſum ſemper plures viros recurrere in eligenda quacumque opinione.

†

CAPVT VI.

Quænam in concurſu Veterum, ac Recentiorum, ſeù Theologorum, & Canoniſtarum contraria ſentientium, ſit pręferenda opinio?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui cenſent Veterum ſententiam eſſe præponendam, ſi cætera ſint paria.*
2 *Limitatur.*
3 *Oppoſitum iudicant alij.*
4 *Abſolute neutra eſt admittenda.*
5 *Opinio Recentiorū erit præferenda quibuſdam poſitis conditionibus.*
6 *Secùs ſi prædictæ conditiones deſint, tunc antiquior erit præferenda.*
7 *Soluitur fundamentum, cui Paſqualigus innititur.*
8 *In rebus pertinentibus ad ius DiuinumTheologi Canoniſtis præferuntur.*
9 *Secus in rebus ius Pontificium concernentibus.*
10 *Opinio Theologorum in rebus, quæ ius naturale important, præfertur.*
11 *In iure gentium quatenus dicit ius naturale opinio Theologorum admittitur, in alia verò acceptione opinio Canoniſtarum.*

VTRAMQVE dubitationem proponit *Sylueſter verb. opinio nu. 2.* & *Azor p. 1. inſtit. moral. lib. 2 cap. 17. quæſt. 1.* & *3.* & quòad
1 primam docet † cęteris paribus anteponendā eſſe antiquuorum ſententiam, iuniorum, ſiuè recentiorum opinioni; addit tamen Azor minime eſſe nos compellendos lege certa, aut efficaci ratione ad illam ſemper anteferendam: hanc ſentētiam ſequuti ſunt alij, *vt Villalobos in ſum. p. 1. tract. 1. diff. 4. num. 4. Baldelli tom. 1. in ſua theol. moral. lib. 4. d. 11. cap. 11. num. 16.* & *quidam alij apud*
2 *Paſqualigum citandum;* † limitant tamen hāc ſententiam eo caſu, quo Recentiorum opinio confirmetur meliori, & efficaciori ratione.

3 † Contrariam ſententiam defendit *Paſqualigus tract. de opin. prob. deciſ. 364. num. 2.* & probat hoc quia probabilitas non habetur, niſi radicaliter à ratione, cui opinio innititur, & in tantum probabilis redditur auctoritate, in quantum eſt præſumptio auctoritatem eſſe fundatam in ratione; proinde poſito concurſu veterum, & recentiorum præſumendum recentiorum auctoritatem fundatam eſſe in meliori ratione, quoniam Recentiores ſciunt motiua Antiquorum, eaque ponderant, & notitia in dies augetur, quam nōn habuerunt antiquiores

inde

inde eſt vt plures veterum ſententię, quæ prius
erant probabiles, nunc cenſeātur improbabiles,
vel è conuerſo. ex his omnibus concludit Paſ-
qualigus authoritatem recentiorum; eorumque
præferendam eſſe opinionem.

Pro ſolutione aduertendum eſt in re hac non
4 poſſe † neque vnam, neque alteram ſententiam
abſolutè vt veram admitti, ſed diſtinctionem
eſſe adhibendam; nam Recentiores duplici
modo ſe habere poſſunt docentes contraria
eis, quæ à veteribus excogitata fuere. primò vt
expenſis illorum argumentis ſatis efficaciter ea
diluant, & noua ratione à priſcis non præuiſa
Authoribus contrariam cōfirment ſententiam,
quod poteſt multipliciter euenire, vel quia
extet nouum aliquod decretum Pontificium
oppoſitam determinans ſententiam, vel quia
illa antiquior opinio in conſuetudine aliqua
fundabatur, quæ temporis progreſſu contraria
cōſuetudine abrogata fuerit: plura affert *Azor*
exempla *cap. cit.* apud quem legi poſſunt. Se-
cundò poſſunt Recentiores contrariam opi-
nionem aſtruere non afferendo nouam ratio-
nem, aut valde efficacem in oppoſitum, ſed ſo-
lum probabiliter argumenta ſoluendo, & ra-
tiones, in quibus Veteres fundabantur. hac
præhabita diſtinctione ad deciſionem iam
procedo.

Dicendum igitur eſt primò. Si opinio Re-
5 centiorum † ſit antiquiori contraria, & Recen-
tiores ipſi in hac oppoſita ſententia ſe habue-
rint eo modo, quo primò loco dictum eſt, cen-
ſeo modernorum opinionem Veterum ſenten-
tiæ præferendam eſſe, ratio autem in promptu
eſt, quia tunc apparet ratio ſiuè ex lege aliqua,
ſeu nouo decreto, ſiuè aliunde exorta, quæ la-
tuit veteres; proinde cætera non ſunt paria, &
ratio dictat nouam ſententiam recipiendam eſ-
ſe antiquiori omiſſâ.

6 † Dicendum eſt ſecundò. Quando Recen-
tiores nouam non afferunt rationem in con-
trarium, neque euidenter argumenta, quibus
prior nitebatur opinio, ſoluunt, ſed ſolùm
contrarium docent, quia hoc ſibi placet, ſibique
videtur, tunc præponenda eſt veterum opinio.
probatur concluſio, quia ex vna parte contra
antiquiorem non adducitur ratio, aut ſaltem
non ita efficax, vt probabilitatem illius opinio-
nis eneruet; ex alia verò parte Veteres Docto-
res auctoritate, & ſæpè ſolent doctrina moder-
nos ſuperare; idcirco plus ponderare debet eo-
rum teſtimonium, quam illud recentiorum.

7 Ex his patet † reſponſio ad fundamentum,
quo Paſqualigus ductus fuit ad contrarium
aſſerendum, & primò non admitto ita libenter
quod ipſe docet de præſumptione, forſitan
præſumptio ſtat pro antiquis; ſed quidquid ſit
de hoc, firma manet ſecunda concluſio à me
poſita, quia procedit, quando nulla noua ratio à
modernis affertur, & quando argumenta vete-
rum ſolùm probabiliter ſoluuntur, tunc enim
non procedimus ex præſumptione, ſed ex veri-
tate comperta, & videtur concurrere ſola præ-
ciſa authoritas vt ſic, quæ longè maior eſt an-
tiquorum, quam recentiorum: & hæc de
priori dubio: de poſteriori autem neque poſ-
ſumus abſolute loqui, ſed diſtinctionibus ad-
hibitis.

8 Dicendum ideo eſt ſecundò. In ijs rebus, †
quæ pertinent ad ius diuinum ſiuè vetus, ſiuè
nouum præferendi ſunt Theologi Canoniſtis:
Sic *Syluester loc. cit. verſus finem*, tert idem
aſſerunt *Azor cap. cit. quæſt. 3. Rodriquez tom.
1. qq. regul. quæ. 11. art. 4. Barboſa de offic. Epiſ.
p. 2. alleg. 1. num. 38. & Baldelli*, vt ſupra, cum
dicunt in ijs, quæ ad legem Diuinam, & ad
conſcientiæ forum ſpectant Theologos eſſe an-
teponendos; & ratio eſt manifeſta, quia ius di-
uinum eſt propria materia Theologorum;
vnuſquiſque autem in propria facultate eſt fide
dignior quocumq; alio, qui facultatem illam
9 non profitetur. † Verum in rebus concernen-
tibus ius Pontificium Canoniſtarum opinio eſt
præferenda, quoniam ad eos pertinet tale ius;
immò ſæpè puri Theologi, qui ſolùm operam
ſpeculationi dederunt, earum in ſacris Cano-
nibus, & morali Theologia verſati ſunt, proin-
de illi non ſunt magnifaciendi contra Canoni-
ſtas: ſimiliter ſi agatur de foro externo, & quæ
ad ius ciuile ſpectant, Iuris ciuilis periti ſunt ve-
teris præferendi, vt prædicti notant Authores;
Menochius verò lib. 2. præſump. 71. num. 49.
exemplificat hoc in contractu matrimonij,
vſurarum, &c. in quibus vult eſſe magis de-
ferendum Canoniſtis, quam Theologis.

Dicendum eſt tertiò. Quando igitur de rebus,
10 quæ ſunt de iure naturali, Theologorum † opi-
nio eſt præferenda: Sic *Azor. p. 3. lib. 1. cap. 3.
quæſt. 4.* Probatur quia propriū Theologorum
munus cum ſit agere de fine vltimo ſupernatu-
rali, proprium etiam erit eis agere de medijs ad
hunc finem aſſequendum, vt ſunt actiones hu-
manæ lumini naturæ conſentaneæ, ſine quibus
poſſibilis non eſt vltimi finis conſecutio. Præ-
terea ſub iure naturali continentur tum prima
principia vniuerſaliſſima: *Quod tibi non vis
alteri ne facias*: Deum eſſe ſuper omnia dili-
gendum, & proximum ſicut te ipſum: vel con-
tinentur cōcluſiones ex his principijs deductæ,
vt ſunt præcepta Decalogi; hæc autem omnia
in Sacra Scriptura repetiuntur *Exod. 20. Matt.
19.* Theologorum autem munus eſt ſacras de-
clarare ſcripturas, & defendere; non autem eſt
munus Canoniſtarum, Iuriſtarum, qui humanas
actiones in ordine ad leges poſitiuas humanas
conſiderant.

11 Dicendum eſt quartò. † Si ius gentium acci-
piatur pro iure naturali magis fides præſtanda
Theologis erit, quam Canoniſtis. concluſio iſta
patet ex præcedente: Si verò quatenus dicit id,
quod voluntate humana eſt receptum, & leges
concernit humanas poſitiuas; potius Canoni-
ſtis, quam Theologis eſt credendum: ita *Azor
par. 3. lib. 1. cap. 4. quæſt. 8.*

CAPVT.

CAPVT VII.

Vtrum inter probabiles opiniones vna ſit altera tutior?

SVMMARIVM.

1 *Differt opinio probabilior à tutiori.*
2 *Pauci quidam tuentur dari non poſſe vnam opinionem alia tutiorem.*
3 *Oppoſita ſententia communis.*
4 *Recipitur ſecunda opinio.*
5 *Obijcitur in contrarium.*
6 *Eligendo minus tutā non ſemper ſumus certi de honeſtate morali obiectiua.*
7 *In electione tutioris opinionis phyſicè ſumus magis certi quam eligentes minus tutam.*

SVPPONIMVS tamquam compertum, & ab omnibus receptum non eſſe idem opinionem eſſe
1 probabiliorem, † tutiorem; nam probabilior dicitur ea, quæ efficaciori innititur rationi, vel à pluribus, quàm oppoſita defenditur; at tutior poterit eſſe minus probabilis, ſed dicitur talis, quatenus qui ipsā amplectitur declinat ab omni peccandi periculo; ita *Vaſquez p.2. diſp.62. cap.1. num. 1. Breſſerus de conſc. lib.3. cap.6. num.70.* & alij communiter, v. g. erit probabilior opinio, quæ aſſerit peccatum contra iuſtitiam purè diſtributiuam non obligare ad reſtitutionem, quia meliori formatur ratione, quam contraria ſententia, & quia eſt communior opinio; tutior tamen ſententia obligans ad reſarciendum damnum, quoniam ſi quis talem iuſtitiam violauit, & reſtituet, omne periculum peccandi formaliter, & materialiter vitabit; & ſic in alijs ſimilibus. Hoc autem poſito tamquam manifeſto inquirimus in hoc capite, vtrum inter opiniones probabiles, & tutas, vna tutior alijs inueniatur.

Prima opinio ea eſt, quam tuetur *Ioannes*
2 *Sanchez in ſelec. diſp.44. num. 66.* videlicet † vnam non eſſe alia tutiorem in ordine ad peccatum fugiendum; ſic etiam docet *Caſtropalaus tom. 1. tract. 1. diſp. 2. p. 2. in reſponſione ad primum*, hos autem ſequitur *Paſqualigus deciſ. 359. nu. 2.* & pro ea laudat *Henriquez in proœmio Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 14. & Azor tom. 1. lib. 2. c. 16. quæſt. 2.* Sed hi tres hoc locis citatis minime dicunt, cum tantum doceāt ſequendo opininionem minus tutam, non committi peccatum; immò cum inſtituunt quęſtionem, an liceat in foro conſcientię operari iuxta aliorum ſententiam minus tutam, & minus probabilem, contra propriam tutiorem, & quæ probabilior exiſtimatur, clarè ſupponunt dari vnam magis altera tutam, aliàs cōparatio eſſet de ſubiecto non ſupponente, vt aiunt Philoſophi, ſed Paſqualigus in hoc non fuit primus dum hos Authores pro ſua ſententia citauit, ſed Ioannes Sanchez, quem voluit Paſqualigus ſequi, ſed vterque fuit deceptus.

3 † Secunda ſententia eſt cōmunis apud alios, qui quæſtionem hanc nō inſtituunt ſub his terminis, an ſcilicet inter opiniones probabiles vna ſit altera tutior; nihilominus id apertè ſupponunt dum expreſsè docent hanc, vel illam opinionem eſſe altera tutiorem; explicitè verò ex his Authoribus proponit quæſtionem *Ouiedus p.2. tract.5. controuer. 3. p. 2. à num. 19.* & partem tuetur affirmatiuam *n. 20. ſequenti.*

4 † Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ eſt communis, & ab antiquis, & modernis Theologis recepta tamquam veriſſima. probatur autem ab Ouiedo ex eo, quod datur opinio, quæ deflectit à peccato, non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter accepta; ita ſi quis, vtraque poſita opinione vt probabili, nempè tum illa, quæ excuſat à reſtitutione; tum illa, quæ obligat; ſi quis, inquam, eligat hanc ſecundam, abſque dubio non ſolum vitabit peccatum formaliter, quod etiam vitaret, ſi priorem admitteret; verum etiam peccatum materiale, quatenus actio illa reſtituendi non ſolum non eſt moraliter mala ſecundum ſe, ſed laudabilis; non ita ſe habet omiſſio, ſeù negatio non reſtituendi, quia & ſi formaliter non cenſeri debeat peccatum, cum omittens reſtitutionem prudenter, vt ſupponimus, ſibi formet conſciētiam iudicando liberum ſe eſſe ab obligatione reſtituendi; nihilominus negari non poteſt omiſſionem hanc ſecundum ſe, ſeù materialiter poſſe eſſe rectæ rationi diſſentaneam, quatenus contingere poſſet, vt coram Deo omnia cognoſcente veram eſſem alteram opinionem, quæ obligat; & falſam, quæ excuſat, licet veritas iſta nos lateat. & iuxta captum noſtrum vtraque iudicetur probabilis. Hæc ratio quamuis ſit vera, mihi tamen videtur non vrgere omnino aduerſarios; nam ipſi non conſiderāt niſi malitiam formalem, non curando de materiali, vt expreſſe loquitur *Ioannes Sanchez*, qui fuit primus, quantum ipſe legere potui, qui ſub his expreſſis terminis quæſtionem hanc inſtituit: quapropter inuenienda eſt ratio, quæ probet tutiorem eſſe vnam, quam ſit alia opinio, etiam loquendo in ordine ad malitiam formalem, ſeù ad peccatū formaliter acceptū: ſi autem talis daretur ratio, bene impugnaremus Aduerſarios: eam verò dari exiſtimo; idcirco illam iuxta formam argumentandi ſic propono: Inter probabiles opiniones dari poteſt vna, quæ magis altera à peccato formaliter accepto recedat, ergo vna poterit eſſe altera tutior patet conſequentia, quia ſicuti receſſus à peccando nos tutos reddit in conſcientiæ foro, ita maior receſſus magis tutos, & per conſequens opinio illa, quæ magis nos facit recedere erit tutior: tota difficultas eſt in antecedente, quod negare Aduerſarij debent, & de facto illud negat *Ioannes Sanchez*; nam illud admittens in rebus phyſicis, in quibus quò magis à periculo diſtamus, eò magis tuti ſumus, hoc

non

non conceditin rebus moralibus, probo itaq; antecedens. Illa opinio magis à peccato formaliter ſumpto recedit, quæ inuoluit perfectam, & infallibilem certitudinem de excluſione malitiæ moralis, quàm quæ imperfectam, & non omnino infallibilem certitudinem inuoluit. Sed dantur opiniones, quæ in certitudine ita ſe habent. Ergo datur vna, quæ magis altera recedat, &c. maior, & pariter conſequentia videtur per ſe nota; tuti enim redduntur operantes ſecundum certitudinem non peccandi, & ideo tutiores ſi cum maiori certitudine. minor autem, in qua eſt cardo difficultatis probatur, inſiſtendo in allato exemplo de reſtitutione, & ſic vrgeo: Actio reſtituendi non ſolum moralem, verum etiam phyſicam, & infallibilem certitudinem habet de excluſione malitiæ: at omiſſio reſtituendi ſolam moralem certitudinem, quæ reſpectu phyſicæ certitudinis eſt imperfecta, nam illa omnimodam inuoluit infallibilitatem, & ideo Theologi in Dei ſcientia non admittunt moralem, ſed ſolùm phyſicam, & metaphyſicam agnoſcunt certitudinem. igitur opinio, ſecundum quam aliquis operatur reſtituendo, reddit hominem phyſicè certum de nõ peccando; & opinio, quæ admittit omiſſionem reſtitutionis, reddit hominem ſolùm moraliter certum de nõ peccando, maneat igitur ex dictis veram eſſe cõmunem opinionem, ſcilicet inter opiniones probabiles vnam eſſe altera tutiorem.

5 † Sed poſſet quis contra in hunc modum vrgere: Quamuis operans iuxta opinionem, quæ eximit violantem iuſtitiam diſtributiuam ab obligatione reſtituendi, habeat moralem ſolùm certitudinem de tali exẽptione, nihilominus erit phyſicè certus, quod operans iuxta talem certitudinem moralem non peccet, ac proinde manebit in conſcientia tutus, ſicut & ille, qui operatur iuxta aliam opinionem, videlicet iuxta illam, quæ ad reſtitutionem obligat; atq; adeò licet ex parte obiectorum ſit inæqualitas certitudinis, cum vna ſit moralis, altera vero phyſica; ex parte tamen honeſtatis, ſeu negationis peccati erit æqualis certitudo, & ſic non dabitur vna opinio altera tutior quoad peccatum formaliter ſumptum, quàtum ad hoc, quod eſt non peccare.

Reſpondeo primò, eſto quòd ex morali certitudine circa obiecti honeſtatem, certitudo

6 phyſica inferatur de nõ peccando; † nihilominus non ſumus ſaltem ſemper omnino certi de tali morali certitudine circa honeſtatem obiecti; nam ſæpè ſæpius homines vel ex ignorantia, vel ex inaduertentia, ſiuè inſufficientia examinis, vel ex affectibus deordinatis intellectum obſcurantibus, illumque à rationum experimento impedientibus, ac retardantibus, decipi ſolent, putantes moralem eſſe certitudinem, cũ re verà non ſit, ideoq; non ſunt metaphyſicè certi de re hac, nempe verè eſſe moralem certitudinem de honeſtate obiecti, quę quidem cõditiones non concurrunt quando eſt metaphyſica, ſeu phyſica euidentia, & per conſequens manebit verum dari vna opinionem altera tutiorem.

Reſpondeo ſecundò, etiam ſi ponamus in aliquo certitudinem moralem de honeſtate obiecti, & quod ab ipſo talis certitudo cognoſcatur, atq; inferatur ex illa in operando peccati nega-
7 tio; † nihilominus aio illationem hanc non procedere cum certitudine, quoad ſpecificam perfectionem, æquali, ſicuti procedit illatio ex phyſica certitudine, & euidentia de honeſtate obiecti. Ducor ad hoc, quia quod operari ſecundum moralem certitudinem honeſtatis prædictæ non ſit peccatum, non eſt à nobis per euidentiam naturalem cognitum, ſed ſolum creditum ex communi Doctorum cõſenſu; quæ quidem credulitas non inuoluit euidentiam phyſicam, ſed ſolum moralem: ſicuti nemo eſt, qui exiſtimet ſe eſſe ità certum inueniri Conſtantinopolim, quam numquam vidit, ex eo, quod omnes illam eſſe affirment, ſicut eſt ipſemet certus ſolem illuminare, quia illum videt in proprio Emiſphærio. Igitur tamquam ſtabilium, & conſtans omninò maneat, illationem de nõ peccando, quæ ex certitudine morali de honeſtate obiecti prouenit, non eſſe ita perfectè certam; ſicuti eſt illatio, quæ ex phyſica euidentia de eadem honeſtate procedit. Et ex his rectè concludimus dari de facto vnam opinionẽ altera tutiorem, vt communiter aſſerunt Doctores, & hoc non ſolùm circa peccatum materialiter; ſed etiam formaliter ſumptum.

CAPVT VIII.

An dari poſſit Opinio ſpeculatiuè, & non practicè probabilis.

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio affirmans refertur,*
2 *Negat ſecunda.*
3 *Recipitur prior ſententia.*
4 *Confirmatur exemplis.*
5 *Reſponſio aduerſariorum.*
6 *Impugnantur primò.*
7 *Impugnantur ſecundò.*
8 *Reſpondent ad exempla circa iuſtitiam, & caſtitatem.*
9 *Refelluntur.*
10 *Obijcitur fallacia contra modum argumentandi Auctoris.*
11 *Oſtenditur nullam eſſe fallaciam in illo.*
12 *Proponitur aliud argumentum contra ſententiam Auctoris.*
13 *Aperitur æquiuocatio, quæ in tali argumento reperitur.*
14 *Satisfit fundamento principali ſecundæ ſententiæ.*

PRI-

1 PRIMA ſententia, quæ eſt valde communis † partem affirmatiuam tuetur; inter alios eam docet *Gerſon part. 2. tit. 1. de regu. mor. Henriquez in ſumma lib. 12. cap. 7. §. 6. Suarez lib. 5. de leg. cap. 18. num. 20. & in 3. p. ſect. 5. num. 58. 60. Granado ibidem tract. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 32. Thomas Sanchez in decal. lib. 1. ca. 9. num. 3. lib. 7. de matrim. diſp. 32. num. 17. Breſſerus de conſc. lib. 3. cap. 2. num. 82. & ſequen. Merolla in theol. mor. tom. 1. diſput. 3. cap. 1. dub. 2. num. 22. & cap. 4. dub. 1. num. 11. Andreas Lanfran. in opus. de opin. elect. nu. 3. Martinez in p. 2. quaeſt. 19. artic. 6. dub 6 in 4. not. & alij.*

2 † Secunda ſententia negatiua defenditur à *Ioanne Sanchez in ſelec. diſp. 44. num. 65. & diſp. 14. num. 11.* quam opinionem ſequutus eſt *Zacharias Paſqualigus deciſ. 362.* & vt veriſimiliorem amplexus eſt *Franciſc. De Lugo p. 1. decur. præu. c. 3. quaeſt. 4. n. 42.* Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia ex ſpeculatiua probabilitate, tamquam à cauſſa, connaturaliter oritur probabilitas practica; idcirco vera eſt iſta cauſalis, ideo conſcientia practica hic, & nunc dictat hoc eſſe faciendum, vel non faciendum, quia opinio probabilis ſpeculatiua docet eſſe licitum, vel illicitum; cum igitur ſpeculatiua probabilitas tamquam obiectum ſuum praxim reſpiciat; imperceptibile videtur dari poſſe opinionē, quæ ſpeculatiuè ſit probabilis, non autē practicè.

3 Dicendum tamen eſt † cum prima ſententia, quam vt certam apud reliquos Authores tueor, eamq; ratione fundamentali, & efficaci ſic probo: Poteſt noſter intellectus ferri in aliquod obiectum ſecundū ſe ſpectatū præſcindendo ab extrinſecis circumſtāijs, illudq; vt ſic probabiliter iudicare eſſe rationi conſentaneū, ſed vt terminans praxim ob aliquam circumſtantiam, quæ ſemper, aut ferè ſemper comitatur praxim *ipsā*, iudicare eſſe rationi diſſentaneum; igitur dari poteſt opinio, quæ ſpeculatiuè, non autem practicè probabilis ſit; antecedens autem, licèt certum videatur, & ab Henriquez ponatur, ſuadetur tamen ratione deſumpta ex Philoſophia, ſecundum quam nullam inueniemus repugnantiam, quin intellectus poſſit conſiderare eſſentialia rei, nihil apprehendendo de accidentibus extrinſecis, quibus res illa affici poteſt. V. G. poteſt intellectus conſiderare naturam corporis non attendendo eius vbicationem, & primas qualitates, quibus ipſum corpus ab extrinſeco agente afficitur: hæc autem, & ſimilia cum ſint extrinſeca, nullam habent connexionem cum eſſentialibus rei, ſaltem in eſſe obiectiuo. Hoc ipſum euenit in moralibus, in quibus poterit intellectus ferri in obiectum ſpectatum ſecundum eius intrinſecas rationes, quæ eſſe poſſunt fundamentum moralis bonitatis, præſcindendo ab extrinſecis circumſtantijs, quæ fundant malitiam moralem: & hæc pro confirmatione illius antecedentis, conſequentia verò directè continens reſponſionem ad quæſitum facilè oſtenditur; nam intellectus quatenus tendit in obiectum ſecundum eius intrinſecas rationes fundantes probabiliter bonitatem moralem, iudicium habebit ſpeculatiuum, quia nihil circa praxim determinat; & erit tale iudicium probabile, quia eius obiectum tale eſt: quatenus verò tendit in praxim, iudicium erit practicum, & intellectus per tale iudicium oppoſitum opinabitur, ſcilicet improbabile eſſe in tali obiecto his circumſtantijs affecto, à quibus numquam, vel ferè numquam ſeparatur, inueniri bonitatem, ſeu moralem honeſtatem obiectiuam, & ſic illa opinio ſpeculatiuè erit probabilis, practicè verò improbabilis.

Et hoc confirmari poterit † innumeris
4 exemplis, & præſertim in formis, & materijs Sacramentorum. V. G. Probabilis eſt opinio, quæ aſſerit Baptiſmum validè ſub hac forma conferri, videlicet, In Nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, ſeu Procedentis ab vtroque; & hoc quia videtur eſſe eiuſdem, aut æquiualentis ſignificationis cum illa, quæ communiter vſurpatur; nempe, In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Præterea probabile, immò probabilius eſt eſſentiam formæ Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtere in illis duobus verbis (Abſoluo te,) & non eſſe de eſſentia illud aliud verbum (à peccatis, &c.) Rurſus in Sacramento Confirmationis probabile eſt Oleum Benedictum ab Epiſcopo ſine mixtione balſami eſſe ſufficientem materiam; Et in Sacramento Ordinis ſatis eſſe contactum moralem inſtrumenti, quod Epiſcopus porrigit tangendum ab eo, qui promouetur; attamen practicè hæ opiniones non ſunt admittendæ ob irritationis periculum.

In rebus verò ad iuſtitiam pertinentibus hoc idem habetur; ſit probabile rem ab alio poſſeſſam eſſe meam; ex iſta opinione ſpeculatiua non poſſum practicam deducere, iudicando licitè à me poſſeſſorem ſpoliari poſſe, quia poſſeſſio non euincitur per ſolam probabilitatem ex parte facti; ſed requiritur certitudo ſaltem moralis excludens omnem dubitatem, & probabilitatem contrariam, vt in tractatu de iuſtitia fuſiùs oſtenditur. Vlteriùs poterit venator probabiliter iudicare animal, quod à longè videt, eſſe feram aliquam, & non hominem: nequit tamen opinari probabile eſſe, poſſe in illud animal ſagittam emittere ad illud occidendum; quia exponeretur euidenti periculo occidendi hominem: ſimiliter aliquod medicamentum exiſtimari poterit profuturum ægroto; at medicus practicè non poterit vi talis probabilitatis applicare medicamentum illud relicto certo. Demum in materia caſtitatis aliqui tactus, & aſpectus inter ſolutos poterunt exiſtimari non eſſe peccata mortalia, in praxi tamen ob magnum periculum, quo exercentur, cenſeri debent mortalia; nam dum obiectiuè tactus illi ſunt in intellectu poſſunt

repræſentari abſque circumſtantia illa periculi: atque adeo abſque vlla morali malitia; talis autem præciſio nequit eſſe à parte rei: idcirco non eſt probabile, practicè eſſe licitos, & ſic diſcurrendo per multa alia inueniemus nonnulla eſſe ſpeculatiuè, non autem practicè probabilia.

In his autem exemplis pro noſtra ſententia adductis reperiemus in obiecto præcisè ſpectato non inueniri aliquod, quod ſit rationi diſſentaneum, at in praxi cum annectatur aliqua extrinſeca circumſtantia reddens obiectum illud rationi diſforme, conſequens eſt, vt dicamus obiectum illud ſolum ſpeculatiuè, & non practicè eſſe probabile. Diſcurrentes per omnia prædicta exemplorum genera inueniemus in obiectis ſpeculatiuæ cognitionis rationem aliquam, per quam mouemur ad iudicandum ſufficientes eſſe formas illas ad validitatem Sacramenti, & talem rationem eſſe ſignificationem verborum, quæ eadem, vel æquiualens inuenitur in formis, quæ communiter recipiuntur; ideoque probabiliter iudicamus illas alias formas eſſe ſufficientes: in hoc autem iudicio præſcindimus a circumſtantijs extrinſecis, ſolumque conſideramus ſignificationem vtriuſq; formę; at cum veritas ſit vna, & nulla detur præciſio in re, poterit contingere, vt à Chriſto Domino determinata fuerit forma illa, quæ eſt communis, & non altera, ac proinde ſi ita eſt, irritum erit Sacramentum: circumſtantia autem iſta, quæ practicè habetur, oritur ex eo, quod praxis nequeat eſſe indifferens, ſed neceſſe eſt, vt ſit determinata, quam determinationem non oportet eſſe in ſpeculatione, in qua eſt indifferentia, & indeterminatio ad plura. Hæc eadem doctrina applicanda eſt materijs Sacramentorum; nam in ſpeculatione vna materia agnoſcitur æquiualens alteri; ideo non debet mirum eſſe ſi probabiliter iudicamus vtramque eſſe ſufficientem; at in praxi poterit vna tantum materia eſſe ſufficiens, & non altera; nimirum illa, quæ in Eccleſia exiſtimatur, vt certa, quia potuit ita de facto eſſe à Chriſto Domino inſtituta.

In exemplis autem pertinentibus ad virtutem iuſtitiæ, obiectum, quod ſpeculatiuam terminat probabilitatem, eſt res illa, quæ ab alio poſſidetur, quatenus ſtat ſub illis coniecturis indicantibus probabiliter rem eſſe meam; at circumſtantia illa poſſeſſionis, per quam Doctores rationabiliter determinant poſſeſſorem non eſſe ſpoliandum, vi ſolius probabilitatis, reddit opinionem illam ſpeculatiuam, in praxi improbabilem, non enim eſt rectæ rationi congruum, vt poſſidens priuetur re poſſeſſa ſine certitudine ſaltem morali, quod res illa non ſit ſua. Et idem aſſero de obiecto venatoris, nam licet coniecturæ illæ, per quas probabile exiſtimamus animal, quod videtur diſtans eſſe feram, quia tamen ſub his circumſtantijs poterit & fera, & homo inueniri, & in praxi alterutrum ſit determinatum, ideo eſt periculum homicidij, & ſic iuſtitia expoſtulat, vt iudicium illud ſpeculatiuum, per quod iudicamus probabiliter illud obiectum eſſe feram, nõ poſſit reduci ad praxim: idem etiam dicimus de medicamento probabili; nam in re poterit contingere eſſe nociuum ægroto, & ideo non eſt probabile à medico poſſe licitè omitti medicamentum certum. Denique in materia caſtitatis obiectum, quod dicimus eſſe tactus, & aſpectus illos, ſi conſideretur ſecundum ſe, poterit probabiliter exiſtimari non eſſe mortale peccatum, ſed quia in re eſt periculũ lapſus, ideo opinio illa ſpeculatiua non eſt admittẽda.

5 Cæterũ † reſpondent Aduerſarij, & ad exẽpla de formis, & materijs Sacramentorũ dicũt, licet ſit probabile ſufficientem eſſe illarum formarũ, & materiarũ vſum, quia tamẽ Eccleſia pręcipit, vt nos formis, materijſq; cõſuetis vtamur, idcirco non eſt probabile licitum eſſe vſum aliarum formarum, &c. quamuis ex parte ſignificationis idem importetur in ipſis formis.

6 Contra eſt primò, † quia decretũ Eccleſiæ nõ poteſt tollere ſpeculatiuam illam probabilitatem, non enim poteſt tollere, quin in his formis eadem ſit æquiualẽs ſignificatio, & quin in materijs illis ſit ſufficiens congruentia ad hoc, vt à Chriſto Domino potuerint aſſumi tamquã ſufficientes ad Sacramenti validitatem: hoc autem nobis ſatis eſt ad aſſerendum, eſſe ſpeculatiuè ſufficientem earum vſum.

7 Contra eſt ſecundò. † Non ideo Eccleſia prohibet harum formarum, & materiarũ vſum, quia ſpeculatiuè non ſit id probabile, ſed quia practicè, ob rationem allatam, nõ eſt probabile tales formas, & materias vſurpari poſſe.

8 Ad alia † exempla de iuſtitia, & caſtitate pro nobis adducta, reſpondent ijdem Aduerſarij; ſi præciſis omnibus ex praxi reſultent incõmoda, opinio ceſſabit eſſe ſpeculatiuè probabilis; & ideo quia inconueniẽs videtur ſpoliari poſſeſſorem ob ſolam illam probabilitatem, neq; id erit probabile ſpeculatiuè. Similiter cũ adſit periculũ interficiendi hominẽ, ſi à Venatore vi illius probabilitatis emittatur ſagitta, & à Medico medicamentum ſolum probabile applicetur, omiſſo certo, et periculum ſit lapſus inter ſolutos, ſi exerceantur tactus illi; idcirco nullum ex his erit ſpeculatiuè probabile.

9 Cõtra eſt, † quia ſpeculatiua probabilitas, de qua agimus, nõ verſatur circa praxim, ſed tantũ circa obiectũ ſecundũ ſe ſpectatũ; ideoq; incõuenientia, quę ex praxi ſequuntur, nequeũt tollere ſpeculatiuam illam probabilitatem, quę fundatur in præciſa obiecti natura, præſcindẽdo à circumſtantijs, quæ in ſola praxi inueniuntur.

10 Dices † primò in prædicto modo argumentandi eſſe fallaciam, quia fit tranſitus de vno in aliud obiectũ; nã obiectũ ſpeculatiuę probabilitatis eſt res ſecũdũ ſe ſpectata, abſtrahendo à circũſtantijs; obiectũ verò praxis ſupra rem illã addit quaſdã circũſtantias, quę etiam ſunt pars obiecti, & ſic erit diuerſum obiectum. V. G. obiectum, in quod fertur intellectus iudicando formam illam baptiſmi in nomine Genitoris, &c. eſſe probabiliter ſufficientem, eſt præ-

ciſa ſignificatio, quæ in his verbis reperitur; at in praxi non ſumitur tamquam obiectum præciſa iſta ſignificatio; ſed etiam includitur inſtitutio Chriſti Domini, & ſic erit aliud obiectum, & differt à primo, tamquam includens ab incluſo. Igitur non erit mirum, ſi opinio de priori illo obiecto ſit probabilis; nō autem illa de poſteriori obiecto. probandum ergo eſt, quod de eodem obiecto poſſit inueniri opinio ſpeculatiuè probabilis, non autem practicè.

11 Reſpondeo, † negando fieri tranſitum illum; ideoque dicimus obiectum eſſe idem, nempè ſignificationem in verbis illius formæ, quæ cum probabiliter ſit eadem, vel æquiualens cum ſignificatione formę ordinariæ, probabiliter aſſerimus etiam in inſtitutione à Chriſto Domino facta incluſam fuiſſe; circumſtantia autem, quæ facit in hac re improbabilitatem practicam, neque eſt totum, neque pars obiecti, ſed eſt quid neceſſariò conſequens illius praxis naturam, de cuius ratione eſt ferri in vnam partem determinatam, & in caſu noſtro ferri in talem determinatam ſignificationem, quæ ſi fortè non ſit incluſa in inſtitutione à Chriſto Domino facta, irritum erit Sacramentum: improbabilitas verò iſta practica non deſtruit probabilitatem illam ſpeculatiuam, cum non opponatur illi; nam in ſpeculatione ſtat indifferentia, & indeterminatio, quia probabile eſt vnam, eamdemque eſſe vtriuſq; formæ ſignificationem, vel vnam alteri æquiualentem, & ideo probabile eſt vtramque fuiſſe in inſtitutione à Chriſto intentam, cum quo tamen ſtat, vt de facto vnam, & non vtramque fuiſſe à Chriſto volitam: quemadmodum determinatio, quæ eſt in actione ad vnum effectum ex contrarijs, ſtat cum indeterminatione cauſſę in actu primò ad vtrumque effectum: ſpeculatiua autem probabilitas ſe habet veluti cauſſa, ſeu actus primus indifferens, praxis verò eſt veluti actio; ideoq; ſemper erit ſub vna determinata ſignificatione verborum, quæ ſola potuit eſſe à Chriſto Domino intenta: ſicuti idem eſſe poterit effectus, quem cauſſa in actu primo indeterminatè reſpicit cum effectu, in quem determinatè tendit actio V. G. Sol in actu primo reſpicit vt effectum, & frigus, & calorem; at in actu ſecundo per actionem ad vnum ex illis ferri debet, & ex hoc non ſequitur, quod calor, quem vt obiectum reſpicit ſol, ſit diuerſus à calore, quem reſpicit mediante actione, in actu ſecundo; nam illa determinatio eſt quid imbibitum actionem ipſam concomitans, & non ſe tenet ex parte obiecti, quod à ſole reſpicitur.

12 Dices ſecundò. Si practicè non eſt probabile aſſumi à nobis poſſe formam illam extraordinariam; neque erit ſpeculatiuè probabile, & ſic de reliquis exemplis eſt dicendum. ergo numquam eſt aſſignanda opinio, quæ ſit ſpeculatiuè probabilis, & circa idem obiectum non ſit etiam practicè probabilis.

13 Pro ſolutione aduertenda eſt ęquiuocatio, † quę in prędicto, aut ſimili modo argumentandi inuoluitur: Confunditur enim vna probabilitas, ſeu opinio ſpeculatiua cum alia, de qua nos loquuti ſumus, aſſerentes dari poſſe, abſq; eo quod circa idem obiectum detur ſimilis practica; noſtra autem eſt longè diuerſa ab ea, quę ponitur in argumento, illa enim comparatur ad praxim tamquam cauſſa remota, & eſt res ipſa ſecundum ſe, pręſcindendo à praxi. V. G. eſt forma illa baptiſmi in nomine Genitoris &c. ſecundum ſuam ſignificationem; at probabilitas de qua loquitur arguens eſt aliquo modo practica, quamuis imperfectè; nam eius obiectum eſt praxis, nempe forma prędicta, vt aſſumitur ad conficiendum Sacramentum: & ideo à multis iudicium, talem habens probabilitatem non appellatur ſpeculatiuum, ſed practicum imperfectè, quatenus, vt aiunt, non eſt practicè practicum; & diſcrimen, quod inter vtrumq; ponunt, eſt, quia illud verſatur circa praxim in communi, illud verò circa praxim in particulari hic, & nunc exercendam, vel non exercendam. Hoc duplex iudicium imperfectè, & perfectè practicum ponitur à *Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 9. dub. 2. num. 22.* hac poſita diſtinctione facilis eſt ſolutio ad inſtantiam, & reſpondens directè, & in forma, dico ſi practicè non eſt probabile, à nobis aſſumi poſſe formam illam extraordinariam; neque erit ſpeculatiuè probabile: diſtinguo, probabilitate, cuius obiectum eſt praxis, concedo: cuius obiectum eſt ſola forma ſecundum ſuam ſignificationem, vt ſic pręſcindendo à praxi, cuius eſt cauſſa remota, nego antecedens; & conſequentiam, quatenus procedit ab antecedente in ſenſu negato.

14 Ad fundamentum † ſecundę ſententię principalis, quam impugnamus reſpondeo cum diſtinctione in hunc modum; ex ſpeculatiua probabilitate tamquam à cauſſa proxima, & completa, nego antecedens; quia ad eius complementum requiritur, vt in praxi non adiungatur circumſtantia aliqua reddens improbabilem practicè opinionem illam: Negatio igitur talis circumſtantiæ complet ſpeculatiuam probabilitatem, vt ex illa ſequatur probabilitas practica, quæ poterit appellari obiectum, ſeu effectus probabilitatis ſpeculatiuæ completæ; proinde deceptus eſt Ioannes Sanchez, & qui eum ſequuntur, quando dicunt, eſſe improbabile dari poſſe opinionem probabilem ſpeculatiuè, non autem practicè, ſi de illa probabili ſpeculatiua remota loquuntur.

CAPVT IX.

Vtrum ſtante æquali probabilitate inter duas cōtrarias opiniones, licitum nobis ſit alterutram eligere?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur prior ſententia negatiua.*
2 *Septem argumenta pro hac ſententia à num. 2. vſq; ad 9.*
9 *Secunda ſententia oppoſita affirmat.*
10 *Recipitur poſterior hæc ſententia.*
11 *Probabilitas opinionis ex conſortio probabilioris non deperditur.*
12 *Manente bonitate obiectiua poteſt appetitus allici, etiam præſente maiori bono.*
13 *Aliud eſt iudicium quod fertur in honeſtatem obiecti ſecundum ſe, aliud verò in probabilitatem honeſtatis.*
14 *Reſpondetur ad argumenta oppoſita à nu. 14. vſq; ad 20. incluſiuè.*

1 PRIMA ſententia negat † id licitum eſſe: ita *Syluester v. dubium quæſ. 1. Angelus v. Opinio num. 2. Palud. in 4. diſt. 21. quæſt. 2. articulo 3. concl. 1. Corduba in quæſt. lib. 2. quæſt. 3. prop. 3. Comitolus in reſponſ. moral. lib. 5. quæſt. 17. num. 4.* & nouiſſimè hanc ſententiam fusè tuetur *Candidus Philalethus in libello de opinionum praxi quæſt. 6.* & citat *Toletum tract. de ſeptem peccat. mort. cap. 20.* Sed non rectè; nam Toletus ibi ſolùm, & per tranſennam paucis verbis agit de dubio, & nihil de controuerſia iſta; Rationes pro hac ſenten-
2 tia ſunt plures, quas ipſe Philalethus affert, † & primò ſic. Stante illa æqualitate probabilitatis intellectus manet dubius de veritate rei, nullumq; fundamentum habet deponendi tale dubium; igitur non erit licitum alterutram ex illis opinionibus eligere.

3 † Secundò. Vtraque manente opinione cum æquali probabilitate, nequit intellectus iudicare, an opinio, quam voluntas proponit eligere, ſit vera potiùs, quàm falſa; cum ſolùm opinari poterit vtramque ſcilicet eſſe probabiliter veram, & probabiliter falſam; ad operādum autem licitè requiritur iudicium de veritate, & non ſufficit iudicium de apparentia veritatis: ergo non erit licitum, talem ſequi opinionem.

4 Tertiò. Quamuis vtraque ſententia ſit probabilis; probabile tamen non eſt vtramque eſſe veram: at cum nemo adhærere poſſit opinioni, quam non exiſtimat veram, nemo igitur poterit vtramque opinionem licitè ſequi.

5 Quartò. Ad hoc vt in caſu poſito quis honeſtè operetur, debet ſibi formare iudicium practicum probabile, quod licitum ſit ita operari: at nullum eſt fundamentum, ex quo tale formetur iudicium. ergo in caſu poſito non poterit homo honeſtè operari. Maior eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Minorem verò ſic probo: Si haberetur fundamentum eliciendi iudicium illud practicum, maximè eſſet probabilitas opinionis; nullum enim aliud eſt aſſignabile; ſed hæc non ſufficit. ergo nullum eſt fundamentum, ex quo iudicium illud formetur; minor verò, in qua eſt difficultas, ſuadetur, quia probabilitas vnius cum æqualitate probabilitatis alterius detinet intellectum ſuſpenſum; idcircò prohibet, quin formetur iudicium illud practicum; ergo non erit ſufficiens, &c.

Et ſi dicas non requiri aliam rationem ad deponendum dubium, niſi hanc, videlicet, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem. Contra, quia hoc eſt petere principium; controuertitur enim, an ſit licitum nec ne? quando eſt concurſus duarum æqualium, ſequi quamlibet ex illis opinionibus, quæ concurrunt.

6 Quintò, ex noſtra doctrina ſequeretur licitè à nobis admitti poſſe, & bonum, & malum morale, ſi dubitantibus, an res ſit honeſta nec ne, permiſſum fuiſſet vtrumque amplecti, hoc autem eſt abſurdum. ergo, &c.

7 Sextò. Quando dubium verſatur circa vnum ex duobus, nequit tale dubium deponi, aſſerendo aliquod commune vtrique parti. v. g. ſi quis dubitet, an ille homo ſit Petrus, vel Paulus, tale dubium non tollitur aſſerendo eſſe hominem, quia ratio hominis, cum æquè conueniat vtrique, non aſſignatur aliquod proprium, & diſtinctum, potius vni, quàm alteri conueniens, per quod auferatur dubitatio. igitur à pari, quando eſt dubium, an aliquod opus ſit licitum, vel illicitum, non deponitur dubium, aſſerendo vtrumque eſſe probabile, nam ratio probabilitatis eſt vtrique parti communis.

8 Septimò. Cum duæ oppoſitæ opiniones ſunt æqualiter probabiles, earum probabilitas eſt ſolùm ſecundum quid, & ideò inſufficiens ad honeſtè operandum. Ergo nequimus alterutram eligere. Antecedens probatur: Illa probabilitas ſecundum quid non eſt de re ipſa, adeoquè non poteſt ex illa formari prudens iudicium de honeſtate electionis. Requiritur ergo probabilitas ſimpliciter dicta, quæ eſt de honeſtate operis ſecundum ſe, quæ, ſtante opinionum æqualitate, nequit haberi, cum dubium de vtraque parte maneat. Et hæc dici poſſent pro hac prima ſententia.

9 Secunda verò eſt oppoſita; † affirmat enim ſtante æquali opinione probabili, licitum nobis eſſe, quam maluerimus ſequi; Sic *Sotus lib. 3.*

lib. 3. de iuſtit. quæſtione 6. artic. 5. ad quartum in fine. Medina in p. 2. quæſt. 19. artic. 6. Ver. Et alia quæſtio. concl. 2. Martinez ibidem dub. 6. concl. 1. Lezana in q. regul. par. 4. V. opinio num. 6. Paſqualigus deciſ. 14. ex moria. num. 2. & alij, quos ipſe laudat.

10 Dicendum eſt primò † cum hac ſecunda ſententia, quam longè probabiliorem contrariam prorſus exiſtimo, eamq; ſic probo: Aequalitas probabilitatis, quæ in vtraq; opinione innititur, non tollit, quin vtraq; ſententia ſit rectæ rationi conformis: ergo quælibet licitè à nobis eligi poteſt: Euidens eſt conſequentia, quia ex ſuppoſitione conformitatis cum ratione, certum eſt electionem illã eſſe licitã; aliter daretur aliq; rationi conforme, & nõ conforme, cõforme, vt ſupponitur in antecedente, nõ conforme, quia illud eligere eſſet peccatum: probatur autem antecedens, nam ſicut opinio ſeorſim ab alijs poterit eſſe practicè probabilis, etiã aduerſarijs fatentibus; ita etiam coniuncta, &

11 nequit explicari, † quare conſortium cum altera ſententia æquè probabili tollat probabilitatem practicam ab vtraq; & ſicut duæ res æqualem includentes bonitatem, quando ſimul concurrunt, bonitatem non amittunt, & per conſequens vim retinent mouendi appetitum ad ſui amorem, electionemq; &c. ita, quando duæ opiniones etiam æquales in probabilitate concurrunt, poterunt mouere intellectum ad aſſenſum, & voluntatem ad electionem.

Reſpondere poſſunt Aduerſarij; coniunctio illa, quamuis neq; in vno, neq; in altero obiecto bonitatem tollat, impedit tamen ne intellectus iudicium illud practicum eliciat, per quod deponatur dubium. Cæterum inſtantia

12 iſta † non eneruat noſtrum argumentum, quia ſicuti manente bonitate obiectiua; neceſſè eſt, vt maneat vis motiua, quæ eſt inſeparabilis ab ipſa bonitate, & non obſtante concurſu alterius bonitatis obiectiuæ, poterit voluntas allici ab vtraque bonitate, & pro ſua libertate eligere alterutrum ex illis obiectis, ita etiam manẽte probabilitate obiectiua, manet vis mouendi intellectum ad aſſenſum, ad quem ſaltem imperio volũtatis, poterit inclinari potius vni, quam alteri parti.

His igitur poſitis ad ſolutionem argumentorum deuenio, quæ contra nos ſuperius ſunt adducta, & pro eis clariùs diluendis, eſt valdè animaduertenda æquiuocatio, qua maior ipſorum argumentorum pars laborat, vndè eſt deceptionis facilis occaſio. Hæc enim duo longè diuerſa ſunt, & ante oculos haberi cõtinuo de-

13 bent: † aliud, videlicet, eſt iudicare rem eſſe licitam v.g. continuationem cambiorum eſſe honeſtam, & opinionẽ, quæ de eadem continuatione hoc affirmat, eſſe veram; aliud verò iudicare probabiliter continuationem cambiorũ eſſe licitam, & probabilem eſſe opinionem, quę aſſerit, ita ſe habere; ſicuti etiam aliud eſt dubitare, an ſit mihi licitum illam exercere; diuerſitas eſt patens, quia primæ propoſitionis iudicium fertur in honeſtatem ſecundum ſe, eamq; prædicat, & componit cum cõtinuatione cambiorum tamquam ſubiecto; at iudicium ſecundæ propoſitionis directè & immediatè non fertur in honeſtatem obiecti ſecundum ſe, nempè cõtinuationis, ſed in probabilitatem honeſtatis, eamq; prædicat de tota prima propoſitione, quam integram ſumit veluti vnicum ſubiectum modalis propoſitionis, vt euenit in reliquis modalibus, quibus præhabitis.

14 Ad primum argumentum reſpondeo, † diſtinguendo primam antecedentis partem, videlicet, ſtante æqualitate &c. intellectus manet dubius, ſpeculatiuè, tranſeat, practicè, nego. declaro diſtinctionem: per dubitationem ſpeculatiuam in præſentia intelligo actum intellectus, qui carens euidentia, & certitudine facit ipſum intellectum hæſitare, nihilq; dictat de operatione, & hoc euenit poſita æqualitate probabilitatis inter duas opiniones, quæ hinc, & inde trahentes ad ſe intellectum impediunt, ne inclinet ad vnam potius partem, quam ad aliam; per dubietatem verò practicam intelligo ſuſpẽſionem intellectus circa electionem, ſeu operationem hic, & nunc, quæ quidem ſuſpẽſio, poteſt tolli ſaltem per imperium voluntatis captiuantis intellectum, vt vni ex illis opinionibus adhæreat, ſtante probabilitate vtriuſq; hac poſita diſtinctione, nego ſecũdam eiuſdem antecedentis partem; nempè nullum haberi fundamentum &c. ſufficiens enim fundamentum deponendi illud dubium ſpeculatiuum eſt probabilitas cognita opinionis, quæ eligitur; nam motiua probabilia gignunt prudentem aſſensũ, omnemq; temeritatem ab aſſenſu depellunt; proinde ea probabilitate poſita, ex principijs vniuerſalibus practicis, ſtatim intellectus format ſibi iudicium, hic, & nunc licitum eſſe talem ſequi opinionem, hoc autem iudicium cum circa actionem hic, & nunc exercendam verſetur, erit omninò practicum, & non ex leui fundamento dependens.

15 Ad ſecundum aio, quod quamuis intellectus in caſu poſito nequeat iudicare opinionem, quam voluntas eligit, eſſe abſolutè veram; iudicare tamen poteſt eſſe probabiliter veram, & hoc ſufficit ad honeſtè operandum, & falsũ eſt oppoſitum, quod aſſerit Philalethus, ſcilicet requiri iudicium de veritate; ſatis enim eſt iudicium de veritate probabiliter exiſtente, & ſi hoc, quod ab ipſo aſſeritur, eſſet verum, ſequeretur etiam quod eligendo nos probabiliorem ſententiam, ad quam eligendam nos obligari ipſe cenſet, non ſufficeret ad honeſtam operationem, quia ſimul deberemus opinari eam eſſe abſolutè veram; hoc autem eſſe non poteſt, quia non poſſumus abſolutè iudicare eam eſſe veram, nam ad tale iudicium requiritur certitudo, & euidentia, ſed ſolum iudicare poſſumus eam eſſe magis probabiliter veram, quàm ſit oppoſita.

16 Ad tertium concedo probabile non eſſe, vtrãque contradictoriam eſſe abſolutè veram, ſed euidens eſt vtramq; eſſe probabiliter veram, vt in capite ſequenti fuſiùs explicabimus, & hoc

ſatis

ſatis erit, vt ipſi opinioni adhæreamus, abſque eo; quod ipſam eſſe abſolutè veram iudicemus.

17 Ad quartum concedo maiorem, & nego minorem, quatenus aſſerit, nullum eſſe fundamentum eliciendi iudicium practicum oppoſitum, vt ſupra declarauimus: ad probationem verò, nego minorem ſecundi argumenti, nimirum probabilitatem opinionis non ſufficere &c. & ad probationem in contrarium dico vi illius æqualis probabilitatis, non ita intellectum in ſuſpenſo detineri, vt ſaltem per imperium voluntatis declinare nequeat in alterutram partem, in qua ſufficientia motiua probabilia apparent; & ideo ad argumentum nego vltimam conſequentiam.

Ad inſtantiam autem in oppoſitum, nego eſſe petitionem principij, cum dicimus, licitum eſſe, probabilem opinionem ſequi; nam immediata controuerſia non eſt de hoc, ſed, an ſtante æquali probabilitate, liberum nobis ſit alterutram eligere ſententiam, ad quod nos dicimus, per æqualitatem hanc, cum non tollatur probabilitas in vtraq; opinione, non deſtrui ſufficiẽs fundamentum eliciendi iudicium illud practicum de honeſtate electionis, ſecundum quam vni ex duabus, cui volumus, adhærere poſſumus.

18 Ad quintum negamus ſequelam, & dicimus propriè loquendo, nos non dubitare practicè de honeſtate, quam res illa habet, circa quam contrariæ verſantur opiniones, & quamuis non habentes certitudinem de bonitate, aut malitia operis, poſſet contingere, vt eligamus id, quod in re eſt materialiter malum; nihilominus poſita probabilitate non erit formaliter malum; atq; adeo electio non erit imprudens, & illicita, ſed prudens, & honeſta.

19 Ad ſextum aio verum eſſe, quod aſſeritur, ſi ſermo ſit de dubio ſpeculatiuo, & de phyſica incertitudine, hæc enim nõ tollitur per aliquod commune, & in hoc eadem eſt paritas de homine, vt ſic reſpectu Petri, & Pauli, & de probabilitate reſpectu huius, & alterius opinionis, & ideò ſicuti ex notione hominis, vt ſic, non deuenimus in cognitionem potiùs Petri, quam Pauli, ita ex notione probabilitatis vt ſic, non poſſumus inferre hanc potiùs probabilitatem in indiuiduo, quàm alteram: Si vero ſermo ſit de dubio practico, nego per aliquod commune tolli non poſſe, nam ratio illa communis poterit eſſe, ſecundum ſe, etiam præcisè ſpectata, fundamentum, ex quo certitudo, aut probabilitas moralis deſumi valeat, vt accidit in caſu noſtro; ſicuti etiam fingi poteſt in ratione illa communi hominis; nam ſi rationem hominis vt ſic fingeremus eſſe ſufficiens fundamentum exercendi actionem aliquam, quamuis dubium ſpeculatiuum, & phyſica incertitudo maneret circa vnum ex duobus hominibus, poſſet exerceri operatio, & tolli dubium practicum per rationem communem hominis, licet maneat dubium phyſicum, an homo ſit Petrus potiùs, quàm Paulus: ſic in ſubiecta materia; quamuis ſit dubium ſpeculatiuum, an potiùs iſta, quàm contraria opinio vera in re ſit, ſi tamen vtrũque ſit probabile, poterit vi talis probabilitatis tolli dubium practicum, & formari iudicium de honeſtate operationis, non obſtante, quod maneat iudicium illud ſpeculatiuum dubium de veritate opinionis, pro vt eſt in re.

20 Ad ſeptimum negandum eſt antecedens, ſcilicet probabilitatem opinionum æqualium eſſe probabilitatem ſecundum quid, & inſufficientem ad honeſtè operandum, & ad probationẽ huius antecedentis, nego probabilitatem hanc non eſſe de re ipſa, atq; adeò non poſſe ex illa formari prudẽs iudicium de honeſtate opinionis eligendæ, vt fusè capite ſequenti declarabimus; ideoque dicimus probabilitatem hanc eſſe probabiliter veram, & ſimpliciter dictam, non obſtante, quod maneat dubium illud ſpeculatiuum de operis honeſtate, pro vt eſt in re.

CAPVT X.

Liceat ne ſequi minus probabilem opinionem, probabiliori relicta?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ſtatus controuerſiæ.*
2 *Eſt diſcrimen inter opinionem probabiliorem, & tutiorem.*
3 *Opinio minus probabilis, & magis tuta laudabiliter recipitur.*
4 *Aliqui dicunt non eſſe licitum ſequi minus tutam.*
5 *Alij partem affirmatiuam ſuſtinent.*
6 *Auctor ſequitur hanc ſecundam opinionem.*
7 *Maior probabilitas non deſtruit minorem.*
8 *Referuntur tredecim Philalethi contraria argumenta à num. 8. vſque ad 25.*
26 *Soluuntur duo argumenta ex Iure Canonico deſumpta.*

1 IN præcedenti capite determinauimus liberum, licitumq; nobis eſſe ex duabus opinionibus, æqualem habentibus probabilitatem, eligere quam maluerimus, † nunc ſupereſt, vt examinemus aliam valdè celebrem quæſtionem, nempè an concurrente opinione probabiliori, & tutiori cũ ea, quę eſt minus tuta, liceat, probabiliori relicta, ſequi minus probabilem: ad omnes autem tollendas æquiuocationes, ſupponendũ eſt in præſentia, ſermonem non eſſe de iudicio illo, ſeù practico dictamine, quod eſt humanorum actuum regula, & appellatur conſcientia; de tali enim iudicio ſufficienter egimus ſupra *diſcept. 1. cap. 9.* vbi contra nonnullos ſtatuimus iudicium illud debere eſſe certum, & mora-

moraliter euidens. Sed nonnulli in huius quæſiti examine vnum iudicium ab alio non diſtinguentes, vtrumque confundunt; & ideò pro ſe citant aliquos, quaſi aſſerentes, illicitum eſſe ſequi minùs probabilem opinionem, probabiliori omiſſa, cum tamen Doctores illi loquantur de conſcientia, vt videbimus, non autem de iudicio opinatiuo, circa quod ipſa conſcientia verſatur.

2 Rurſus ſupponendum eſt, latum eſſe † diſcrimen inter opinionem tutiorem, & probabiliorem, quippe quæ tutior dicitur per habitudinem ad peccati etiam materialiter ſumpti excluſionem; ſeu dicitur illa, quam ſi quis ſequatur, nulli ſubeſt periculo exercendi actionem à parte rei illicitam: probabilior verò, prout à tutiori diſtinguitur, talis appellatur per habitudinem ad firmiores rationes, quibus illa nititur, quamuis de reliquo ſit altera minùs tuta. E.C. ſi extet opinio eximens aliquem ab onere reſtituendi, idq; validioribus confirmet argumentis: oppoſita verò minùs efficacioribus, obliget ad reſtitutionem; iſta opinio, quamuis minùs probabilis, erit tamen tutior, nam qui eam ſequitur, neq; materialiter exponitur peccandi periculo; illa verò erit probabilior, licet minùs tuta, nam qui eam amplectitur exponitur periculo omiſſionis materialiter illicitæ, non reſtituendo, & ſic de alijs ſimilibus.

Præterea ſupponendum eſt non eſſe contro-
3 uerſiam de ſequenda opinione † magis tuta, quamuis minùs probabili, vt patet exemplo allato; nam talem ſequi opinionem, relicta probabiliori, non ſolùm non eſt illicitum, ſed laudabile, cum ei adhærens, peccatum etiã materialiter ſumptum vitet, quod interdum poterit non vitare, oppoſitam ſequens ſententiam. Sermo igitur in hoc capite eſt de opinione minus probabili, minuſq; tuta per comparationẽ ad eam, quæ non ſolum eſt probabilior, verum etiam tutior. His omnibus præmiſſis.

Prima ſententia eſt quorumdam tum veterũ,
4 tum recentiorum, † qui dicunt non eſſe nobis licitum ſequi minus probabilem, minuſq; tutam opinionem, probabiliori, & tutiori relicta: & ex antiquioribus citari ſolent *Adrianus, Henricus, Gerſon, Gabriel, Maior*, eamque expreſsè ſuſtinet *Corduba in quæſt. lib. 2. quæſt. 3. prop. 1. Syluester Verb. dub. q. 2. S. Antoninus p. 1. tit. 3. cap 10. §. 10. reg. 6. pro ſcrupuloſis* dicens eum *non peccare, qui opinione alicuius Doctoris adhæret, & rationes habet probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione*, per illam enim particulam, *magis* videtur conſequenter velle, quod ſi non habeat rationes firmiores pro opinione, quam amplectitur, non poſſit eam ſequi, expreſſiùs hanc ſententiam ponit *par. 3. tit. 5 cap. 2. §. 9. in fine*. Ex recentioribus verò hanc ſententiam apertè tuetur *Comitolus in reſponſ. moral. lib. 5. cap. 15.* & nouiſſimè *Philalethus in libello illo de opinionũ praxi quæſt. 5.* vbi eam viginti conatur ſuadere argumentis, & contra *Vaſquez, & Sanchez* oppoſitum ſentientes inuehitur; ſed quam vim huius Auctoris, aliorumq; argumenta habeãt infra fusè examinabimus. Huic ſententiæ cum aliqua tamen modificatione adhæret *Caietan. in ſumma Verb. Opinionis vſus, & Armilla eodem verb. num 2.* docentes, quod ſi opinio minus probabilis ſit cum formidine partis oppoſitæ, niſi ſit tutior, nequimus illam ſequi, quia eſt dubia; proinde eam nos amplectentes peccandi periculo exponimur, citatur pro hac ſententia *S. Thomas quodlib. 8. ar. 13. & nonnulli à Granado in p. 2. contr. 2. tract. 12. diſp. 4. ſect. 3. num. 22.* ſed mentem S. Doctoris infra explicabimus.

5 Secunda ſententia † cenſet licitum eſſe opinionem ſequi minùs probabilem, minuſq; tutam, quamuis oppoſita probabilior, ac tutior iudicetur. ſic *Medina in p. 2. quæſt. 19. ar. 6. §. 1. Sed hoc naſcitur. Vaſquez in p. 2. diſp. 62. cap. 4 num. 14. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 14. & alij duo ſupra quinquaginta* quos laudat, & ſequitur *Paſqualigus in deciſ. moral. deciſ. 5. num. 3.* quibus addo *Tannerum p. 2. diſp. 2. quæſt. 4. num. 30. Bernardum Iuſtinianum de continuatione cambiorum quæſt. 13. num. 16. Arriagam p. 2. diſp. 24 ſect. 1 concl. 1. Oniedum tract. 5. contr. 3. p. 2. num. 14. Franciſcum de Amico diſp. 15. ſect. 4. nu. 70 Franciſcum De Lugo de actib. hum. de cur. prauij: p. 1. quæſt. 2. num. 28. Vulpem in ſumma Theologia par. 2. 2. diſp. 72. ar. 1. num. 3. Caſpenſem in curſu Theolog. tract. de conſc. diſp. 2. ſect. 2 nu. 15. Antonium Eſcobar de Mendoza in Theolog. moral. exam. 3. cap. 3. Lezanam in 99. regul. tom. 4. V. opinio num. 5. Gaſparem Hurtado de actib. hum. diſp. 4. de conſc. diff. 15. Lanfrancum opuſc 1. ex moralibus cap. 4. num. 16.* & cũ tot pro hac ſententia Doctores conſpirauerint manifeſtæ deceptionis arguitur Philalethus in fine illius quintæ quæſtionis, aſſerens Auctores pro hac opinione numero vinci à Doctoribus, qui ſuam tuentur ſententiam.

6 Dicendum eſt cũ † hac ſecunda ſententia, quam longè probabiliorem, ratione, authoritateq; exiſtimo, & ſic eam probo: Opinio probabilis eſt rectæ rationi conformis; ergo licitum eſt ſequi minùs probabilem, minùſque tutam, relicta probabiliori, & tutiori: antecedens probatur ex definitione, ſeu deſcriptione opinionis probabilis ſuperiùs poſita; diximus enim eam eſſe, quæ non leui innititur fũdamento, ſed alicuius momenti &c. proinde erit prudens, & non temeraria; atq; adeò rectæ rationi conſentanea, & conformis: impoſſibile enim eſt iudiciũ aliquod eſſe prudens, & rectæ rationi difforme, cũ ſit ſemper illi conforme. Sicuti eſt ipſa prudentia, quæ virtus eſt: eſſe autem prudens iudiciũ, ſeu opinionẽ innixam fundamento non leuis momenti, patet; quia tale iudicium non erit temerarium, quod tunc eſſet, quando abſq; ratione, & præcipitanter procederet.

Dices quamuis talis opinio abſolutè ſpectata poſſet eſſe prudens, rectæq; rationi conſentanea,

tanea,comparata tamen ad probabiliorem, & tutiorem, talis exiſtimanda non erit, ſed potiùs imprudens, & temeraria; ideoq; iudiciũ probabile,quod ſit vera, generare non poterit.

7 Contra eſt,quia maior illa † probabilitas, & ſecuritas, quæ in oppoſita ſententia reperitur, non deſtruit probabilitatem,& ſecuritatem illam, quæ inuenitur in alia ſententia, vt patet in ſimilibus rebus tùm phyſicis, tùm moralibus v. g. magis album, aut magis dulce, vt octo, non tollit, quin ſubiectum minus album & minus dulce, vt ſex, non ſit album,& dulce, aliter ſola nix eſſet alba,& ſolum mel eſſet dulce,quod eſt apertè falsũ: Similiter homo prudens,vt ſex,non debet appellari imprudens, ẽt reſpectu hominis prudentis, vt octo, & ſic ſanctus vt ſex eſt ſimpliciter, & verè ſanctus, etiam reſpectu ſanctioris, & ita in alijs; ergo opinio probabilis,& tuta,vt quattuor,nõ ceſſabit à ſua ꝓbabilitate,& ſecuritate ex eo, ꝙ alia contraria erit, vt octo.probabilior,& ſecurior; illud vero,quod additur ex Philalætho, nempè non poſſe generari iudiciũ probabile de veritate per opinionem minùs probabilem cũ probabiliori comparatam, eſt omninò negãdum, vt infra videbimus. Verum igitur eſt antecedens illud,nempè opinionẽ probabilẽ eſſe rectę rationi conformẽ,ſiue abſolutè,ſiue reſpectiuè ſumatur.Ex iſto autem antecedenti facilè probatur conſequentia, nam licitum nobis eſt operari iuxta ea,quæ ſunt rectæ rationi conſentanea, & conformia, ideoq; licitum erit ſequi opinionem minùs probabilem, minùſq;tutam, relicta probabiliori, & tutiori. Hoc autem meliùs confirmabitur, oppoſita ſoluendo argumenta, & præſertim ea, quæ Philalethus coaceruat.

Cæterum contra noſtram hanc, adeò communiter receptam, ſententiam inuehitur Philalethus quæſt. illa 5. & nonnullis præmiſſis adnotationibus, viginti proponit argumenta, pluribus ſuffulta confirmationibus, quibus opinionem hanc funditùs extinguere conatur, ſed quia in rationibus pro ſe aperiendis nimiũ ſe diffundit, & multa, quæ ab ipſo coaceruantur, non ſunt magni ponderis, facilemq; ex dicendis ſolutionem habent; idcirco, quæ alicuius ſunt conſiderationis, & difficultatem præſeferre videntur, breuiter percurram.

8 Primò igitur ſuam probat ſententiam,quamdam ſupponens *Ariſtotelis doctrinam 2. de anim.t.153.* vbi habetur liberum nobis non eſſe opinari, ſicuti liberũ eſt imaginari, quo poſito ſic arguitur: Si licitè poſſemus minus probabilem ſequi ſententiam probabiliori omiſſa, ſequeretur liberum nobis eſſe opinari,quod eſt contra Philoſophum,& contra veritatem: ergo &c.

9 Probat ſecundò: Sequens minus probabilem, non poteſt prudens habere iudicium, quod licitum ſit id, quod operatur, quia cũ probabile iudicium idem ſit,ac opinio,opinari autem nobis non eſt liberum.

10 Tertiò, Quando vtraq; oppoſita propoſitio eſt probabilis, neceſſariò vnà ex illis debet eſſe vera, & altera falſa;non poſſumus aſt licitè ſequi promiſcuè tã verũ, quàm falſum,& præſertim id,quod rationabiliter magis falſum exiſtimamus,quàm verũ: ergo non poſſumus præmiſcuè ſequi magis probabilem, & minus probabilem ſententiam, quia minus probabilẽ iudicamus magis falſam,quàm veram.

11 Quartò: Ad rectè operandũ, vt omnes fatentur, requiritur iudiciũ probabile, dictãs hoc opus,ſeu hanc actionem eſſe licitam, & non ſufficit iudiciũ illud, quod dictat probabile eſſe,hoc eſſe licitum; hæc enim duo iudicia ſunt valdè diuerſa,& hoc vltimum non eſt probabile,ſeu opinatiuũ, ſed ſcientificum; quia certò ſcimus opus illud eſſe probabile, quatenus non leui nititur fundamento:at illud prius iudiciũ dictans opus eſſe licitum,eſt ſolũ probabile, & opinatiuũ; quoniam certò non ſcitur ipſum opus eſſe licitum,cum ſit in opinione poſitum; ad rectè autem operandum requiritur iudicium opinatiuum, dictans opus eſſe licitum;igitur non erit ſatis iudiciũ illud ſcientificũ verſans circa probabilitatem honeſtatis huius operis, ſed exigitur iudiciũ opinatiuum de veritate, nempè, quod hoc opus ſit licitum.

12 Et confirmatur, quia cum iudicio ſcientifico,quod ſit probabile,hoc opus eſſe licitum, ſtat etiam iudicium pariter ſcientificum, quod ſit probabile,idem opus eſſe illicitum. Patet, quia iudiciũ de probabilitate eſt iudicium de re, non pro vt eſt in ſe,ſed pro vt nobis apparet,& ideo poterit tale opus per vnum medium apparere licitum, & per aliud medium illicitum apparere; neutrum autem horum iudiciũ eſt de veritate rei, ſed de apparentia, cum vtroq; enim iudicio manere poteſt dubium de veritate; ideòq; progredi nequimus ad operandum,quia non habemus iudicium de ipſa veritate, & ſic non magis licitũ, quàm illicitũ eligeremus, proinde contra conſcientiam formaliter dubiam operaremur: At ſi haberemus iudiciũ opinatiuũ de operis honeſtate, nõ poſſemus opinari idem opus eſſe illicitũ, quia hæc duo pugnant: non verò pugnant inter ſe illa alia duo iudicia ſcientifica de probabilitate liciti,& illiciti,quia ſunt per diuerſa media, ratione quorũ poteſt res diuerſimodè obijci intellectui, nunc vera, nunc falſa: at circa eamdem veritatem vnum tantũ iudicium haberi poteſt, & ita opinantes rem eſſe licitam, poſſumus ad illam operando progredi, quia nequimus,ſtante tali iudicio opinatiuo, habere aliud iudiciũ,quod eadem res ſit illicita; ſed hoc fieri non poteſt ab eo, qui ſolum iudicat de probabilitate liciti,& illiciti, quia, vt dixi, cum tali iudicio, intellectus dubius de licito,vel illicito, remanet.

13 Quintò,ſequens minus probabilem non agit ſecundum dictamen rationis,non enim ſequitur inclinationem rationis, ſeu intellectus aſſenſũ, quod tale opus ſit faciendum;inclinatio autem rationis oritur ex eo,quod ſint firmiora,& efficaciora motiua, quibus probabilior ſententia fulci-

fulcitur; ergo illam ſequi non poſſumus.

14 Sextò operans iuxta minùs probabilem non adhibet moralem, debitamq; diligentiam ad rectè operandum, & ad peccatum vitandum, cũ non exequatur ea, quæ magis ad veritatem accedunt, vt eſt opinio probabilior, ſicuti non cenſetur negotiator præſtare debitam diligentiam, ſi pro aſſecutione finis per talem negotiationem intenti, apponat media minùs ſufficientia, & non ità efficacia: Operans igitur hoc pacto in rebus moralibus, ſi erret, non erit excuſandus, quia error ex defectu debitæ diligentiæ in attingenda veritate procederet.

15 Septimò: *Ex Ariſtotele 2 de anima t. 152.* idem oſtenditur, nam ibi Philoſophus docet in recta intelligentia prudentiam, veraſq; inueniri opiniones; contraria verò, nempè imprudentiam, falſaſq; opiniones in intelligentia non recta reperiri; ergo recipiens minùs probabilem opinionem rectam intelligentiam habere non poteſt, quià minùs probabiles, vt plurimũ, ſunt falſæ.

16 Octauò: Ex abſurdis, quæ ex noſtra ſententia inferuntur; & primò infertur poſſe à Medico ægrotum curante applicari minùs probabile medicamentum, relicto probabiliori. Secũdò à Sacerdote Sacramenta adminiſtrante adhiberi poſſe materiam, formamq; minùs probabilem. Tertiò à Iudice poſſe proferri ſententiã iuxta minùs probabilem, quæ omnia, cum in damnum tertij cedant, cenſentur illicita, & abſque peccato fieri non poſſe.

17 Neque ſoluitur argumentum, ſi dicas à Medico, & à Sacerdote ea fieri nõ poſſe; quia charitas proximo debita poſtulat, vt adhibeamus ea, quæ ſunt magis certa ad valorem Sacramenti, & ad ſalutem, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualẽ eiuſdem proximi magis vtilia: non ſoluitur, inquam, argumentum, quia hoc ipſum militat in omni opinionum electione, earum ſcilicet, quę ſunt minùs probabiles, & minùs tutæ, quia amor veri, ac recti, & obligatio, qua ad diligẽdum ſuper omnia Deum O.M. detinemur, cõſtringit nos, vt in noſtris actionibus ſpectemus ea, quæ agnoſcimus magis ad verum, & ad honeſtum accedere, quæq; nos magis recedere à diuina offenſa faciunt.

18 Quod verò attinet ad Iudicem non valet diſparitas, quam multi aſſignant, videlicet Iudicẽ conſtitutum eſſe à Republica ad lites decidendas iuxta illud, quod ſibi meliùs, & ſecundum veritatem probabilius videtur; vt vnicuiq; parti det, quod illius eſt: tale autem munus nos non habemus in eligendis opinionibus, ſed diſparitas non valet, quia etiam in electione opinionum circa res morales non deſunt partes, nempè lex honeſtum præcipiens, ſeu Deus, vt Legiſlator, & humana libertas, ſeu homo proprium intendens commodum; proinde ſi motiua pro opinione, quæ magis fauet legi &c. ſunt efficaciora, quàm oppoſita, prudentia dictat, vt opinionem illam eligamus, quæ legi eſt fauorabilis.

19 Nonò: Qui non vitat periculum peccandi quantùm poteſt, amat ipſum periculum, & in illo perit peccando, vt admonet *Eccl. 3.* Sed qui minùs probabilem opinionem ſequitur, nõ vitat quantum poteſt peccandi periculum; ergo amat ipſum periculum; & conſequenter peccabit.

20 Decimò: *Qui citò credit, leuis eſt corde Eccl. 19.* talis autem eſt, qui, relicta opinione probabiliori, adhæret minùs probabili.

21 Vndecimò: *In lib. 3. Regum* reprehenditur Roboam, qui relinquens Seniorum conſilium ſequutus eſt deterius conſilium adoleſcentium, quod tamen non apparet aliquam non habuiſſe probabilitatẽ: ergo qui ſequitur minùs probabilem eſt reprehenſione dignus.

22 Duodecimò: *S. Auguſt. l. 2. de Doct. Chriſt. cap. 8.* & refertur *cap. in Canonicis diſt. 19.* regulam tradit, qua diligens indagator vti debet in ſcripturis, & in epiſtolis recipiendis; primò enim loco ponuntur ſcripturæ Canonicæ, quæque à Sede Apoſtolica emanant. Secundò loco, quæ ab omnibus ferè admittuntur, & non quæ à paucioribus. Tertiò loco deuenitur ad illas, quæ non ab omnibus ſuſcipiuntur, & de his hæc habetur regula, eas videlicet eſſe à diligenti indagatore recipiendas, quæ à pluribus, & grauioribus defenduntur Auctoribus potiùs quam eas, quę à paucioribus, minoriſq; grauitatis Auctoribus: ergo ſi probabilior opinio à pluribus, & grauioribus ſuſtinetur, ipſa vtiq; & non ea, quæ minùs eſt probabilis, recipi debet.

23 Decimotertiò: *Ex S. Thoma quodlib. 8. qu. 7. art. 13.* docente, quod ſi quis ex contrarietate opinionum in quamdam inducitur dubitationem: an opus aliquod ſit licitum, an verò illicitum, ſi illud faciat, peccabit, at qui recipit opinionem minùs probabilem, non tollit à ſe dubitationem de licito, & illicito: ergo illi ſententiæ adhærens peccabit, quia non poteſt formare iudicium practicum, quod licitum ſit id, quod amplectitur; peto enim vnde illud formet, an quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem, quæ aſſerit tale opus eſſe licitum? Sed hoc eſt petere principium. Controuerſia autem eſt, an de duabus oppoſitis ſententijs poſſit quis quamlibet, etiam minùs probabilem, licitè ſequi. Rurſus dubium, quod tolli debet non eſt, an vtraq; opinio ſit ne probabilis, ſed vtra ſit vera, illa nimirum, quæ affirmat opus eſſe licitum; an illa, quæ aſſerit eſſe illicitum, hoc autem dubium non aufertur per iudicium, quo vtraq; opinio probabilis exiſtimatur, atque adeo non erit licitum quamlibet ſequi, ſed oportebit ad vitandum peccatum probabiliorem amplecti.

24 Decimoquartò: Ex communi, & inueterata conſuetudine in omnibus vniuerſitatibus, & comitijs habemus, res eſſe decidendas, & recipiendas ad plura ſuffragia, probabiliorem ſequendo ſententiam; ergo in rebus, quæ pertinent ad mores, animæque ſalutem ſequi debemus probabiliorem opinionem, quæ à pluribus defenditur.

25 Hæc breuiter collecta ex prolixo Philaletho diſcurſu mihi viſa ſunt in mediũ afferre; quibus etiam contra nos addo aliud argumentum fieri ſolitum ex *cap. Iuuen. de ſponſalib. cap. ad audientiã, & cap. ſignificaſti 2. de homic.* & ſit in ordine 15. ibi ſtatuitur tutiorẽ partem eligendam eſſe, quãdo in dubijs verſamur. non erit igitur nobis licitum minùs probabilem ſequi ſententiã: Vt planè autem huius Auctoris opinio impugnetur, & noſtræ communiſq; ſententiæ veritas magis, magiſq; eluceat, pro ſolutione prædictorum nonnulla ſunt præmittenda. Sit igitur

§. I.

Nonnulla iaciuntur fundamenta, quibus rationes à Philaletho allatæ ſoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium de probabilitate opinionis non ſemper eſt ſcientificum, & certum.*
2 *Non ſiſtit in ſola probabilitate, ſed extenditur ad veritatem, ſeu falſitatem opinionis.*
3 *Extenſio iſta poteſt eſſe per idem numero iudicium, aut per aliud diſtinctum realiter, vel virtualiter.*
4 *Non eſt iudicium abſolutum, ſed modale, propoſitionem modalem conſtituens.*
5 *Veritas talis propoſitionis non conſiſtit in indiuiſibili, latitudinem enim habet.*
6 *Liberum nobis non eſt opinari, nullo exiſtente motiuo, ſecùs eo exiſtente.*
7 *Quædam ſunt media, quæ etiam applicata, quo ad conſecutionem effectus non dependent à prudenti exiſtimatione applicantis.*
8 *Alia vero dependent à prudẽti exiſtimatione.*
9 *In electione opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ tria concurrunt iudicia realiter, aut ſaltem virtualiter diſtincta.*

ADVERTENDVM eſt primò, quamuis admittamus iudicium illud de probabilitate opinionũ oppoſitarum eſſe aliquo modo diuerſum, & fortitan realiter diſtinctum ab illo iudicio, quo veritatem, & falſitatem earumdem opinionum iudicamus; indiget tamen hoc declaratione; Aio igitur, antequam ad alia deueniamus, quod quatenùs aſſerit Philalethus iudicium illud de probabilitate eſſe ſcientificum,
1 ſeu phyſicè certum, & euidens, † non eſſe vniuerſaliter verum, & præſertim loquendo de probablitate practicè, ſunt enim plures opiniones, de quibus controuertitur, an earum probabilitas ſit nec ne practica, an tantùm ſpeculatiua v. g. altercatur inter Auctorea, an ſit practicè probabilis opinio illa, quæ aſſerit approbatum ab vno Ordinario, eſſe virtute Bullæ Cruciatæ eligibilem in quacumque alia Diœceſi, ſine approbatione alterius Ordinarij ad confeſſiones Sacramentales excipiendaa. Rurſus controuertitur, an etiam ſit probabile in praxi baptiſmum collatum cum aqua roſacea, vel cum aqua ex herbis extracta, eſſe nec ne validum, & ſic de alijs: at quicquid ſit de hoc puncto, demus iudicium, quod in opinionum oppoſitarum probabilitatem fertur, eſſe ſcientificum, & phyſicè certum, debemus illud dupliciter ſpectare: Primò in ordine ad ipſummet hominem, qui iudicium elicit, & iudicat probabilem eſſe vtramq; opinionem. Secundò in ordine ad eumdem, non quatenùs ipſe iudicat probabilitatem opinionum; ſed quatenùs iudicat ab alijs viris doctis iudicari hanc, & illam opinionem eſſe probabilem; ipſe verò vel hoc non iudicat, vel oppoſitum exiſtimat.

Secundò, Aduertere oportet, iudicium ipſum de probabilitate non ſiſtere tantum in ip-
2 ſa probabilitate, † ſed ſe extendere ad veritatem, ſeu falſitatem opinionis, & pariter ad honeſtatem, aut inhoneſtatem rei, ſeu obiecti, extenſionem verò hanc fieri, vel per ip-
3 ſummet iudicium de probabilitate, † vel per aliud iudicium realiter diſtinctum, conſequens ad ipſum iudicium de probabilitate, vel in illo inbibitum, ſeu tantum ab illo virtualiter diſtinctum; ratio autem huius dicti eſt manifeſta, & patere poterit conſideranti; nam probabilitas illa, quæ eſt terminus prioris iudicij, ſi exponitur, erit neceſſariò explicanda per ordinem ad rei veritatem, ſeu honeſtatem, aut inhoneſtatem materiæ &c. E.C. Continuatio cambiorum eo modo, quo hodie à Mercatoribus exercetur à multis exiſtimatur contractus vſurarius, & illicitus; ab alijs vero iudicatur iuſtua, & licitus, & vtrumq; iudicatur probabile; probabilitatem autem iſtam de honeſtate huiua contractus, quis non videt ad veritatem vnius ſententiæ terminari, nempè illius, quæ affirmat licitum eſſe talem contractum? Sic enim explicatur, probabile eſt, licitam eſſe continuationem prædictam (idemque aſſero de contrario) ſcilicet, probabile eſt, contractum hunc eſſe illicitum, & vſurarium, manet igitur firmum id, quod diximus, nempè iudicium de probabilitate non ſiſtere in ipſa probabilitate, ſed ſe extendere ad veritatem, ſeu falſitatem opinionis, & ad honeſtatem, & inhoneſtatem obiecti, &c. ſiue hoc fiat per actum formaliter, ſiue ſolùm virtualiter diſtinctum.

Tertiò, Addo iudicium prædictum, pro vt extenditur ad veritatem, non eſſe abſolutum;
4 † ſed modale; idcirco propoſitionem modalem, & non abſolutam conſtituere, nam per tale iudicium intellectus non determinat abſolutè rem ita eſſe, V.G. rem illam eſſe ho-

neſtam

neſtam in ſe, & opinionem de tali honeſtate eſſe abſolutè veram; ſed determinat cum addito; nempè probabiliter rem ita eſſe, nempè eſſe honeſtam, eſt probabile. Has autem propoſitiones inter ſe eſſe diuerſas, eſt manifeſtū; in prima enim prædicatur honeſtas de re, & veritas de opinione, in ſecunda verò prædicatur probabilitas de re, & conſequenter de opinione; non enim dicitur continuatio cambiorum eſt licita, ſeu opinio affirmans eſt vera; ſed hoc pacto: Continuationē cambiorum eſſe licitam, ſeu honeſtam, eſt probabile, & opinionem de tali honeſtate, probabile eſt, eſſe veram, & idem dicendum ſi propoſitiones formentur de falſitate. Fundamentum omnium horum eſt diuerſitas, quæ reperitur inter veritatem, & probabilitatem; nam veritas conſiſtit in connexione, ſeu conuenientia prædicati cū ſubiecto, & falſitas in diſconuenientia, vt in exemplo poſito, conſiſtit veritas in conuenientia honeſtatis cū continuatione cambiorum; at probabilitas non conſiſtit in tali conuenientia, ſed in eo, quod motiua ſuadentia honeſtatē ſint grauia, & apta ad prudens iudicium de ipſis formandū: inde eſt, vt opinio poſſit eſſe probabilis, & falſa, & è contra, improbabilis, & vera; ex quo ortū habuit illud commune proloquiū: *Multa falſa ſunt probabiliora veris.*

Quartò: Aduertendum eſt in hoc caſu, & ſimili, veritatem, cū non ſumatur abſolutè pro vt eſt in re, ſed pro vt eſt in apparentia, eſſe practicam, † atq; adeò non conſiſtere in indiuiſibili, ſed latitudinem habere, vt notauit *Breſſerus, lib. 3. de conſc. cap. 2. num. 21. & ex alijs Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 48. num. 13.* veritatem autem in re in indiuiſibili manere; explicatur enim per immediata contradictoria, ſcilicet continuatio vel eſt licita, vel non eſt licita: ratio autem quare veritas practica latitudinem habeat, eſt, quia oritur ex diuerſis medijs, ſeu argumentis probabilibus; quæ cū plura eſſe poſſint, & maiorem, ac minorem habere probabilitatem, inde eſt, vt Doctores dicere ſoleant, vnā opinionem eſſe altera veriorem, intelligendo non de veritate à parte rei, ſed de veritate practica, pro vt eſt in apprehenſione, & æſtimatione; ideòq; quamuis ſit impoſſibile ab eodem intellectu vnam, eamdemq; actionem iudicari licitam, & non licitam, quia hoc eſſet iudicare duo contradictoria ſimul vera, aut falſa, quod manifeſtè repugnat; nihilominus quādo propoſitiones ſunt modales, & negatio nō afficit modū, poterit ambas veras, aut falſas iudicare; quia nō ſūt inter ſe pugnātes. v. g. hę duæ poſitæ eſſe ambæ veræ: Continuationem cambiorū eſſe licitam eſt probabile, & Continuationem cambiorum non eſſe licitam eſt probabile, hæ non ſunt contradictoriæ; ambæ enim ſunt affirmatiuæ, & cū ſint modales, negatio non afficit, & negat modū. Contradictoriæ verò ſunt iſtæ: Continuationem eſſe licitam eſt probabile, Continuationem eſſe licitam non eſt probabile, hiſque propoſitionibus impoſſibile eſt intellectū ſimul aſſentiri.

6 Quintò: Aduertendū eſt, quod quamuis † liberum nobis non ſit, quodlibet opinari, vt docet Ariſtoteles, & adducitur ab ipſo Philalethio, & experientia compertū eſt, non .n. manet in noſtra libertate iudicare, an aſtra ſint paria, aut diſparia, quia nullū apparet fundamentū, & motiuū, ob quod intellectus opinatur alterutrū ex illis, ſed ſolū poterit vt poſſibile vtrumq; æſtimari, poſitis tamē motiuis probabilibus, falſum eſt, nōeſſe nobis liberū opinari, non ſolū, quoad exercitiū, quod eſt certū, & ipſemet Philalethus fatetur; verum & quoad ſpecificationē neq; hoc ab Ariſtotele, cæteriſq; Philoſophis negatur; ratio eſt, quia poſito probabili argumento, ponitur, & repræſentatur intellectui ratio obiecti motiui quæ eſt omnis veritas, ſiue ſpeculatiua, ſiue practica; atq; adeo poterit intellectus, quemadmodū reliquæ potētię, ferri in ſuum obiectum, & licet præſente motiuo efficaciori ad mouendū, intellectus ſecundum ſe inclinet in illud, quod efficacius mouet; nihilominùs nil obſtat, quin ex voluntatis impetio poſſit inclinari in aliud, quod minùs mouet, quod ſignificaſſe videtur *N. S. P. Ignatius in aurea illa Epiſtola de obedientiæ virtute Ver. (Qui vero) dicens: Multis in rebus, in quibus cognitæ veritatis euidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs, quam in illā partem inclinari. Hac S. Ignatius*, qui apertè aſſerit imperio voluntatis intellectū in hāc potiùs partem flecti, quàm in aliam, quādo non cogitur per obiecti euidentiam: at cum duę opiniones ſe offerunt, certum eſt intellectum euidentia minimè premi, nam opinio euidentiā, & certitudinem non habet, aliter ſcientia, & non opinio eſſet: igitur poterit voluntas ſuo imperio flectere intellectum ad aſſentiendum vni opinioni minùs probabili, ideoq; dictum Ariſtotelicum intelligi debet, quando nullum ſe offert motiuum, vi cuius intellectus elicere valeat aſſenſum.

7 Sextò: Eſt diſcrimen notandum inter aliqua; quædam enim ſunt, † quorum aſſecutio à propoſitione, & efficacia medij dependet, pro vt eſt in re, indepēdenter ab omni humana exiſtimatione, quantumuis prudēte, talia autem ſunt ea, quæ in ſui exiſtentia dependent ab alterius Inſtitutione, & voluntate, vel res naturales ſecundum eſſe phyſicum, & ideo ſi Miniſter v. g. nō applicat in confectione Sacramenti materiam, & formam illam, quæ à Chriſto fuit inſtituta, ſed applicet aliā diuerſam, tam prudenter, ſufficienter exiſtimatam, nihil efficiet, & ſi quis volens indulgentias lucrari, non adhibeat conditiones à Pontifice requiſitas, etiam ſi inuincibiliter, & prudēter erret, indulgentiarum effectum non conſequetur, idemq; etiam euenit in rebus naturalibus ſecundum eſſe phyſicum ſpectatis, nam morbi expulſio, & ſanitas dependent in aſſecutione ab efficacia medicamenti à parte rei, ita ſe habente, & ideo quamuis peritiſſimus Medicus applicet medicamētū, quod ab ipſo prudēter efficax exiſtimatur, ſi re vera tale nō eſt, non obtinebitur morbi expulſio, &

ſanitas: Similiter in negotiationibus, humaniſque commercijs hoc ipſum accidit, nam ſi quis pro recollectione fructuum non adhibet media ex ſe proportionata, non acquiret intentum, ſicuti neq; ille conſequetur lucrum in negotiatione aliqua, non applicando media ex ſe efficacia, & in his, alijſq; ſimilibus non erit ſatis ſola prudens mediorum applicatio, niſi
8 ſi in re, media ex ſe ſint apta. † Contra verò ſunt alia, quorum aſſecutio totaliter ex iudicio, & exiſtimatione dependet, quamuis à parte rei non ſit ita, & talia cenſentur res morales ad conſcientiæ forum pertinentes; ſufficit enim ad finem, qui intenditur, aſſequendum, ſi prudenter ita iudicentur, quamuis exiſtimans decipiatur; & ita ſi quis prudenter exiſtimet talem contractum eſſe licitum, talemq; actionem honeſtam eſſe, & re vera non ſit; nihilominus contractum iniens, & talem actionem exercens acquiret finem præuolitum, nempè operari ſecundum rectam rationem, & pro vt Deo placet.

Septimò, deniq; præſupponendum eſt in electione opinionis minùs probabilis; minùſque
9 que tutæ, † tria concurrere iudicia, vt notat *Ouiedus puncto illo 2. num. 18.* ſiue de reliquo iudicia iſta ſint realiter, ſiue virtualiter diſtincta. Primò enim habetur iudicium verſans circa opinionis eligendæ probabilitatem. Secūdò eſt iudicium, quo iudicamus licitum nobis eſſe opinionem ſequi practicè probabilem, & hoc ob rationes ſuperiùs aſſignatas. Tertiò, eſt aliud iudicium, in quo ſita eſt conſcientia, & iſtud iudicium debet eſſe, ſaltem moraliter, certum, & euidens, vt *diſcept. 1. cap. 9.* oſtendimus, & totus diſcurſus tali pacto formatur: Poſito quod res illa ſit probabilis, & licitum mibi ſit iuxta Auctorum placita ſequi etiam minùs probabilem opinionem, relicta probabiliori, igitur certum mihi erit, talem ſequens opinionem, me non peccaturum. His omnibus præmiſſis ad argumentorum ſolutionem deuenio; quæ à Philaletho contra noſtram, communemq; ſententiam allata ſunt.

§. II.

Argumenta Philalethi diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *In libertate noſtra manet opinari præſēte probabili motiuo.*

2 *Habet prudens iudicium, qui ſequitur minus probabilem ſententiam.*

3 *Propoſitiones contrariæ in exiſtimatione poſſunt eſſe ambæ vera.*

4 *Iudicium conſcientiæ debet dictare licitam eſſe actionem, iudicium vero materiæ nō oportet, vt hoc dictet, ſed ſtare poterit cum iudicio oppoſito.*

5 *In electione opinionis minùs probabilis eligēs ſequitur etiam inclinationem rationis.*

6 *Operans minùs probabiliter, licet non ponat ſummam, ponit tamen ſufficientem prudentiam.*

7 *In operante iuxta probabilem opinionem, recta eſt intelligentia.*

8 *Medicus in curatione ægroti nequit applicare medicamentum minùs probabile, ſi poteſt præ manibus habere probabilius.*

9 *Idem in adminiſtratione Sacramentorum.*

10 *Iudex debet ſententiam iuxta probabiliorē opinionem proferre.*

11 *Eligens minùs probabilem ſententiam, vitat periculum peccandi.*

12 *Neque dici poteſt cito credidiſſe, aut eſſe leuis corde.*

13 *Roboam meritò fuit reprehenſus derelinquens ſeniorum, & ſequens adoleſcentum conſilium.*

14 *Quæ ex Sancto Auguſtino afferuntur ſunt de conſilio.*

15 *Explicatur doctrina Sancti Thomæ in contrarium allata.*

16 *Laudabilis conſuetudo expediendi negotia ad plura ſuffragia eorum, qui in publicis comitijs ſuffragium ferunt, & inter illa, & forum conſcientiæ eſt diſcrimen.*

17 *Explicantur textus Canonici allati pro ſe ab arguente.*

AD primum ex doctrina *Ariſtotelis 2. de anima* deductum, diſtinguo conſequens maioris, ſi licitè poſſemus minùs probabilem ſequi ſententiam, liberum nobis eſſet opinari,
1 † quando proponitur motiuum probabile, concedo; quando nullum adeſt motiuum, vt declarauimus in quinto notando, nego ſequelam, eademq; diſtinctione adhibita ad minorem, cum dicitur eſſe contra Philoſophum, & veritatem, nego conſequentiam.

Ad ſecundum nego eum, qui ſequitur minùs
2 probabilem opinionem, † non habere prudēs iudicium & ad id, quod additur de libertate ad opinandum, iam reſponſum eſt.

Ad tertium reſpondeo cum diſtinctione: Quando ambæ propoſitiones contradictæ ſunt probabiles, licet à parte rei, vna debeat eſſe
3 vera, & altera falſa; † in exiſtimatione tamē ſecundū probabilitatem practicam, vtraque poterit eſſe probabiliter vera, vt expoſuimus ſupra *in quarto notando*; & ideo ad argumentū negandum eſt antecedens, cum dicitur, licitè nos non poſſe vtramq; ſequi ſententiam, etiam ſi, quæ probabilior eſt, iudicemus veriorem, & tandem negamus conſequentiam.

Ad quartum aio eſſe æquiuocationem, cum dicitur, ad rectè operandum requiri iudicium
4 dictans † hoc opus, ſeu hanc actionem eſſe licitam, & ſi ſermo ſit de iudicio, in quo ponimus conſcientiam, fateor ita eſſe debere; Si verò ſermo ſit de iudicio verſante circa honeſta-

neſtatem, & malitiam materiæ, ſeu obiecti, di-
co neceſſarium non eſſe ad honeſtè operandũ,
vt abſolutè iudicemus tale obiectum eſſe lici-
tum, cum ſufficiat probabiliter id iudicare, vt
poſtea iudicium certum de honeſtate actionis
formemus, & ex his patet ſolutio ad reliqua,
quę ibi dicuntur. Ad confirmationem reſpon-
dens, aio æquiuocationem dari, quia quando di-
citur, cum iudicio ſcientifico, per quod vt pro-
babile aſſeritur, opus illud eſſe licitum, ſtare iu-
dicium, quod idem opus ſit illicitum ſi per
opus intelligatur operatio ipſa, quę hic, & nũc
exercetur, quod dicitur erit omnino reijciendũ,
nam iudicium de tali operatione eſt proprijſ-
ſimè conſcientia, quę certò iudicat de honeſta-
te, ſeu inhoneſtate actionis, vt ſupra agentes
de conſcientia in cõmuni oſtendimus, ideoq;
nequit conſiſtere in iudicio tantum probabili:
Si vero per opus intelligatur materia, ſeu obie-
ctum actionis, vt ſuppono ab arguente intendi,
concedendum erit, ſtare poſſe ſimul duo illa iu-
dicia, ſed quando poſtea exigitur aliud iudiciũ,
per quod operans feratur in veritatem obiecti,
quamuis ab Ouiedo non cenſeatur neceſſariũ
ad rectam operationem, ſed cenſeatur ſufficiẽs
iudicium illud præuium, quod ſtante iudicio
de probabilitate licitum ſit mihi operari; nihil-
ominus demus arguẽti eſſe neceſſarium iudiciũ
quod feratur in veritatem obiecti, & iudicemus
de honeſtate eiuſdem; negò tamen ex hoc ſe-
qui non poſſe etiam haberi aliud iudicium de
inhoneſtate eiuſdem obiecti, quia iudicia iſta,
cum non ferantur abſolutè in obiectum, ſed
modaliter, quatenus per ipſa exiſtimamus
probabiliter rem eſſe honeſtam, & probabili-
ter eſſe illicitam, idcirco non pugnat inter ſe,
neque ſunt incompoſſibilia; atq; adeo falſum
eſt intellectũ manere ita ſuſpenſum, & dubium,
vt nequeat à ſuſpenſione, & dubietate iſta re-
cedere per iudicium practicum de honeſtate
actionis.
Ad quintum nego antecedens, ac etiam ne-
5 go † in eligẽda opinione minus probabili, ho-
minem nõ ſequi etiam inclinationem rationis;
licet enim intellectus maiorem habeat adhæ-
ſionem opinioni probabiliori, ex hoc tamen
non bene infertur, non adhærere minus pro-
babili, quia probabilitate poſita, vtraque opi-
nio eſt practicè vera, ac proinde intellectus po-
teſt vtrique adhęrere; cum in vtraque agnoſcat
proprij obiecti rationem; ſicuti ex eo quod vo-
luntas inclinet magis in maius bonum, non
infertur non inclinare in minus bonum, & pro
ſua libertate poſſe, relictò maiori bono, eligere
minus bonum.
Ad ſextum reſpondeo aliud eſſe, ab homine
operante adhiberi ſummam diligentiam mora-
6 lem, & aliud non ſummam, ſed ſufficientem †
operans autem iuxta minùs probabilem opi-
nionem, licet non ponat ſummam, ſatis eſt, vt
ponat ſufficientem, neque homo tenetur in hoc
ad aliquod plus; atque adeo ſatisfacit obliga-
tioni ſuę ad vitandum peccatum, illudq; de fa-
cto vitat, apponendo moralem diligentiam, lij
cet non ſummam; proinde cenſetur operari
ſecundum prudentem, rectamque rationem.
Ad ſeptimum aio in operante ſecundum
7 probabilem opinionẽ, rectam † eſſe intelligen-
tiam, atque etiam probabiliores, & minùs pro-
babiles opiniones in ea inueniri, ex his autem
ſequitur prudens operatio; ac proinde nihil
contra Ariſtotelem aſſerimus.
Ad octauum reſpondeo negando ex noſtra
ſententia abſurda illa inferri poſſe, & ad ſin-
gula dico, non eſſe eamdem paritatem, & ratio-
8 nem; nam Medicus in ægroti curatione † non
poteſt abſque peccato applicare medicamen-
tum minùs probabile, probabiliori omiſſo, neq;
Sacerdos in adminiſtratione Sacramentorum
materiam, aut formam minùs probabiles, quia
hoc eſſet in pręiudicium tertij; & horum om-
nium fundamentalis ratio eſt, quia curatio, ſeu
ſanitas non obtinebitur vi illius medicamenti,
quod ſecundum exiſtimationem eſt efficax,
ſed illius, quod in rei veritate, efficax
reperitur, cum ad curationem ęgroti nihil in-
9 fluat hominum exiſtimatio; † idem aſſero de
applicatione materiæ, & formæ Sacramento-
rum; nam eorum valor ex Chriſti Domini in-
ſtitutione, & non ex noſtra opinione dependet,
vt præmiſimus *in 6. notando*; verũ de his om-
nibus ſuo loco infra eſt agendũ. Ad illam vero
inſtantiam, quæ additur, probando eamdem
eſſe paritatem de his, & de opinionum electio-
ne in alijs materijs, reſpõdeo eſſe longe diuer-
ſum diſcrimen, quia amor veri, & certi, ſicuti, &
amor erga Deum nos obligat ad hoc tantũ, vt
in eligendis opinionibus peccati, periculum vi-
temus, & iuxta prudens rationis dictamen ope-
remur, quod habetur etiam operando ſecun-
dum opinionem minùs probabilem, vt ſupra
oſtenſum eſt.
Quod verò ad Iudicem ſpectat, quamuis nõ-
nulli exiſtiment poſſe ab ipſo proferri ſenten-
10 tiam iuxta minùs probabilem opinionem; †
puto tamen hoc eſſe falſum ob rationes ſuo lo-
co aſſignandas: nunc verò breuiter dico, non
eſſe eamdem paritatem, quia ex prolatione sẽ-
tentiæ ſecundum minùs probabilem lęditur ius
alterius, eiq; damnũ infertur; at in operando ſe-
cundum minùs probabilem in alijs materijs
non læditur lex, aut Deus legiſlator, quoniam
operatio ex minus probabili opinione proce-
dens eſt legi, Deoque legiſlatori conformis, li-
cet alia probabilior ſit conformior, quam ſe-
qui non tenemur, vt ſupra demoſtrauimus.
Ad nonum nego ab eligente minùs proba-
11 bilem † non vitari peccandi periculum.
Ad decimum aio falſum eſſe de eligente mi-
12 nùs probabilem dici poſſe, † citò crediaiſſe, le-
uemq; corde eſſe, quia ſequutus probabilem
ſententiam, quę non leui nititur fundamento,
non leuis, ſed potiùs prudens corde dici debet,
quamuis non ſummę prudens; quod non re-
quiritur.
13 Ad vndecimum dico, meritò reprehenſum
fuiſſe Roboam, quia relinquens ſanum, &
prudens ſeniorum conſilium, ſequutus eſt ſtul-
tum

tum adoleſcentum conſilium, vt rectè notat ibi noſter Cornelius; proinde falſum ſupponitur in argumento, conſilium illud adoleſcentum fuiſſe probabiliter prudens.

14 Ad duodecimum. Quæ ex † S. Auguſtino referuntur procedunt ex conſilio, & non dicũtur tamquam ex præcepto; meliùs enim eſt: per ſe loquendo, ſequi ea, quæ à pluribus, & grauioribus defenduntur, quàm à paucioribus, & non ita grauibus, præſertim quia, quæ à paucioribus dicuntur, non ſunt aliquando probabilia. Addo S. Auguſtinum l. c. non loqui de opinionum electione, ſed de ſcripturis canonicis, & dat prudentem regulam, quo pacto in illarũ receptione ſolers indagator ſe gerere debeat.

15 Ad trigeſimum. Ex S. Thoma † reſpondeo. ſermonem eſſe quando quis, manente dubio, operatur; ſic expreſsè docet *idem S. Doctor.* examinat enim *ibi*, an ſit peccatum habere plures præbendas; in fine autem articuli hæc habet verba: *Aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat cõtra conſcientiam faciens, quamuis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinẽ, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex opinionum contrarietate, & ſic ſi manẽte tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & proculdubio peccat, vt pote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem: aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat. Hæc S. Thomas* ecce quo pacto S. Doctor loquitur in eo caſu, quo quis cum dubio operatur ideoque meritò ait hunc peccare, dum tali dubitatione exiſtente eligit opinionem.

16 Ad decimum quartum dico iuſtam, † ac laudabilem eſſe conſuetudinem, quæ in communitatibus reperitur, negotia, ſcilicet expedienda eſſe ad plura ſuffragia, & non immeritò; quia cum in his comitijs tractentur res ad commune bonum ſpectantes, conſentaneum eſt rectæ rationi, vt deciſio fiat ſecundum plurium, & non paucorum placitum: at in rebus ad propriam vniuſcuiuſque conſcientiam peculiariter pertinentibus, non concurrunt plures, neq; agitur de bono pluribus commune; ſed de bono particulari, & ipſe idem, de cuius agitur bono, eſſe debet conſultor, iudexque, & ideo ſatis illi erit, ſi operetur prudenter, & ſecundum rationis dictamen, & non eſt obligandus ad operãdum ſecundum maiorem prudentiam: paritas autem curreret, quando plures eſſent interiores cõſcientiæ in vnoquoq; homine, quę dictarẽt, quid faciendum, & ex illis maior pars dictaret vnam opinionem, minor verò pars, aliam; tunc enim deberet eligi opinio illa, quam maior conſciẽtiarum pars dictaret, ſicuti diximus faciendum eſſe in publicis collegijs.

Et hæc dicta ſint ſatis pro ſolutione argumentorum, quę à Philaletho contra noſtram ſententiam ſunt adducta.

17 Ad decimum quintum ex textibus Canonicis † facilè reſpondetur, ibi ſermonem eſſe de dubio, & non de opinione, vt patet legenti textũ; proinde demus, quando ſimus in dubio tutiorem partem eſſe à nobis eligendam; ſecùs tamen dicendum, quando habemus opiniones practicè pro vtraque parte probabiles.

ADMONITIO
Ad Lectorem.

POSTQVAM hæc conſcripſeram, ad manus peruenit meas Opuſculum de libera, & prudẽti agibiliũ electione ab A.R.P.D. Stephano Spinula editum, in quo multa contra Philalethi opinionem, quã hactenus impugnauimus, eruditè proponuntur, & dum doctrinam in eo contentam meditaret, quædam in defenſionem Philalethi, ingenioſa quidem, emanauit Apologia, auctoris nomine ſuppreſſo, quam diligẽter perlegi, & conſideraui; quoniam verò plura ibi pertractantur aduerſus ea, quæ de opinionum electione nobis in præcedentibus probabiliora viſa ſunt; idcircò pro maiori noſtræ doctrinæ firmitate, & vt veritas magis, magiſquè elucidetur, Apologiam hanc breuiter expendendam ſuſcipio, aliqua ſuperius dictis addendo, aliqua verò, quamuis dicta, clariùs exprimendo.

CAPVT XI.

Doctrina Apologiæ proponitur, & impugnatur.

SVMMARIVM.

1 *Diuidantur quæ habentur in Apologia in duas partes.*

2 *Anonymus aſſerit doctrinam Philalethi traditam fuiſſe à primis Theologis.*

3 *Probabilitatem ad rectè operandum, ait Anonymus, eſſe eam, quæ gignit iudicium de honeſtate materiæ.*

4 *Iudicium probabile de honeſtate materiæ, & iudicium quod ſit probabile, materiam eſſe honeſtam inuicem differunt ſecundum Anonymum, & in quo differunt.*

5 *Minùs probabilis, præſente probabiliori contraria, nequit gignere iudicium de honeſtate materiæ aſſerit Anonymus.*

6 *Elicitur argumentum ex doctrina Anonymi.*

7 *Iudicium de honeſtate materiæ, & iudicium de honeſtate electionis differunt.*

8 *Iudicium de probabilitate honeſtatis non ſiſtit in probabilitate, ſed extẽditur ad veritatem, & ho-*

& honeſtatem rei.

9 *Iudicium de probabilitate honeſtatis, & iudicium de probabilitate inhoneſtatis non ſunt contradictoria.*

10 *Non rectè ab Anonymo citatur S. Thom. & quidam alij.*

11 *Probabilitas, quæ gignit iudicium de honeſtate materiæ, intelligitur de materia vt ſub motiuo repræſentatur.*

12 *Iudicium probabile de honeſtate materiæ, & iudicium, quo iudicamus probabile eſſe, materiam eſſe honeſtam, in genere moris idem important; & ſolùm ſecundum implicitum, & explicitum differunt.*

13 *Reſpondetur ad contrarium argumentum.*

14 *Quæ dicta ſunt de opinione minùs probabili, intelliguntur etiam de æquè probabili.*

VT maiori procedamus claritate; quæ in Apologia continentur, ſub duplici parte ponere viſum
1 eſt: † in prima enim incipiendo ab illis verbis [*At Pilalethus*] habentur rationes, quæ directè tendunt contra ſententiam, & doctrinam à nobis traditam, ideoquè ad illas expêdendas ſermonem inſtituimus: in ſecunda autem parte, incipiendo ab illis verbis [*Vbi verò iſte Author*] vſq; ad finē, refutantur nonnulla adducta exempla ab ipſo Spinula, & de his defendendis non curo, quia ſiue probent, ſiuè non probent, nihil ad me. Deuenientes autem ad ea, quæ in
2 prima Apologiæ parte proponuntur; † prius ſe offert, quod aſſerit Author, qui in poſterum, *Anonymus*, à nobis appellabitur; aſſerit, inquā, ſententiam Philalethi fuiſſe traditam ab antiquioribus, & qui ſumma Theologiæ ſunt capita, vt *S. Thomas, Scotus, Ioannes Maior, Gabriel, &c.*

Secundò, in tertio folio Ver: [*Philalethus*
3 *verò*] dicitur † non omnem probabilitatem eſſe ſatis ad honeſtè operandum; ſed eam tantùm, quæ efficere poteſt iudicium probabile, quo iudicamus, talem materiam eſſe honeſtam; & in hoc, ab Anonymo ſupponitur, Doctores omnes conuenire.

Tertiò, à folio 4. Anonymus incipit ſuā do-
4 ctrinam aperire, & ideo prius ſupponit † iudicia iſta valdè inuicem differre, videlicet, iudicare probabiliter ſe agere, quod eſt honeſtum, & iudicare ſiuè probabiliter, ſiuè certò, ſe agere, quod probabiliter eſt honeſtum: diſcriminis autem rationem inter primum, & ſecundum iudicium aſſignat, dicens, cum illo primo iudicio non ſtare hoc aliud iudicium, nempè iudicare probabiliter ſe agere, quod eſt inhoneſtum, ſtare tamen cum ſecundo iudicio; & addit, Deum eſſe contentum de primo iudicio, quia nos nequimus euidenter ſcire, quod agimus eſſe honeſtum, ſed ſufficere, vt illud honeſtum putemus; non autem eſſe contentum de ſecundo iudicio, & meritò, quia cum iudico, me agere, quod eſt probabiliter inhoneſtum, imò interdum probabilius inhoneſtum, ago, quod mihi dubium eſt, an ſit honeſtum, vel inhoneſtum, & ſic conuincor non amare magis honeſtum, quàm inhoneſtum: ita ex *Anonymo.*

Quo poſito, loco cuiuſdam maioris, ſubſumit *idem Author* ex Philaletho. Sed quando ſunt duę propoſitiones contradictoriæ, quarū vna, vt probabilior, altera verò, vt minùs probabilis cognoſcitur, ea, quæ eſt minùs probabilis, in
5 comparatione alterius, † nequit generare in intellectu eligentis iudicium probabile de honeſtate materiæ; ergo propoſitio minùs probabilis nequit facere, vt quis honeſtè eligat talem materiam, & ſi eligat, peccabit: probationem autem huius minoris remittit Anonymus ad ea, quæ *in ſuo Opuſculo* docuit *Philalethus*, & præſertim probat ex eo, quod quis habens aſſenſum probabilem de aliquo obiecto, etiam cum formidine oppoſiti, verè tamen iudicat verum eſſe illud, quod opinatur, V. G. Si quis iudicium probabile habet, talem contractum eſſe illicitum, putat verum eſſe, quod non ſit licitus; ideoque nequit probabiliter iudicare oppoſitum, nempè eſſe licitum; quia nemo poteſt iudicare, duas propoſitiones cōtradictorias ambas eſſe veras, atquè adeò nequit iudicare, talem contractum eſſe illicitum, & licitum; cum igitur ex contradictorijs propoſitionibus, vna tantùm debeat eſſe, & iudicari vera, nemo prudens exiſtimare poterit veram, quę eſt minùs probabilis, ſed eam, quæ eſt probabilior, maioraquè habet veritatis motiua, & inditia.

Iſte eſt diſcurſus *Anonymi* paucis perſtrictus, quē *in ſua Apologia* publicè exhibuit; & quæ docet de opinione minùs probabili reſpectiuè ad probabiliorem, aſſerit ēt de æquè probabili, putans iudicium determinatum ad rectè operandum, in intellectu gignere non poſſe.

Vt autem vis argumēti Anonymi meliùs appareat, & vt illud cum fundamento, cui innititur, clariùs impugnemus, placet ex tota doctrina hactenus ex Apologia collecta, tale argumentum, ſecundum Logicæ præcepta, conficere.

6 Nemo erit honeſtè operans, ſi talem eligat opinionem, quæ in intellectu ipſius operantis gignere nequeat iudicium determinatum de honeſtate materiæ, circa quam verſatur opinio eligenda.

Sed quando duæ concurrunt opiniones, quarum vna vt probabilior, altera verò, vt minùs probabilis, ſe offert, minùs ꝓbabilis eſt inepta, in intellectu ipſius operantis gignere iudicium determinatum de honeſtate materiæ, circa quam verſatur ipſa opinio minùs probabilis.

Ergo quando duæ concurrunt opiniones, quarum vna, vt probabilior, altera verò, vt minùs probabilis ſe offert, nemo erit honeſtè operans, ſi minùs probabilem eligat opinionem. Maior huius ſyllogiſmi vt certa ſupponitur ab Anonymo: minor verò, diſcurſu, à nobis ex eius Apologia relato ab eodem fusè probatur.

Verùm, vt doctrina, & ſententia, quam defendimus, firma perſiſtant, tria ſunt aperienda, in quibus tota Anonymi, & Philalethi opinio

fun-

fundatur, & his corruentibus opinio prædicta
viribus deſtituetur.
7 Primò.hæc duo non ſunt confundenda, †
nempè,iudicium de honeſtate materię, ſecun-
dum ſe,circa quam verſatur opinio, & iudicium
de electione opinionis, ſeu de actione hic, &
nunc exercenda,vt efficaciter oſtendimus *ſupra
cap.9.ante ſolutionem argumentorum*,primum
illud iudicium minimè eſt neceſſariũ, ſecùs ſe-
cundum;& ratio vtriuſquè eſt manifeſta; nam,
vt ſupponimus, quando non habemus euiden-
tiam rerum, ſed ſolùm probabilitatem, omne
iudicium, quod prærequiritur ad rectè operan-
dum,nequit eſſe de honeſtate abſoluta obiecti,
ſeu materiæ, ſed de honeſtate modali, videlicet
de honeſtate vt probabiliter apprehenſa; pro-
indè tali præhabito iudicio, certam formamus
conſcientiã,iudicando licitum nobis eſſe,elige-
re talem opinionem, de cuius materię honeſta-
te nõ habemus euidentiam,ſed nudam, & ſim-
plicem probabilitatem: ſecluſa enim certitudi-
ne phyſica, aut morali,de honeſtate rei, nihil
aliud, vt de ſe patet,remanere poteſt in rę, pro
vt terminat iudicium noſtri intellectus, niſi
probabilitas de obiecto, & ſi aliqua adeſt cer-
titudo,erit de ipſo iudicio elicito,ſeu de proba-
bilitate ipſa.
Secundò quod in pręſentia animaduerto, &
diximus *cap.10.in ſecundo, & tertio animad-*
8 *uertendo primi paragraphi*, † iudicium iſtud
de probabilitate non ſiſtere in illa, ſed etiam ſe
extendere ad veritatem, ſeu falſitatem opinio-
nis,& obiecti honeſtatem,ſeu inhoneſtatem,
non abſoluiè, ſed modaliter ſpectatam,nimirũ
quatenus ſtat ſub apprehenſione ſecundum va-
ria motiua,quæ intellectui obijciuntur.
Tertiò deniquè ex eo quod quis duos illos aſ-
ſenſus habeat,nempè probabile eſt,contractum
cambij cum recurſa, eſſe licitum, & probabile
eſt, non eſſe licitum, contradictoria † non in-
9 ferri;nam vtraquè propoſitio eſt obiectiuè ve-
ra,quia verum eſt,ſe offerre motiua probábilia
tum pro honeſtate, tùm pro inhoneſtate illius
cõtractus, & cũ ſint propoſitiones modales, vt
efficiãtur cõtradictoriæ deberet proponi dictio
negatiua ante alterã; E.C. probabile eſt,eſſe li-
citũ:nõ probabile eſt eſſe licitũ, tunc enim vna
vera, altera falſa haberetur ex regulis contradi-
ctoriarum modalium; & de hoc puncto ſupra
nõnulla diximus *ca.5.§.1.in 4.animaduertẽdo*,
His omnibus præmiſſis, reſpondeo directè,
tum ad doctrinam ipſius Anonymi, tum ad ar-
gumentum,quod ex eius doctrina formauimus,
& ad primum, quatenus ait, ſententiam Phila-
lethi,eſſe ab antiquioribus,& præcipuis Theo-
logis traditam.
10 Reſpondeo nõ ita ſe habere;nam *S.Tho.*† *vt
ſupra oſtendimus* §.2.*ad* 13.eius verba referen-
tes,aliud intendit: Scoti verò ſententiam, quã
pro ſe adducit Philalethus *in quaſt.illa 5.opu-
ſculi* inuenire non potui in eo loco, quem ipſe
citat,nempè *in 4.diſt.1.quaſt.6.* fortitan enim
locus iſte ex Impreſſoris, aut Copiſtæ incuria
fuit citatus;ex reliquis verò ab ipſo,& à Comi-
tolo relatis,aliquis nõ ita clarè loquuntur,an de
cõſilio,an verò de pręcepto ſequenda ſit proba-
bilior,ſeu tutior pars, & ita non clarè loquitur
Nauarrus in ſumma cap.27. num.286. neque
Gerſon tom.2.tract.de contract.attent.10. poſ-
ſunt enim exponi,ipſos loqui de conſilio, & nõ
de rigore iuris: Rurſus *Angelus* citatus à *Co-
mitolo Verb.opinio.verſus finem*, oppoſitũm
dicit; Sotus verò, quem *Comitolus* etiam citat
lib.3.de iuſt.art.5.in fine, ſermonem habet de
Iudice,& Medico,qui, vt videbimus, probabi-
liores,& tutiores opiniones ſequi debẽt: Fateor
tamen aliquos expreſsè docere, quod ſuſtinet
Philalethus;ſed ex hoc nihil contra nos, nam
& ſi aliqui ſint ex parte ipſius, longè plures sũt
ex parte noſtra, vt ſupra vidimus.
Ad ſecundum, cum dicitur probabilitatem
quę efficere poteſt iudicium de honeſtate mate
riæ,eſſe tantum eam, quæ verſatur circa hone-
ſtatem materiæ: ſi intelligitur de materia ſecũ-
11 dum ſe,& pro vt eſt in re, eſt falſum; † ſi verò
intelligatur de materia, pro vt ſtat ſub motiuis
apprehenſis, eſt verum, at nihil contra nos.
Ad tertium aio, illa duo iudicia eſſe diuerſa,
& differre: inquantum primum iudicium, vt
ſuppoſuimus, immediatè fertur in honeſtatẽ,
aliud verò in probabilitatem honeſtatis; illud
eſt abſolutum, hoc verò eſt modale: & addo,
quod ſi ſermo eſſet de iudicio, pro vt probabi-
liter,& non certò, & euidenter fertur in hone-
12 ſtatem, tunc † in genere moris vtrumq; iudi-
cium in idem tendit; cum enim dicitur, iudico
probabiliter me agere,quod eſt honeſtum, pro
babilitas formalis, quæ eſt in iudicio, non ex
alio capite transfunditur, niſi ex probabilitate
obiectiua; impoſſibile enim eſt, iudicium eſſe
probabile, quin obiectũ,in quod tendit, ſit etiã
probabile;ſicuti nequit eſſe certum, & euidens,
niſi obiectum ſit etiam tale: & ſi hoc ita ſe ha-
bet,licet ſecundum verba,ſeu formam loquendi,
illa duo iudicia videantur differre, rectè tamen
explicata,idem ſignificant;& ita moraliter, idẽ
erit iudicare probabiliter contractum aliquem
eſſe licitum, & iudicare, quod ſit probabile tale
contractum eſſe licitum, cum hoc diſcrimine
tamen, vt probabilitas in prima propoſitione
ſolùm implicitè ponatur,explicitè verò in ſecũ-
da: proinde ſi cum ſecundo iudicio,quod fer-
tur in probabilitatem ſignanter, ſeu explicitè
ſtat iudicium de probabilitate inhoneſtatis, ita
etiam cum primo iudicio de honeſtate, ſtat iu-
dicium de inhoneſtate;nam, vt vidimus,vtrũq;
iudicium in genere moris in idem tendit,& fal
ſum eſt de ſolo primo iudicio Deum eſſe con-
tentum, non autem de ſecundo, de vtroq;enim
idem eſt dicendum, & cum contra additur, nos
vi ſecundi iudicij eligentes operari, eligimus,
quod nobis eſt dubium,& conuinci amari pro-
babiliter inhoneſtum, imò interdum probabi-
lius etiam inhoneſtum; ſi hæc materialiter in-
telligantur, concedenda ſunt, & negandum eſt
id eſſe inconueniens; interdum enim recta erit
actio,licet tendat in obiectum, quod à parte rei
ſit moraliter malum; apprehenſum tamen vt
bonum.

bonum;ſi verò intelligatur formaliter, neganda ſunt, vt falſa, quia poſito iudicio probabili tum de honeſtate, tum inhoneſtate obiecti, formamus iudicium conſcientiæ practicè certum, quod electio ſit honeſta; & hoc ipſum docet *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 16. 17. 18.* paucis mutatis verbis. Ad probationem ſubſumpti ex Philaletho negandum eſt, vnam propoſitionem, ex contradictorijs, minùs probabilem, non eſſe aptam ad gignendum iudicium de honeſtate materiæ, ſcilicet, materiæ, pro vt repræſentatur, ſicuti ſupra declarauimus; atque adeò eſt negandum, eligentem talem opinionem peccare, v. g. eligentem opinionem, quæ aſſerit talem contractum eſſe licitum, licet probabiliùs ſit, eſſe illicitum. Ad doctrinam verò in Opuſculo à Philaletho traditam, & ad quam Anonymus ſe remittit, videlicet, cũ quis habet probabilẽ aſſenſũ de aliquo obiecto, &c. reſpõdem⁹ falsũ eſt operãtẽ iudicare abſolutè, eſſe verũ, qđ opinatur, nẽpè eſſe honeſtũ, ſed tãtùm modaliter id iudicare, nempè, probabiliter ità eſſe; & ſic iudicat, contractum v. g. probabiliter eſſe licitum, cum tali autem iudicio ſtat hoc aliud iudicium, quo iudicatur, contractum probabiliter eſſe illicitum; neque hę duę propoſitiones ſunt contradictorię, vt ſupra oſtendimus.

13 Denique ad argumentum in forma poſitũ; † reſpondeo concedendo maiorem, dummodo iudicium de honeſtate materiæ ſumatur modo explicato, nempè ſecundum apparentiam; & nego minorem, quatenùs aſſerit, vi opinionis minùs probabilis, præſente probabiliori, gigni non poſſe iudicium illud determinatum, vt ſupra.

Quę dicta ſunt de concurſu opinionum magis, & minùs probabilium, locum etiam habent, † quando duæ opiniones æqualis proba-
14 bilitatis concurrunt, eadem enim eſt ratio.

Et hæc ſufficiant in defẽſionem noſtræ ſententiæ circa electionem opinionum.

CAPVT XII.

An ſit poſſibile haberi, in eodem intellectu probabilem aſſenſum, per principia intrinſeca, de duabus opinionibus contrarijs circa idem obiectum.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur exemplum pro quæſtionis intelligentia.*
2 *Aliqui non admittunt duos aſſenſus contrarios circa idem ex principijs intrinſecis.*
3 *Partem affirmantem amplectitur Author.*
4 *Aſſenſus illi non ſunt inuicem pugnantes.*
5 *Operari ſecundum aliorum ſententiam, & cõtra propriam, non eſt contra conſcientiam.*

1 PROPONATVR † E. C. vulgaris controuerſia, an in articulo mortis poſſit Confeſſarius abſoluere moribundum præbẽtem ſola ſigna, per quæ indicet abſolutionem velle, nullo expreſſo peccato in particulari; & quia inter Doctores aliqui partem affirmatiuam: aliqui vero negatiuam ſuſtinent. quæritur, an poſſit aliquis ſimul habere duos aſſenſus determinatos, & per principia intrinſeca iudicare ambas opiniones contrarias eſſe probabiles; an verò id ſit impoſſibile, & ſolùm valeat vnam opinionem exiſtimare probabilem per principia intrinſeca; aliam verò per extrinſeca tantùm iudicare eſſe probabilem.

In hac re *Vaſquez p. 2 d. 62. c. 3. nu. 10. Sayrus in clau. reg. lib. 1. c. 5. n. 3. Layman in theolog. morali. lib. 1. tr. 1. c. 5. n. 5. ver. Notandum*
2 *ſecundo* aſſerunt † eſſe impoſſibile vtramque opinionem iudicari probabilem per principia intrinſeca, quia ſimul in eodem intellectu eſſẽt duo aſſenſus pugnantes inuicem, & contradictoria inferentes; nam ille, qui cenſet rem aliquam eſſe probabilem per principia intrinſeca, id iudicat, deducens probabilitatem ex natura, & proprietatibus eiuſdem rei, & ſic implicitè putat talem, & non aliam eſſe naturam, & proprietates illius rei. V. G. Siſtendo in exemplo allato, qui exiſtimat poſſe abſolutionem Sacramentalem impendi moribundo exprimenti ſuam intentionem per ſola ſigna, & nullum aperienti peccatum in particulari; id colligit ex eo, quod iudicat eſſentiam huius Sacramenti, vt à Chriſto Domino de facto inſtitutam, eſſe talem, vt eius materia neceſſaria ſaluetur in ſolis nutibus in confuſo, ſeu in genere exprimentibus peccata; ideoq; cum hoc iudicio nequit aliud eſſe iudicium contrarium, quo iudicatur, materiam huius Sacramenti nullo modo conſiſtere in ſolis nutibus, proinde nequit idem intellectus habere duos illos aſſenſus contrarios per principia propria, & intrinſeca, poterit tamen vtrumque aſſenſum habere, ſed per diuerſa principia; nempè vnum aſſenſum per intrinſeca, aliud verò per extrinſeca, videlicet ſi putet probabile dari poſſe abſolutionẽ, & ad hoc inducatur ex natura talis Sacramẽti, ſeu per proprias eius intrinſecas rationes; ſed cum vult elicere aſſenſum contrarium, quo iudicet abſolutionem illam impertiri non poſſe, id inferre debet ex eo, quod quamplures viri docti probabiliter docent inualidè conferri, & ſic aſſẽtitur huic opinioni per extrinſeca principia; neq; hi duo aſſenſus propriè, & formaliter cenſendi ſunt oppoſiti, niſi ſolùm materialiter, quatenus verſantur circa idem obiectum, ſed per diuerſa media. Hęc eſt opinio Vaſquez, aliorumque hanc eamdem ſuſtinentium ſententiam.

3 Sed auctoribus contrariam docentibus † adhæreo: aio enim poſſe intellectum per principia intrinſeca iudicare, vtramq; opinionem cõtrariam eſſe probabilem, & ita ſentiũt *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. nu. 12. Breſſerus de conſc. probab. lib. 3. c. 6. n. 69. Merolla tom. 1. d. 3. c. 4. d. 1. n. 9. Arriaga in p. 2. d. 24. ſec. 2. in fine.* Probatur concluſio; nam licet nequeat intellectus præbens aſſenſum certum vni parti, & iudicans eã, eſſe veram, exiſtimare alteram partem probabilem per principia intrinſeca; quando tamen non ſimpliciter affirmat vnam partem eſſe certò veram, ſed ſolùm probabilem, nulla apparet ratio, cur nequeat etiam per principia intrinſeca iudicare alteram eſſe etiam probabilem. V.G. quando iudicat ſignum; quo petitur abſolutio, eſſe ſufficiens ad dandam abſolutionem in caſu mortis, modo vt ſupra explicato, id iudicat, quia expreſſio etiam confuſa peccatorum videtur materia apta Confeſſionis Sacramentalis, inquantum putat ad rationem genericam iudicij ſufficere ſigna, & nutus non ſolùm ex parte iudicis ferentis ſententiam: verum etiam ex parte delinquentis fatentis delictum. Contra vero poterit etiam iudicare probabile eſſe talem expreſſionẽ ita confuſam, non eſſe ſufficientem ad iudicium Sacramentale, ex eo, quod ſicuti eius forma conſiſtit in verbis, ſic quoq; & eius materia; proinde neutram in ſolis nutibus ſaluari poſſe, niſi exprimatur aliquod peccatũ particulare, & ad hoc exiſtimandũ, non moueri ex aliorũ auctoritate, ſed ex natura ipſius Sacramenti poſtulantis ad ſui validitatem materiam determinatam: ſi quis autem hoc pacto iudicaret, moueretur ad aſſenſũ probabilem vtriuſq; partis oppoſitæ per principia intrinſeca, & propria, quæ ſcilicet conſiſtunt in quidditate ipſius Sacramenti; & cũ in hoc nulla appareat contradictio, neq; difficultas, conſequenter aſſerendum eſt poſſibile eſſe haberi in eodem intellectu probabilem aſſenſũ per principia intrinſeca de eodem obiecto.

Ad rationem verò pro contraria ſententia
4 reſpondeo illos duos aſſenſus † nõ eſſe inter ſe pugnantes, neq; ex illis inferri contradictoria, vt putarunt Aduerſarij; nam illa duo iudicia, quibus innituntur opiniones iſtæ contrariæ, nõ ſunt talia, vt vnum ex illis feratur in obiectum, pro vt eſt à parte rei in ſe, ſed prout apprehenſum; & ideo per tale iudiciũ non dicimus abſolutè, & ſimpliciter rem ita eſſe, ſed dicimus probabiliter ità eſſe; & ſic eſt iudiciũ, quod fertur in obiectum, quatenus ſtat ſub tali modo, ſcilicet ſub probabilitate; cum hoc autem iudicio eſt compoſſibile aliud ex intrinſecis principijs non euidenter cognitis, per quod etiam iudicamus probabile eſſe oppoſitum, & ſic non ſunt contradictoria, quæ tunc eſſent, quando negatio vnius iudicij afficeret modum, vt ſuppono ex regulis modalium in logicis, & ſupra fuſiùs declarauimus *cap. 11.* ideoq; contradictoria hæc eſſent: probabile eſt ſufficere ſigna moribundi ad abſolutionem conferendam, & per aliud iudicium diceremus: non probabile eſt ſufficere ſigna, &c. cum autem in caſu noſtro probabilitas vnius non tollat probabilitatẽ alterius, inde eſt, vt poſſimus abſq; dubio duos habere aſſenſus opinatiuos de eadem re, etiam ſi vterq; aſſenſus eliciatur ex principijs proprijs, ſeu intrinſecis eiuſdem rei, & nõ eſt neceſſe, vt vnum habeatur ex talibus principijs; aliud vero ex communibus, ſeu extrinſecis, hoc eſt ex auctoritate, exemplo prudẽtum, &c. vt vult Vaſquez.

Ex his colligitur, quod cum ſequimur opinionem probabilem aliorum, operantes contra noſtram opinionem, quam probabiliorem
5 iudicamus, † non operamur contra conſcientiam, ſed iuxta illam, quatenus prudenter iudicamus hic, & nunc nobis licitum eſſe ſequi talem opinionem; neque iudicium, quo iudicamus noſtram ſententiam eſſe probabiliorem, repugnat conſcientiæ, quia iſtud iudicium non eſt immediata regula noſtrarum actionum, cum ſiſtere poſſit in ſpeculatiua parte non applicando illud ad opus; conſcientia autem eſt iudicium practicè dictans, quod in his circumſtantijs ſit nobis licitum, vel illicitum, & eſt applicatio actualis ad opus, vt initio huius tractatus declarantes cõſcientiæ nomen, aſſeruimus.

CAPVT XIII.

An Opinio in quouis tenui probabilitatis gradu licitè admittatur?

SVMMARIVM.

1 *Negatiuam partem tuentur aliqui.*
2 *Alij affirmatiuæ ſe ſubſcribunt.*
3 *Reijcitur ab Authore ſecunda, & admittitur prior ſententia.*
4 *Poſterior opinio cum quadam limitatione non refellitur.*
5 *Grauia incommoda interdum, quamuis, non intrinſecè, extrinſecè tamen reddunt probabilem ſententiam, quæ aliàs eſſet parum probabilis.*

IN præcedentibus ſtatuimus poſſe ab vno quoque recipi opinionem practicè probabilem, probabiliori relicta, quo poſito, occurrit dubitatio, an ſententia iſta de quacumque opinione verificetur, etiam ſi reperiatur in gradu tenuiſſimæ probabilitatis.

Prima ſententia eſt *Leſſij lib. 2. de iuſt. c. 57.*
1 *nu. 77.* qui negat † per ſe loquendo abſque magna, & vrgenti neceſſitate licitè admitti poſſe opinionem, quæ eſt adeo tenuis probabilitatis, & in eadem ſententia eſt *Sanchez lib. 2. de matr. d. 36. num. 8. lib. 1. in decal. cap. 9. num. 35. Merolla tom. 1. diſp. 3. capit. 4. num. 83.*

& no-

& nouiſſimè *Lanfrancus opus. 1. cap. 4. nu. 18.* loquens de eo, qui adeo tenuem habet aſſenſum circa alicuius ſententiæ probabilitatem, vt vix illum percipiat, & vehementem formidinem oppoſitæ ſententiæ, quam probabiliorem exiſtimat.

Secunda ſententia eſt *Martini Breßeri de conſc. prob. lib. 3. cap. 6. num. 77.* qui abſolutè
2 ait, † licitum eſſe ſequi opinionem, quantumuis parũ probabilitatis habeat, & hanc opinionem expreſsè docet *Franciſcus de Amico tom. 3. d. 15. ſec. 3. num. 49.* Breſſerus verò eam limitat modò probabilitatem habeat; aſſentitur tamen contrarijs authoribus, ſi ſermo eſſet de opinione ſemiprobabili, vel propè ad probabilitatem accedente.

3 Sed dicendum eſt primò, † non placere hanc ſententiam, cum putem primam eſſe omnino amplectendam. Probatur, quia quando opinio inuoluit adeo remiſſam probabilitatem, leuiſſimis nititur rationibus, quas ferè communiter auctores reijciunt, & hoc parum probabilitatis pro nihilo exiſtimandum eſt, ſi prudenter nos procedere volumus; non enim videtur rectæ rationi conſentaneum relinquere opinionem probabiliſſimam, vt amplectamur illam, quę vix limites probabilitatis attingit, & vix nomen opinionis probabilis meretur.

4 Dicendũ eſt ſecundò, ſententiam Breſſeri † admitti poſſe in caſu vrgentis neceſſitatis; ità *Sotus de ſecr. memb. 3. quæſt. 2. concl. 3. Leſſius, & Sanchez loc. cit.* quibus addo *Io. de Salas in p. 2. tract. 8. diſp. vn. ſect. 10. num. 98. & Nicolaum Baldellum in theol. mor. tom. 1. l. 4. diſp. 11. num. 15. & d. 12. num. 4.* qui laudat pro hac ſententia *Nauar. Suarez, Valentiam, Reginal.* Ponamus, claritatis gratia, exemplum adductum à *Leſſio*, & de quo ex profeſſo agit *Sanchez*. ſit matrimoniũ nulliter contractum ob aliquod impedimentum occultum, quæritur, an eo ablato, requiratur vtriuſq; coniugis conſenſus nouus, an verò ſufficiat conſenſus vnius tantùm ſcientis impedimenti ablationẽ, etiam ſi non adſit nouus conſenſus alterius coniugis ignorantis illud impedimentum, quod præceſſit, eiuſq; ablationem; communiter Doctores volunt requiri vtriuſque conſenſum, quamuis pauciſſimi ſolùm requirant vnius tantùm coniugis conſenſum, quæ opinio licet parùm probabilis, parùmque tuta exiſtimetur *à Leſſio, Sanchez, & alijs*; nihilominùs addunt in caſu magnę neceſſitatis, ſi E. C. vxor, quæ præſtat conſenſum, credat quod ſi manifeſtat viro matrimonij nullitatem, non ſit denuo præſtiturus conſenſum, & per conſequens ipſa remanſura cum maxima nota infamiæ, & timerentur grauia ſcandala, nempè rixæ, homicidia, &c. in hoc caſu aiunt hi auctores licitè admitti poſſe hanc opinionem parùm probabilem, & hoc deducunt ex principio vniuerſali, nempè quod magnitudo periculi facit, vt minùs probabilis opinio præferenda ſit probabiliori, & extra hunc caſum dicunt, id non eſſe licitum, quæ autem dicta ſunt in matrimonio, dicere poſſumus in alijs caſibus; proinde prudens Confeſſarius, vel Theologus, à quo conſilium poſtulatur, poterit, vrgente neceſſitate, & grauiora ſcandala vitandi gratia, ſuadere opinionem tenuis probabilitatis, relicta probabiliori, ſi hoc pacto incommoda illa declinentur, quod valde pro praxi notandum eſt.

Sed dices: ſcandala, & illa damna, quæ timentur, nequeunt reddere licitam operationem, quæ illicita exiſtimabatur, nęq; maiorem probabilitatem addere motiuo, cui opinio innititur, igitur ſicuti, remoto periculo damnorum, & ſcandalorum, illicitum eſſet ſequi talem opinionem, illicitum etiam cenſeri debet, eam ſequi prędicto poſito periculo.

5 Reſpondeo, negando antecedens; † nam & ſi damna, & ſcandala illa intrinſecę nequeunt addere, aut augere probabilitatẽ opinionis, extrinſecè tamen id præſtare poſſunt, quia, poſito illo periculo, prudens videtur electio talis opinionis, quæ, vt ſuppono, non eſt euidenter falſa, ſed aliquali afficitur probabilitate; voco autem intrinſecam probabilitatem eam, quæ habetur ex effectibus, cauſſis, & reliquis connexionem habentibus cum obiecto talis opinionis, modo ſuperius declarato: remotis tamen damnis, &c. admiſſio huius opinionis non cenſeretur prudens, cum nulla ſe offerret cauſſa cogens ad talem electionem, quia ſupponitur, exiguam illam probabilitatem per ſe ſolam nõ eſſe ſufficientem ad prudentem electionem: ex eo autem quod penſatis omnibus talis opinio in caſu prædicto prudenter eligi poſſit, ſequitur vſum eiuſdem opinionis non eſſe illicitum, ſed honeſtum: Alius actus aſſignari ſolet, in quo licita electio huius opinionis, nempe quãdo intellectus ſtatim cogitur ſe determinare ob caſum aliquem, & nequit diſcutere rationes, aut conſilium petere; tunc homo excuſabitur ſequens hanc opinionem; nam illa ignorantia erit inuoluntaria. vide *Suarez* id expreſsè docentem *tom. 5. de cenſ. diſp. 40 ſect. 5. nu. 13. Merollam tom. 1. d. 3. cap. 4. dub. 2. num. 84. & alios apud ipſum.*

CAPVT XIV.

Licitum ne ſit pro arbitrio variare opinionem probabilem circa idem numero obiectũ.

SVMMARIVM.

1. *Quid nomine obiecti in præſentia veniat.*
2. *Nonnulli banc inſtituentes quæſtionem, partem tuentur negatiuam.*
3. *Proponunt varia exempla pro quæſtionis dilucidatione vſq; ad num. 6.*
7. *Alia pro affirmatiua dantur exempla à nu. 7. vſq; ad nu. 10.*
10. *Ponitur ab affirmatiuam partem ſuſtinentibus ſolutio argumentorum pro parte negatiua.*

11 *Colligitur non eſſe vniuerſaliter verum, neq; negatiuam, neq; affirmatiuam.*

12 *Firma aſſignatur regula, quādo licita erit opinionum variatio.*

13 *Quæ conditiones copulatiuè concurrentes illicitam reddunt variationem, & declaratur vſq; ad n. 17.*

17 *Ponitur inſtantia in contrarium.*

18 *Soluitur oſtendendo diſparitatem.*

19 *Deficiente vtraq; vel altera conditione, licita eſſe poterit variatio.*

1 NOMINE obiecti in præſentia † intelligimus id, in quod intellectus iudicando fertur, ſiue ſit quid poſitiuum, vt operatio, ſiue negatiuum, vt libera operationis omiſſio, & hoc non tantùm ſecundum ſpeciem, videlicet, non tantùm ſpectando obiectum ſecundum ſe, eiuſq; intrinſeca; verum etiam ſecundum omnes circumſtantias extrinſecas, quę hic, & nunc concurrere poſſunt ad illud honeſtandum, vel inhoneſtum reddendum; & in hoc ſenſu intelligitur quæſitum, cum proponimus, an liceat variare opinionem circa idem obiectum, vt infra diuerſis exemplis declarabimus.

Monent hanc dubitationē *Cardinalis Delugo in tract. de Euch. d. 15. ſect. 2. num. 46.* quam poſtea expēdit *Paſqualigus deciſ. 339. n. 3. & in praxi ieiunij, deciſ. 102. Frāciſ. Delugo p. 1. de cur. de conſc. q. 36.* & oēs hi auctores † partē

2 negatiuam abſolutè concludunt, eamq; ex varijs incommodis, quę ex ſententia contraria ſequuntur, ſuadere conantur; proponam autem aliqua exempla pro vtraque ſententia, & primo pro negatiua.

3 Sit Titius in ſacris cōſtitutus, qui hodiernas veſperas teneatur recitare, eaſq; recitandas differat vſq; ad tempus proximum mediæ noctis, poſtquam præceptum illas recitandi ſpirat: & quia ſunt duo horologia, quorum vnum prius, aliud vero poſterius per quadrantem circiter, dat ſignum mediæ noctis, & in neutro deprehenditur error, ſed vtriuſq; teſtimoniū cenſetur probabile, poterit Titius ad ſui libitum eligere pro menſura tēporis, in quo veſperas vult recitare, illud horologiū, quod ſibi placuerit, eligat vltimū, & dato ſigno primi horologij; ſi poſſet pro libito variare opinionē, ſequeretur, quod abſq; peccato omitteret veſperas, quia variādo, & eligendo ſignū primi horologij, media nox precedētis diei eſſet iam trāſacta, & conſequēter extinctū iam eſſet preceptum recitandi veſperas illas, & ſic poſſet ſingulis diebus procedere, ſemper horas omittēdo; hoc autē, vt patet, eſt incōueniēs, & ex opinione illa ſequitur, quę licitam eſſe opinionis variationem, affirmat.

4 Secūdò poſſet Titius ſe regulare pro ieiunio Eccleſiaſtico cū vno horologio, & pro ieiunio naturali ad ſumendam manè Sāctiſſimam Euchariſtiam cum altero, quod poſterius ſonat, & ſic ſi hodie ſit peruigilium alicuius feſti, in quo Eccleſia pręcipit ieiuniū, Titius eligendo directionē primi horologij poſt ſignū datū iudicare poſſet elapſam eſſe mediā noctem, & carnes comedere, peractaq; comeſtione, opinionem variando, eligere pro ieiunio requiſito ad communionem ductum ſecundi horologij, quod nemo eſt, qui abſurdum non cenſeat; id tamen ſequitur ex variatione illa opinionis circa idem tempus.

5 Tertiò, Si quis voueat ieiunare in die præcedente ad aliquod feſtū. V. G. ad feſtū S. Ignatij Loyolæ in eiuſdē honorem; & deinde amplectens ſententiam probabilem, quæ affirmat poſſe votum ab ipſomet vouente in opus æquale commutari, faciat commutationem in eleemoſynam, quam ipſe vouens exiſtimet æqualiter Deo gratam eſſe, ſicuti ieiunium illud, & ideò non ieiunet; poſtea verò amplectatur opinionē negantē, votum commutari poſſe in æquale ab ipſomet vouente, ſicq; non eroget eleemoſynam, & quia tracto ieiunio, ampliùs ieiunare ea die non pōt; iudicet ſe eſſe liberum ab omni obligatione, & ieiunandi, quia ieiuniū non eſt reparabile, & dandi eleemoſynam, quia poſita illa opinione negatiua, commutatio fuit inualida, & conſequenter non obligans, quæ etiam videntur abſurda.

6 Ex his autem, & nonnullis alijs caſibus colligunt Authores citati ſententiam negatiuam eſſe recipiendam, & ratione à priori illam confirmant, quia variatio iſta tenderet in præiudicium pręcepto, quod fraudaretur iure ſuo; nam facta electione, præceptum, ſeu lex ponitur in poſſeſſione illius temporis medij inter ſignum vnius, & ſignum alterius horologij; & tempus illud vi illius electionis, & operationis fit pars ſubſequentis diei, ideoq; non manebit ampliùs in libertate Titij opinionem variare cum præiudicio præcepti, quod eſt in poſſeſſione huius temporis intermedij.

Cęterum pro alia ſententia oppoſita, quę licere affirmat variationem ex vna opinione probabili in aliam item probabilē, adduci poſſunt plura exempla.

7 Et primò, † ſint duæ opiniones contrariæ, ambæq; probabiles circa iuſtitiam huius numero tributi, quarum vna dicat eſſe iniuſtum; alia verò iuſtum, poſſet Titius, ſequēs opinionem, quæ aſſerit eſſe iniuſtum, illud fraudare; vel ſi illud ſoluat, occultam facere compenſationem: poſtea verò poterit, variando ſententiam, iudicare eſſe iuſtum, illudq; conducere, & ab alijs exigere.

8 Secundò, Probabile eſt apud Doctores † iniuſtè infamatum ab alio, ſi iſte alius nolit, cum poſſit, famam ablatam reſtituere, poſſe compēſationem in pecunijs facere; deinde ſi ipſe aliquem alium diffamauerit, & nolens pecunijs famam dilaniatam reſarcire, poſſet variare opinionem, quæ negat fieri poſſe compenſationem, & ſic haberemus in iſto caſu opinionis variationem circa idem obiectum cum dāno tertij, & nemo eſt, qui ita procedentem ad reſtitutionem condemnet, cum ſemper probabilem amplexus fuerit opinionem.

Tertiò

Tertiò: Hoc etiam apparet in voto diſiun-
9 ctiuo; † Ponamus E.C. à Titio emiſſum fuiſ-
ſe votum, vel ſoluendi in eleemoſynam decem
aureos, vel ieiunandi per decem ſabbata, deinde
eligat priùs eleemoſynam erogare, non inten-
dens per hanc electionem facere nouam obliga
tionem, ea tamen electione non obſtante, pote
rit abſq; ſcrupulo variare, & eligere ieiunium,
& ſic in multis alijs caſibus licita erit variatio.
Hæc autem ſententia nititur illi principio com-
muniter recepto, ſcilicet in noſtra libertate
eſſe ſequi quamcumq; opinionẽ practicè pro-
babilem; quamuis ex hoc ſequatur aliquod dam-
num contra votum: hoc enim nõ impedit, quin
iure noſtro vtamur in opinionum electione.

Fundamentum verò prioris ſententiæ poſſet
10 ſolui, † ſi dicamus præiudicium illud contra
aliud eſſe per accidens, & vt diximus, non
poſſe impediri, neq; à nobis tolli, ne iure no
ſtro vtamur: ad illud vero, quod additur de poſ
ſeſſione, in quo, facta electione, ponitur præ-
ceptum, ſeu lex, facilè reſponderi poſſet, illam
non eſſe veram poſſeſſionem, ſeu non eſſe ſta-
bilem; dependet enim à noſtra voluntate, eam
permittere, dum ſententia non mutat, vtena
iure ſuo, ad eum plane modum, quo domi-
nus alicuius rei poteſt concedere, vel permit-
tere alicui, vt fruatur fructibus ſui prædij; frui-
tio autem illa non erit poſſeſſio prædij; neque
erit inuariabilis, cum dependeat à libera conceſ
ſione, & permiſſione Domini illius prędij.

Ex his autem, quæ hactenus in fauorem vtri-
11 uſque ſententiæ dicta ſunt, † colligitur non
eſſe vniuerſaliter, & abſolutè aſſerendum, varia-
tionem opinionis circa idem numero obiectũ
numquam eſſe illicitam, neq; vnquam eſſe lici-
tam: aſſignanda igitur nobis erit regula, per
quam agnoſcamus, quando licet, & quando va-
riare non licet: at bene perſpectis omnibus.
12 Dico primo: † Quando copulatiuè concur-
rũt duæ conditiones mox explicandæ, non erit
licitum variare pro arbitrio opinionem proba-
bilem circa idem numero obiectum, & in hoc
aſſentior prædictis Auctoribus, qui partem tuẽ
tur negatiuam: Conditiones autem hæ ſunt.
13 Prima eſt, † vt lex præcipiens ſit certa. Secũ-
da, vt quando variatur opinio, res non ſit inte-
gra; ita vt ex tali mutatione ſequatur præceptũ
adimpleri non poſſe. His duabus conditionibus
poſitis, clarè apparet difformitas in caſibus, qui
pro priori ſententia negatiua adducuntur, & in-
cipiendo à primo: Lex præcipiens recitationẽ
veſperarum eſt certa, cum nulla, vt ſupponimus
ſit excuſatio ex parte Titij, & ſic habemus pri-
mam conditionem. Rurſus cum Titius mutat
opinionem electionis priùs factæ, res non eſt
integra, quia ex ſuppoſitione, quod noluerit re-
citare veſperas ante pulſum primi horologij,
tenetur illas recitare ante pulſum ſecundi, & ne-
quit mutans accipere, vt menſuram inceptionis
ſequentis diei teſtimonium primi horologij,
quia vt ſic totaliter redderetur impotens ad re-
citandum, & deluderetur præceptum Eccleſiæ,
& ita habemus ſecundam conditionem purifi-
catam; atque adeò illicitam eſſe variationem,
quia ex illa neceſſariò ſequitur negatio actus
debiti.
14 Quod verò ad ſecundum caſum attinet, oc-
currit difficultas, quia non videtur variatio ca-
dere ſupra idem obiectum; concurrunt enim
duo præcepta diſtincta, vnum de ieiunio Eccle
ſiaſtico in die ſabbati, & aliud de ieiunio natu-
rali, quod Eccleſia præſcribit ante ſumptionem
Sacroſanctæ Euchariſtiæ, ideoq; dicendum
eſt, regulam prædictam non eſſe veram, quia
aliquis dicere poſſet in hoc caſu non eſſe illicitã
variationem, quamuis lex præcipiens ſit certa,
& ex variatione ſequatur ſeruari non poſſe;
nam ſi ſpectemus ieiunium Eccleſiaſticũ, quod
Eccleſia præſcribit in peruigilio alicuius Sanc-
ti, comeſtio illa poſt ſonum prioris horologij
non videtur aliquid officere tali ieiunio, quia
ſupponitur fieri poſt ſignum mediæ noctis lap
ſæ ſecundum probabile teſtimonium; ſi verò
attendamus ieiunium naturale, quod durare de-
bet vſq; dum mane diei ſequentis Sacra Com-
munio recipiatur, nihil videbimus exerceri cõ-
tra eius ſubſtantiam; quia a puncto, quo po-
nitur incipere, nulla eſt comeſtio, aut potus;
neq; dicas ante illud punctum inchoaſſe, quo-
niam cum non ſit certitudo de momento, quo
incipere debet, ſufficit probabiliter deſignatũ
fuiſſe punctum eius incœptionis, iuxta ſecun-
di horologij menſuram.
15 Cæterum ſi rectè omnia expendantur, com-
periemus in prędicto procedẽdi modo aliquid
fieri contra præceptum Eccleſiæ, ſiue id ſit cir-
ca ieiunium Eccleſiaſticum, ſiue circa naturale.
Pro cuius declaratione ſupponendum eſt nullã
particulam illius temporis mediantis inter ſonũ
vnius, & alterius horologij eſſe liberam ab om-
ni ieiunio, ſed ex lege Eccleſiæ, vel vni, vel alte-
ri ieiunio eſſe aſſignandam, cum hoc tantùm
diſcrimine, vt ieiunium Eccleſiaſticum ſit abſo
lutè ſub præcepto; naturale autem ſolùm ex
ſuppoſitione Communionis die ſequenti faciẽ-
dæ; quapropter quęlibet particula, quæ detra-
hitur de tempore pręcedentis diei, in quo ieiu-
nium Eccleſiaſticum ſeruari debet, eſt addenda
temporis ſequentis diei, in quo ieiunium natura-
le, vſq; ad Communionem, ſeruatur, & non eſt
in libertate Titij, ita eximere particulam præ-
dicti temporis, vt in illa non extet obligatio
alterutrius ieiunij: Ratio autem eſt manife-
ſta, quia nõ eſt in eius poteſtate abſoluere par-
tem huius temporis ab vtroq; die; ita vt non ſit
pars vel præcedẽtis, vel ſubſequentis diei; quia
ſi eſt ante mediam noctem, ſpectat ad præcedẽ-
tem diem; ſi poſt elapſam mediam noctẽ, per-
tinebit ad ſequentem diem: ſi autem poſſet Ti-
tius variare, excederet ſuam facultatem, quæ nõ
extenditur, niſi ad eligendum teſtimoniũ vnius
tantùm horologij, non vtriuſq; in ordine ad ea,
quæ ex parte Eccleſiæ in vtroq; die ſunt exer-
cenda; ad eum ferè modum, quo ſi Titius pro-
mittat Petro dare vnum ex duobus ſeruis, quos
habet, nempè Sortem, aut Caium, & data pro-
miſſione, Titius eligat Caium conſignare, ſi
poſtea

poſtea moriatur Sortes,non erit in ipſius libertate variare electionem,allegans ex vi promiſſionis nõ teneri aſſignare Caium determinatè; vt ſic enim ſe totaliter eximeret ab obligatione,quod fieri nequit; tenetur igitur in eadem electione perſiſtere,& dare Caium ſuperſtitem vt in ſimili oſtendit *Sanchez lib.4. in decal. c. 13.n.24.ex diuerſis iuribus*,& præſertim *ex lege: Sticum, aut Pamphilium ff.de ſolut.* Cum enim res non ſit ampliùs integra,& ex variatione,totalis ſequatur exemptio ab obligatione dandi ſeruum, non poterit Titius variare: ſic in caſu noſtro, quamuis ſit in libertate Titij eligere teſtimonium prioris, aut poſterioris horologij, ſi eligat primum, & comedat,res non erit integra; proinde variare non poterit, quia totaliter ab vtroq; ieiunio ſe liberaret, eo tempore, quo ab Eccleſia alterutrum pręcipitur.

15 Eædem conditiones in tertio,& vltimo caſu inueniuntur; nam tranſacto peruigilio S.Ignatij, & facta commutatione illius voti iuxta probabilem ſententiam, quæ ait fieri poſſe, & fracto ieiunio, res non erit integra; atqueadeo nõ poterit vouens variando,aliam eligere opinionem,quæ aſſerit non poſſe votum cõmutari ab ipſomet vouente in æqualem materiam,quia vt ſic nullo pacto votum emiſſum ſeruaretur,cuius obligatio eſt certa. Maneat igitur ex dictis non eſſe licitam variationem circa idem numero obiectum,quando duæ conditiones copulatiuè concurrunt, vt exemplis adductis vidimus.

17 Sed quis inſtare poterit hoc pacto: † ſit cras vigilia, in qua ſecundum Ius commune ieiunãdum ſit,in alio autem loco ob alicuius feſti ſolennitatem, cras etiam incidentis, anticipetur tale ieiunium,& hodie fiat, ſi Titius hodie degat in Oppido, vbi non eſt ieiunium, & non ieiunet, proponendo tamen cras ieiunare: at poſt fractum ieiunium mutet intentionem, & recedens ab eo loco abeat ad illud Oppidum, in quo completum eſt ieiunium præcedẽti die, non tenebitur in hoc Oppido ieiunare,& quãuis duæ illę conditiones ſuperiùs expreſſæ cõcurrant, variatio tamen non eſſet illicita; igitur regula tradita non eſt firma,ſed fallax. Cõcurrere autem cõditiones illas patet; nam præceptum de ieiunando eſt certum,& non dubiũ, aut probabile; præterea res non eſt integra, quãdo fit variatio,cum ſit poſt fractionem ieiunij pręcedentis diei: quod autem Titius neq; hodie, neq; cras ieiunando peccet, probatur, quia nũquam inuenitur in loco, in quo vrgeat pręceptum ieiunij. Caſus iſte practicus eſt,& accidere poteſt Romæ, vbi peruigilium S.Bartholomęi celebratur 24. die Auguſti, in alijs verò locis 23. & pariter Panormi, vbi vigilia Sancti Iacobi coincidit cum feſto Sanctę Chriſtinę, & ideo ieiunium celebratur 23. die Iulij; ſecundum verò Ius commune fit die ſequenti.

Reſpondeo primò, † à nonnullis negari va-
18 riationem iſtam fieri poſſe abſq; peccato, cum ſit in fraudem ieiunij,& in hac ſententia videtur eſſe *Leſſius lib.4. de iuſt. c.2.dub.8. nn.6.*

Reſpondeo ſecundò, dando id licitè fieri, vel quia non fiat in fraudem ieiunij,ſed bona fide, & cauſſa alicuius negotij, vel ſi fiat intentione non ieiunandi,ſit ex eo,quod Titius vtatur iure ſuo, accedendo in alium locum: eſto igitur demus nullum inueniri peccatum in tali variatione,nego paritatem, diuerſus enim eſt caſus iſte à noſtro,in quo diximus variationem eſſe peccatum,& diſparitas oritur ex diuerſitate pręcepti; nam præceptum, de quo nos loquuti ſumus, & poſtulauimus vt conditionem ad reddendam illicitam variationem, verſatur circa ſubſtãtiam rei, vt ſic; nempè circa veſperas recitandas, ad quas Titius obligatur independẽter à loco; ſimiliter pręceptum de ieiunio naturali ante Communionem non eſt loco affixum, neq; adimpletio voti, & quamuis præceptum de ieiunio Eccleſiaſtico, quod in ſecundo caſu attulimus, poſſit eſſe loco addictum, ſupponimus tamen Titium inueniri in eo loco, in quo extat præceptum talis ieiunij;ſed in inſtantia iſta,quæ fit in contrarium,Titius nũquam ſupponitur commorari in loco,in quo vrgeat pręceptum ieiunij Eccleſiaſtici; & ideo cum præceptum non afficiat Titium, vel ſaltem probabile ſit non afficere,negamus paritatem, & pariter negamus inueniri in hac variatione duas illas conditiones,quæ illicitam ipſam reddunt, quia vel non adeſt præceptum, vel ſaltem probabile eſt non adeſſe; conditio autem à nobis requiſita eſt,vt præceptum obligans ad ſubſtãtiam rei,ſit certum,& vrgeat.

19 Dico ſecundò, † deficiente vel vtraq; vel alterutra ex prædictis cõditionibus,variatio opinionis circa idem obiectum non erit illicita. Concluſio, exemplis,ſeu caſibus poſitis pro ſecunda ſententia affirmatiua,oſtenditur. Et primò in caſu illo de tributo,cum ſit probabile eſſe iniuſtum, obligatio illud ſoluendi non erit certa; rurſus quando ſubditus mutat ſententiã eligendo partem, quæ affirmat tributum eſſe iuſtum, res eſt adhuc integra, quia ſi velit, poterit tributum ſoluere, & ita nulla ex duabus conditionibus reperitur. Demum in tertio caſu de voto diſiunctiuo idem eſt dicendũ, quia nulla inuenitur obligatio ex parte Titij vouẽtis ad eligendam determinatè hãc partem; pręterea cũ mutat electionem,res eſt integra,quia poteſt adimplere votum ſoluendo eleemoſynã, cum enim votum fuerit, aut de ieiunando, aut de danda eleemoſyna,electio vnius,aut alterius partis erit à libertate Titij vouentis dependens, vt conſtat ex regula Iuris *in ſexto de alternatiuis*, ſecundum quam dicitur in alternatiuis ſufficere alterum adimpleri, & hoc eſt, quia, vt aiunt Logici,ad veritatem propoſitionis diſiunctiuæ ſatis eſt alterutram eligere partem.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, patet opinionis probabilis variationem circa idem numero obiectum aliquando licitè, aliquando verò illicitè fieri.

CAPVT

CAPVT XV.

Si quis de duabus oppoſitis ſententijs probabilibus dubitet, ſi neutri aſſentiatur, poſſit ne alterutram licitè ſequi?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum, & iuxta duplicem intelligentiam decidendum proponitur.*

2 *Nullo perſiſtente aſſenſu ex parte intellectus voluntas non rectè operabitur, & probatur.*

3 *Recipiendo quæſitum iuxta ſecundum ſenſum, pro parte negatiua eſt Nauarrus, Paſqualigus pro affirmatiua.*

4 *Paſqualigi diſcurſus procedit ex falſa ſuppoſitione contra Nauarrum.*

5 *Homo neutri parti aſſētiēs, ſi alteram ex vtraque eligat, non peccabit. Probatur ratione.*

DVPLICEM quis huic quæſito poſſet intelligētiam dare. 1 † Primò, ſi illud in hoc ſenſu explicet, vt quis nullum eliciens determinatum aſſenſum ſiue per principia intrinſeca, ſiue extrinſeca; nihilominus voluntatis imperio iuxta alterutram ſententiam operetur. Secundò, ſi ita excludatur aſſenſus per intrinſeca principia, vt tamen ſit per extrinſeca, & iuxta duplicem hanc intelligentiam erit à nobis quæſitum decidendum.

Dico igitur primò, ſi intellectus priori mo-
2 do ſe habeat † non poteſt licitè voluntas operari, neq; ſecundum vnam, neq; ſecundum alteram opinionem. Probatur, quia, niſi dubium deponatur per aſſenſum, quo intellectus vni adhæreat parti, operatio non erit ſecundum regulam rationis, immò potiùs contra illam, quatenus operatur cum conſcientia dubia, quod eſt intrinſecè malum, vt dicemus infra; & de hoc, neque eſt, neq; eſſe poteſt controuerſia: difficultas autem reperitur in acceptione quæſiti iuxta ſecundum ſenſum, ſecundum quem punctum hoc exagitabimus.

3 Pro parte negatiua citari ſolet † *Nauarr. in ca. ſi quis autē de pœnit. diſt. 7. nu. 56. Ver. vndecimo infertur*, quaſi docens non poſſe in tali caſu à voluntate eligi partem, quæ ſibi placuerit, ſed debere ab ipſa eligi tutiorem; quam ſententiam impugnat *Zacharias Paſqualigus de opinionis electione deciſ. 16. num. 1.* ait enim ſententiam hanc Nauarri ſubſiſtere nequaquā poſſe, quia cum in intellectu maneat dubietas reſpectu vtriuſq; partis, neq; tutiorem poterit voluntas eligere, quoniam eligendo contra dubiam conſcientiam operabitur, hoc autem eſt illicitum.

Sed rectè diſcurſus iſte Paſqualigi procederet, ſi ſententia Nauarri eſſet illa, quam ipſe
4 exiſtimat, † at res non ita ſe habet, quia Nauarrus loquitur in eo caſu, quo intellectus manet, ita ſuſpenſus, vt non ſolum per principia intrinſeca, ſed neq; per extrinſeca dubietatem deponat, ſicuti legenti locum illum erit apertè manifeſtum; poſtquam enim Nauarrus dixerat peccare eum, qui debens tutiorem eligere partē, minùs tutam eligit, addit peccare ſimiliter eū, qui adhæret parti, de qua dubium habet: verba autem eius hæc ſunt: *Sed & eum, qui in re adeo ſibi dubia, vt neque probabili authoritate credit alteram partem eſſe veram, adhæret illi parti, de qua eſt dubium, an liceat, ſi ſaltem poteſt adhærere contrariæ ſecurè, quia de illa non dubitatur, an liceat.* Hæc Nauarrus, ex quibus verbis patet aliud longè diuerſum voluiſſe ab eo, quod illi tribuitur; ponit enim caſum, in quo duabus ſe offerentibus opinionibus, quarum vna eſt tutior, & altera minùs tuta, de qua eſt dubium, tunc ait dubitantem non poſſe abſque peccato adhærere huic minùs tutæ opinioni, de qua neque probabili Doctorum authoritate credit eſſe veram, relinquens tutiorē. Vide quo pacto Nauarrus excludat probabilitatem, quæ haberi poſſit etiā per principia extrinſeca, quatenus expreſſè docet, ideo ita operantem peccare: quia eligit partem illam, cui, neque probabili aliorum authoritate, adhæret, tutam, de qua non ambigit, relinquens. Caſus verò noſter eſt diuerſus; quia procedit cū quis de vtraq; opinione ſecundū principia intrinſeca hæſitat, & tali hæſitatione non depoſita, eligit vnā partem, inquantum agnoſcit exiſtimari ab alijs probabilem.

Dico ſecundò, etiam ſi in caſu poſito intellectus neutri parti aſſenſum per principia intrinſeca præbeat, ſi tamen ductus per principia
5 extrinſeca vni adhæret opinioni, † licitè vi illius homo operabitur: ita expreſſè *Vaſquez p. 2. diſp. 62. cap. 4. num. 18. ver. His omnibus Franciſcus Merolla tom. 1. ſuæ moralis theologiæ diſp. 3. cap. 4. dub. 1. corol. 1. num. 30. Nicolaus Baldelli tom. 1. lib. 4. d. 7. num. 4. Breſſerus lib. 3. de conſc. cap. 6. num. 39. Paſqualigus loc. cit.* Probatur autem concluſio manifeſta ratione: Si quis modo explicato operatur, id facit iuxta regulas prudentiæ, & rectum conſcientiæ dictamen; igitur etiam ſi intellectus neutri opinioni per principia intrinſeca aſſentiatur, licitè operabitur iuxta alterutram ex illis duabus opinionibus. Conſequentia iſta euidens eſt, ſi antecedens ſupponatur verum, quia nihil aliud ad honeſtam operationem requiritur, niſi conformitas ad leges prudentię, & ad rectum dictamen, &c. Probatur autem antecedens homo ſequens proborum virorum ſententiam prudenter poteſt ſibi conſcientiam formare de honeſtate operationis, quamuis ipſe rationibus obiecto intrinſecis minimè moueatur; diximus enim ſupra poſſe à nobis admitti opinionem alienam, etiam ſi aliorū tantū authoritate ducamur. Neq; obſtabit dubietas illa ex carentia rationum intrinſecarum, quia

poſito motiuo authoritatis, dubietas erit ſpeculatiua, & intellectus abſolutè, & ſimpliciter remanebit moraliter certus de honeſtate operationis, ad hanc enim denominationem ſatis eſt, vt ex vno capite motiuum habeatur, neque oportet ex omnibus partibus illud habere, aliter numquam diceremus nos eſſe certos, ſi certitudo ex vno tantùm motiuo oriatur, ſufficit enim, intellectum non operari cum dubietate poſitiua, quæ expellitur, etiam ſi vi vnius tantùm motiui certitudo habeatur, & reſpectu aliorum motiuorum ſit incertitudo, quæ non impedit actionis honeſtatem, & in hoc puncto eſt ratiocinandum ad eum planè modum, quo aliqui Philoſophi iuxta probabilem opinionẽ diſcurrentes, dicunt in eodem intellectu inueniri poſſe actum ſcientiæ, & actum opinionis circa idem obiectum, ex quo negant ſequi intellectum ſimpliciter appellari poſſe poſitiuè obſcurum, incertum, &c. quia negatio, cum ſit malignantis naturæ, vt aiunt Logici, importat ex nullo capite in intellectu eſſe certitudinem, quod tamen eſt falſum, ſic in caſu noſtro, de opinione recepta à viris doctis, quam alius falſam exiſtimat, & quærimus; an, tali iudicio non depoſito, poſſit iſte talis per principia extrinſeca, nempè ductus authoritate aliorum ſequi opinionem hanc. *Zacharias Paſqualigus*
2 *de opinionis electione decis. 21.* † reſpondet affirmatiuè, & pro ſe citat *Ioannem Sanchez in ſelectis diſp. 41. num. 7. Ver. ſcrupuloſus.* Sed ni fallor, non rectè citatur, quia hoc non aſſeritur à Ioanne Sanchez, ſolum enim ibi docet ſcrupuloſum poſſe licitè operari ductum authoritate Confeſſarij, & aliorum Doctorum, etiam nõ depoſito ſcrupulo cõtrario; hoc lõgè diuerſũ eſt ab eo, quod dicit Paſqualigus, nam aliud negotium eſt de ſcrupuloſis, aliud verò de alijs qui non ſunt ſcrupuloſi; caſus autem à nobis, & à Paſqualigo propoſitus abſtrahit à ſcrupulis, & in communi accipitur: Præterea ſcrupuloſus non ita adhæret ſuo ſcrupulo, vt oporteat falſum exiſtimare iudicium Confeſſarij, cæterorumq; Doctorum, ſed adhæret titubans; at nos ponimus iudicium, quo quis determinatè cenſet aliorum opinionem eſſe falſam, proinde caſus noſter eſt omninò diuerſus. Sed quicquid ſit de horum mente.

3 Dicendum eſt, † ſi quis retineat iudicium de falſitate alienæ opinionis, & tale iudicium neq; per intrinſeca principia, neq; per extrinſeca deponat, non poterit licitè operari ſecũdum opinionem illam ita *Auerſa diſp. 14. ſec. 8. concl. 1. & Vaſquez* procuidubio tenet hoc *diſp. illa 62. cap. 3. num. 17.* nam affirmans poſſe nos operari contra opinionem, ſecundum aliorum ſententiam, vult à nobis alienam opinionem exiſtimandam eſſe probabilem, aliter non poſſumus operari contra propriam. Oſtẽditur autem ratione, quia perſiſtente iudicio de falſitate, & nullo adhibito iudicio cõtrario, operatio erit contra dictamen conſcientiæ, atq; adeo mala: ergo ſi tale iudicium non deponatur, per intrinſeca, aut per extrinſeca principia, non poterit homo licitè operari. Secus autem dicendum eſſet, ſi cum iudicio illo de falſitate concurreret aliud iudicium contrarium; quo quis exiſtimet poſſe ſe decipi, & ex hoc formet iudicium probabile de illa opinione, ſic diſcurrens: Quamuis cenſeam falſam eſſe aliorum opinionem, nihilominus, quia poſſunt me latere rationes aliquæ, quas viri illi docti habent, & poſſum decipi, idcirco, non obſtante tali ſuſpicione, ſeu iudicio opinatiuo, licitum erit mihi ſequi ductum aliorum prudẽtum; poſſe autem hominem hoc ſibi perſuadere, eſt manifeſtum, quia cum iudicium de falſitate non dependeat ex motiuo euidenti, & certo, non poterit eſſe euidens, ac proinde nõ poterit quis vi talis iudicij certò, & firmiter iudicare opinionem aliorum eſſe falſam, & ideo prudẽter poterit authoritate extrinſeca cõſcientiam deponere, & licitè ſecundum aliorum opinionem procedere ad operandum.

(†)

CAPVT XVI.

Stante iudicio de falſitate alienæ opinionis, an poſſit quis prudenter conſcientiam deponere iuxta opinionem illam operando?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur opinio de qua eſt ſermo.*
2 *Partem affirmantem tuetur Paſqualigus, de qua non rectè citatur Ioannes Sanchez.*
3 *Retinens iudicium de falſitate alienæ opinionis, eo non depoſito, neque per intrinſeca, neque per extrinſeca principia, non poteſt contra illud operari.*

ANTEQVAM accedamus ad ſo-
1 lutionem, † ſupponere debemus ſermonem eſſe de opinione, quam viri docti ſequuntur, quo non obſtante, quis poſſet cenſere falſam eſſe ſententiam illam, & decipi eius Sectatores, non verò ſermonem eſſe de opinione, quam Indocti tuentur, de tali autem opinione nequit eſſe cõtrouerſia, nã certum eſt, ſecũdũ talem opinionem prudenter operari non poſſe, quia nullum occurrit, ſecũdũ illã, principiũ prudenter deponendi cõſcientiã, cum deſint, & principia intrinſeca, & extrinſeca, quibus opinio iſta innitatur; non enim ſe offerunt intrinſeca, quoniam falſa iudicatur, neque extrinſeca, cum à perſonis non qualificatis ſolùm admittitur. Quæſitum igitur procedit

CAPVT XVII.

An Opinio probabilis iuriſdictionem conferat?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur quæſitum, & ſtatus controuerſia.*
2 *In partem negatiuam inclinant aliqui.*
3 *Probabilius eſt iuriſdictionem cõferri ex probabili ſententia.*
4 *Probatur paritate quadam ex L. Barbarius.*
5 *Diſparitas à Salas excogitata refertur.*
6 *Impugnatur Salas.*
7 *Melior diſparitas aſſignatur.*
8 *Penſatis omnibus eligitur opinio affirmatiua, & probatur.*
9 *Ex ſilentio Pontificis agnoſcentis contrarias opiniones inter Doctores ſolam permiſſionẽ, & non conceſſionem iuriſdictionis colligi putauit Ioann. Sanchez.*
10 *In quibuſdam circumſtantijs conceſſio, & non pura permiſſio inferri debet.*
11 *Non minùs ex communi errore, quàm ex opinione probabili confertur iuriſdictio.*

SOLENT Authores in rebus ad iuriſdictionem ſpectantibus, & ab humana poteſtate dependentibus, quãdo hinc & inde contrariæ opiniones, ſed probabiles, verſantur, inquirere, An opinio, quæ affirmat in tali caſu, & pro tali re, licitum eſſe iuxta talem opinionem operari, ſi operans probabiliter procedat in rebus iuriſdictionem requirentibus, an cenſeatur ob commune bo-
1 num † collata iuriſdictio, ſi forte reuera, & falſa ſit opinio affirmans. Communiter exagitatur controuerſia iſta à Theologis in materia iuriſdictionis requiſitæ ad Sacramentum pœnitentiæ impertiendum, cum occurrit dubitatio, an in Confeſſario ſit necne iuriſdictio ſufficiens ad abſoluendum pœnitentem, vel ab his aut illis peccatis; quærũt in tali hæſitatione Doctores, an Eccleſia ad varia incommoda, & ſcãdala vitanda iuriſdictionẽ det tali Cõfeſſario. His poſitis proponitur, in præſenti quæſito: an ſententia, quæ non eſt certa, & non tranſcendit limites opinionis probabilis, ſit ſatis, cum dubitatio occurrit, ad conferendam iuriſdictionem, licet ipſa opinio exiſtimata probabilis, in rei veritate ſit falſa.

2 † Tangens punctum hoc *Salas in p. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 10. num. 101. & ſect. 27. numero 286. & ſequentibus*, & reuocans partem affirmatiuam in dubium, inclinat in partem negatiuã, quã etiã attendens rationes intrinſecas tuetur *Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 44. n. 10.* exagitans celebrem illam quæſtionem: an Confeſſarius ſimpliciter ab vno Ordinario approbatus, vbique vi talis approbationis poſſit Fidelium confeſſiones excipere, & à peccatis validè abſoluere, & quamuis ipſe Ioannes dicat per principia extrinſeca neceſſitari ad exiſtimandam partem affirmatiuam probabilẽ, ob plures Doctores illam tuentes; nihilominus per principia intrinſeca contrarium iudicans tangit punctum huius quæſiti, videlicet an in tali caſu ab Eccleſia, ſeu à Summo Pontifice iuriſdictio conferatur Cõfeſſario ſic approbato, ne varia ſequantur incommoda in detrimẽtum ſpirituale Fidelium, & referens ſententiam eorũ, qui dicunt hoc non eſſe certum, ſoluit argumenta, quæ adduci poſſent in fauorem partis affirmatiuæ.

Sed probabiliùs puto cum alijs, ab Eccleſia,
3 ſeu à Pontifice † iuriſdictionem requiſitam conferri, quando inter Doctores ſunt opiniones probabiles, licet contrariæ, pro vtraq; parte, vt in exemplo allato de iuriſdictione Confeſſarij, vel in ſimili. Hanc ſententiam quam plures tuentur, vt *Henriquez lib. 5. cap. 14. num. 3. 4. & in com. litt. G. Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. d. 22. num. 65. & in decal. lib. 1. cap. 9. num. 35. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 29. num. 68. Coninck de Sacram. d. 8. dub. 3. concl. 6. nu. 22. & dub. 6. num. 47. Bonacina de Sacram. diſp. 5. quæſt. 7. §. 4. num. 4. Filliuccius in ſumm. to. 1. tract. 7. cap. 9. num. 227. Villalobos to. 1. trac. 1. diff. 13. num. 5. Caſtropalaus tom. 1. de conſc.*
4 *opinante diſp. 2. p. 5. nu. 9. & alij.* † Probatur ſententia hæc à pari; ſicuti quando ex errore communi, & titulo præſumpto quis operatur; Eccleſia, in bonum commune Fidelium, dat iuriſdictionẽ, vt ex *L. Barbarius ff. de Offic. Prat.* paſſim docent Authores, & ipſemet *Ioannes Sanchez* ſuſtinet *eadem diſp. num. 3.* ſic etiam quãdo quis operatur ex opinione probabili, eadem enim videtur paritas, idemq; videtur vigere motiuum, nempè publica, & ſpiritualis Fidelium vtilitas, & non magis debet eſſe potens vulgi error, quàm ſapientum opinio.

5 Reſpondet † *Salas ſecundo loco* citatus, aſſignas diſparitatem inter vtrumque caſum; quia tamen eius verba mihi ſunt valdè obſcura, quid colligere in ea obſcuritate potui, referam: videtur igitur ab eo tale aſſignari diſcrimen, videlicet, *in lege illa Barbarius* ſermonem eſſe de errore communi totius populi ad factum pertinente, & fundato in authoritate Superioris eligentis perſonam incapacem Officij Prætoris, & quia error facti facilè detegitur, ſi eo detecto omnia acta eſſent irrita, magna oriretur perturbatio in Republica, & plura incommoda; idcirco Imperator totius Reipublicæ bonum attendens, declarauit acta illa habenda eſſe, vt firma, & valida: at error fundatus in dubio, ſeu in opinione probabili Doctorum, moraliter loquendo, detegi nequit, quia de rebus ſub opinione poſitis haberi non poteſt certitudo, & conſequenter neque manifeſtari poteſt nullitas confeſſionum, quæ factæ ſint apud Confeſſarium, qui certam non habet iuriſdictionem, ſed ſub

L opi-

opinione; & ſic non eſt periculum, repetendi confeſsiones, cum earum nullitaa detegi ne-
6 queat: † hoc mihi videtur voluiſſe Salas, quãuis eius verba & improprietatem aliquam, & obſcuritatem inuoluant, quod non eſt difficile ĩpugnare. Primò, quia licet faciliùs detegi poſſit error fundatus in facto, quàm in opinione; nihilominus non debet detectio iſta cenſeri impoſsibilis; quia interdum euenit, vt examinatis hinc & inde rationibus agnoſcatur vnius opinionis veritaa, & contrariæ falſitas; ita in multis inueteratis ſententijs deprehendimus; quæ antiquitùs, vt probabiles exiſtimatæ, & admiſſæ fuerunt; progreſſu tamen temporis Recentiores, qui circũſtantias oẽs expenderũt habuerunt illas, vt falſas. V.G. nonnulli ex veteribus cenſuerunt validum Sacramentum pœnitentiæ in abſentia collatum, quæ opinio poſtea deprehenſa fuit falſa. Similiter nonnulli exiſtimarunt attritionem, vt talem cognitam, inſufficientem eſſe ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ; hodie tamen, quamuis oppoſitum non ſit euidenter certum, practicè verò exiſtimatur valde probabile, & forſitan moraliter certum. Præterea nonnulli obligabant Sacerdotem ſub peccato mortali ad recitandum Matutinum ante Sacrum, quæ opinio hodie non eſt recepta, ſaltem cum tanto rigore, & idem inuenire poſſemus per alias materias diſcurrendo. Non eſt igitur omninò impoſsibile detegi errorem in opinione fundatum, ſicut exiſtimauit Salas, ſed eſto id admittamus. Reſpondeo ſecundò, diſcrimen aſſignatum à Salas non videri ſufficiens, quia periculum inualiditatis, atque adeo incommoda in vtroq; caſu militant; maior verò, & minor facilitas in detegendo errore, nihil facit ad validitatẽ, ſeu inualiditatem actuũ dependentiũ à iuriſdictione reali tñ, & nõ ab apprehẽſa; nã etſi quis ignoret ab Eccleſia ſuppleri errorẽ, & iuriſdictionẽ conferri Cõfeſſario, quãdo ſub opinione eſt poſitũ, an illam habeat propter hoc non vitatur nullitatis periculũ reſpectu confeſsionis, ſi à parte rei ab Eccleſia nõ cõmunicetur iuriſdictio; proinde neq; damnum pœnitentis vitatur, quia non obſtante tali confeſsione, ſi fuit de mortalibus, & ſine cõtritione perfecta, & cõfeſſio ſupponitur irrita dãnabitur ipſe pœnitẽs, ſi ita moriatur & ſic ignorãtia, & error ille, neq; periculũ, neq; incõmodũ tollit, & conſequenter inter hunc caſũ, & priorẽ, quando defectus fundatur in communi errore, non video ſufficientem diſparitatem, quæ ad rem noſtram faciat.

7 Meliùs † tamen quis diſcurreret, hanc aliam aſſignando diſparitatem inter vtrumq; caſum, nempè, quando error eſt communis, & oritur ex facto, per ſe loquendo, nullum extat motiuũ ſuſpicandi de falſitate, atque adeo, errore illo manente, niſi Eccleſia defectum ſuppleat, actus omnes ex tali errore præcedentes eſſent inualidi cum maximo Fidelium diſpẽdio, quia non agnoſcentes errorem, neque de illo ſuſpicantes, ſibi non prouident, & ad hoc vitandum Eccleſia pia mater ſupplere debet defectus iuriſdictionis, reddendo actus validos: ſed quando error fundatur in dubio, aut in opinione, ipſummet dubiũ, ſeu opinio ſubminiſtrat motiuum ſuſpicandi de falſitate; idcirco poſſent, ſi velint, Fideles ſibi prouidere, adhibendo certum remedium, vt nullitatem fugiant. v.g. aperiendo peccata Confeſſario certam habenti iuriſdictionem, & ſi id commodè fieri nequeat, poſſent aperire peccata mortalia Confeſſario incertam habenti iuriſdictionem, miſcendo tamen aliqua peccata venialia, in quæ quilibet Confeſſarius, etiam non approbatus, iuxta ferè omnium ſententiam, iuriſdictionem habet, & ſic efficietur Sacramentum conferens gratiam, & indirectè ſaltem mortalia illa remittentur, & per conſequens nullum ſpirituale detrimentum reciperent Fideles. Igitur in caſu iſto cum facilè remedium adhibere poſſit, non oportet, vt Eccleſia ſuppleat defectum iuriſdictionis in Confeſſario, qui ſub dubio illam habet; ſed in primo caſu, quando error eſt communis, etiamſi fundetur in facto, difficillimè cognoſcitur defectus ob vniuerſalem errorem, quo omnes laborant, ideoq; remedium non adhibetur, & ſic patet diſparitas inter vtrumq; caſum; fundatur enim in impoſſibilitate, & poſſibilitate ſaltẽ morali detegẽdi errorẽ, & vitãdi periculũ inualiditatis &c. & ideo in explicatione Bullæ Cruciatæ ob hoc diſcrimen à me aſſignatum *par. 2. tract. 5. ca. 1. ſec. 14.* amplexus ſum ſententiam, quę negat ab Eccleſia ſuppleri iuriſdictionis defectum, quãdo error in Doctorum opinione, & non in communi errore fundatur; licet oppoſitam valdè probabilem exiſtimauerim.

8 Cæterum † his non obſtantibus, quia opinio affirmatiua eſt magis pia, & viris doctis à me oretenus conſultis, magis placet, idcirco in hanc ſententiam mitiorem deuenire operæpretium duxi; tum quia in vtroque caſu eadem videtur paritas, vt ſuperiùs probaui; tum etiam quia valdè graue, & oneroſum redderetur Fidelibus iugum ſuaue Chriſti Domini, ſi ſequentes opinionem probabilem ſapientum fraudarentur, non obtinentes effectum ab ipſis intentum in rebus, quæ ſunt ſub poteſtate Eccleſiæ, & à Iure poſitiuo Pontificis dependent, qui eſt Paſtor, & curare debet, ne ſuæ oues deperdantur, relinquendo eas cum onere amplectendi ſententiam certam, & maximè in rebus moralibus in quibus vix vnquam inueniri poteſt talis ſententia, cum ferè omnes inter gradum probabilitatis contineantur; ideoque ſi Eccleſia non ſuppleret, ſemper idem extaret nullitatis periculum cum maximo ipſorum Fidelium detrimento ſpirituali, quod non videtur recto Eccleſiæ regimini conſentaneum.

9 Dices † cum *Ioanne Sanchez*, aliud eſt permittere, aliud dare iuriſdictionem, & ex ſilentio autẽ illo Pontificis ſcientis contrarias opiniones nõ rectè infertur collatio iuriſdictionis; nam permiſſio non æquiualet licentiæ expreſ-

ſæ;

ſæ, ſicuti æquiualet ratihabitio de præſenti; at ex opinione probabili in caſu noſtro permiſſionem tantùm, & non ratihabitionem haberi probat idem Ioannes Sanchez ex eo, quod iſta verſatur circa actum, qui vtilis eſt tacenti, & cō ſentienti, & ſic regula illa Iuris: *Qui tacet, conſentire videtur*, locum habet in proficuis, & nō in nociuis, & confirmat authoritate alterius *Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 5. n. 5.* quaſi hoc ipſum docentis.

10 Sed reſponſio iſta † nihil contra ſententiā noſtram facit, quia licet aliud ſit permittere, aliud iuriſdictionem conferre, & ex ſilentio vt ſic, non magis vnum, quàm aliud colligi poſſit; nihilominus ex ſilentio in talibus circumſtantijs, falſum eſt aliquod vnum determinatè ex illis duobus coniectari non poſſe; in præſenti autem caſu dicimus inferri conceſſionem, & nō puram permiſſionem. Ratio eſt, quia cum ad Pontificem Summum tamquam ad vniuerſalē omnium fidelium Paſtorem ſpectet regimen Eccleſiæ, & dirigere oues ad ſalutem, ad eumdem conſequenter pertinebit dare media proportionata, & neceſſaria ad finem illum obtinendum, ſicuti etiam impedire contraria, quæ à ſua mera voluntate dependent, ne Fideles decipiantur in rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus; ideoque cum Pontifex ſciat, aut ſcire præſumatur inter Doctores contrarias eſſe opiniones de rebus Ius poſitiuum, & Pontificium cōcernentibus, & opiniones illas eſſe probabiles, vt fideli munere Paſtoris fungatur, debet implicitè ſaltem contentus eſſe, vt vnuſquiſq; abſq; animarū detrimēto, iuxta ſuam opinionē procedat, vel debet declarare veritatem, & ſuam mētem; cum autem taceat, eſt clara præſumptio velle, vt ſine peccato, immò & cum effectu vtriuſque opinionis Sectatores operentur.

11 Maneat igitur ex dictis non minùs † ex errore cōmuni, quàm ex opinione practicè probabili iuriſdictionem conferri in ijs, quæ ſunt de iure poſitiuo, & humano, voluntatem verò ſuperioris in hoc caſu non minùs errori fauere, quàm opinioni; neq; hoc gratis à nobis aſſeritur, ſed ſolida, & efficaci ratione id ſuadetur non ſolùm ex eorum authoritate, qui hoc affirmant, verum etiam ex congruitate poſita in recto, ſincerôq; Paſtoris officio fundato.

CAPVT XVIII.

An ex probabilibus ſententijs ea, quæ poſſeſſioni fauet, ſit reliquis præferenda?

SVMMARIVM.

1 *Partem negatiuam ſuſtinent aliqui, eorumque argumenta referuntur.*
2 *Secundum alios præferenda eſt opinio, quæ poſſeſſioni fauet.*
3 *In pari cauſa pro poſſidente eſt decidendum.*
4 *Quamuis pro contraria parte rationes ſint probabiliores, non ſtatim contra poſſidentē, eſt determinandum, exceſſus enim compenſatur interdum à poſſeſſione.*
5 *Satisfit fundamento oppoſitæ ſententiæ à num. 8. vſque ad finem.*

1 PRIMA opinio, quæ eſt † negatiua ponitur à *Thoma, Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. nu. 30. Villalobos in ſumm. tom. 1. trac. 1. diff. 9.* quam abſolutè poſteà amplexus eſt *Zacharias Paſqualigus de opin. elect. deciſ. 31.* Probatur primò, quia nulla datur obligatio ſequendi ſententiam quæ poſſeſſioni faueat. Probatur ſecūdò, quia cum concurrunt duæ opiniones, ambæq; probabiles, & quælibet ex ipſis eſſe poſſit proxima regula honeſtæ operationis, non cogimur eam admittere, quæ eſt pro poſſeſſione; neque ipſa poſſeſſio facit, vt obligemur ad ſequendam opinionem, quæ poſſidenti opitulatur. Probatur tertiò ex *Paſqualigo*, quia ex vna parte nos non tenemur ad manutenendum aliquē in eius poſſeſſione, niſi dependenter ab opinione illa, quæ eſt regula operādi, ex quo infertur poſſeſſionē depēdentiā habere ab opinione, non autē eligibilitatem opinionis à poſſeſſione.

Et ſi contra vrgeatur, afferendo regulam Iuris, meliorem, ſcilicet, eſſe conditionem poſſidentis. Reſpondet ipſe Paſqualigus; ſicuti, & alij eiuſdem ſententiæ defenſores, regulam eſſe intelligendam de dubio, non autem de opinione, quando igitur res eſt in dubio, tunc conditio poſſidentis eſt melior, eique fauendum; ſecùs quando pro vtraq; parte ſunt opiniones probabiles.

Secunda opinio contrarium aſſerit, videlicet
2 † præferendam eſſe ſententiam, quæ poſſeſſioni magis fauet; etiam ſi rationes potiùs in oppoſitum inclinent: ita docet *Vaſquez p. 2. diſp. 66. cap. 41. num. 7. Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 23. num. 231. Thomas Sanchez* retractans id, quod loco priùs citato docuerat, hanc opinionem ſequitur *lib. 1. in decal. cap. 10. num. 9. in fine. Caſtropalaus tom. primo diſp. 3. p. 2. num. 11.* Ducuntur hi Authores ad hoc aſſerendum, quia putant poſſeſſionem præponderare rationibus contrarijs, quando non conuincunt rationes ipſæ.

3 Dicendum eſt primò: † In pari cauſa certum eſt pro poſſidente eſſe dicendum, & hæc eſt communis opinio, quam docet, & ex multis probat *Menochius lib. 6. præſumpt. 69. numero 7.* enarrans commoda poſſeſſionis, tertium autem commodum ex ijs, quæ ab ipſo Authore enumerantur, eſt hoc à nobis poſitū: probatur verò concluſio ex vtroque Iure; nam in *lege ciuili ff. de regul. Iuris regul. 171* dicitur *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*, & in Iure Canonico ſimilem habemus re-

gulam, quæ *eſt 65. in ſexto*, ſcilicet: *In pari cauſſa potior eſt conditio poſſidentis*: paritas autem iſta, quam Iura expoſtulant, non eſt reſtringenda ſolùm in caſu dubio, vt Aduerſarij velle videntur. Probatur vlteriùs concluſio, quia poſita rationum æqualitate poſſeſſio aliquid operari debet, non enim videtur lumini naturę conſonum, vt in pari cauſſa ſpolietur ille, qui poſſidet: proinde ſententia priori loco relata, vt iacet abſq; diſtinctione, ſuſtineri non poteſt.

Dicendum eſt ſecundò: Etiam in caſu, in quo probabiliores videntur rationes pro non poſſidente, † non eſt ſtatim pro eo iudicandũ
4 contra poſſidentem, quia poterit exceſſus ille probabilitatis non eſſe adeo notabilis, vt vincant Ius illud, quod poſſeſſor, pẽſatis omnibus, habet, & ratio eſt manifeſta, quia ex vna parte poſſeſſio eſt fundamentum, ex quo fauor oritur pro poſſeſſione: ex alia verò parte probabilitas rationum latitudinem habet; ideoq; poſſunt rationes contrariæ ita creſcere in ſua probabilitate, vt euincant poſſeſſionem, & ita debilitari, vt ſint inefficaces ad tollendum poſſeſſionis pondus, inde eſt, vt Authores ſecũdæ ſententiæ, nempè Salas, & Caſtropalans dicant poſſeſſionem præponderare omnibus rationibus contrarijs non conuincentibus, quantus verò debet eſſe exceſſus iſte; vt poſſeſſionem vincat, arbitrio Prudentum eſt iudicandum, eorum nempè, qui abſque poſſeſſione omnia diligenter expendunt.

Ad fundamenta verò allata à Paſqualigo pro prima ſententia, non erit difficilis ſolutio.

Et ad primum, † negandum eſt, vniuerſaliter
5 loquendo, nullam dari obligationem præferendi opinionem, quæ poſſeſſioni fauet, obligatio autem in Iure naturæ fundatur, vt oſtendimus, dictante in pari cauſſa pro eo, qui poſſidet, iudicandum eſſe, & ſimiliter licet aliqualis diſparitas rationum, poterit eſſe inſufficiens, vt pro non poſſidente iudicetur.

6 Ad ſecundum dico, opinionẽ ſe habere poſſe vt regulã honeſtæ operationis, quãdo eſt practicè probabilis; practica autem probabilitas, vt ſupra fuſe oſtendimus, ſumi debet ex conſideratione omnium circumſtantiarum, quæ à parte rei concurrunt; proinde licet opinio contraria ſecundum ſe probabilitatem habeat; nihilominus ſi ſpectetur in re, ſecũdũ omnes circumſtantias poterit eſſe ſolum ſpeculatiuè probabilis, vt accidit in caſu noſtro; non enim eſt probabile in pari cauſſa, vel etiam in aliquo exceſſu, quem habet opinio contra poſſeſſionem, ſit ſatis ad prudenter iudicandum poſſeſſorem ſpoliari poſſe: nego denique poſſeſſionem interdum nos non vrgere ad eligendam opinionem, quæ ipſi faueat.

Ad tertium nego etiam eligibilitatem opi-
7 nionis non dependere poſſe à poſſeſſione, vt patet ex dictis; ſicuti enim dependet à rationibus, ita pariter poterit dependere à poſſeſſione inclinante intellectum ad fauendum in his, aut illis circumſtantijs ei, qui poſſidet.

CAPVT XIX.

An tutus maneat in conſcientia varios inquirens Theologos, donec inueniat reſpondentem iuxta ſuum placitum.

SVMMARIVM.

1 *Nonnulli ex ſuffragatoribus, vt Principis voluntati conformentur nimium interdum sũt ſolliciti inquirentes profeſſorem, qui iuxta ipſorum placitum reſpondeat.*
2 *Non poſſe id fieri ſuſtinent aliqui.*
3 *Si inquirentes recta ratione procedãt, nempè ſi inueniãt profeſſorem probabiliter reſpondẽtem, concedunt id fieri poſſe, ſecùs ſi tali intentione non procedant.*
4 *In rigore Iuris hanc ſententiam eſſe veram.*

CASVS iſte paſſim in praxi contingere ſolet; nam aliqui ad lucrum, vel commodum reportandum, vel ad aliquod ſuffragium dandum in beneficium alterius, † deſiderantes Prin-
1 cipum voluntati morem gerere, circumeunt varios inquirendo Doctores, & Theologos, petendo ab illis, quid tuta conſcientia facere queant; & ſi ab vno Theologo gratum non recipiant reſponſum, recurrunt ad alium, & ſic deinceps, donec tandem aliquem reperiant reſpondentem iuxta ipſius interrogantis beneplacitum: quæritur modo, an iſte talis tutus ſit in conſcientia?

Pro parte negatiuà affertur *Nauarrus in ſumm. cap. 17. num. 83. & Adrianus in quarto de reſtit. quæ. de præſcrip. dub. vlt.* dicunt enim
2 hi Authores hoc licitè fieri † nõ poſſe, proinde, qui ſolet ita procedere, in prauo ſtatu manere.

Sed *Sanchez lib. 1. in decal. cap. 9. nu. 24. Caſtropalaus tom. 1. d. 2. p. 3. num. 6. Ioannes Sancius in ſelect. d. 44. num. 54. verſ. Ob quod certum. Breſſerus de conſc. libr. 3. cap. 6. numero 98. Baldelli tom. 1. diſp. 12. nu. 2. Franciſcus Delugo p. p. decur. quæſt. 6. & alij apud*
3 *ipſum* † cum diſtinctione reſpondent; ſi enim iſte talis non procedit recta ratione, ſed plures inquirit, vt ſi inueniat quempiam ſecundum ipſius placitum reſpondentem, cuius ſententia, quibuſcumque rationibus innitatur paratus ſit ſequi in praxi illicitè operabitur, & in malo ſtatu manebit: ſi verò quærat Doctores, vt tandem aliquis iuxta ipſius quærentis voluntatem probabili tamen, & non leui fundamento, reſpondeat; tunc licitè operabitur, & in malo ſtatu numquam

mane-

manebit, quia operans juxa probabilem ſententiam non peccat.

Dicendum eſt hanc ſecundam ſententiam in
4 rigore † eſſe veram ob rationem tactam, quia nihil obſtat magna illa propenſio, & exquiſita diligentia in perquirenda opinione juxta proprium placitum, ſi opinio illa, vt prudens, & probabilis ſuſtineri queat: attamen negari non poteſt, quin modus iſte procedendi ſit valde periculoſus; nã illa effrenata inclinatio ſæpe facit, vt non proponantur omnes circũſtantiæ, quæ conferre poſſunt ad deciſionem caſus; vel ob deordinatum affectum, qui facit, vt allatæ rationes in fauorem petentis conſiliũ exagerentur, & quę obſtare poſſent, leuiter referantur: in pœnam autem ſic operantis Deus interdum permittit, ad puniendos hos prauos affectus, vt hi decipiantur ignorantia craſſa laborantes. debet igitur vnuſquiſq; recta ratione in rebus iſtis eligere vnum, aut plures Theologos, qui prudenter poſſunt iudicare, eiſq; ſincerè factum proponere, eorumq; conſilio acquieſcere, etiam ſi gratum ſibi non ſit, & non circumire alios, & alios, eorum votum inquirendo iuxta ipſiuſmet petentis inclinationem, & deordinatum affectum.

CAPVT XX.

An Profeſſor moralis Theologiæ conſultus de re aliqua, teneatur iuxta ſuam, an vero iuxta aliorum opinionem, quamuis minus probabilem, reſpondere?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur ſtatus controuerſiæ.*
2 *Aliqui putant Profeſſorem conſultum poſſe iuxta aliorum, & non ſecundum propriam ſententiam reſpondere.*
3 *Nonnulli hoc limitant.*
4 *Ab alys reiicitur limitatio.*
5 *Conſultus Profeſſor de propria opinione, iuxta illam, per ſe loquendo, reſpondere debet.*
6 *Interdum non expedit reſpondere ſecundum propriam ſententiam, etiam ſi de ea ſit interrogatio.*
7 *Conſulens ſi abſolutè quærat, an teneatur reſtituere erit in libertate profeſſoris obligare interrogantem ad reſtituendum iuxta aliorum ſenſum, dummodo ipſe conſulens apprehendat ad id ſolùm probabiliter obligari.*
8 *Occurritur inſtantia contraria.*

QVAESITVM hoc ſupponit illud, quod ſupra *cap. 11.* deter-
1 minauimus, † licitum, ſcilicet, eſſe minus probabilem, & minùs tutam ſequi opinionem, probabiliori relicta; addit tamen aliquod diuerſum, nempè, in ordine ad alios interrogantes de opinione aliqua; euenire enim frequenter ſolet, vt Profeſſor caſuum de re aliqua interrogatus. V. G. an ſit obligatio, nec ne, reſtituendi, & ipſe conſultus, ſiue ſit Confeſſarius, ſiue alius, opinionem habeat, interrogantem reſtitutioni eſſe obnoxium; licet alij Profeſſores oppoſitum tueantur: vel è conuerſo conſultus ſit in ſententia fauorabili ipſi interroganti; alij vero oppoſitum ſuſtineant. quæritur, an profeſſor iſte conſultus teneatur reſpondere iuxta ſuam opinionem, quam probabiliorem exiſtimat, an verò, propria relicta, poſſit reſpondere iuxta aliorum ſententiam, quamuis eam minùs probabilem opinetur.

Sunt in re hac varij apud Doctores modi dicendi; & ſatis communis opinio eſt eorum, †
2 qui dicunt poſſe in caſu dato Profeſſorem conſultum, reſponſum dare iuxta alienam, & non propriam opinionem; & ratio eſt, quia ſicuti licitum eſt ſequi aliorum opinionem minùs probabilem, probabiliori relicta, ita licitum erit eamdem alijs conſulere: Rurſus ſequens, vel alijs ſuadens probabilem opinionem, prudenter operatur; ergo Profeſſor iſte poterit tacẽdo propriam, iuxta aliam minùs probabilem reſpondere. Hanc ſententiam docẽt quamplures, vt *Sanchez lib. 1. in decal. cap. 9. num. 19. Sayrus in clau. reg. lib. 1. cap. 6. num. 11. Becanus in p. 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 16. Reginal. in praxi lib. 1. cap. 6. num. 97. Bonacina in decal. d. 2. quæſt. 4. p. 9. nu. 6. Baſſaus in flor. v. Conſcientia. num. 11. Ioan. Sanchez in ſelect. d. 43. num. 42.*

3 Cæterum † limitat *Vaſquez, & Salas* opinionem hanc, & dicunt non poſſe conſultum reſpondere iuxta aliorum ſententiam contra propriam, ſi debeat condemnare, aut obligare interrogãtem ad reſtitutionem, aut ad aliud onus ſubeundum; ſi ipſe interrogans iudicio, & conſilio talis Profeſſoris, & ſola auctoritate illius ſit ſe determinaturus ad reſtituẽdum, & ſi ſciret opinionem eiuſdem Profeſſoris eſſe ſibi fauorabilem, ideſt, non obligare ad reſtitutionem, minime eſſet reſtituturus; tũc enim ficta moueretur auctoritate, quod eſt illicitum. Præterea qui Profeſſorem aliquem interrogat, an ſit obligatio reſtituendi, non interrogat de aliorum ſententia, ſed de opinione ipſius conſulti; ideoque conſultus iuxta propriam, & non alienam opinionem reſpondere debet, & eximere interrogantem à reſtitutione, ſi ipſe ita ſentiat; At ſi Profeſſor ſit in ea ſẽtẽtia, quę obligat; alij verò ſint in cõtraria, quæ eximit à reſtitutione, poterit obligare conſulentem reſpõdendo iuxta ſuã opinionẽ & non tenebitur reſponsũ dare ſecũdum aliorum ſenſum, & hoc ſine detrimento charitatis,

quia

quia ex charitate non magis obligatur conſultus proſpicere reſtituenti, quàm ei, cui facienda eſt reſtitutio: ſic loquuntur *Vaſquez ſecundo loc. cit. & Salas ſect. 10. num. 94.*

4 Verum hanc limitationem ✠ reijciunt *Sanchez, Bonacina, & Baſſæus loc. cit.* quia ſicuti Profeſſor ipſe poteſt interrogantem à reſtitutione liberare, ſuam aperiendo ſententiam, quæ eſt illi fauorabilis; ita poterit eum condemnare, reſpondendo ſecundum aliorum opinionem, quam probabilem exiſtimat. ita hi Authores diſcurrunt. Quid autem de re hac ſit probabilius, in medium afferam.

5 † Dico igitur primò. Si petens conſilium interroget Profeſſorem, in qua ſententia ipſe ſit circa rem aliquam, tunc certum eſt, per ſe loquendo, teneri Profeſſorem, vel non reſpondere, vel reſpondendo decidere iuxta propriam opinionem, & hoc concedunt *Sanchez nu. 21. Bonacina loc. cit. & alij*, quibus addo *Franciſcum Delugo in decur. Theol. tract. de conſci. quæſt. 7. num. 8.* Concluſionem hanc intelligo, ſiue opinio Profeſſoris ſit probabilior, ſiue minùs probabilis ea, quàm alij tuentur. probatur autem manifeſte, quia ſi Profeſſor reſponderet ſecundum aliorum opinionem, mentiretur, immò deciperet conſulentem, qui expreſſe petit ipſius Profeſſoris, & non aliorum ſenſum, vt ſe determinet ad reſtituendum, vel non reſtituendum.

6 Dico ſecundò, quandoq; per accidens † expediens erit, vt conſultus non reſpondeat iuxta ſuam opinionem, ſed ſecundum aliam, quam putat probabilem. V.G. ſi detegẽdo propriam, conſulens occaſionem arriperet liberius peccandi, abutens opinione ipſius Profeſſoris, tunc ad vitandũ ſcandalum, deberet conſultus proprium ſenſum occultare, ne ſubminiſtraret cõſulenti materiam peccandi. Hanc concluſionem innuit *Sanchez l. c.* Idem etiam dicerem, ſi opinio ipſius Profeſſoris indicaretur difficilis petenti conſilium, vt aduertit *ipſe Sanchez num. 19. & Baldelli tom. 1. diſp. 17. num. 1.* & tunc deberet cõſultus aliqua vti æquiuocatione, vel ſe aliquo modo excuſare à reſponſione danda; hoc autem eſt intelligendum, ſi abſque notabili dedecore, & nota ignorantiæ id fieri poſſit; nam ſi abſq; incommodo ſe excuſare nequeat, poterit liberè ſuam aperire ſententiam, non obſtante quod prauam interrogantis diſpoſitionem præuideat. hoc autem in caſibus particularibus eſt decidendum, comparando, ſecundum leges charitatis, detrimentũ conſulti, & periculum labendi in peccatum ex parte conſulentis, ſiue magis, ſiue minùs proximũ, & ſecundũ maiorem, & minorem peccati grauitatem, vt declarari ſolet in Tractatu de Scandalo; ex charitate tamen deberet conſultus ipsũ interrogantem admonere, vt abſtineat ſe à tali actione peccaminoſa, quamuis ex illa non oriatur iuxta probabilem ſententiam obligatio reſtituendi, & hoc faciẽdo Profeſſor non peccabit aperiendo ſuam ſententiam, quia non tenetur cum graui detrimento ſuæ æſtimationis occultare veritatem, proinde erit ſcandalum paſſiuum, quatenus conſulens ex propria malitia eligit peccare.

Dico tertiò. Si conſulens abſolutè, & ſimpli-
7 citer interroget ad quid teneatur, † puto opinionem *Sanchez, & aliorum primo loco* relatam cum quadam modificatione admitti poſſe, videlicet, eſſe in libertate Profeſſoris obligare interrogantem ad reſtitutionem iuxta aliorum opinionem reſpondendo, ſi alij ita ſentiant, dummodo ipſemet, qui conſilium petit, intelligat ſe obligari ad reſtitutionem non ex opinione certa, ſed ſolùm probabili, quia tunc iam intelligit contrariam opinionem liberantem à reſtitutione eſſe etiam probabilem; proinde Profeſſor nullam illi facit iniuriam, cum interrogans poſſit, ſi velit, alteri opinioni ſe conformare, quæ à reſtitutione abſoluit; verum ſi ex circumſtantijs, ſeu ex incapacitate conſulentis ipſe conſulens vi reſponſionis Profeſſoris credat eſſe indubitatũ ſe teneri ad reſtitutionem, & non inueniri aliam ſententiam contrariam ſibi fauorabilem; tunc cenſeo non eſſe admittendam opinionem Sanchez, & aliorum, quia ex tali modo reſpondendi in his circumſtantijs deciperetur conſulens, cum certo ſibi perſuaderet teneri ad reſtitutionem, cum re vera ita non ſit, & obligatio ad reſtituendum ſolùm naſcatur ex probabili opinione; ſicuti etiã & nõ obligatio. Concluſionem ſecundum vtramq; partem expreſſè docet *Caſtropalaus tom. 1. diſp. 2. p. 3. num. 4.* & mihi videtur certa, & fortaſſe Authores contrarij, quando aſſerũt poſſe Profeſſorem reſpondere iuxtà opinionem aliorum obligantem, intelligunt, cum conſulens deprehendit ſolùm probabiliter obligari, quod ſi hoc nõ percipiat, abſq; dubio tenendã eſt opinio *Vaſquez, & Salas*, qui volunt tunc ſolùm poſſe Profeſſorem reſpondere ſecundũ alienã, & non propriã ſentẽtiam, quando interrogans liberatur à reſtitutione, non autem quando cõdemnatur. Et confirmatur, quia petentes conſilium, quamuis expreſſè non interrogent explicitè, an poſſit aliqua via ab obligatione ſe eximere, implicitè tamen id petunt, & hoc ſemper eſt præſumendum in dubio.

Neq; valet ſi cum *Sanch. & alijs ſup. citat.*
8 dicas: † ſicuti Profeſſor reſpõdens ſecundũ vnã opinionẽ poteſt liberare à reſtitutione cõſulẽtem, ita & eodẽ modo reſpõdes ſecundũ alterã, condemnare, & obligare in fauorem alterius: non valet, inquã, quia diuerſa eſt ratio vtriuſq; quando enim liberamus conſulentem à reſtitutione, nemini iniuriam facimus, neq; aliũ decipimus; nõ cõſulentẽ, quoniã in eius fauorẽ decidimus; neq; alterũ, contra quẽ iudicamus, nam deciſio eſt iuxta probabilem opinionem, & tutam in praxi, quia iſte alter non poſſidet, atq; adeo illum minimè ſpoliamus ea re, de qua iudicamus: in poſſeſſione vero eſt ipſe conſulẽs, vt nunc ſupponimus. Rurſus quia Profeſſor in caſu poſito non tenetur patrocinari cauſſam alterius tertij, qui ad ipſum non recurrit, ſed cauſſam ipſius conſulentis, qui recurrit, &

auxi-

auxilium poſtulat ab ipſo Profeſſore; & ideo ſi contrarium decideres, potiùs conſulenti iniuriam aliquam irrogaret, ſpoliando illum à ſuis pecunijs, vel altera re, quam actu poſſidet. Neque dicas regulam iuris, nempe: Melior eſt poſſidentis conditio, eſſe ſolùm intelligendam in caſu dubio; & non quando eſt varietas probabilium opinionum, aliter Iudices non poſſent iuxta eam opinionem, quam probabiliorem exiſtimant, ſpoliare aliquem re, quam poſſidet, eamque alteri adiudicare. Ne dicas hoc, tum quia loquendo de Iudice inferius declarabimus, quo pacto inter opinionum diuerſitatem ſe gerere debeat, vt muneri ſuo ſatisfaciat; tum quia alia eſt ratio de Iudice in foro externo, qui æqualiter oportet vt ſe habeat inter partes litigantes; & de Iudice in foro interno, qualis eſt Confeſſarius, aut alius Profeſſor; nam iſte debet, quantum fieri poteſt, fauere pœnitenti interroganti, cum eius munus ſolùm ſit medicinam præbere conſulenti, & non alteri proſpicere, & ſi Profeſſor reſpondeat ſecundum aliorum opinionem obligantem, & in modo reſpondendi nõ manifeſtet interroganti, reſponſum eſſe tantùm probabile, vt ſupra explicuimus, decipit illum, & ſic aperta patet diſparitas inter conſulentem, & inter alteram tertiam perſonam, quæ conſilium non petit.

CAPVT XXI.

Quomodo gerere ſe debeat Confeſſarius cum inter ipſum, & pœnitentem eſt opinionum contrarietas.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum.*
2 *Si opinio pœnitentis eſt euidenter falſa, ceſſat controuerſia.*
3 *Eſt abſoluendus pœnitens ſi probabilem habeat opinionem, licet Confeſſarius ſit in contraria ſententia.*
4 *Intelligitur tum reſpectu Confeſſarij ordinarij, tum delegati, contra aliquos cenſentes id eſſe verum reſpectu ordinarij tantùm.*
5 *In caſu prædicto non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur Cõfeſſarius pœnitentẽ abſoluere.*
6 *Obligatio iſta ex parte Cõfeſſarij eſt grauis ex ſuo genere, cõtra Vaſquez putantem eſſe leuem reſpectu Confeſſarij ex commiſſione.*

1 POTEST interdum contingere, † vt Cõfeſſarius opinetur aliquam actionem eſſe moraliter peccaminoſam, ſeu aliquem contractum, quem ipſe pœnitens vult inire, eſſe vſurarium: Contra verò pœnitens exiſtimet oppoſitum, nempe neque actionem illam eſſe malam, neque contractũ eſſe vſurarium; in hoc autem caſu nonnulla ſunt expendenda circa modum, quo prudens Confeſſarius debeat procedere, ne iniuriam faciat pœnitenti, & ne ſacrilegium committat contra reuerentiam debitam Sacramento; ideoque quod præcipuè quæritur eſt, an debeat Confeſſarius pœnitentem abſoluere?

Pro ſolutione autem huius quæſiti, ſupponimus opinionẽ pœnitẽtis non eſſe euidenter falſam, † alioqui nulla eſſet controuerſia, quia 2
in tali caſu pœnitẽs deberet omnino relinquere errorem, & ſi nollet, maneret in prauo ſtatu, & per conſequens abſolutione indignus. Supponimus igitur opinionem pœnitentis eſſe probabilem, probabiliorem verò eam, quam Confeſſarius habet, à quo totum hoc agnoſcatur; vel ſi à Confeſſario exiſtimatur falſa opinio pœnitentis, ab alijs tamen viris doctis cẽſeatur probabilis. His prænotatis, quamuis circa hoc punctum non reperiam magnam inter auctores controuerſiam; nihilominùs cũ nonnulli ex illis aliquas apponant limitationes communi ſententiæ, idcirco debemus eorum placita examinare, à certioribus incipiendo.

3 † Dicẽdũ eſt primò, à Cõfeſſario abſolui poſſe pœnitentẽ, ſi ipſe Cõfeſſarius agnoſcat eius opinionem eſſe practicè probabilem, quãuis exiſtimet ſuam eſſe probabiliorẽ. eſt contra *Adrian. quodlib. 2. quæſt. 3.* vniuerſaliter aſſerẽtem nemini licere, etiam Confeſſario, agere contra propriã opinionẽ: Sed cõcluſionem cõmuniter tuentur Doctores, inter quos eſt S. *Antoninus p. 3. tit. 17. cap. 20 §. 2. Nauar. in ſumm. cap. 26. num. 4. Sylueſt verbo Confeſſor. 3. quæſt. 7. Suarez de pœnit. d. 32. ſect. 5. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 27. Vaſquez in p. 2. diſp. 33. num. 54. Lanfrancus opus. p. cap. 4. nu. 10.* ſed *Frãciſcus de Amico tom. 3. de regulis extrinſecis actuum humanorum d. 15. ſect. 3. num. 89. & 90.* caſum vniuerſaliter examinans, limitat quando opinionem aliorum Confeſſarius putat improbabilem; at ſi talem non iudicat, per principia extrinſeca ſaltem, poterit illam ſequi, ſic etiam quamplures alij; ratio pro hac concluſione eſt, quia dum pœnitẽs eſt rectè diſpoſitus, debet abſolui à Confeſſario, at ſequens opinionem practicè probabilem, niſi aliud obſtet, eſt rectè diſpoſitus. ergo debet abſolui; neque obeſt iudicium contrarium Confeſſarij circa probabilitatem opinionum; nam tale iudicium eſt ſpeculatiuum, cum quo eſt compoſſibile aliud iudicium practicum, per quod Cõfeſſarius iudicet hic, & nũc pœnitentem adhærentem probabili opinioni nõ eſſe in malo ſtatu, proinde abſolutione dignum; maior enim illa probabilitas, quam Confeſſarius agnoſcit in ſua opinione non tollit alterius opinionis probabilitatem, neque rectam pœnitentis diſpoſitionem.

Dicendum eſt ſecundò, doctrinã prædictam
4 non ſolùm † locum habere reſpectu Confeſſarij proprij, & ordinarij, qualis eſt Parochus, & alius, cui ex officio incumbit confeſſiones audire; verum etiam reſpectu Confeſſarij delegati,

legati, & extraordinarij, non habentis ex officio tale munus. Concluſio eſt contra *S. Antoninum*, & *Sylueſtrum*, ſic communem opinionem limitantes, quam reſtrictionem reliqui auctores meritò reijciunt, quia tum in Confeſſario ordinario; tum in delegato vim habet ratio aſſignata, nempè pœnitentem rectè diſpoſitum abſoluendum eſſe poſt peccatorum accuſationem.

Dicendum eſt tertiò. In caſu prædicto non
5 ſolùm Confeſſarius † quicũq; ſit, ſiue proprius, ſiue delegatus, poteſt, ſed & tenetur pœnitentem ſic diſpoſitum abſoluere. ita *plures ex authoribus in prima concluſione citatis*; quibus addo *Baſſæum in flor. v. Conſcientia num. 13.* eſt etiam ex parte contra *Polanchum*, qui *in direct. Confeſſ. cap. 1. §. de prud. conf.* agnoſcit diſcrimen in hoc inter propriũ, & non proprium Confeſſarium; ſed differentia iſta, quam ponit *Polanchus* in aliquo ſenſu eſt admittenda; ſi enim ſermo ſit poſt auditam confeſſionem cenſeo eamdem eſſe vtriuſq; Confeſſarij obligationem, quia enarratis peccatis pœnitens ius ſtrictum acquiſiuit, ne ipſi denegetur abſolutio, ſi rectè ſit diſpoſitus quoad reliqua neceſſaria. Si verò loquamur ante confeſſionem certum eſt obligationem abſoluendi non inueniri, niſi in Confeſſario proprio, quatenus ex officio tenetur talis pœnitentis confeſſionem audire eo tempore, quo ipſe pœnitens opportunè petit: Delegatus verò, cum nõ ſit proprius, non tenetur.

6 Dicendum eſt quartò, † obligationem iſtam abſoluendi pœnitentem reſpectu vtriuſq; Cõfeſſarij poſt peccatorum enarrationem ex genere ſuo eſſe grauem, & ſub peccato mortali, licet *Vaſquez c. cit. num. 40.* cenſeat reſpectu Confeſſarij ex commiſſione non eſſe graue peccatum, & communiter excuſari poſſe, quia id facit bona fide, ex zelo propriæ opinionis; ſed id, quod ſtatuimus eſt omnino amplectẽdum, quod rectè probatur ab alijs auctoribus; nam eſſet graue onus obligationem imponere pœnitenti, iterum ſua peccata aperiendi alteri Confeſſario. Dixi, eſſe obligationem ſub mortali ex genere ſuo; nam interdum poterit eſſe ſub peccato veniali, ſi confeſſio fuerit de leuibus, ac ordinarijs culpis, ad quas repetendas pœnitens non eſſet notabiliter grauatus.

7 Dicendum eſt quintò. Si contingat à Confeſſario cenſeri opinionem pœnitentis non ſolùm minùs probabilem, ſed falſam; à probatis tamen auctoribus exiſtimari probabilem, eiſq; innoteſcere etiam rationes omnes, quæ concurrunt ad iudicium ferẽdum de ipſa opinione; tunc teneri Confeſſarium pœnitentem abſoluere: ita docent *Valentia in 2.2. d. 5. quæſt. 7. puncto vlt. Bonacina in decal. d. 2. quæſt. 4. p. 9. num. 8 Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 1. concl. 5. in fine. Baldelli tom. 1. diſp. 13. per totam, & alij apud ipſos*: Dixi, ſi à probatis auctoribus reputetur opinio illa probabilis, &c. nam ſi qui eam tenent, non ſint authores periti in ea materia; pœnitens autem totum hoc ignoret: tunc multa ſunt prudenter attendenda circa ignorantiam, qua ipſe pœnitens laborat; an ſit vincibilis, aut inuincibilis, an ipſimet, vel alijs damnum afferat, ſequendo opinionem illam; Si manifeſtata veritate facilè ipſe pœnitẽs opinionem Confeſſarij ſit amplexurus &c. de quibus ſupra diximus, agendo de conſcientia erronea *diſcept. 3. cap. 12.* quæ hìc non ſunt repetenda; & penſatis his omnibus debet prudens Confeſſarius determinare quid agendum, an debeat nec ne pœnitẽtem in eius bona fide relinquere, eumdem abſoluere, ſi opinionem illam non deponat, &c.

CAPVT XXII.

Vtrum Conſiliarij, & Parlamentarij in Regis fauorem minùs probabilem ſequi poſſint opinionem.

SVMMARIVM.

1 *Quæſitum præcipuè locum habet in publicis, & generalibus Comitijs.*

2 *Cõpleta eius deciſio remittitur ad quæſtionem de opinione à Iudicibus eligenda.*

3 *Conſiliarij in publicis comitijs non comparantur ad Regem, vt ſubditi, ſed vt Iudices inter ipſum, & Regnum, quoad determinationem donatiui.*

1 CASVS iſte in publicis, † & generalibus Comitijs frequẽter contingit, in quibus Regni Primates coadunantur ad expendendas Regis neceſſitates, & modum, qui ad illas ſubleuandas magis expediens, & opportunus videtur: in alia autem ſubſidia ſæpè proponitur donatiuum à Regnicolis erogandum; ideoq; occurrere hinc & inde poſſunt difficultates, & rationes pro vtraque parte, nempè tum pro ſoluendo; tum etiam pro non ſoluendo ipſum donatiuum, & opiniones varias eſſe poſſunt Ponamus ergo duas ſententias, quarum vna, quæ aſſerit donatiuum tradẽdum, ſit probabilis; probabilior tamen oppoſita: quæritur nunc, an Conſiliarij tuta conſcientia, vtramq; attendentes opinionem, poſſint illam minùs probabilem eligere, quæ fauorabilis eſt Regi, atque adeo concludere donatiuum à Regnicolis ſoluendum.

2 Completa, omnibuſq; muneris abſoluta † deciſio huius quæſiti magna ex parte dependet ab illa celebri quæſtione, nempe: An Iudex in ſententijs ferendis adhærere poſſit probabili opinioni, probabiliorem relinquendo; Conſiliarij enim in publicis comitijs ſe habent tamquam

quam

quam Iudices, vt teſtatur *Vaſquez opuſc. de reſt.cap.6.§ 3.num.76.* & *Thomas DelBene de comitijs dubit.2. ſect.1.num.9. in fine*, quia ad ipſos pertinet examinare neceſſitatem Regis, aut Regni, & quod ab eiſdem determinatur, eſt executioni mandandum; habent enim vim obligãdi Regnicolos: proinde ſe habent in his, & ſimilibus cauſſis tamquam Iudices inter Regnum, & Regem, quando agitur cauſſa ipſius Regis circa eius ſubuentionem, ſicuti & cum ponderantur neceſſitates regni, & tractatur de gabellis imponendis propter commune bonum, ipſi Conſiliarij ſunt veluti Iudices inter communitatem, & perſonas priuatas, quorum onus imponendum expenditur, an ſit neceſſa-
3 rium, nec ne? † & in re hac non ſe habent in ordine ad Regem, tamquam ſubditi, ſed potiùs, vt Superiores ad donatiuum determinandum. His autem poſitis, perſectam huius quæſiti deciſionẽ remittimus ad ea, quæ dicturi ſumus de opinionum electione à Iudice facienda; in præſentia tamen dico breuiter non poſſe à Cõſiliarijs recipi minùs probabilem ſentẽtiam in Regni, & Regnicolorũ præiudicium; ſed teneri opinionem probabiliorem admittere, eiq; ſe conformare. Rationes pro hac concluſione habebuntur infra, cum ſermo de Iudicibus erit, quemadmodum etiam, ibi argumenta, variæq; Doctorum ſententiæ fusè diſcutientur.

CAPVT XXIII.

An Conſiliarij tuta conſcientia credere poſſint Regi ſuam, aut Regni neceſſitatem aſſerenti?

SVMMARIVM.

1 *Solent Principes donatiuum à ſubditis poſtulare, vt proprijs, aut Reipublicæ ſubueniant neceſſitatibus.*
2 *Aliqui cenſent poſſe Conſiliarios, Regi, neceſſitatem aſſerenti fidem præſtare.*
3 *Principi aſſerenti aliquid in præiudicium tertij tendens, in multis caſibus non eſt fides præſtanda.*
4 *Debet in caſibus prædictis aſſertio adminiculo aliquo fulciri.*
5 *Conſiliarij in comitijs ſunt Iudices examinantes neceſſitatem Regis, & vires cõmunitatis*
6 *Conſtare debet neceſſitas Regis, aut communitatis, vt populi grauentur.*
7 *Ad fundamentum contrariæ opinionis ex Clemen. vnica de probat. tres dantur interpretationes vſque ad nu. 9. incluſiuè.*

1 SÆPE etiam accidit, vt Rex, † aut Princeps aliquis abſolutus, ad ſubueniendũ proprijs, aut Reipublicæ neceſſitatibus, poſtulet à ſubditis donatiuũ, & cõſequẽter in hunc finem imponere noua aliqua tributa, quibus ciues grauentur; quærimus nunc, vtrũ Conſiliarij in publicis comitijs interuenientes, abſq; vllo conſcientiæ ſcrupulo fidem præſtare poſſint Regi, aut Principi prædictas teſtanti neceſſitates, quando de oppoſito nihil conſtat.

2 Pars affirmatiua alicui ſuſtinenda videri poſſit *per textum in Clement. vnica de probat.* vbi Pontifex decreuit credendũ eſſe litteris, quæ ab ipſo emanant: hoc autem extendi ad alios Principes inferiores firmant *nonnulli, vt Barthol. in L. Ambitioſa nu.28.ff.de decr.ab Ord.faciend. Caſtrus cõſ.300. ver. Dicet aliquis, & alij*, quos laudat *Maſcardus de prob.concl.1227. nu. 10.* 23. & hoc propter eorum maximam excellentiam, magna enim ait *Menoch. conſil.100.n.16.* eſt præſũptio pro illis, & hanc ſententiam tuẽtur aliqui, quos citat, & ſequitur *Diana p. p. tract. de parlam. reſolut.11.*

3 Dicendum tamen eſt, † quamuis in quibuſdam caſibus Principi aliquid aſſerenti fides ſit præſtanda; fallit tamen hoc in multis, & præſertim quando agitur de præiudicio tertiæ perſonæ: ſic *Decius conſ.441.nu.61. & ſeq. Guttie. lib.4. quaſt.11, nu.24. Maſcardus concl.CII. nu. 114.* & apud ipſum *Oldradus conſil.258. Iſernia cap.1. qui ſucceſ.teneant. Rolandus à Valle cõſil.1.nu.58. volum.2. Franc. Ferretus Iuriſcõſultus Hiſpanus ad conſtit. Hac noſtra euident. 3.nn.42. & Ioann. Maria Nouar. de grauam. Vaſal.grau.39.initio*, vbi quamplures citat: *Thomas DelBene de publicis comit.dub.2.ſec.1.n.4.* quibus videtur adhærere *Diana par.3.tract. 5. Miſcell.reſol.78. in additam: ad reſol.11. cit.*

Duo autem ſunt à nobis probanda, vt cõcluſio poſita firma remaneat. Primò, non eſſe obligationem ex parte ipſorum Conſiliariorum ad fidem Principi neceſſitatem aſſerenti præſtan-
4 dam; † niſi aliud adminiculum aſſertioni ſuffragetur. Secundò, non poſſe ab eiſdem practicè credi; ita vt vi fidei præſtitæ onera ſubditis imponantur: Prima verò pars probatur ratione fundamentali, & quamuis ſit controuerſum apud Doctores, an ſubditus teneatur Superiori obedire, quando eſt dubiũ, ſit ne licitum, aut illicitum id, quod Superior præcipit, iuſtũ, aut iniuſtum tale, vel tale tributum, & aliqui velint in dubium eſſe Superiori parendum; alij verò negent; (quicquid ſit hac de re, de qua infra in diſceptatione de conſcientia dubia erit fusè agẽdum) nihilominùs cum non agatur in præſentia de ſubdito, & Superiore, certum eſt neminẽ teneri per ſe loquendo ad parendũ, & exequendũ, quod ab alio proponitur, & maximè quãdo executio cedit in damnũ alterius, ſed teneri vnũ quemq; ſi vult adhærere aſſertioni proponẽtis, & exequi, quod ab illo proponitur, examinare cauſſam, an ſit iuſta, aut iniuſta, licita, aut illi-

çita, nec ne?aliter imprudenter aſſentiret, & periculo ſe exponeret errandi: Secunda autem pars, quę maximè ad plenam quæſiti deciſionē facit, efficaciter oſtēditur ex eo, quod, vt ſupra
5 diximus † Conſiliarij, in publicis comitijs nō ſe gerunt tamquam ſubditi Regis, ſeu illius, qui perſonam Regis gerit, ſed potiùs vt Iudices inter ipſum Regem, & communitatem, quando agitur ad ſubueniēdum ipſimet Regi, vel inter communitatem, vt hic, & perſonas particulares, quando agitur de ſubſidio ipſi communitati exhibendo; munus aūt Iudicis requirit examen cauſſæ, antequam ſententiam proferat, & male ſe gereret Iudex ille, qui, tali ſpreto examine, dictis alterius ductus ſententiam ferret.

6 Et confirmatur, † nam conſtare debet neceſſitas Regis, ſeu vniuerſitatis, vt populi grauentur; quia talis neceſſitas eſt cauſſa finalis pertinēs ad iuſtitiam tributi; proinde debet eſſe nota, vt colligitur ex *cap. peruenit de cenſibus*, & animaduertit *Suarez lib.5. de legib. cap.25. initio.*

Ad fundamentum verò contrariæ opinionis
7 affirmatiuæ, deſumptunt † *ex Clementina illa vnica de probationibus*, varias trado reſponſiones, & primò aio, de ſolo Pontifice, qui in terris vicem Dei gerit, textum illum verificari, vt
8 pluribus placet apud *Barboſam ibi num. 11.* † Secundò dico, etiamſi eum alijs demus, extēdi textum ad alios Principes ſæculares abſolutos, nihilominùs, eum nonnullis limitationibus eſt explicandum, quas ponunt Doctores, & præſertim quando agitur de graui, ac notabili tertij præiudicio, vt ex multis notauit *Maſcardus de probat. concluſ. 139. num. 14.* & confirmari poterit ex *L. Nullus de teſtib. & ex L. Omnibus C. de teſt.* in quibus ſtatuitur neminē eſſe idoneum teſtem in re propria, idcirco pręter aſſertionem Principis, alia concurrere debent adminicula, vt illi in facto proprio fides detur; & quia præſens quæſitum procedit de oneribus imponendis; proinde dicimus ſolam, & nudam Regis aſſertionem ſatis non eſſe ad probabile iudicium ferendum, de neceſſitate illa, quæ eſt ſufficiens ad ſubditos no-
9 uis oneribus grauandos. † Tertiò denique, reſpondeo textum illius Clementinæ procedere, quando agitur de fide adhibenda Superiori à ſubdito, & in ijs: in quibus conſideratur tamquā ſubditus; at in caſu noſtro, vt patet ex ratione fundamentali pro concluſione probanda, Conſiliarij, non vt ſubditi comparantur ad Regem, ſed vt Iudices, & in rebus ad ipſos, vt tales perſonas ſpectantibus, cuiuſmodi ſunt impoſitiones tributorū, ideoq; nihil ex vi illius textus contra nos inferri poteſt.

(✱)

CAPVT XXIV.

An liceat Principi Superiorem temporalem non agnoſcenti ex probabili opinione indicere bellum ad recuperandum Regnum contra alium Principem abſolutum,

SVMMARIVM.

1 *Ante promulgationem Belli eſt examen de eius iuſtitia, faciendum.*
2 *Nequit Regni poſſeſſor ſpoliari ab alio vi opinionis probabilis, immò probabilioris ex parte facti.*
3 *Neutro poſſidente, ſi ex parte facti rationes sūt æquè probabiles, Regnum eſſe primi occupantis, cenſuit Petrus Nauarrus.*
4 *Alij ſuſtinent eſſe diuidendum.*
5 *Hæc vltima ſententia ab Authore recipitur.*
6 *Poſitis probabilioribus motiuis ex parte Iuris Rex illa habens poteſt Regnum prætendere.*
7 *Variant Doctores in determinando, an Rex iſte pro ſe ipſo ſententiam proferre poſſit.*
8 *Antequam Rex Bellum indicet, debet conſilio prudentum ſe ſubijcere.*

DE hac materia fusè agitur in 2.2. at nos nonnulla de eadem examinabimus, quæ pertinent ad hūc tractatum de probabili opinione. Incipiendo autem à facilioribus, & certioribus.

Dico primò, certum eſſe antequam Princeps ſupremus bellum indicat, ad aliquod regnum
1 capiendum, † debere priùs ponere diligens examen ad veritatem acquirendam, aliter grauiter peccabit temerè procedens in re magni momenti.

Dico ſecundò, ſi Princeps, contra quem bellū indicere intenditur, ſit in pacifica poſſeſſione illius regni, & iſte alius habeat opinionē ſolùm probabilem ex parte facti, nempè ex parte inſtrumentorū, & teſtiū, quibus probatur regnum ſibi competere, & alius, qui poſſidet ſimilia habeat inſtrumenta, quæ oppoſitum pro-
2 bent; tunc non erit licitum † bellum indicere, quia nequit Rex poſſidens ſpoliari illo regno; poſſeſſio enim præualet tali probabilitati, quā habet alius Rex, etiam ſi ex parte facti maior ſit probabilitas huius, quā illius, requiritur aūt moralis certitudo ex parte facti, vt poſſidēs ſpolietur, ita cōmuniter Doct. vt *Bañes 2.2.q.41.a.1. d.5. cōcl.4. Valen. ibid. diſp.3.q.16.p.2. Caſtrop. to.5. dip.2 pun.7.n.1. Ioann. Sanctius in ſelect. diſp.64.n.56.* & in eadem ſententia videtur eſſe *Delugo to.1. de iuſt. diſp.16. ſec.5. num.98.*

Dico

Dico tertiò; ſi neuter poſſideat, & rationes
ex parte facti ſint æquales quoad probabilitatẽ,
3 aliqui putant, † regnum illud eſſe primi occu-
pantis, ſeu vnumquemque ex his prætendenti-
bus habere Ius ad regnum illud capiendum, &
conſequenter poſſe bellum indicere contra aliũ
Regem prætenſorem, & habentem pro ſe ratio-
nes æquè probabiles: hanc opinionem ſuſti-
net *Petrus Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. nu.
269.* & id fundat in hoc, quod in ſimili caſu poſ-
ſet licitè Iudex applicare rem vni ex litiganti-
bus, cui ſibi placuerit: Rex autem, ſiue quicũ-
que alius Dominus abſolutus non tenetur ſe
ſubmittere iudicio alterius, eique obedire, pro-
inde de ſua cauſſa poterit ipſemet legale iudi-
cium ferre, poſita probabilitate prædicta, &
4 prudentium conſilio, † ſed alij cenſent in tali
caſu Regem non habere Ius ad totum integrũ,
ſed ad partem, & quod deberet fieri diuiſio in-
ter vtrumque Regem, & pars vni, pars al-
teri adiudicari. Hanc ſententiam tuetur *Suarez
tract. 13. de char. ſect. 6 num. 4. Vaſquez p. 2.
d. 64. cap. 3. num. 12. Tannerus diſp. 2. qu. 6.
dub. 4. & alij*, quos citat; ſequiturque *Me-
rolla tom. 1. d. 3. cap. 4. dub. 3. num. 204.* qui e-
negant, Iudicem in cauſſa æquè probabili pro
vtraque parte poſſe ad libitum ſententiam fer-
re in fauorem vnius partis; ſed dicunt debere
rem, de qua eſt controuerſia, diuidere modo
5 ſuperiùs explicato; † Et hæc vltima ſenten-
tia mihi videtur rationi magis conſentanea,
quam ſuadere poſſumus eodem argumento,
quo hoc ipſum oſtendimus loquentes de Iudi-
ce in ordine ad perſonas priuatas litigantes, ſi-
ue iſta æqualis probabilitas ſit circa factum, ſi-
ue circa ius.

Dico quartò, ſi ex parte vnius Regis poſt
adhibitam requiſitam diligentiam rationes ex
parte iuris ſunt probabiliores, & efficaciores
duo ſunt determinanda: Primum an Rex talia
habens iura, poſſit prætendere regnum. Se-
cundum, an poſſit ſententiam pro ſe ipſo ferre,
& ſi impediatur ab alio Rege, bellum contra
6 illum indicere: Et quoad primum certum eſt †
poſſe, quia illa maior probabilitas circa iura
eſt ſufficiens, vt Rex valeat, in ſui fauorem for-
mare practicum iudicium, quod regnum ad ſe
pertineat, vt in ſimilibus euenit inter perſonas
priuatas litigantes coram Iudice: De ſecundo
7 varia † ſenſerunt Doctores; nam *Molina tom.
1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 103. & Tannerus loco
prius citat.* partem affirmatiuam ſequuntur;
poſſe videlicet, ſententiam pro ſe ferre, &
ducuntur ex eo, quod Rex in temporalibus cũ
non agnoſcat ſuperiorem, poteſt à ſe ipſo cauſ-
ſam ſuam decidere, & ſecundũ deciſionem, eam
exequi; proinde ſi impediatur, & alia via faci-
lior non occurrerit, armis regnum occupare
poterit. Verùm *Vaſquez loc. cit. Turr. opuſ. 10.
de conſc. dubia diſp. 4. dub. 2. Lorca in p. 2. d.
39. & alij* putant in controuerſia, quæ eſt
probabilis pro vtraq; parte, non poſſe Regem
per ſeipſum controuerſiam illam iuridicè deter-
minare, eamq; mediante bello, exequi, ſed de-
bere rem examinandam alteri ſubijcere, eiuſq;
determinationi acquieſcere; & hoc probatur ab
his Authoribus varijs rationibus; nã Vaſquez
probat ex eo, quod bellum inire eſt actus iuſti-
tiæ punitiuæ pœnam infligentis contra contu-
maces, & rebelles: at non videtur in caſu noſtro
Rex contrarius, eſſe contumax, & rebellis, ſi nõ
acquieſcat iudicio alterius Regis putantis re-
gnum ſibi competere. Alij verò id probãt, quia
vt Rex ſententiam contra alium Regem profe-
rat, debet examinare non ſolùm rationes oppo-
ſitas, ſed audire ea omnia, quæ alius Rex poteſt
contra excipere; & ideo non videtur iuxta rec-
tam rationem, parte inaudita, ſententiam ferre,
ex quo ſequitur, cum neuter ex ijs habeat ſupe-
riorem temporalem, non erit maior ratio, cur
potiùs vnus ſuas rationes coram altero repræ-
ſentare debeat, & non iſte coram illo; & quia
ambo in hoc ſunt pares, ideircò nequit alter
pro ſe ſententiam ferre, & per conſequens etiam
ſi eam tulerit, bellum indicere non poterit.

Difficultas autem eſt cuius iudicio remitti
debeat cauſſa. Vaſquez ita rem hanc determi-
nat, ſcilicet, quod ſi controuerſia eſt, V. G. de
aliquo Marchionatu, qui eſt ſubditus alicui
regno, cauſſam decidendam eſſe ab illo Re-
ge, ſub cuius imperio reperitur Marchiona-
tus ille, & circa hanc litem Reges illos præ-
tendentes non poſſe ſe eximere à ſententia,
& iudicio huius tertij Regis: Ratio autem
eſt, quia Marchionatus ille cum ſit ſubditus
huic Regi, & eius legibus regatur, conſenta-
neum eſt, vt lites circa eumdem Marchiona-
tum definiantur ab Authore earumdem le-
gum: Si vero controuerſia eſt de regno, de
cujus ſucceſſione eſt lis, tunc inquit Vaſquez
controuerſiam eſſe finiendam ab ijs, ad quos
ſpectat regimen huius regni, mortuo Rege.
Contra hanc opinionem inſurgit *Vulpes in
ſumm. tomo ſecundo p. 2. d. 72. artic. vltimo,
numero vndecimo*: putans ad ſummum Pon-
tificem pertinere in tali caſu litem decidere;
cæterum quamuis in ſummo Pontifice reſideat
iuriſdictio dirimendi ſimiles controuerſias,
quando id ordinari debet ad ſalutem ſpiritua-
lem; vbi verò ſolùm agitur de bono tantùm
temporali, non probat ſufficienter Vulpes iu-
riſdictionem reſidere in Pontifice; ideoq; ma-
gis placet pertinere ad Principes regni, qui re-
gere debent ex officio mortuo Rege: in tali
enim caſu, cum lis ſit decidenda iuxta leges
eiuſdem regni, interpretes harum legum non
ſunt alij, niſi ij, qui regimen habent ipſius
regni, & addit idem Vaſquez, quod ſi ſint
ſuſpecti, poterit ille, qui habet eos, vt ſuſpe-
ctos, alios, vt Iudices non ſuſpectos, nomi-
nare: demum, qui hac via procedere recu-
ſant, iam iniuriam ſuo aduerſario inferunt,
& ideo iſte poterit iuſtè bellum indicere. *Ar-
riaga autem in p. 2. d. 24. ſect. quinta ſubſect.
4.* multa dicens examinando opinionem Vaſ-
quez, tandem *numero 46. v. vnde vltimo* &c.
concludit in omnibus ferè caſibus optimum
modum componendi talia dubia eſſe per

Iuriſperitos,& Theologos decidenda. Hæc & ſimilia dicunt hi Authores; attamen in praxi ordo iſte à Principibus abſolutis minimè ſeruatur,
8 † vnde tamquam certum exiſtimo, antequam Rex, qui prætendit, Bellum illud indicat, adhibendum eſſe plurium conſilium, qui nulla ſuſpicione notari valeant, timoratæ cõſcientiæ,& prudentes, qui abſque paſſione cauſam examinent, & ſecundum eorum ſenſum, perpenſis omnibus circumſtantijs, determinent quid licitè à Rege ſit faciendum.

CAPVT XXV.

De opinione, quam Princeps in tributis imponendis ſequi debet circa iuſtitiam cauſſæ finalis.

SVMMARIVM.

1 *Iuſtitia ex parte cauſſa finalis vna eſt ex præcipuis conditionibus requiſitis.*
2 *Conſultatione præmiſſa, ſi rationes hinc, & inde ſunt probabiles, imponi poterit tributum.*
3 *Si probabiliores concurrunt rationes pro non imponendo, iniuſtè imponitur.*
4 *Neque eſt imponendum, ſi res ſit dubia.*

SVPPONIMVS ex tractatu de Gabellis inter conditiones à Doctoribus requiſitas ad licitam tributorum impoſitionem
1 † vnam ex præcipuis eſſe iuſtitiam cauſſæ finalis,& hoc in præſentia à nobis vt certum ſupponitur: id autem, quod examinandum proponimus eſt, an quando duæ concurrunt opiniones, quarum vna dictet iuſtum eſſe tributum, alia verò oppoſitum afferat, videlicet eſſe iniuſtum,& vtraque opinio ſufficientes pro ſe rationes habeat; an Princeps priorem ſequens opinionem, poſſit tributum imponere, quidue dicendum, quando opinio, quæ vult tributum eſſe iniuſtum ſit probabilior, efficacioreſque pro ſe, quàm contraria, habeat rationes, vtrum in tali caſu licitũ ſit grauare ſubditos, tributum eis imponendo.

Difficultatem hanc ſub his terminis comparatiuis inuenio apud aliquos, nempè *Vaſquez opuſ. de reſtitut. cap.6. §.2. num.36. Ioann. de Dicaſtillo libr. 2. de iuſtit. tract. 20. diſput.3. dub.5. num.94. & Andr. Lanfrancum de opinion. elect. opuſc. p. num. 3.* qui dicunt, Principem in tali caſu teneri ad recipiendam probabiliorem ſententiam, atqueadeo tributum non imponere: mouentur hi Authores ratione inferiùs adducenda.

2 Dicendum eſt primò, † quando, penſatis omnibus,& adhibita Doctorum conſultatione hinc,& inde probabiles ſunt rationes, tum pro imponendo, tum pro non imponendo tributo, cenſeo poſſe iuſtè, licitèque à Principe ſubditis tale tributum imponi. Hanc ſententiam ſupponere videntur, qui dicunt ſatis eſſe, vt examinata cauſſa finali Princeps pro impoſitione tributi probabiles habeat rationes: ſic *Suarez libr.5. de leg. cap. 18. num. 19. Leſſius libr. 2. de iuſtit. cap. 33. dub. 8. nume. 42. 64. Thomas Del Bene de Regis poteſt: ad pet. tributa dub. 8. ſect. 2. num. 4.* Si enim hi Auctores requirerent certitudinem, ſeu euidentiam moralem de iuſtitia cauſſæ, non dicerent ſufficere rationes probabiles: nam rationes, quæ ſolum probabiliter ſuadent opinionem aliquam, non inducunt certitudinem de opinione illa: immò addo expreſsè *ab eodem Suarez* hoc animaduerti, quia loco citato, quando ſubdit in ipſo Principe non requiri euidentiam cauſſæ, vt tributum iuſtè imponat, ait ſufficere, vt poſt prudentem conſultationem probabiliter iudicet cauſſam, & impoſitionem eſſe iuſtam, & ad hoc confirmandum aliquos laudat; ferè idem dicit *Thomas Del Bene*, vt ſupra notaui,& in hac eadem ſententia ſanè eſſe debent omnes illi Authores, qui putant poſſe Iudicem ex duabus opinionibus æquè probabilibus quoad Ius,& quoad factum eam eligere, quam maluerit: hos autem Doctores retulimus ſupra *capit.23. concl.2.*

Dicendum eſt ſecundò, Si omnibus perpenſis probabiliùs erit, cauſſam non eſſe ſufficien-
3 tem ad tributum imponendum, † exiſtimo non poſſe Principem illud imponere, etiam ſi prò iuſtitia impoſitionis ſit ſententia ſpeculatiuè probabilis: hanc concluſionem defendit *Vaſquez opuſc. de reſtit. cap.6. §.2. num. 96. Lanfrancus opuſc. p. num. 30. Ioannes de Dicaſtillo libr.2. de iuſtit. tract.20. diſput.3. dub. 5. num. 94. & alij* quos tacito nomine laudat *Cardinalis De Lugo tom. 2. de iuſtit. diſp. 36. ſect. 6. num.92.* Probari poteſt concluſio, quia Princeps in hac re ſe habet veluti Iudex inter communitatem,& ſubditos in particulari, & quẽadmodũ duplici poſita opinione probabili circa Ius, nequit Iudex adhærere opinioni minus probabili, vt infra oſtẽdemus; ita & in hoc caſu; non enim videtur rationi conſentaneum, vt ſubditi habentes pro ſe efficaciores rationes à Principe grauentur; quemadmodum è conuerſo ſi probabilius erit oppoſitum, nempè eſſe bono communitatis expediens hic, & nunc ſubditos grauare, teneretur Princeps, tamquam Iudex, ſententiam ferre de imponendo tributo, quia proſpicere debet ipſi Reipublicæ, ſeu bono communi, vt notat idem Lanfrancus *loc. citat.*

Dicendum eſt tertiò, ſi poſt prudentem cõſultationem res erit dubia, an cauſſa imponendi tributum ſit iuſta, nec ne? Ita vt in neutra parte ferri poſſit iudicium probabile, & reſul-

4 tet dubium † tunc non poterit Princeps ſubditos grauare: ſic docet *Suarez cap. illo 18. num. 15. & Dicaſtillo dub. illo 5. num. 94. 102. & alij* quia in tali caſu Ius, quod habent ſubditi in proprijs bonis, eſt certum; Ius autem, quod habet Princeps vi ſupremi dominij ad imponenda onera hic, & nunc non eſt certum, & hoc, quia tale Ius non eſt ipſi abſolutè conceſſum, ſed conditionatè, nempè, poſita iuſta cauſſa; idcirco dum non apparet talis iuſtitia, Ius ſupremum Principis remanet impeditum, atque adeo vi eiuſdem Iuris non poterit Princeps operari, tale tributum ſubditis ſuis imponendo.

CAPVT XXVI.

An Subditus contra propriam opinionem Superiori parere teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt de ſubditis vniuerſaliter, ſæcularibus, & regularibus.*

2 *Opinionum contrarietas inter ſuperiorem, & ſubditos ex triplici oritur capite.*

3 *Adriani opinio negat poſſe contra propriam opinionem ſuperiori obedire.*

4 *Alij cenſent eſſe obediendum, quando ſubditus tantùm probabiliter iudicat rem præceptam eſſe illicitam, vel poteſtatem præcipientis excedere.*

5 *Negat hoc Petrus Ledeſma.*

6 *Si probabilitas verſatur circa obligationem parendi eſſe in libertate ſubditi obedire autumant aliqui.*

7 *Nonnulli non agnoſcunt diſcrimen inter probabilitatem verſantem circa obligationem, & probabilitatem rei præceptæ.*

8 *Quando contrarietas opinionum eſt de legitima poteſtate ſuperioris, aut de eius legitima electione, ſi ſuperior ipſe ſit in poſſeſſione aſtringendus eſt ſubditus obedire, ſecùs ſi in poſſeſſione minimè ſit, putant Thomas Sanchez.*

9 *Contrarium docent alij, niſi præſumptio Iuris faueat ſuperiori.*

10 *In omnibus tribus modis integrum eſſe ſubdito obedire tuetur Ioannes Sanchez.*

11 *Sententia Adriani eſt reijcienda.*

12 *Cum eſt probabile eſſe licitum, quod præcipitur, tenetur ſubditus obedire. quamuis ſit etiam probabile eſſe illicitum.*

13 *Quattuor argumentis oppoſitum probat Ioannes Sanchez.*

14 *Eſt diſparitas inter Confeſſarium, & ſuperiorem in foro externo.*

15 *Quamuis admittatur ſecundum aliquos reum cum periculo vitæ non teneri veritatem aperire, nequit tamen vniuerſalis regula præſcribi, per quam ſubditus ſemper excuſetur ad obediendum, quando pro vtraque parte eſt probabilitas.*

16 *Diſcrimen eſt inter obligationem ſoluendi tributum, & obligationem perſonalem obediendi ſuperiori præcipienti.*

17 *Interdum aſtringimur noſtram deſerentes opinionem, alteri adhærere.*

18 *quando opiniones contrariæ immediatè verſantur circa obligationem parendi arbitrio ſubditi remanet obedire.*

19 *Confirmatur ſententia iſta.*

20 *Confutatur Ioannes Sanchez, & ſufficiens aſſignatur diſparitas inter probabilitatem, verſantem circa præceptum, & probabilitatem verſantem circa obligationem parendi.*

21 *Si opinionum diuerſitas fertur circa poteſtatem ſuperioris, & dubium ſit, an fuerit necne Canonicè electus, ſubditum non aſtringi ad obediendum cenſuit Thomas Sanchez; Alij verò oppoſitum tuentur.*

22 *Diſtinctione adhibita, dirimitur controuerſia, ſi enim dubium verſetur circa factum, tunc ſubditus non obſtante probabili opinione contraria tenetur obedire: Secùs ſi dubium circa Ius verſetur.*

23 *Exponitur regula Iuris quatenus aſſerit meliorem eſſe poſſidentis conditionem.*

1 SVB hoc quæſito comprehendimus † ſubditos cuiuſcumque conditionis, ſiue ſint Religioſi, ſiue Sæculares, de quibus proportionaliter erit agendum. Pro qua re

2 Aduertendum eſt contrarietatem opinionũ inter ſubditos, & ſuperiorem imperantem † tripliciter contingere poſſe. Primò, quando ſubditus probabiliter opinatur rem præceptam eſſe illicitam, ſcit tamen ab alijs probabiliter exiſtimari licitam. Secundò, ſi diuerſitas opinionum ſit, an hic, & nunc teneatur obedire, licet de reliquo res præcepta non ſit illicita, & iſte ſecundus modus eſt diuerſus à primo; nam in primo probabilitas immediatè fertur in obiectum, ſeu in rem ipſam præceptam: in ſecundo autem fertur immediatè, non in rem ipſam, quæ eſt materia præcepti, ſed in obligationem, quia contrarietas eſt, an ſit parendi obligatio necne? Tertiò, varietas poteſt immediatè verſari non in rem, ſed in iuriſdictionem, ſeu in ipſum præcipientem, de quo ſit controuerſia, an ſit legitimus ſuperior? His præmiſſis

Prima opinio ſit illa, quam docuit *Adrianus quodlib. 2. pun. 3.* qui voluit non poſſe ſubditũ contra propriam opinionem obedire ſuperiori præcipienti, quia ageret contra conſcientiam, quod eſt intrinſecè malum.

3 Secũda ſententia defenditur à *Sayro in clau. reg. lib. 1. cap. 12. verſ. Denique cum dicitur. Corduba in quæſtion. lib. 5. quæſt. 9. Suarez in 3. par. to. 5. diſp. 4. ſect. 6. num. 6. Vaſquez in p. 2. diſp. 66. cap. 9. Sanchez in ſum. lib. 6. cap. 3. n. 6. Mal-*

6. Maldero in p.2. diſp.86. concl.4. Caſtropal. tom.1. diſp.2. pun.6. Granado p.2. contr.2. trac. 12. diſp.4. ſect.3. num.17. Breſſero lib.3. de cõſc. cap.16. & alijs; qui dicunt, ſi caſus contingat
primo modo, nempè, eſſe probabilem opinio-
nem illam, ſecundum quam ſubditus exiſtimat
rem præceptam eſſe illicitam, vel excedere po-
teſtatem Superioris, ſubditum teneri Superiori
5 obedire; cæterum alij † negant non agnoſcẽ-
tes in hoc caſu obligationem in ſubdito ad obe-
diendum: ita *Petrus Ledeſma in tract. ſtatus re-
ligioſi cap.4.*

Sed loquendo de varietate opinionum imme-
diatè verſantium circa obligationem ipſam,
6 *Sanchez cap. cit. num.7.* putat eſſe † in liber-
tate ſubditi obedire, & hoc etiam tuentur *Ca-
ſtropalaus tom.1. diſp.2. pun. 2. initio. Merolla
tom.1. diſp.3. cap.4. num.65. Sayrus loc. cit. ac
Salas par.2. tract.8. diſp. vnic. ſect.8. in fine, &
Ioannes Sanchez in ſelect. diſput. 33. num. 32.*
7 † non agnoſcunt diſcrimen inter hunc ſecun-
dum, & primum modum, atqueadeo putant vel
in vtroq; caſu ſubditum teneri obedire, vel in
neutro.

Quando autem eſt contrarietas opinionum
non circa rem, ſed circa poteſtatem, quatenus
vna opinio aſſerit, præcipientem non eſſe legi-
timum Superiorem canonicè electum, vel ex
alio capite, & altera opinio affirmat eſſe legiti-
mum Superiorem canonicè electum &c. tunc
8 *Thomas Sanchez cap. cit. num.29.* † vult, quod
ſi Superior ſit in poſſeſſione ſuperioratus, niſi
certò conſtet de nullitate electionis, ſubditum
9 teneri præcepto illius obedire; † ſed contra-
rium cenſent alij, nempè *Vaſquez p.2. diſp.
62. cap.6. in fine. Caſtropalaus, Salas, Merolla
loc. cit. & Leſſius lib.2. de iuſt. cap.41. num.76.
concluſ.1.* cum hac tamen limitatione, niſi præ-
ſumptione communi exiſtimetur legitimus Su-
perior ex *leg. Barbar. de off. Prætoris* tũc enim
ius commune dat illi poteſtatem ad publicam
vtilitatem.

Demum *Ioannes Sanchez diſp. cit.* in omni-
10 bus tribus prædictis modis † ſuſtinet integrũ
eſſe ſubdito obedire, quod fusè conatur proba-
re, ſiue opinio probabilis, quam habet ſubditus,
verſetur circa rem, ſiue circa obligationem, ſiue
deniq; circa ipſum ſuperiorem. Hæ ſunt proba-
biliores ſententiæ, quas apud Authores inuenire
potui, & ex his, quæ mihi probabilior videtur,
in ſubſequentibus concluſionibus breuiter
aperiam.

11 Dico igitur primò, ſententiam Adriani † eſ-
ſe omninò reijciẽdam; falsò enim principio ni-
titur, quia non eſt idem operari contra propriã
opinionem, & operari contra conſcientiam; &
hoc ſecundum numquam eſt licitum; primum
verò non ſolum poteſt eſſe honeſtum, ſed in-
terdum debitũ; proinde dicimus cum alijs Auc-
toribus communiter, quod cum ſubditus habet
contrariam opinionem illi opinioni, quam ha-
bet Superior, qui imponit præceptum, tunc
ſubditus debet deponere conſcientiam formã-
do iudicium practicum, quod non obſtante ſuã
opinione hic, & nunc licitum ſibi ſit obedire
ſuperiori, & hoc non eſt agere contra, ſed ſecũ-
dum conſcientiam, licet ſit agere contra pro-
priam opinionem.

Dico ſecundo: Quando ſubditus ita proba-
12 biliter opinatur eſſe illicitum id, † quod præ-
cipitur, vt habeat probabilitatem de honeſtate
ipſius rei præceptæ, tenetur obedire Superiori,
vt vult ſecunda ſententia: eſt contra *Franciſcũ
De Lugo par.1. decur. quæſt.13. num.97.* qui & ſi
hanc noſtram ſententiam dicat eſſe communio-
rem, & in praxi ſuadendam; contrariam tamen
putat probabiliorem; videlicet ſubditum non
teneri in tali caſu obedire. Probatur tamen no-
ſtra concluſio, nam ſi poſſet excuſari ſubditus
ab exequutione præcepti, maxime ex eo, quod
peccaret obediendo, quando opinatur rem præ-
ceptam eſſe illicitam; at hoc eſt apertè falſum,
quia ſequendo opinionem ſuperioris non pec-
cabit; cum ſupponamus eam à ſubdito exiſti-
mari probabilem, atqueadeo licitè ſecundum
illam operabitur, ſi igitur licitè poterit operari
operatio illa poterit eſſe materia præcepti, ac
proinde ſubditus tenebitur ſuperiori obedire.

13 Sed contra hanc ſententiam vrget † Ioan-
nes Sanchez probans eſſe in libertate ſubditi
obedire, aut non obedire; idq; probat primò à
pari, nam pœnitens in foro pœnitentiæ non
tenetur ſequi opinionem Cõfeſſarij, ſi ipſe pro-
babiliter oppoſitum iudicet, & tamen Confeſ-
ſarius in illo foro eſt ſuperior; ergo idem dicen-
dum videtur de ſubdito reſpectu cuiuſcumq; al-
terius ſuperioris. Secundò, Reus, in cauſſa
ſanguinis iuxta probabilem opinionem, quan-
do delictum eſt tantum ſemiprobatum, non te-
netur Iudici interroganti, & præcipienti fateri
veritatem. Tertiò ſubditus non tenetur ſoluere
tributum, ſi probabiliter iudicat eſſe iniuſtum,
vt pluſes Doctores ſuſtinent: ergo quicumq;
ſubditus, ſi probabiliter opinetur eſſe iniuſtum,
ſeu illicitum, quod præcipitur, non tenetur obe-
dire. Quartò, nemo obligatur ad ſequendam
aliorum opinionem, quando propria eſt proba-
bilis; nullum enim eſt præceptum, quod id præ-
cipiat, neq; naturale, neq; poſitiuum, & non
poteſt aſſignari, vbi contineatur, an in Decalo-
go, an verò in Iure Canonico, vel alibi. Hæc ex
Ioannes Sanchez.

Reſpondeo † ad primum diſparem eſſe ra-
14 tionem; nam Confeſſarij iuriſdictio ſolùm ver-
ſatur circa peccata, vel remittenda, vel præcauẽ-
da, iniungendo ea omnia, quæ videntur neceſ-
ſaria, vt pœnitens in futurum non labatur, &
ideo cum nullum ſit peccatum, ſi pœnitens ſuã,
& non Confeſſarij ſententiam ſequatur, nequit
Confeſſarius præcipere pœnitenti, vt opinionẽ
illam deſerat, immò ipſe tenetur ſe conformare
opinioni pœnitentis in ordine ad abſolutionẽ.
Vide *Layman tract. de conſc. cap.5. §.2. nu.10.
verſ. obijcies*; at poteſtas aliorum Superiorum
ſiue ſint temporales, ſiue ſpirituales ad plura
ſe extendit, atqueadeo Superior temporalis po-
teſt præcipere ea omnia, quæ videntur neceſ-
ſaria ad regimen communitatis, & ſubditi, cũ

non

non conſtat de iniuſtitia, tenentur ſubditi obe-
dire; magna enim reſultarent incommoda, ſi in
ſeruandis legibus, & ſtatutis vnuſquiſque ex
ſubditis poſſet liberè non obedire, ſe regere
ſecundum propriam opinionem. Superiores
verò ſpirituales, vt ſunt Prælati Religionum, poſ
ſũt præcipere ſuis ſubditis ea omnia, quę vidẽ-
tur neceſſaria ad ſeruandum inſtitutum regulæ,
& quæ ducunt ad perfectionem; ideoq; in no-
ſtra Societate S. Ignatius mandauit, vt obedire-
mus Superiori in omnibus, in quibus manifeſtè
non apparet peccatum; cũ autem ſuperior præ-
cipit id, quod ſubditus poteſt licitè operari ſe-
cundum regulas, etiam ſi probabiliter opinetur
eſſe illicitum, cum hoc non ſit manifeſtè pecca-
tum, tenetur parere.

Ad ſecundum reſpondeo, quod quamuis lo-
quendo de Reo, quando delictum eſt ſemiple-
nè probatum, idq; ipſi Reo conſtat, proba-
bilius ſit in Reo obligationem eſſe, veritatem
Iudici legitimè interroganti aperire, admiſſa
tamen opinione excuſante, aio ex illa præſcribi
15 † non poſſe vniuerſalem regulam, per quam
dicamus, ſemper eſſe in poteſtate ſubditi non
obedire, quando pro vtraq; parte datur proba-
bilis opinio de honeſtate, & inhoneſtate rei pre
ceptæ; per ſe enim loquendo probabilius cen-
ſeo ſubditum aſtringi ad obediendum, quamuis
in aliquo caſu id fallat, videlicet, cum
ſubditus timet graue damnum ſiue in ho-
nore, ſiue in fama, ſiue in corpore, &c.
ſiue ſit contra ipſummet, ſiue contra alium,
& dubium ſit an Superior licitè præcipiat,
tunc non videtur conſentaneum obligare ſub-
ditum, vt cum tanto diſpendio obediat, ita ex
multis docet *Sanchez cap. cit. num.* 24. proba-
bilitas autem illa de inhoneſtate rei præceptæ,
aut dubietas de iuſtitia mandati coniuncta cũ
illo timore grauis damni, excuſare poteſt ſub-
ditum, ſi minimè obediat.

Ad tertium, quod dicitur de ſoluendo tribu-
to, non conceditur ab omnibus ſed eo dato, di-
16 co aſſignari poſſe ſufficientem † diſparitatem
nam Princeps, ſeu Magiſtratus cum non ha-
beat directum, & immediatum dominium in
bonis ſubditorum, & de his bonis ſolùm poſſit
diſponere in ea menſura, quam hic, & nunc po-
ſtulat publica neceſſitas totius communitatis;
idcirco ſubditus habens de ſuis bonis perfectũ
dominium, in quibus ipſe, & non Princeps eſt
in poſſeſſione, ad hoc vt teneatur ſe ſpoliare
proprijs pecunijs, & ſoluere tributum, debet ipſi
conſtare de iuſtitia eiuſdem tributi, aut ſaltem
non habere aliud in contrarium, poſt debitam
veritatis inquiſitionem, ad quam obligãdus eſt,
ſi tributum ſoluere nolit; facta igitur debita in-
quiſitione, poterit illud non ſoluere, ſi probabi-
liter opinetur eſſe iniuſtum. Cæterum ſuperior
in ſubditos habet plenum, & directum domi-
nium, poſito delicto, & ſic eadem paritas non
currit: Debemus autem in hoc, & ſimilibus exa-
minare diligenter, in cuius poſſeſſione ſit res il-
la, quæ præcipitur, & ſi hoc ſciri nequeat, debe-
mus aduertere, pro quo ſtet iuris præſumptio,
& in illius fauorem decidere.

Ad quartum dico, falſam eſſe illam doctrinã,
17 † nam interdum tenemur deponere opinionem
noſtram, & adhærere opinioni alterius, & præ
ſertim ſi ille, cuius eſt opinio hæc, ſit Superior;
& hoc eſt ſecundum legem naturalem, quæ præ
cipit parendum eſſe Superiori, cum non eſt ir-
rationabile.

Dico tertiò, ſi opinio, quam habet ſubditus
immediatè verſetur circa obligationem, nempè
ſit probabilis opinio, quæ hic, & nunc excuſat
18 ſubditũ ab obediẽdo, † tunc ſubditus poterit opi
nionẽ excuſantẽ amplecti, & nõ obedire: vt vo-
lunt Authores ſuperius citati pro hac ſententia,
quæ ſic probatur: licitum eſt vnicuiq; ſequi opi-
nionẽ practicè probabilẽ, at ſequens opinionẽ,
quæ hic, & nũc excuſat ſubditum ab obligatio-
ne præcepti, ſequitur opinionem practicè pro-
babilem; ergo licitum vnicuiq; erit in tali caſu
non obedire: maior ſupponitur ex dictis in hac
diſcept. ca. 10. *&* 12. minor verò ſuadetur; quia
opinio habet, vt ſit practica ex eo, quod eſt qui-
dam determinatus aſſenſus verſans circa rem
penſatis omnibus circumſtantijs intrinſecis,
& extrinſecis, quę poſſunt concurrere ad for-
mandum aſſenſũ ipſum, & ſi innititur rationi-
bus alicuius ponderis, dicitur opinio practicè
probabilis, & regula noſtrarum moralium ac-
tionum directiua; ſed quando opinio fertur cir-
ca obligationem, & ſubditum excuſat, procedit
ex ponderatione omnium circumſtantiarum,
aliter eſſet temeraria, & non prudens, & pro ſe
habet rationes alicuius ponderis, vt nunc ſup-
ponimus, in concluſione enim loquimur abſtra-
hendo ab hac, vel illa opinione in particulari,
& ſupponimus ſermonem eſſe de opinione, quę
probabilis exiſtimatur, de qua dicimus, quod ſi
verſetur circa obligationem parendi, poſſe ſub-
ditum excuſari à pręcepto: ergo ſequens opi-
nionem, quæ hic, & nunc excuſat &c. ſequitur
opinionem practicè probabilem.

19 Et confirmatur concluſio † ex praxi quo-
tidiana, ſecundum quam edocemur, ſæpe à no-
bis excuſari aliquos à præceptis non ſolùm
humanis, verùm etiam diuinis ratione alicuius
circumſtantiæ, aut neceſſitatis, aut magnę diffi-
cultatis; v. g. licet integritas confeſſionis
Sacramentalis de peccatis mortalibus ſit de iu-
re diuino, in multis tamen caſibus, vt dicitur in
tractatu de pœnitentia, poſſunt aliqui tacerẽ
peccatum mortale, vt ſi non adeſſet alius Con-
feſſarius, & pœnitens manifeſtando aliquod
peccatum, timeret rationabiliter à Confeſſa-
rio eſſe ſibi inferendum aliquod damnum cor-
porale: ſimiliter ſi ægrotus graui, periculoſoq;
morbo laborans, & ex narratione omnium pec-
catorum, nimium defatigaretur; poterit, vt di-
cunt nonnulli, dimidiare confeſſionem, & ſi-
militer paſſim excuſamus fideles à ieiunijs, ali-
jſque Eccleſiaſticis præceptis &c.

Sed contra hanc concluſionem obijci pote-
rit doctrina *Ioannis Sanchez à num. 2. diſp. cit.*
qui licet concluſionem hanc amplectatur, aſſe-
rit tamen illam non cohærere ſecundæ conclu-

ſioni præcedenti, in qua diximus, ſubditum aſtringi ad obediendum, quando probabilitas contrariarum opinionum verſatur circa honeſtatem, & inhoneſtatem rei præceptæ; vult enim iſte Author in vtroq; caſu eamdem eſſe rationē nam eo ipſo, quod eſt probabile rem præceptā eſſe illicitam, eſt etiam probabile, ſubditum nō eſſe aſtrictū obedire, quoties igitur opinio extat, an aliquid ſit illicitū, nec ne? in dubiū reuocatur poſſeſſio præcipiendi in Superiore, quoad rē illam præceptam, quamuis in ordine ad præcipiendum alia ſit certa; ergo idem prorſus erit opinari, an res præcepta ſit licita, vel illicita, quod opinari, an teneatur ſubditus in re illa obedire, & addit *Ioannes num* 39, faciliùs capi, & probabiliori via defendi poſſe, non teneri ſubditum obedire in primo caſu, quàm in ſecūdo; hæc, & multa alia ponit Author iſte, conatus ſuadere paritatem in vtroq; caſu, & vnū ex alio inferre.

20 Reſpondeo † negando, eſſe vtriuſq; caſus eamdem rationem, quia opinio, qua iudicatur, rem præceptam eſſe probabiliter illicitam, eſt formaliter ſpeculatiua, & per cōſequens nequit eſſe proxima moralium actionū regula; at opinio, quæ dictat non eſſe obligationem parendi eſt practica; nam vt dixi, procedit ex omnium circumſtantiarum conſideratione; ideoq; erit immediata regula operandi. Et ſi vlteriùs vrgeas, ex opinione illa ſpeculatiua, qua iudicamus rem eſſe illicitam, formari poſſe iudicium practicum, per quod hic, & nunc determinemus licitum eſſe non obedire, ſequendo opinionem probabilem, quę aſſerit rem eſſe malam, atque adeo eſſe non poſſe materiam præcepti, ſi, inquā, ſic vrgeas &c. Reſpondeo ex illa opinione iudicium prudens de non parendo formari non poſſe: nam Doctores communiter, paucis exceptis, quamuis dicant rem illam eſſe probabiliter illicitam, non dicunt tamen eſſe probabile quod ſtante opinione cōtraria, quę aſſerit probabiliter eſſe licitam, non poſſe præcipi à Superiore, & ſubditum non conſtringi ad obediendum, quemadmodum in materia de iuſtitia, quando probabiliter iudico Petrum eſſe furem illum, qui ſurripuit meam pecuniā, & hoc colligo ex coniecturis probabilibus, ex hac probabilitate ſpeculatiua non poſſum occultè tantumdem accipere ex bonis Petri; nam poſſeſſio, quam habet Petrus de ſuis bonis, præualet, & vinci non poteſt ab opinione contraria, quę eſt tantùm probabilis: contra verò ſi opinio probabilis non eſſet de pecunijs furto ablatis, ſed de ipſa occulta compenſatione, tunc erit licitum ſequi hanc opinionem, quę eſſet practicè probabilis; at illa alia prior eſſet ſpeculatiuè probabilis; inde eſt, vt Doctores communiter dicant, quando eſt opinio probabilis ſaltem circa factum contra poſſeſſorem, non eſſe probabile, poſſe ipſum poſſidentem ſpoliari re poſſeſſa, ſecùs ſi opinio diceret probabile eſſe, poſſe ſpoliari, tūc licitè ſequi poſſemus opinionem hanc, & poſſeſſorem ſpoliare, quæ tamen opinio probabilis non datur.

21 Deniq; ſi diuerſitas opinionum † ſit circa poteſtatem Superioris, quatenus dubitatur, an fuerit nec ne legitimè electus, & ſubditus ſit in opinione negatiua, quod non fuerit ritè, & canonicè electus. *Thomas Sanchez cap. cit. nu.* 39. putat in tali caſu ſubditum conſtringi ad obediendum: at oppoſitum ſequitur *Vaſquez p.2.diſp.62.cap.6.num.34. in fine. Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap.41. num.76. Caſtropal. diſput. 2. pun 4. num.8. & apud ipſum alij.*

22 Dico quartò, † In tali caſu oportet attendere, an probabilitas verſetur circa factum, nec ne? Si dubitetur. V.G. Prælatum Religionis fuiſſe ex damnato coitu, quod eſt impedimentū reddens hominem incapacem Prælaturæ; vel fuiſſe excommunicatum, aut ſuſpenſum &c. tūc non ſufficit opinio probabilis ad excuſandum ſubditum ne obediat, quia cum Superior ille ſit in poſſeſſione, nequit illa ſpoliari, niſi conſtet de impedimento; proinde dum non conſtat, præſumptio ſtat pro ipſo Superiore; ideoque ſubditus tenebitur ei obedire, & in hoc placet ſententia Thomæ Sanchez; & diſſentio ab alijs, ſi oppoſitum cēſent; nam licet vniuerſaliter loquantur; forſitan tamen id intelligunt, quando opiniones ſunt circa Ius, & factum, conſtat &c. At ſi certum ſit fuiſſe defectum, ſiue ex parte electionis, ſiue ex parte perſonæ electę; nihilominùs hinc, & inde ſint opinions probabiles, quarum vna aſſerit defectum illum non inualidare electionem; alia verò contraria opinio affirmet, in tali autem caſu, cum dubium verſetur circa Ius, & pro vtraq; parte ſint probabiles ſententiæ, in tali inquam caſu adhereo ſententię eorum, qui dicunt poſſe ſubditum non obedire, quia cum Ius ipſi faueat, poterit, practicè ſequi hanc opinionem, quę dicit defectū eſſe eſſentialem; proinde irritam fuiſſe electionem, nec poſſeſſio in hoc caſu impedit, quin poſſit ſibi formare conſcientiam, iudicans in his circumſtantijs præceptum non obligare, quia præſumptio nō minùs eſt pro iuriſdictione, & ſuperioritate, quàm pro libertate ſubditi, & in hoc caſu verū eſt fundamentū, cui innititur *Thomas Sanchez cap.cit.num.7.* videlicet poſſeſſionem ſuperioritatis reuocari in dubium; ideoq; non præponderare contra libertatem quam habet ſubditus ad ſequendam opinionē probabilem, & hoc etiam aſſerimus, quamuis opinio pro ſubdito ſit minùs probabilis, quàm ſit ea, quæ fauet Superiori; nam ſi eſt practicè probabilis, poterit eſſe regula humanarum actionum.

Dices, ſecundum *regulas iuris in 6.* meliorem eſſe conditionem poſſidentis, quę regula falſa eſſet, ſi ſtantibus opinionibus contrarijs circa iura de legitimitate Superioris, poſſet ſubditus non obedire.

Reſpondeo, regulam illam eſſe intelligendā,
23 † vel quando eſt dubium preſsè ſumptum, vel quando eſt opinio contra poſſidentem circa factum, & non circa Ius, aliter numquam daretur caſus, in quo aliquis poſſit iuridicè ſpoliari re poſſeſſa; niſi euidenter conſtaret de iniuſti-

tia

tia poſſeſſionis, & tamen paſſim videmus à Iudice proferri ſententiam contra poſſidentem, etiam ſi Iudex ipſe moueatur rationibus probabilibus ſecundum iura.

Eſſent addenda aliqua circà obligationem, quam habent ſubditi præliandi, dum à Superiore hoc ipſis iniungitur; ſed hac de re, cum ſermo iterum redire debeat, quando agemus de conſcientia dubia, ideo illam in ſequentem diſceptationem remittimus.

CAPVT XXVII.

Iudex licitè ne ferat ſententiam ſecundum minùs probabilem opinionem?

SVMMARIVM.

1 *Exceſſus probabilitatis, quē habet vna opinio ſuper aliam, vel oritur ex facto, vel ex iure.*
2 *Maior probabilitas circa factum aſtringit Iudicem ad decidendum ſecundum illam.*
3 *Limitant aliqui, quando exceſſus non eſt notabilis, vel ſi habens minùs efficaces rationes ſecundum Ius eſt tamen in poſſeſſione.*
4 *Hæ limitationes ſunt diligenter conſiderandæ vt admittantur.*
5 *In criminalibus Reo potiùs, quam Actori eſt fauendum, etiam ſi ex parte delinquentis rationes ad factum pertinentes ſint minùs probabiles.*
6 *Ratio, qua aliqui id probant, vt friuola reijcitur.*
7 *Meliori ratione probatur ex regulis Iuris.*
8 *In ciuilibus, poſita ex parte facti rationum æqualitate, lis inter partes eſt à Iudice componenda.*
9 *Limitatur à quibuſdam in aliquo caſu.*
10 *Maiori probabilitate exiſtente ex parte Iuris præferenda omninò eſt ſententia ipſi iuri conformior.*
11 *Nonnulli exiſtimantes à Iudice ſententiam ferri poſſe ſecundum minùs probabilem opinionem reijciuntur.*
12 *Sententiā, quæ media videtur, tenet Vaſquez & Thomas Sanchez.*
13 *Oſtenditur non differre à ſententia Authoris*
14 *Probatur concluſio principalis vſq; ad n.17.*
17 *Reſponſio, & obiectio Aduerſariorum.*
18 *Solutio obiectionis.*
19 *Alia obiectio contra Authorem.*
20 *Satisfit prædictæ obiectioni diſtinctione quadam adhibita de duplici opinionis differentia, nempè per modum obiecti, & per modum principij regulantis.*
21 *Si rationes ex parte iuris, & facti ſunt æquales, probabile eſt poſſe à Iudice ferri ſententiam iuxta opinionem, quæ ſibi placuerit*
22 *Probabilius tamen eſt non eſſe in libertate Iudicis iudicare ad ſui libitum, ſed rem eſſe inter partes componendam.*
23 *Corollarium contra Iudices, qui indiligentes in meritorum diſcuſſione, vni, aut alteri Authori acquieſcunt.*

CONSVEVERVNT Doctores præſens expendentes quæſitum diſtinguere exceſſum, quem in probabilitate inuoluit vna opinio ſupra aliam ſibi cōtrariam, eàs conſiderantes, † vel ſecundū
1 iura, vel ſecundum factum, & de vtroq; genere diuerſimodè ſentire, vt videbimus; tunc enim dicitur opinio ſecundum ius probabilior, quādo legum, aut ſtatutorum interpretatio de re hac loquentium magis fauet ipſi, quàm aduerſæ opinioni, & plures, & grauiores pro ſe habet patronos. Probabilior autem circa factum tunc eſt, quando teſtes, & inſtrumenta meliùs factum ipſum ſuadent. His præmiſſis.

Dicendum eſt primò, Quando maior proba-
2 bilitas eſt circa factum † tenetur Iudex in cauſis ciuilibus, ſententiam ferre iuxta probabiliorem opinionem; & in hac concluſione communiter Doctores conueniunt: ita *Salonius in 2. 2. quæſt. 63. ar. 4. contr. 2. concl. 3. Sayrus in cl. reg. lib. 1. cap. 11. num. 13. Valentia in eadem 2. 2. diſput. 5. quæſt. 7. p. 4. dub. 3. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 3. concl. 4. nu. 176. Baldellitom. 1. lib. 4. diſput. 15. num. 8. Ioannes Præpoſitus in p. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 5. §. Poſt primam concluſionem, & alij.* Ratio huius cōcluſionis eſt, quia Iudex conſtitutus eſt in communitate, vt ſententiam ferat iuxta merita cauſſæ; ac proinde decidere debet in fauorem illius partis, pro qua maiora ſunt mērita: at quando circa factum ex parte vnius efficaciores ſunt probationes; tunc ſunt maiora merita cauſſæ reſpectu eiuſdem; Iudex igitur tenebitur ſententiam ferre in iſtius fauorem; atque adeo iuxta probabiliorem opinionem.

Duplex dari poſſet limitatio huic conclu-
3 ſioni, † & primò, quia nonnulli dicunt concluſionem non verificari, quando exceſſus in probationibus facti non eſt notabilis; & probationes iuris pro eadem opinione ſunt debiliores illis, quas habet contraria opinio, in tali enim caſu, inquiunt iſti, ſententiam à Iudice ferri poſſe, pro quo ex litigantibus maluerit. Secundò, limitatur in caſu, quo habens pro ſe minùs efficaces rationes ſit in poſſeſſione rei, de qua eſt controuerſia, tunc enim poſſeſſio præualet exceſſui, quem habet altera pars, & conſequenter Iudex obligatur ad ferendam ſententiam pro poſſiden-
4 te. † Sed puto limitationes iſtas eſſe diligenter conſiderandas, vt admittantur; prima enim limitatio recipi debet, quando, omnibus benè perſpectis, exceſſus in probatione facti eſt adeo exiguus, vt prudenter iudicetur nō

preualere contra exceſſum, quem inuoluit alia opinio in probatione iuris; tunc enim iuxta hanc, & non iuxta illam opinionem erit iudicandum. Debent igitur probationes vnius opinionis, cum probationibus alterius comparari, & conſiderari, ad tollendam deceptionē, qua Iudex poſſet decipi poſthabito omni affectu, & paſſione. Idem dico de ſecunda limitatione; quamuis enim poſſeſſio multùm faueat poſſidenti, nihilominùs ſi probationes ex parte poſſidentis circa factum leue habent pōdus, arbitrio prudentis eſt videdū, an minor efficacitas habens pro ſe poſſeſſionem vincatur à maiori efficacitate probationum, quæ ſunt ex parte non poſſidentis.

5 Dixi in ciuilibus, † nam in criminalibus mihi placet opinio eorum, qui dicunt a Iudice dandam eſſe ſententiam pro Reo, licet probationes facti pro illo ſint minùs probabiles, dummodo probabilitatem ſimpliciter attingant: ita ſentit *Merolla concl. cit. nume.* 180. *& apud ipſum num.* 181. *Salon, & Sayrus*, quibus addo *Baſſæum in flor. de conſc. nu.* 17. Hanc ſententiam probant aliqui ex eo, quod

6 nemini per illam infertur damnum: † at, hæc ratio eſt friuola, quia negari non poteſt accuſatori aliquam fieri iniuriam; quoniam per ſententiam à Iudice in fauorem Rei promulgatam, ipſi accuſatori aut in bonis, aut in exiſtimatione apud alios aliquid detrahitur; poſſent enim aliqui iudicare accuſatorem ex paſſione, vel odio ductum fuiſſe ad accuſandum:

7 † meliùs tamen probabitur *ex reg.* 11. *de reg. iuris in* 6. vbi præſcribitur, quod quando iura partium non ſunt clara, ſed obſcura, declinandum ſit in fauorem Rei: at cum ex parte delinquentis concurrunt rationes probabiles, tunc rationes illæ probabiliores ex parte Actoris nō ſunt luce meridiana clariores, & manēt obſcuræ: ergo poterit Iudex ferre ſententiam in fauorem accuſati, & ad hoc teneri cenſet *Merolla* contra Salonium, & Sayrum *loc. cit.* qui ſolùm dicunt in eo caſu poſſe à Iudice id fieri, ſed non ex obligatione.

Dicendum eſt ſecundò: Quando ex parte facti rationes ſunt æquè probabiles, & ſumus

8 in ciuilibus, † Iudex debet componere inuicem partes; & ſi res, de qua eſt controuerſia, ſit diuiſibilis, ex æquo eſt diuidenda inter ipſas partes; ſi verò diuiſionis eſt incapax, debet Iudex vni parti rem applicare, alteri verò dimidium æſtimationis; ita *Bañes in* 2.2. *quæſ.* 63. *ar.* 4. *dub.* 2. *Franciſcus Idelphonſus Lopez à Texeda tom.* 1. *contr. moral. libr.* 2. *controu.* 7. *num.* 13. 14. *Baſſæus in florib. v. conſcientia num.* 17. Verum cum non ſit maior ratio aſſignandi rem ipſam vni potiùs, quam alteri parti; idcirco ad dirimendas lites, ſortibus id erit peragendum, vt notauit *Merolla loc. cit. n.* 170. Huius concluſionis ratio eadem eſt, ac ſuperior; quādo .n. ex facto æquales apparent rationes ad probandum intentum, Iudex debet ſe gerere ſecundum leges iuſtitiæ diſtribuendo

9 æqualiter omnia inter ipſas partes. † Solet autē concluſio iſta à nonnullis limitari in quibuſdam cauſſis priuilegiatis, in quibus fauendum potiùs eſt perſonæ priuilegiatæ, quàm non priuilegiatæ, quādo in reliquis eſt paritas cauſæ, vt cum agitur de cauſſa pia, de matrimonij valore, de libertate &c. & hoc quando ſermo eſt de ciuilibus, quia ſi de criminalibus ageretur, in fauorem Rei decidendum eſſet, ob rationem ſuperiùs tactam.

Dicendum eſt tertiò, cum eſt maior proba-

10 bilitas ex parte iuris, † omninò eſt amplectēda opinio, quæ docet obligationem eſſe ex parte Iudicis proferendi ſententiam in fauorē illius, pro quo ſtat maior illa probabilitas. ita *Sotus lib.* 3. *de iuſt. quæſt.* 6. *ar.* 5. *ad quartum, & in p.* 2. hoc docent *Malderus diſp.* 86. *cōcl.* 9. *diſp.* 4. *ſec.* 4. *num.* 39. *Valentia in* 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *p.* 4. *dub.* 3. *Thannerus diſp.* 4. *quæſt.* 4. *dub.* 6. *num.* 128. *Suarez de charit. diſput.* 3. *ſec.* 6. *num.* 2. *Sanchez in ſumma lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. & fusè *Breſſerus lib.* 3. *de conſc. cap.* 14. *num.* 140. *alijq; apud ipſum*, quibus addo *Lanfrancum opuſ.* 1. *cap.* 4. *à num.* 21. *Merollam tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *num.* 164. quam ſententiam Breſſerus tùm ex vtroq; iure, ciuili, &

11 Canonico, tùm rationibus probat; † Oppoſitam verò tuentur aliqui viri docti, vt *Medina in p.* 2. *quæſt.* 19. *ar.* 6. *ad vltimum argumentū penultimi dubij*, *Salonius in* 2.2. *quæſt.* 63. *ar.* 4. *controu.* 2. *concl.* 4. *Salas tract.* 8. *in p.* 2. *diſput. vnica ſect.* 12. *num.* 118. *Gaſpar Hurtado de actib. hum. diſp.* 3. *diff.* 21. *Ioannes Sanchez in ſelect. diſp.* 44. *num.* 50. *Texeda loc. cit. nu.* 7. *& quidam alij*, quorum opinio licèt à Sanchez, & à nonnullis ex Doctoribus, qui noſtram defendunt ſententiam exiſtimetur probabilis, mihi tamen improbabilis & falſa videtur, vt ex fundamento infra ponendo, cui noſtra innititur concluſio, deprehendi poterit.

12 Eſt alia ſententia, † quæ apparet media, quam tuetur *Vaſquez p.* 2. *diſput.* 64. *cap. ſecundo numero quinto, & ſexto*, & ſequitur *Thomas Sanchez loc. cit.* ſcilicet teneri Iudicem ſupremum ferre ſententiam iuxta illam opinionem, quam ipſe probabiliorem cenſet, quia cum ſit conſtitutus Iudex, hoc ipſo, ipſius iudicio committitur deciſio cauſarum, pro vt ipſi meliùs, rationique conſentaneum videbitur; & ſi iudicaret iuxta aliorum opinionem, non tam ipſe, quàm alij, quorum opinione duceretur, Iudices eſſent: at ſi loquamur de Iudice inferiori, dicunt poſſe ab illo ferri ſententiam ſecundùm aliorum opinionem, quando talis opinio in praxi eſt magis accepta, & hoc, ne decidendo iuxta proprium ſenſum, ab alijs, vt minùs prudens notetur, & etiam quia eius ſententia nullius vtilitatis eſſet futura, nam ſtatim reuocaretur à Iudice Superiori: non eſt igitur Iudex inferior obligandus cum tanto diſpendio propriæ exiſtimationis, in exercendo Iudicis officio, & pro hac ſententia idem Vaſquez citat Roſellam, & Tabienam.

13 At ſi diligenter opinio iſta perpendatur, † puto in re, vel nihil, vel parùm à noſtra diſſentire, nã eo modo, quo ponitur à Vaſquez inferri ex illa, quod Iudex inferior iudicare debeat in poſito caſu, ſecũdũ opinionem practicè probabiliorem, nempè ſecundum eam, quæ magis in praxi eſt recepta. Quãdo enim aliqua opinio magis eſt in vſu, quàm eius oppoſita, licet hæc ſpeculatiuè forſitan ſit probabilior, practicè tamen illa cenſenda erit magis probabilis, & fortiùs hoc confirmabitur: ſi ſententia lata à Iudice inferiori iuxta proprium ſenſum, veniret reuocanda; vt ſic enim iudicium eſſet ſuperuacaneum, & præſertim, ſi Iudex iſte inferior notaretur, vt minùs doctus, & minùs prudens. Hæ autem rationes, ſi ritè ſpectentur, ita ſuadent ſententiam Vaſquez, aliorumque, vt non reddant illam noſtræ contrariam, quoniam, cum dicimus iudicandum eſſe iuxta eam opinionem, cui magis fauent iura, eſt intelligendum, quando ea iura, ſecundum probabiliorem interpretationem, manent in ſuo vigore, & non abierunt in deſuetudinem, aut non fuerunt per leges municipales, ſeu conſuetudines particulares legitimè introductas, modificata; proinde ſi ſupponamus praxim magis fauere alteri opinioni, & ſententiam latam iuxta contrariam opinionem, ſolitam eſſe reuocari, tunc ſignum eſt ea iura, ſecundum interpretationem huic opinioni fauentem, non manere in ſuo vigore, & ſic opinio iſta ſolùm ſpeculatiuè eſſet probabilior, alia verò practicè magis probabilis, & in hoc ſenſu puto à Vaſquez, & Sanchez intellectam fuiſſe ſententiam hanc ab ipſis poſitam cum prædicta moderatione, & diſtinctione, & ſi alio modo intelligeretur, nempè abſolutè abſque conditionibus à me poſitis, non erit admittenda diſtinctio illa inter Iudicem ſupremum, & inferiorem, quaſi ille teneatur decidere cauſſam iuxta probabiliorem opinionem; iſte verò poſſit iuxta minùs probabilem; quamuis nulla ſit praxis, ſeu lex municipalis, per quam minùs probabilis opinio ſit vſu recepta, cenſeo, inquam, diſtinctionem hanc non eſſe recipiendã, quia rationes, quibus probabimus noſtram cõcluſionem, in quocumq; Iudice ſiue ſupremo, ſiue inferiori locum habent, vt videbimus. Et confirmatur, quia diſſentaneum rationi videretur imponere tale onus Principi ſupremo, & ab eodẽ onere Iudices inferiores eximere, ideoque certum mihi videtur à Vaſquez, & Sanchez intellectam non fuiſſe eorum diſtinctionem, niſi eo modo, quo ſuperiùs à nobis explicata fuit, & concurrentibus illis conditionibus, & vt ſic ego exiſtimo noſtræ concluſioni non eſſe contrariam.

14 His autem omiſſis † deuenio ad concluſionis probationem, eam ſumẽdo ex munere proprio ipſius Iudicis, & ex fine, ob quem Reſpublica, ſeu Communitas Iudices inſtituit, eiſq; poteſtatem regendi contulit, hoc autem munus ſeu finis eſt, vt æqualiter ſe habeant reſpectu omnium, vnicuiq; tribuentes, quod illius eſt, & ſententias proferant iuxta illud, quod recta dictat ratio, at dum Iudex apertè cognoſcit inter Petrum v. g. & Paulum litigantes, iura magis fauere Petro, quàm Paulo, proculdubio tenebitur ſecundum leges iuſtitiæ, ductum rationis ſequi, quæ in Petrum inclinat, & non in Paulum; proinde cauſſam debet in fauorem Petri decidere, aliter Ius illud maius, quod Petrus habet in his determinatis bonis, inane redderetur, hoc autem eſſet contra rationem, & iuſtitiam, quia Iudex non ſe haberet indifferenter, ſed potiùs affectu, quàm ratione moueretur, contra rationes illas, quæ ex parte Petri exigunt, vt in fauorem ipſius Petri cauſſa terminetur.

15 Probatur etiam ſecundò, ex euidenti periculo errandi, cui exponitur Iudex ferens ſententiam iuxta minùs probabilem opinionem, quia ſæpiſſimè affectus erga vnam partem ex litigantibus obtenebrat intellectum Iudicis, eique oſtendit probabilem eſſe opinionem ex parte amici, cum re vera non ſit, vel facilè mouet intellectum ad inueniendam rationem aliquam exiguæ probabilitatis, vi cuius temerè Iudex formaret ſibi conſcientiam, iudicando opinionẽ pro amico eſſe ſufficiẽter probabilem, & poſſe eam ſequi, & iuxta illam decidere, atqueadeo in iudicijs valdè foueretur perſonarum acceptio, & qui haberent pro ſe fauorabilia iura, deprimerentur, quod eſſe contra doctrinam Sacræ Scripturæ, & Patrum oſtendit *Breſſerus loco citato*; immò manifeſtè eſſet contra finem, quem habet Reſpublica in Iudicibus inſtituendis, nemo enim rationabiliter dubitare poterit, finem Reipublicæ in prædicta inſtitutione, eſſe bonum regimen Communitatis, & iurium particularium illæſionem, & conſeruationem, quid autem excogitari poterit magis huic fini aduerſari, quam perſonarum acceptio in iudicijs, & depreſſio iurium?

16 Probatur tertiò ad hominem contra Sectatores oppoſitæ ſententiæ; ipſi enim nobiſcum conueniunt in hoc, videlicet in ijs, quæ ad factum pertinent, conſtringi Iudicem, probabiliorẽ ſequi ſentẽtiam, vt vidimus in prima concluſione; ergo à pari, hoc ipſum erit dicendum in ijs, quæ ad Ius pertinent, & quamuis nõ nulli, etiam ex Authoribus noſtræ ſententiæ, diſcrimen agnoſcant quoad hoc inter vtramq; ſentẽtiam, ego tñ illud nõ video; quia ſicuti rationes, quæ pro Paulo afferuntur, probabilem reddunt ſententiam ex parte ipſius Pauli, iuxta quam, vt volunt Aduerſarij, licitè poterit Iudex decidere; ita, & ego dicam teſtes, & inſtrumenta pro eodem Paulo in iudicio producta probabile reddunt factum ex parte ipſius Pauli, atqueadeo ſicuti licitum erit ſequi opinionem illam minùs probabilem ex parte iuris, itaerit etiam licitum ſequi illam, quæ eſt minùs probabilis circa factum, libenter expectarem diſparitatem, quam minimè percipio.

17 Sed poſſunt Aduerſarij ad has rationes reſpõdere,

dere, arguentes contra nos ad hominẽ, ſupra .n. contra Philalethum, & alios firmauimus, prudenter, & licitè operari eum, qui omiſſa probabiliori, tutioriq; ſententia, minùs probabilem, minùsq; tutam amplectitur, quia talis opinio, quamuis minùs probabilis, eſt rectæ rationi conformis; ex hac autem doctrina videtur inferri poſſe contra nos, licitum eſſe Iudici ſententiã ferre iuxta minùs probabilem, & hnc ob eamdem rationem, quia cum talis opinio ſit rectæ rationi conformis, Iudex prudenter, eſto non prudentiſſimè, iuxta illam operabitur, ad quod non erit obligandus; ergo vel debemus ab illa opinione recedere, vel hanc admittere.

18 Reſpondeo, † vt ſupra in ſolutione octaui argumenti pro Philalethi opinione: ibi, n. diſparitatem tetigimus inter Iudicem, & perſonas particulares in eo, quod attinet ad ſequendam opinionem minùs probabilem, probabiliori relicta: diximus autem ex ſententia lata à Iudice minùs probabiliter operante lædi iniuſtè Ius tertij, & hoc, quia tale Ius ab ipſomet Iudice ex proprio munere illæſum eſt ſeruandũ, & Iudex ipſe vi proprij officij debet eſſe indifferens reſpectu perſonarũ; proinde recta ratio dictat, vt Iudex vnicuiq; det, quod proprium Ius particulare expoſtulat, ne ſit perſonarum acceptor: non ita perſonæ priuatæ, quæ ex officio non habent indifferenter reſpicere ipſaſmet, & alias perſonas, neq; ipſis incumbit ſeruare Ius alienum, & alijs ſecundum propria iura pro-
19 uidere. Cæterum † poſſent Aduerſarij contra nos vrgere, oſtendentes ex ſolutione data inferri vnum ex his, ſcilicet vel numquam dari poſſe reſpectu Iudicis duas opiniones contrarias probabiles, ita vt vna ſit minùs probabilis, & altera probabilior, vel veram eſſe opinionem quam impugnamus: oſtenditur ſequela, nam ſi ſupponatur per deciſionem cauſſæ iuxta minùs probabilem, iniuſtè lædi Ius tertij, ſanè opinio, quæ aſſerit ſecundum talem opinionem cauſſam decidi poſſe, erit apertè improbabilis, & falſa, cum dictet id, quod eſt illicitum, & iniuſtum, & ſi hoc non admittatur, neceſſariò amplecti debemus aliud membrum, nempè poſſe à Iudice recipi opinionem minùs probabilẽ, & ſecundum eam iudicare: ergo vera eſt ſequela, ſcilicet, aut veram eſſe opinionem, quam impugnamus, aut numquam reſpectu Iudicis dari poſſe vnam opinionẽ, altera minùs probabilẽ.

20 Pro ſolutione huius inſtantiæ † diſtinguendũ eſt de opinione probabili, quę eſſe poteſt in duplici differentia; nam aliqua ſe habet tamquam obiectum electionis: alia verò vt principium, ſeu regula, & menſura noſtræ actionis, ita vt ſic non ſe teneat ex parte obiecti, ſed ex parte principij operatiui; inter vtrumque genus opinionis eſt notabile diſcrimen quoad conſcientiam; nam quando opinio ſolùm priori modo ſe habet, & non datur aliud genus opinionis principium operatiuum regulantis, & dirigentis, tunc nequimus opinionem illam amplecti, quoniam erit tantùm ſpeculatiuè, & non practicè probabilis; cõtra verò quando illa, quæ eſt obiectum, habet ſibi correſpõdentem opinionem probabilem directiuam, tunc erit practicè probabilis, & admitti poterit. Ponamus exempla v. g. eſt probabilis opinio, quæ aſſerit hanc formam baptiſmi eſſe validam, nempè: Ego te baptizo in Nomine Genitoris &c. & probabile eſſe poterit, rem, quam tu iuſtè poſſides, eſſe meam; opiniones tamen iſtæ, vt obiecta, ſunt probabiles; nihilominùs cum non habeant ex parte principij opinionem probabilem, vi cuius homo dirigi poſſit, nequeunt eligi; non enim datur opinio probabilis, quæ aſſerat poſſe nos licitè vti illa forma, quãdo vel nõ occurrit neceſſitas, vel ea concurrẽte vti poſſimus forma cõſueta, neq; datur opinio probabilis, quæ dicat poſſe à me licitè auferri rem, quam tu iuſtè poſſides ex ſola probabilitate, quod ſit mea; proinde ſolùm ſpeculatiuè opiniones illæ erunt probabiles, & ſic de multis alijs ſimilibus: applicando autem doctrinam hanc ſubiectæ materiæ, aio reſpectu Iudicis dari poſſe opiniones contrarias circa eamdem rem, quarum vna minorem, alia verò maiorem inuoluat probabilitatem ex parte obiecti ſecundum ſe ſpectati: at opinionem iſtam minùs probabilem non poſſe in Iudice ſe habere vt regulam prudenter directiuam in ordine ad operandum, licet alij oppoſitum ſentiant, nihilominùs eorum ſententiam per principia intrinſeca puto falſam, & ſolùm per extrinſeca aliqualiter probabilem. In perſonis autem priuatis, & ſecundum forũ conſcientiæ, ob rationes allatas, non eſt eadẽ paritas, in ordine ad eligendam opinionem minùs probabilem, quando in tali electione nullum interuenit Ius tertij conſiderabile; nam ſi interueniret, eadem eſſet ratio, ac de Iudice, vt manifeſtat exemplum illud ſuperiùs allatũ de opinione probabili, quam habeo circa rem ab alio iuſtè poſſeſſam.

21 Dicendum eſt quarto, † Quando pro vtraque parte rationes ſecundum iura ſunt ęquales, probabile eſt, niſi impediant rationes ex parte facti, poſſe à Iudice ferri ſententiam iuxta opinionem, quam voluerit: ita *Sanchez cap. cit. n. 47. Franciſcus Delugo par. 1. decur. quaſt. 8. n. 66. Texeda loc. cit. n. 5. & alij.*

22 Dicendum eſt quintò, † poſita æquali probabilitate ex parte Iuris, & ex parte facti, probabiliùs eſt; non dari facultatem Iudici eligẽdi opinionem, quam maluerit, & ſecundum eam iudicare, ſed teneri partes litigantes inuicẽ concordare: hanc ſententiam docent quamplures, quos laudat, & ſequitur *Merolla num.* 166. inter quos eſt *Bañes, Sanchez, Layman, & alij Iuriſtæ, & Canoniſtæ apud dictum Merollam*; fundamentum eſt, quia in tali caſu, cum ambæ partes litigantes æquale in rem aliquam Ius habeant, videtur rationi conſonum, vt res illa diuidatur, eo modo, quo ſupra explicuimus, quando eſt æqualitas ex parte facti; nam Iudex in hoc caſu ſe habet tamquam diſtributor; proinde tenetur æqualitatem facere ſecundum iura. Concluſio autem iſta non eſt intelligenda,

cum

cum altera pars litigans eſt in poſſeſſione, quia poſſeſſio facit rationes pro poſſidente præpõderare; atqueadeo rationum inæqualitatem ponit.

Ex his omnibus, quæ hactenus ſunt diſcuſſa,
13 † colligi poterit quàm nequiter ſe gerant nõnulli Iuriſconſulti, qui in Republica Iudices conſtituti, vel ſaltem ſi non ſunt Iudices, de aliquo puncto conſulti, interdum paſſionibus, & affectu ſe trahi ſinunt in controuerſijs decidendis, ſeu in dandis conſilijs; nam minimè curantes, vt par eſſet, rationes, & merita cauſſæ expendere, ſtatim ac inueniunt vnum, aut alterum Authorem, & quandoq; non magni nominis, iuxta proprium placitum, aut conſulentiũ inclinationem, punctum controuerſiæ determinantem, eo contenti, abſq; vllo argumentorum delectu, & cauſſæ diſcuſſione, & quandoq; contra propriam ſententiam meliorem, eidem Authori adhærent, eiuſq; opinionem, animi potiùs affectu, quàm ratione, probabilem pronuntiant, & ſecundum eam in maximum tertij præiudicium decidunt, vel dant conſilium; turpiter, inquam, ſe gerunt, hoc enim pacto nõ ſolùm contra iuſtitiam commutatiuam delinquunt, Ius alterius lædentes; verùm etiam infidi cenſendi ſunt ipſi communitati, ac Regi, a quo ad publicum Ius dicendi promoti ſunt, in eum finem, vt æqualitatem ponant, & vniuſcuiuſq; Ius rectè perpendant, & cõſulentes decipiunt, & cũ ſuis non rectis conſilijs, in cauſſa ſunt, vt illi ſequendo opinionem, ſolo affectu probabilẽ, proximos vexet, ſub prætextu, quod vnus, aut alter Author ſic ſentiat, cuius opinio, cũ ſit cõtraria probabiliori, nullo modo à Iudicibus admittẽda eſſet in praxi, proinde animaduertãt, onus, quod habent, & damnũ, quod inferunt, tum perſonis particularibus, tum communitati, cum obligatione reſtituendi, ſi notabiliter in proprio munere deficiant, & curent magis Deo, quàm hominibus placere, propriæque conſcientiæ ſatiſfacere, ne in laqueum Diaboli incidentes, ſalutem amittant æternam, æterniſque deſtinentur cruciatibus.

CAPVT XXVIII.

Vtrum vnus ex Iudicibus ad quos eiuſdem cauſſæ deciſio ſpectat, poſſit, contra proprium ſenſum iuxta alterius Collegæ opinionem, ſententiam ferre.

SVMMARIVM.

1 *Diuerſitas inter præſens, & præcedens quæſitum.*
2 *Duplicem ſenſum habere poteſt quæſitum.*
3 *Iudex relinquens propriam opinionem, licitè interdum adhæret in ferenda ſententia, ſenſui ſui Collegæ doctiori.*
4 *Illicitè tamen operatur, ſi contra propriam opinionem ab ipſo retentam, alteri Collegæ adhæreat.*

1 QVÆSITVM hoc eſt longè à præcedente † diuerſum, ſi attentè conſideretur; nam per illud ſolùm inueſtigabatur, an Iudex poſſit minùs probabili adhærere sẽtentiæ, probabiliori omiſſa, nihil determinando de propria ipſius Iudicis opinione, per iſtud verò quæſitum inquiritur, an Iudex poſſit ita ſe committere ſui Collegæ opinioni, vt nihil curet de propria, punctum hoc apud neminem non ſolum non exagitatum, ſed neq; tactum videre potui; niſi pauca verba apud *Vaſquez par. 2. diſp. 64. cap. 2. num. 5.* ex cuius doctrina aliquid colligi poterit; & tamen in praxi non rarò contingit, & de illo ipſemet nõ multis ab hinc temporibus, conſultus fui, vt de eo meam aperirem ſententiam.

Pro ſolutione huius difficultatis, eiuſque maiori intelligentia, & vt æquiuocatio, & ambiguitas omninò tollatur, aduertendum eſt
2 quæſitum hoc duobus modis † formari poſſe. Primò, inquirendo, an Iudex iſte poſſit adhærere opinioni ſui Collegæ, & hoc ob authoritatem illius, deponendo tamen, & relinquendo propriam ſententiam, & iudicando veriorem opinionem ſui Collegæ per rationes extrinſecas, nempè per illius authoritatem. Secundò, an Iudex retinendo proprium ſenſum, contra illũ poſſit ſententiam ferre, ſequens ductum alterius Collegæ, atqueadeo conſcientiam deponere, non relinquendo tamen propriam opinionem, ſed putando licitum ſibi eſſe adhærere dictis alterius Iudicis, eidemque cauſſæ definitionem committere. His præhabitis,

3 Dicendum eſt primò, † poſſe ab vno ex Iudicibus deponi conſcientiam alterius Iudicis opinionem ſequendo, ſi illam exiſtimet probabilem, & tutam in praxi, relinquendo propriam ſententiam, & fidem alteri præſtando, qui creditur doctior, peritior &c. priori illo modo, qui eſt declaratus. Probatur concluſio ex ijs, quæ ſupra diximus de electione opinionum, & in hoc caſu particulari meliùs interdum faceret Iudex adhærendo alterius Collegæ opinioni, quem exiſtimat in his materijs magis doctum, verſatumq; quàm proprium dictamen.

4 Dicendum eſt ſecundò, † illicitum eſſe proferre ſententiam iuridicam contra proprium ſenſum non depoſitum, ſequendo alterius Collegæ dictamen, eo poſteriori modo, qui explicatus eſt. Pro hac parte negatiua quamuis nullũ citare poſſim Doctorem ex ijs, qui in lucem opera ſua dederunt, ſicuti neq; pro parte affirmatiua oppoſita; Concluſionem tamen approbarunt nonnulli viri docti oretenus à me conſulti, & illam oſtendo efficaci ratione, hoc pacto.

ęto. Iudex ſi modo explicato procedit, non ſatisfacit proprio muneri, immò contra illud agit: ergo non poterit contra proprium ſensū iuridicam ſententiam ferre iuxta dictamen alterius Collegę: patet conſequentia, ſi verum eſt antecedens, nam vnuſquiſq; ex iuſtitia tenetur procedere ſecundū regulā proprij officij: antecedens autem, in quo huius controuerſię difficultas conſiſtit, probatur ſequenti diſcurſu: Munus Iudicis eſt ſe gerere ſecūdum intentionem, & finem illum, ob quem Reſpublica ipſum conſtituit ad conſeruationem boni communis, at Reſpublica in conſtituendis Iudicibus, & in tradenda eiſdem poteſtate iudicandi, vult, vt vnuſquiſq; cum ſinceritate dicat quid ſentiat, aliter ſi Iudex iuxta alterius ſenſum iudicaret, non ipſe, ſed alius, cuius ſententia ducitur, eſſet Iudex, & ſic totum tribunal conſtans ex pluribus Iudicibus, v.g. ex tribus, red[illegible] poſset ad vnum tantùm Iudicem, quod e[illegible] contra finem intentum à Republica, & ſępè poſset redundare in damnum vnius partis ex litigantibus, quia ſi pars, contra quam fuit ſententia prolata, appellaret ad Tribunal ſupremum, negari non poſſet, quod Iudices, ad quos per appellationem cauſſa deferretur, magis mouerentur ad confirmandam ſententiam, perſpicientes conformitatem, quæ fuit inter alios Iudices, quam mouerentur agnoſcentes ſententiam latam, non eſſe adeo certam, cum vnus ex tribus oppoſitum ſenſerit; atqueadeo poſſet contingere, vt rationes pro parte appellāte, tale inuoluant pondus, vt adiuncto dictamine illius Iudicis, qui contrarium ſenſit, ſint ſufficientes, vt Iudices iſti, ad quos delata fuit cauſſa moueantur ad reprobandam ſententiam latam & ad iudicandum pro parte, quæ appellauit.

CAPVT XXIX.

Quam viam ſequi debeat Aduocatus in opinionum electione.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Aduocatus licitè tueri cauſſam dubiā ſui Clientis, diligenti præmiſſo examine pro veritate aſſequenda.*
2 *Licitè ab ipſo defendi cauſſam, cuius rationes ſunt minùs probabiles, cauſſa ſanguinis excepta, putauit Sotus.*
3 *Alij abſque limitatione loquuntur.*
4 *Sententia Authoris.*
5 *Non rarò accidit inter litigandum Clientis Ius creſcere.*
6 *In hac materia non attenditur, quæ nam opinio ab Aduocato probabilior cenſetur, ſed qua, vt talis exiſtimari poterit à Iudice.*
7 *Aduocatus agēs minùs probabilem cauſſam non ſuadet Iudici, vt talem eam exiſtimātis ſecundum illam dèt ſententiam; ſed ſolùm eiuſdem cauſæ rationes proponit.*
8 *Satis probabilis Authori videtur limitatio Soti circa cauſſam ſanguinis.*
9 *Secundum iuſtitiæ rigorem eadem videtur ratio de cauſſa ciuili, & cauſſa ſanguinis, ſecùs ſecundum ordinem charitatis.*
10 *Aliqua, quæ ſpectando iuſtitiam, nō ſunt mala, talia tamen ſunt, attendendo charitatem.*
11 *Non minùs redundat in commune bonum ſeruare vitam ciuium, quàm delicta punire.*
12 *Aduocatus ſuſcipiens defendendam cauſſam dubiam ſui Clientis, tenetur illi ſtatum cauſæ aperire, aliàs poſſet contra iuſtitiam peccare.*
13 *Adhibita diligentia, ſi probabile remanet, an Cliens veritate detecta, fuiſſet, nec ne cauſſam dubiam proſequuturus, Aduocatus non tenetur damna Clientis reſarcire; Si verò ſit dubium quid Cliens fuiſſet facturus, iudicandum erit ſecundum ſtrictis præſumptionem.*

QVAMVIS apud Doctores ſit indubitatum poſſe ab Aduocato defendi cauſſam ſui Clientis, quando poſt diligentem inquiſitionem ad inueniendam veritatem, † cauſſa ipſa eſt dubia,
1 nempè quando pro vtraq; parte ſunt contrariæ Authorum ſententiæ: quod tamen controuertitur, eſt, cum pro cōtraria ſententia eſt maior probabilitas, quàm ſit pro ſententia in fauorem Clientis, an poſſit Aduocatus, non obſtante illa maiori probabilitate, licitè cauſſam Clientis tueri?

Prima ſententia ponitur à *Soto lib. 5. de iuſt. quæſt. 8. art. 3.* qui aſſerit poſſe ab Aduocato
2 ſuſtineri cauſſam, † cuius fundamenta ſunt minùs probabilia oppoſitis; excipit tamen caſū, in quo ageretur de cauſſa sāguinis, aut honoris quia tūc nō poſſet Aduocatus patrocinari cōtra Reum, ſi pro ipſo Reo rationes ſunt probabiliores: hanc opinionem Soti ſequuti ſunt poſtea *Malderus in p. 2. quæſt. 19. ar. 6. concluſ. 8. Martinez ibidem concl. 3. Baldelli to. 1. lib. 4. diſp. 16. à n. 7. Franciſcus Delugo p. 1. decur. quæſt. 9. num. 74. & alij,* quos laudat *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. num. 52. Arriaga in p. 2. d. 24. ſect. 3. ſubſec. 2. num. 18.* qui Author idem ſentit *num. 35.* etiam quando Ius eſt æquè probabile pro vtraq; parte.

Secunda ſententia, quæ eſt communior abſq;
3 prædicta limitatione † vniuerſaliter docet poſſe ab Aduocato ſuſcipi ad patrocinandum cauſſæ, etiamſi rationes pro aduerſarijs ſint probabiliores: ſic docet *Sayrus in clau. reg. lib. 1. cap. 11. num. 18. & ſeq. Leſſius lib. 1. de iuſt. cap. 31. dub. 9. Turrianus 2. 2. quæſt. 71. ar. 3. Laufrancus opuſ. p. c. 4. nu. 15. & ſeq. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. concl. 6. Baſſæus in flor. V. conſcientia num. 19. & alij quamplures.*

4 Dicendum eſt primò, † Poteſt Aduocatus

per

per ſe loquendo defendere partem non ſolùm æquè, ſed etiam minùs probabilem, probatur, quia eius officium non conſiſtit in definienda, & decidenda controuerſia, ſed ſolùm in repræſentandis rationibus Iudici pro ſuo cliente, in hunc finem, vt poſtea Iudex videat quid faciendum, & determinandum ſecundum iura; nam poſſet contingere, vt rationes illæ, quæ Aduocato videbantur minùs efficaces in fauorem ſui clientis, à Iudice meliùs illas ponderâte exiſtimentur validiores, vt ſæpè etiam accidere ſolet extra forum iudiciale; nam opinio, quæ ab vno exiſtimatur minùs probabilis, ab alio ſæpè iudicabitur probabilior; idcirco Aduocatus tali cauſſæ patrocinans, non videtur agere contra rectam rationem, ſed potiùs iuxta illam.

Et confirmatur primò quia ſæpe ſæpiùs euenit
5 inter litigandum † ius creſcere, vt ex prouerbio dici ſolet; nam poſſunt temporis progreſſu, cum cauſa controuertitur, inueniri nouæ ſcripturæ, ob quas probabilitas cauſſæ ex parte clientis augeatur.

6 Et cõfirmatur ſecundò, nam in hac materia † non eſt conſiderandum; quænam opinio vera, aut probabilior cẽſeatur ab Aduocato, ſed quæ vt talis poſſit exiſtimari à Iudice: atque adeo ſententia, quæ eſt probabilis, poterit cenſeri à Iudice probabilior, quam ſit oppoſita.

Inſtabis: Iudex tenetur ſententiam ferre iuxta probabiliorem opinionem. ergo Aduocatus nequit defendere cauſsã minùs probabilẽ, quia eam defendendo, videtur ſuadere Iudici, vt ſecundum eam ferat ſententiam, quod eſt illicitum, vt ſupra diximus, loquendo de Iudice, & nunc ſupponimus.

7 Reſpondeo concedendo antecedens, † nego tamen conſequentiam, quia Aduocatus agens cauſſam minùs probabilem, non ſuadet Iudici, vt exiſtimans eam talem, ſecundum eamdem ferat ſententiam, ſed ſolùm proponit rationes pro ſuo cliente ad hoc, vt Iudex eas conſideret, & ſecundum iuſtitiæ leges decidat.

Dicendum eſt ſecundò, ſententiam Soti, aliorumque aſſerentium non poſſe Aduocatum patrocinari cauſſæ contra reum, dum agitur de eius vita, quando rationes contra reum ſunt
8 minùs probabiles, mihi videri † ſatis rationabilem hanc Soti ſententiam; nam eſto non ſit contra iuſtitiam, videtur tamen eſſe contra charitatem proximo debitam: dum enim controuertitur de auferenda vita, debemus, quantum in nobis eſt, illum adiuuare, qui in tali periculo reperitur; proinde cum Reus pro ſe habeat ſolidiores rationes, non videtur ſecundum leges charitatis poſſe infirmioribus rationibus cauſſam contra ipſum promoueri.

Neque dicas cum auctoribus cõtrarijs eamdem eſſe rationem, cum agitur de vita, & cum agitur de alijs rebus inferioris conditionis, & ordinis; idcirco nullam eſſe rationem, cur dicamus in iſto caſu eſſe licitum patrocinari cauſ-
9 ſæ minùs probabili; in illo verò eſſe illicitum. † nam reſpondeo hoc argumentum ad ſummum probare in vtroq; caſu eamdem eſſe rationem in ordine ád rigorem iuſtitiæ; at videtur eſſe diſpar ratio in ordine ad virtutem charitatis, quia vita hominis cum inter bona corporalia ſit ſupremum, & fundamentum omnium aliorum bonorum, poterit aliquid plus exigere iuxta rectum ordinem charitatis ad ſui conſeruationem. Quę diximus de vita, aſſerimus etiam de ijs, ſine quibus vita, vel conſeruari nequit, vel ęgrè conſeruari, vt ſunt omnium bonorũ amiſſio, vulnera lethalia, &c. & ſi vlterius vrgeatur, neque id videri contra charitatem, ſi Aduocatus ſecundum iuſtitiam ius habet defendendi talem cauſſam: reſpondeo nihil per
10 hanc inſtantiam probari: † nam multa, quæ poſſunt fieri ſecundum iuſtitiam communitatiuam, poſſunt interdum eſſe cõtra charitatem. & habemus exemplum; nam ſecundum communiorem ſententiam ſi quis ſciat pretium mercium talis generis ſtatim eſſe diminuendum, & ne damnum patiatur, merces illas vendat pretio currenti alicui ignorãti pretium poſtea diminuendum fore, vendens non peccabit contra iuſtitiam, aliquando tamen contra charitatem delinquet, ſi merces fuerit in magna quantitate, ita vt emptor grauiſſimum ſit damnum paſſurus: ita notat *Leſſius lib. 2 de iuſt. cap. 21. dub. 5.* & ſic in multis alijs ſimilibus.

Sed dices: oppugnare Reũ redundat in bonũ publicũ poſtulans, vt delicta puniantur; igitur ſi aduocatus agnoſcat rationes contra ipsũ reum eſſe minùs probabiles, quàm ſint oppoſitæ, non agit contra charitatem defendendo cauſſam contra Reum in fauorem boni publici.

11 Reſpõdeo non minùs † redundare in publicum bonum ſeruare vitam ciuium, quàm delictum punire: ſi igitur aduocatus pro ſeruanda alicuius ciuis vita efficaciores habet rationes, non videtur poſſe defendere cauſſam minùs probabilem, ſecũdum quam ciuis venit vita priuandus.

12 Dicendum eſt tertiò † quando Aduocatus tuendam ſuſcipit cauſſam dubiam, vel minùs probabilem ex parte ſui clientis, debet hæc omnia clienti manifeſtare, quia forſitan Cliens habita notitia ſtatus illius cauſſæ, non eſſet litem proſequuturus; vnde tenebitur Aduocatus hanc omittens informationem, reſarcire ſuo clienti expenſas, aliaq; damna, quæ ſit paſſus in cauſſæ progreſſu, ſi veritate detecta, cauſſam non fuiſſet proſequutus. ita *Sanchez in ſumm. lib. 1. cap. 9. num. 51. Breſſerius lib. 3. de conſc. prob. cap. 3. num. 138* & *De Lugo quæſt. cit. n. 76. alijq; apud ipſos*, & ratio eſt manifeſta, quia Cliens conſiliũ petens ab Aduocato de qualitate cauſſę, in eo confidit; idcirco ſi aduocatus non aperiat illi veritatem, & periculum perdendi, illum decipit, atq; adeo peccans contra iuſtitiam, erit ad reſtitutionem obligandus.

Sed quid dicendum, ſi dubium ſit, an Cliens habita notitia cauſſæ, fuiſſet nec ne litigaturus? & quid ſi probabile ſit vtrumq; an in tali caſu aduocatus obligandus erit ad reſarcienda ſui Clientis damna?

Reſpon-

Reſpondeo, † ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam interrogando clientē de eius intentione, vel eam ex coniecturis colligendo, &c. ſit vtrumque probabile, Aduocatum ad nihil teneri, quia cum non conſtet de dãno illato, neque ſit præſumptio potiùs pro vna parte, quàm pro alia, melior eſt conditio poſſidentis: ſi vero ſit dubium, videndum eſt pro quo ſtet præſumptio iuris, penſatis omnibus, & in eius fauorem eſt decidendum.

CAPVT XXX.

De opinione à Medico in ægrorum curatione eligenda.

SVMMARIVM.

1 *Non licet remedium certum relinquere, & aliud in opinione poſitum applicare.*

2 *Quando certum medicamentum non habetur, tutius eſt adhibendum.*

3 *Cum ſalus corporalis eſt ſpe deſtituta, & non habetur niſi medicamentum, de quo æquale eſt dubium an profecturum, aut ægroto nociturum ſit, licitè applicatur, quamuis alij oppoſitum ſentiant.*

4 *Exponere vitam nouo periculo interdum expedit.*

5 *Poteſt medicus adhærere aliorum medicum ſenſui, contra propriam opinionem in applicatione medicamenti.*

DICO primo, quoties remedium aliquod eſt certum, eſſe ſalutare, 1 ✠ tunc nequit Medicus remedio illo omiſſo, adhibere medicamentum, quod eſt in opinione poſitum, an ſit proficuum ad morbum curandum, eſt communis ſententia nemine diſcrepante, quia hoc facere repugnat charitati proximo debitæ, immò repugnat iuſtitiæ, & officio ipſius Medici: *ita Breſſerus lib. 3. cap. 12. Sanchez in ſum. lib. 1. cap. 9. num. 38. Baldelli tom. 1. diſp. 14. num. 2. Arriaga in p. 2. diſp. 24. ſec. 5. ſubſec. 1. initio. Baſſæus in flor. v. Conſcientia. num. 20.* repugnare autem charitati eſt manifeſtum; quia charitas poſtulat, vt meliori modo, quo poſſumus, auxilium demus proximo grauiter indigenti; at ſine cauſa relinquere medicamentum, quod certo eſt ſalutare, & adhibere aliud non ita certum, non eſt dare illud auxilium, quod poſſumus: repugnare vero iuſtitiæ, probatur; nam cum æger ſe committat curandum medico, & medicus ſuſcipiat eius curam, virtualiter, & implicitè intercedit inter eos pactum de adhibendis illis remedijs, quę magis ſalutifera videntur, & hîc, & nunc præ manibus haberi valent; proinde contra pactum Medicus facere videtur, ſi abſq; cauſa habens remedium certum, illud omittit, & ideo in re graui peccat contra iuſtitiam, & contra proprium officium.

Dico ſecundò, quando non inuenitur medicamentum certum, ſed omnia, quę haberi poſſunt, ita ſe habent, vt probabiliùs ſit, vnum eſſe magis ſalutiferum, quàm aliud, ſeu tutius 2 ſit vnum, quàm aliud, † tunc tenetur Medicus adhibere medicamentum tutius: ita *Sotus lib. 3. de iuſt. quæſt. 6. ar. 5. ad 4. Vaſquez p. 2. diſp. 64. in fine, Sanchez lib. 1. ſum. cap. 9. num. 41. Bonacina de leg. diſp. 2. quæſt. 4. p. 4. num. 22. Lanfrancus opuſc. 1. cap. 4. nu. 29. aliique*, quos citat, ſequiturq; *Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. num. 196.* Concluſio eſt contra aliquos, inter quos nouiſſimè eſt *Ioannes Sanchez in ſelect. diſp. 44. num. 36.* ut eius opinionem ſolùm ſpeculatiuè per principia extrinſeca, non intrinſeca cenſeo probabilem; practicè verò iudico improbabilem. Concluſio autem probari poteſt eadem ratione, qua concluſionem præcedentem probauimus; nam charitas erga proximum poſtulat, vt ipſi velimus id, quod in eiſdem circumſtantijs ab alio nos habere vellemus; nemo enim infirmitate aliqua laborãs vellet, vt ſibi applicetur remedium minùs probabile, relicto probabiliori, quando commodè haberi poteſt: igitur hoc ipſum facere debemus erga proximum noſtrum: difficultas ſolũ aliqua videtur eſſe, an in hoc caſu Medicus peccet ſolum contra charitatem, an verò etiam contra obligationem iuſtitiæ iuxta officium ſuum. *Sanchez cap. cit. nu. 4.* putat ſolum peccare contra charitatem; quia opinionem probabilem ſequitur: at oppoſitum affirmat *Breſſerus nu. 125. & ſeq.* & hoc mihi placet, & ducor eadem ratione, qua ſupra, videlicet ex pacto illo implicito Medicum ex proprio officio ſe obligare ad applicanda remedia, quæ magis conferunt ad morbum expellendum, cum hæc haberi poſſunt: idcirco hæc omittens, peccabit contra iuſtitiam, & ſolùm quoad grauitatẽ, peccati eſt diſcrimen ſecundum magis, & minùs.

Dico tertiò, cum ſalus infirmi eſt deſperata & non ſupereſt niſi medicamentum, de quo eſt æquale dubium, an ſit profuturum, an verò nociturum, eſt controuerſia, vtrũ in tali caſu Medicus licitè poſſit illud adhibere: Negant aliqui vt *Breſſerus cap. cit. nu. 129. Caſtropal. de cõſcien. opin. diſp. 2. pun. 9. n. 5. Vaſquez, & Salas apud Sanchez nu. 39. Arriaga ſubſec. cit. in fine* At oppoſitum tuetur ipſe *Sanchez loc. cit. Bonacina in decal. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 4. n. 23.* 3 *& aliqui apud ipſum*, † & hoc ſecundum mihi magis placet, ſi loquamur de remedio, quod non ſit negatiuè, ſed poſitiuè dubium: dicitur negatiuè dubium, quando pro neutra parte ſũt rationes, & coniecturæ, an remedium ſit ſalutiferum, an verò nociuum; quia res, quæ applicatur, v. g. herba, aut puluis, aqua, &c. eſt omninò Medico incognita, in ordine ad curandam hãc ægritudinem: poſitiuè verò dicitur, quãdo hinc

& inde

& inde ſunt rationes pro vtraq; parte æqualiter probabiles. Si loquamur primo modo, certum eſt, eſſe peccatum applicare remedium ita dubium, & nemo eſt, qui oppoſitum rationabiliter affirmare valeat; eſſet enim valde temeraria applicatio, cum nulla ſit coniectura, per quam Medicus iudicare poſſit, remedium illud eſſe profuturum: controuerſia autem eſt de remedio dubio in ſecunda acceptione, & in hoc ſenſu amplector poſteriorem opinionem, quia cũ ex vna parte vita illius hominis ſit iam deſperata, & ex alia parte poſſet contingere, vt illud medicamentum ſit profuturum, nullumq; aliud remedium ſuperſit, ſi Medicus in his circumſtantijs tale adhiberet remedium, videtur operari ſecundum leges prudentiæ; & ideo ipſe Sanchez nõ ſolùm putat poſſe id licitè fieri, verũ et Medicũ ad id teneri, & ita ego cenſeo.

Dices: per applicationem talis remedij Medicus ægrotum nouo vitæ periculo exponit; ergo peccat id faciendo.

4 † Reſpondeo in his circumſtantijs, in quibus, vt ſupponimus, nulla ſpes ſalutis irradiat, illa expoſitio nouo periculo cenſetur quid melius, comparata cum expectatione profectus corporalis; nam eo remedio non applicato, mors ſecundum curſum naturalium cauſſarum certò eſt ſequutura, & illo applicato, aliqua habebitur ſanitatis expectatio: prudẽtia autem dictat, in his circumſtantijs, ita eſſe operandũ. Inſtantia vero facta militaret, quando æger nouo periculo exponeretur, abſq; ſalutis ſpe, ideoque neganda eſt conſequentia.

5 † Dico quarto, ſi Medicus opinetur remedium aliquod eſſe minùs probabiliter ſalutiferum, quàm ſit aliud remedium, ſed alij Medici periti oppoſitum ſuſtineant; tunc non erit peccatum operari contra propriam opinionem, conſcientiam deponendo iuxta aliorum ſcientiam: ita *Caſtropalaus loc. cit.* & in hoc ſenſu ſuſtineri poteſt doctrina eorum, quos ſupra citauimus de applicatione remedij minùs probabilis, relicto probabiliori; concluſio tamen iſta, vt ſit practicè probabilis, intelligi debet, quando ſecundum propriam tantùm ſententiam, medicamentũ eſt minùs probabiliter profuturum, ſecundum verò alios eſt magis probabiliter ſalubre, quàm ſit aliud; non autem debet intelligi concluſio, cum omnes Medici ſentiunt medicamentum minùs probabiliter ſalutem eſſe allaturum, tunc enim aliud magis certum erit applicandum, & hoc ob rationem ſuperiùs adductam.

CAPVT XXXI.

Quam opinionẽ admittere oportet in Sacramentorum adminiſtratione.

SVMMARIVM.

1 *Diuerſitas opinionum in adminiſtratione Sacramentorum ad plura refertur.*

2 *In adminiſtrandis Sacramentis ritum Eccleſiæ ſequendum.*

3 *Præſcindendo ab vſu Eccleſiæ, tutiorem ſententiam etiam ſequi debemus.*

4 *Si neceſſitas inſtet, & non poſſimus certam adhibere materiã, aut formam, minùs certam applicare aſtringemur.*

5 *Si mortem quis minetur niſi miniſter applicet materiam dubiam, omiſſa certa, & id nõ fiat ex contemptu fidei, poſſe illam adhibere autumant aliqui.*

6 *Admittitur ab Authore ſententia iſta limitationem quamdam adhibendo.*

7 *Probabilior cenſetur opinio, quæ aſſerit etiam in ordine ad religionem in adminiſtratione Sacramentorũ, probabiliorem, & tutiorem opinionem eſſe eligendam.*

8 *Reſpondetur inſtantiæ contrariæ.*

9 *Sufficiẽs datur diſparitas inter opiniones, quæ verſantur ſolùm circa honeſtatem actus, & opiniones verſantes circa actus valorem.*

10 *Satisfit inſtantiæ de licito acceſſu pœnitẽtis ad Sacrametum pœnitentiæ cum attritione cognita, & ad confeſſarium, qui probabilẽ tantum iuriſdictionem habet.*

11 *Eccleſia interdũ ſupplet defectum iuriſdictionis in confeſſario in fauorem fidelium.*

12 *Quando exceſſus probabilitatis eſt modicus, nõ eſt grauis culpa, ſequi minùs probabilem in materia Sacramentorum, etiam in terminis noſtræ ſententiæ.*

MVLTA, quæ de hac materia exagitantur, cum ſint varia, reddunt difficilem huius quæſiti ſolutionem; cæterum principaliora breuiter explanare conabor. Pro qua re aduertenda ſunt nonnulla ad æquiuocationem, & confuſionem tollendam. † Et primo ſupponendum eſt di-
1 uerſitatem opinionum in Sacramentorum adminiſtratione talem interdum eſſe, vt vna ſententia ex oppoſitis ſit probabilis, alia verò certa; ſecundò, vt vtraq; ſit probabilis, & incerta, at vna vel probabilior, vel tutior. Tertio, vt vtraq; ſit æquè probabilis, & æquè tuta.

Rurſus eſt ſupponendum obligationem rectè adminiſtrandi aliquod Sacramentum poſſe ſpectari, tum in ordine ad religionem, quæ reuerentiam præcipit in ipſorum Sacramentorum adminiſtratione; tum etiam in ordine ad charitatem proximo debitam.

Demum obligatio prædicta poteſt conſiderari in ordine tum ad ea, quæ ſunt adhibenda à Miniſtro, tum etiam ad ea, quę præſtari debẽt ab ipſomet, cui Sacramentum confertur. His autem præſuppoſitis, concluſiones ſequentes deducimus.

Dico igitur primo in adminiſtrandis Sacra-
2 mentis † debemus ſequi ritum præſcriptum ab Eccleſia, vel conſuetudinem receptam, ſcilicet ea materia, & forma vti, quæ communiter vſurpari ſolent, non obſtante diuerſitate opinionum etiam probabilium; nam

ſtante ordinatione, & Eccleſiæ conſuetudine,
probabilitas illa erit tantum ſpeculatiua, & ex
illa nõ poterimus iudicium practicum, & pru-
dens formare, per quod in praxi iudicemus li-
citè ſequi poſse aliquam opinionem, quæ aſse-
rit hanc, vel illam materiam, ſeu formam di-
uerſam, eſſe ſufficientem ad valorem, & effectũ
Sacramenti; & hæc concluſio eſt communis
apud omnes, & de ea dubitare non licet, quia
Eccleſia poteſt id præcipere.

Dico ſecundò, etiam præſcindendo ab vſu,
& Eccleſiæ præcepto, ac conſuetudine, in Sa-
3 cramentis adminiſtrandis † ſequi non poſſu-
mus probabilem ſententiam, omiſſa certa, &
tutiori, & hoc ſaltem ex præcepto charitatis,
& præſertim in collatione quorumdam Sacra-
mentorum, vt mox declarabimus. cõcluſio vi-
detur communis, & defenditur, à *Sãrbez lib. 1.
in decal. cap. 9. num. 33. & alibi, Baſilio de
Leon lib. 4. de matr. cap. 35. num. 9. Texeda in
contr. lib. 1. tract. 2. contr. 10. num. 5. & Franci-
ſco de Amico tom. 3. diſp. 15. ſect. 4. num. 62.
Ioanne Præpoſito in p. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 5.
§. 1. ver. Idem dicendum, & ſequent; Baſſæo in
florib. v. conſcientia nu. 10. aliiſq; apud ipſos:*
& probatur etiam, nam lex charitatis poſtulat,
vt proximo ſpiritualiter indigẽti adhibeamus,
ſi poſſumus, & nullum ſequitur incommodum
remedium certum, quo curari valeat, proinde
eſſet contra charitatem tale remedium omittere
& præſertim incertum applicando: V. G. ſi quis
baptizet ſub forma genitoris, geniti, &c. aut in
nomine Chriſti, &c. grauiter peccabit; quia
licet opiniones aſſerentes formas illas ſufficiẽ-
tes eſse ad valorem baptiſmi, ſpeculatiuè lo-
quendo, videantur probabiles, quia tamen
non ſunt certæ, imò manent ſub dubio, &
certum eſt, formam conſuetam ſufficientem
eſse, nempè in nomine Patris, Filij, &c. idcirco
vtens illis formis, exponit ſe periculo irritandi
Sacramentum, cum maximo ſpirituali detri-
mento proximi; & ideo grauiter peccabit con-
tra charitatem; immò ſi eſt miniſter, cui ex of-
ficio incumbit Sacramentorum adminiſtratio,
vt eſt Parochus peccabit etiam cõtra iuſtitiam;
tenetur enim Parochianis ſuis quibus certa cõ-
ferre Sacramenta, & non dubia, cum poſſit cer-
ta applicare, & idem etiam cẽſeo de Miniſtro,
qui licet non ſit Ordinarius, eiq; non incumbat
Sacramenta conferre; ex ſuppoſitione tamen
quod adminiſtrat, interdum tenetur ex iuſtitia
opinionem certam ſequi, V. G. ſi Confeſſarius,
qui non eſt proprius, audiat in confeſſione Sa-
cramentali omnia peccata pœnitentis, eumq;
agnoſcat benè diſpoſitum, non poterit vti alia
forma, niſi conſueta, proinde ſi dubiam aſſu-
meret, dicens: Ego tibi condono peccata tua,
iniuriam irrogaret pœnitenti, qui poſt debi-
tam peccatorum enarrationem, ius acquirit, vt
non ſolùm abſoluatur, verum etiam vt modo
certo, & non dubio ipſi conferatur abſolutio.
Dixi in concluſione, præſertim in collatione
quorumdam Sacramentorum, qualia ſunt Sa-
cramentum Baptiſmi, & pœnitentiæ, quæ ſunt
Sacramenta neceſsaria neceſſitate medij; & ex
eorum inualiditate ſequi poteſt proximo dam-
num ſpirituale irreparabile, maximè ex inuali-
ditate baptiſmi, qui eſt Sacramentorum ianua;
& eius inualiditas trahit aliorum Sacramento-
rum inualiditatem.

4 † Dico tertiò, in caſu, quo adhibere nequi-
mus materiam, & formam certam, cõſuetamq;
ſi neceſſitas inſtaret, tunc teneremur applicare
materiam, & formam minùs certã, & interdum
minùs probabilem. v. g. ſi infans non baptiza-
tus reperiretur in extremo vitę diſcrimine, & nõ
haberetur prę manibus aqua, niſi ex ſale reſolu-
ta, de qua eſt controuerſia, an ſit apta materia
Baptiſmi, tunc teneretur Miniſter cũ tali aqua
Baptiſmum illi infanti cõferre, vel ſi fingamus
aliquem, qui ignoret verba formæ conſuetæ, &
ſolùm ſciat formam in nomine Chriſti, &c. in
tali caſu ſub tali forma, ſed ſub conditione, cõ-
ferre debet Baptiſmũ; nam hic, & nunc ex illa
opinione, quæ eſt ſpeculatiuè probabilis, poteſt
formare iudicium practicum, ſibi licere, immò
teneri, in his circumſtantijs, tali materia, vel
tali forma vti; ſi poſtea ſuperuiuat, qui hoc mo-
do baptizatus fuit; debet recipere Baptiſmum
cum conditione ſub materia, & forma certa,
& conſueta.

5 Dico quarto, † ſi extrema neceſſitas ſit ex
parte Miniſtri. V. G. ſi quis minetur illi mor-
tem, niſi adhibeat materiam dubiam, & relin-
quat certam; tunc cenſent nõnulli poſse à Mi-
niſtro id fieri, niſi minę ſint in contemptum
fidei: ita *Martinez in p. 2. quæſt. 19. ar. 6. dub.
6. in notando poſt ſeptimam concluſionem, Ioan
Sanch. diſp. 44. n. 12. Breſierus lib. 3. c. 10. n. 105.*
at nõnulli, & ego cum ipſis puto aliquam, huic
ſentẽtiæ adhibẽdam eſse reſtrictionem; idcirco
aio, eſse admonẽdum, ſi fieri poterit, baptizatũ,
vt ſub conditione, data opportunitate, iterum
6 baptizetur: † Rurſus non audeo aſserere hanc
opinionem amplectendam eſse, ſi baptizatus
eſset infans, & in extremo vitæ; tunc enim ma-
gis præpõderare videtur ſalus æterna illius in-
fantis; quæ periculo exponitur, ipſi adhibendo
Sacramentum dubium, & præſertim cum nul-
lum aliud ei ſuppetat remedium, quo poſſit ſi-
bi prouidere, ſicuti poteſt adultus, mediante
contritione; proinde in tali caſu, videtur poſt-
ponenda mors corporalis, ne infans ſubijcia-
tur periculo mortis ſpiritualis æternæ: hoc
enim videtur poſtulare charitatis lex; attamen
Auctores pro concluſione citati abſolutè, &
abſq; limitatione loquuntur; neq; de hoc pun-
cto aliquid innuunt.

Dico quinto, ſi loquamur de obligatione,
quam Miniſter habet in ordine ad virtutem
religionis, dum conficit Sacramenta, magis
placet ſententia † aſſerens non eſſe licitum
ſequi opinionem minùs probabilem, mi-
nùſque tutam; & omittere probabiliorem,
tutioremque: ita *Petrus de Soto lib. de in-
ſtitut. Sacrament. lect. 2. de Eucbariſtia, Mal-
derus in prima ſecundæ dub. citat. Franciſcus
Suarez in 3. p. tom. 3. diſputat. 21. ſectione 4.
& tom.*

& tom.4. diſp.26. ſect.6. num.5. Breſſerus lib.3. c.10. n.105. & 111. Bigrolla tom.1. diſp.5. c.4. d.3. n.134. Lanfrancus opuſc.1. c.4. nu.6. & ſeq. & in eadem opinione cum quadam limitatione eſt *Ioan. Sanch. diſp.44. n.1. & 12.* quando ſcilicet pro vna parte reperitur certa ſententia in fauorem Sacramenti, pro alia vero parte ſolùm eſt opinio tantùm probabilis, licet auctor iſte exiſtimet poſſe abſq; peccato ſequi minùs probabilem opinionem, ſi oppoſita ſententia ſit ſolùm probabilior, & non certa. Noſtra autem concluſio eſt contra *Vaſquez p.2. diſp.63. c.3. n.4. ver. Deinde, Sanchez in ſum. lib.1. cap.9. n.10. Salonium, Sayrum, Caſtropalaũ, & alios.* Probatur tamen hac ratione fundamentali, cũ nulla eſt neceſſitas, irrationabile videtur exponere Sacramenti ſubſtantiam manifeſtæ inualiditatis periculo: eſt enim quidã contẽptus cõtra debitã reuerentiã ipſi Sacramẽto: ergo, &c.

Dices primò, nullam videri irreuerentiam, ſi fiat ſecundum opinionem probabilem; ſicuti quando probabiliter credimus aliquod nõ eſſe contra præceptum diuinũ, & id facimus, etiam ſi opinio oppoſita, quæ ait eſſe peccatũ, ſit probabilior, & tutior; tunc operando iuxta probabilem opinionem, non cenſemur irrogare iniuriam aliquam diuino præcepto, vt fuse ſupra oſtendimus; ita à pari, ſequentes opinionem probabilem circa formam, aut materiam Sacramentorum, relicta probabiliori, nullam videmur irrogare iniuriam ipſi Sacramento.

8 Sed contrá eſt; † quia dum ſe offert modus certus, quo conficiendum eſt Sacramentum, & nulla eſt neceſſitas, quæ nos cogat ad deſerendum modum hunc certum, aſſumentes modum incertum, & minùs tutum, licet probabiliorem, opinio contraria erit ſolùm ſpeculatiuè probabilis, atq; adeo ex illa non poterimus iudicium practicum formare, quod dictet hic, & nunc eſſe licitum omittere, abſq; vlla cauſa rationabili, modum illum certum, & vti incerto, exponendo Sacramentum irritationis periculo. Paritas vero illa in contrarium, deſumpta ex alijs

9 materijs, nobis non officit; † Pro qua re aduertendum eſt, hæc duo eſſe diuerſa, videlicet, probabilitatem oppoſitarum ſententiarum verſari circa ſolam honeſtatem actus; & verſari circa valorem actus. quãdo igitur opinionum varietas eſt circa honeſtatem actionis; tunc admitto licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilẽ, relicta probabiliori, & magis tuta, vt ſæpè euenit in materia de iuſtitia, & in alijs materijs, præterquã in Sacramentis; tunc. n. cũ operamur iuxta probabilem ſententiam, operatio noſtra conformatur dictamini rationis: neq; Deus plus à nobis exigit; eſſet enim valdè oneroſum, & nõ conſentaneum ſuauitati diuinæ prouidentiæ, ſi à nobis exigeretur, vt ſemper operaremur id, quod eſt probabilius, & tutius. Verum dum agitur de probabilitate ſententiarum circa valorem actus, valor ille, non dependet à iudicio noſtro, etiam prudenti, quantumuis enim conſcientiam formemus de honeſtate actionis, poterit non haberi, nam eius exiſtẽtia dependet ab inſtitutione Chriſti, & non à noſtra æſtimatione etiam prudenti, & cum Sacramenti effectio ſit quid ſacrum, non videtur rationi conſentaneum, abſq; vlla neceſſitate, relinquere opinionẽ probabiliorem, & tutiorem, & ſequi minùs probabilem, minuſq; tutam, cum periculo inualiditatis ipſius Sacramenti: quæ quidem inualiditas non vitatur, ſequendo opinionem illam probabilem, imò & probabiliorem, ſi à parte rei ſit falſa; inconueniens autem iſtud non ſequitur, quando probabilitas eſt ſolũ circa honeſtatẽ, & nõ circa valorem actus, quià etiam ſi obiectum actionis in re ſit malũ, tollitur malitia formalis ab actione, ſi nos prudenter formamus conſcientiam, & iudicemus honeſtam eſſe actionem illam, & ſic patet diſparitas inter honeſtatẽ, & inter valorẽ actus.

Dices ſecundò, ſi hoc eſſet, ſequeretur non poſſe pœnitentem accedere ad confeſſionem Sacramentalem, cum ſola attritione cognita, quia non eſt omnino certum, illam ſufficere ad Sacramenti valorem, ac proinde pœnitens ſe exponeret periculo inualidandi Sacramentum: ſimiliter neq; poſſet confiteri Sacerdoti habẽti ſolùm probabiliter iuriſdictionem, eo relicto, qui certam habet iuriſdictionem, quia ſi reuera Sacerdos ille caret iuriſdictione, ex defectu poteſtatis, nullum erit Sacramentum. hæc autem non videntur admittẽda; durum enim eſſet obligare pœnitentes ad habendam contritionem, quando Sacramentaliter confitentur, & non poſſe ſua peccata aperire Confeſſario ſolam probabilem habenti iuriſdictionem.

Reſpondeo, & circa id, quod dicitur de at-

10 tritione, aio † quamuis quibuſdam videatur attritio cognita non eſſe ſufficiens ad huius Sacramenti valorem, & requiri ad minùs contritio putata; nihilominùs poſt Concilium Tridentinum non obſcurè ſignificans ſatis eſſe attritionem ad valorem huius Sacramenti, opinio iſta videtur moraliter certa; & ideò nullum erit peccatum, neq; contra charitatem, neq; cõtra religionem, ſaltem extra articulum mortis, ad hoc Sacramentum accedere cum ſola attritione cognita. non eſt contra charitatem propriam, quia pœnitens in tali caſu cedere poteſt iuri ſuo, atq; adeo neq; ipſe Confeſſarius peccabit contra iuſtitiam, aut charitatem pœnitenti debitam, ſi illũ abſoluat in eo ſtatu, quem ipſe pœnitens eligit: neq; erit peccatũ contra virtutem religionis, & reuerẽtiam debitam Sacramento, quia non videtur pœnitens obligandus, vi ſolius religionis cum tanta difficultate eligere ſententiam illam, quę aſſerit neceſſariam eſſe contritionem; ad reuerentiam autem erga Sacramentum ſatis videtur ſequi opinionem moraliter certam, neq; Deus cenſendus eſt ad plus nos obligare. Dixi, ſaltem extra articulum mortis, quià plures ſunt auctores, qui putãt virtute proprię charitatis nos obligari in fine vitæ ad eliciendam perfectam contritionem, ne exponamur periculo æternæ damnationis; quia ſententia illa de attritione, nempe ſufficere cum Sacramento, non eſt omnino certa:

ita docet *Suarez in 3.p.tom.3. diſp.16.ſect.2.§. At vrgebis: & tom.4.diſp.15.ſect.4.num. 19. Salas in p.2.tract.8.diſp.vnit.ſect.10.num.90. & 93. Granado in 3.p. contr. 2.tract.12. d.4. ſect.4.num.36. & 37. Ioannes Sanchez in ſelect.d.44.n.13.Thomas Sãchez in decal.lib.1. cap.9.num.34.Breſſerus lib.3.de conſ. cap.10. num. 113.* & valdè probabile id exiſtimarunt *Leſſius lib.3.de iuſt.cap.d.4. num.43. Merolla tom.1.diſp.3.cap.4. num. 99.* Sed quicquid ſit de veritate huius ſententiæ, quam examinare ad hunc locum minime pertinet: ſanè extra articulum mortis non videtur talis neceſſitas, cum in adminiſtratione, ſeu receptione Sacramenti ſequimur opinionem moraliter certam, & præſertim quando ſequi oppoſitam, aliquid difficultatis habet.

Ad illud vero, quod dicitur de iuriſdictione Confeſſarij, Reſpondeo primò, quod in eo caſu
11 ſecundum communiorem ſententiam Eccleſia † ſupplet defectum, conferendo iuriſdictionem ipſi Confeſſario in fidelium fauorem, ſi reuera Sacerdos ille careat iuriſdictione; ſed quia hoc non eſt omnino certum. Reſpondeo ſecundò, in dato caſu debere pœnitentem ſimul cum mortalibus confiteri aliqua peccata venialia, in quibus Confeſſarius certam habet iuriſdictionem, & ſic conficeretur Sacramentum, & per conſequens peccata mortalia, indirectè ſaltem, remitterẽtur, attamen quia nonnulli putant peccata venialia abſolui non poſſe à ſimplici Sacerdote, idcirco abſq; cauſſa rationabili non debet pœnitens confiteri Sacerdoti probabilem ſolùm iuriſdictionẽ habenti, ſed alteri, qui indubitatam poteſtatem habet, vt periculũ inualiditatis vitet; poſita tamen cauſſa rationabilitum pœnitens, tum confeſſarius excuſandi erunt ab omni irreuerentia, præſertim vero ſi in confeſſione miſceantur aut venialia, aut mortalia aliàs ritè confeſſa, & remiſſa per abſolutionem Sacramentalem.

Dico ſexto, ſi neutra opinio ex contrarijs ſit certa, & diſcrimen inter vtramque ſolùm ſit in maiori, & minori probabilitate, ſi exceſſus probabilitatis ſit modicus; † tunc ſe-
12 qui opinionem minus probabilem, non videtur res grauis contra rectam rationem; ac proinde, vel nullum, vel leue erit peccatum, etiam ſiſtendo in terminis noſtræ ſententiæ; & in hoc admitto opinionem Ioannis Sancij ſuperius relatam. Dixi, ſiſtendo in terminis noſtræ ſententiæ, quia iuxta aliorum opinionem licitum erit, vt ſupra vidimus, ſequi opinionem minùs probabilem, relicta ea, quæ notabiliter excedit aliam in probabilitate.

DISCEPTATIO V.

Conſcientiæ dubiæ ratio explicatur.

SI ſtrictè loqui velimus, conſcientia dubia non eſt formaliter conſcientia, ſed priuatio cõſcientię: quia cum cõſcientia ſit iudicium poſitiuum, & practicum: dubium vero preſsè acceptum, vt videbimus, neget in ſe omnem aſſenſum, ſeu diſſensũ; idcirco non erit conſcientia, nihilominùs quia vſus obtinuit, vt nomen conſcientiæ tribueur etiam ſuſpenſioni, per quam intellectus verè anceps manet, & quia communiter à Doctoribus inter diuiſiones, ſeu ſpecies conſcientię includi conſueuit conſcientia dubia; proinde nos maiorum veſtigijs adhærentes, ſuſpenſionem animi circa res morales conſcientiam dubiam vocamus. Et aliam etiam addo rationem, nam ſolet mentis dubitationem comitari iudicium veluti reflexum, quo iudicamus nos poſitiuè eſſe in dubio, & tale iudicium appellatur conſcientia dubia, non formaliter, ſed obiectiuè, quatenus fertur in dubitationem, ſeu ſuſpenſionem illam; propterea in titulo iure ponitur agendum de conſcientia dubia. Sit igitur.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit dubium.

SVMMARIVM.

1 *Dubium propriè loquendo neq; aſſenſum, neq; diſſenſum, ſed intellectus ſuſpenſionem importat.*
2 *Alij agnoſcunt iudicium quoddam reflexum ſupra ſuſpenſionem.*
3 *Hos reijcit Vaſquez, quia nihil facit ad malam actionem, eſſe, aut non eſſe tale iudicium.*
4 *Suſpenſio animi ex duplici ſuboriri poteſt capite, proinde datur dubium negatiuum, & poſitiuum.*
5 *Debet ſuſpenſio eſſe quo ad ſpecificationem, & nõ ſufficit quoad ſolum exercitium, vt reddat conſcientiam dubiam.*
6 *Dubium negatiuum ſumi poteſt metaphyſicè, & moraliter.*
7 *Suſpicio reuocatur ad conſcientiam dubiam.*
8 *Dubium aliud eſt iuris, aliud facti.*
9 *Vtrumque dubium poterit eſſe ſpeculatiuum, aut practicum, & quo pacto differant.*

DICO

DICO primò dubium, preſsè
1 † ſumptum, eſt quædam ſuſpē-
ſio intellectus manentis in æqui-
librio inter duo contraria, & nō
aſſentientis, neq; diſſentientis:
ita ferè communiter Doctores,
quamuis *Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 16. nu.*
139. ad rationem dubij ſtrictè ſumpti requirat
2 quemdam aſſenſum, † ſeu iudicium formido-
loſum de propoſitionis fallibilitate, & idem
ſentiunt alij apud *Vaſquez p. 2. diſp. 65. cap. 1.*
num. 5. qui poſtulant iudicium quoddam re-
flexum ſupra ipſam ſuſpenſionem, ad hoc, vt
homo dicatur operari cum conſcientia dubia,
hoc autem iudiciū eſt certum, & euidens, quia
eſt de re euidenti, nempè de illa animi ſuſpen-
tione, quamuis appellari poſſit obiectiuè dubiū
quatenùs fertur in prędictam ſuſpentionem,
3 ſeu ambiguitatem. † Hos verò reijcit Vaſ-
quez, quia nihil refert ad malam operationē
tale iudicium; nam ſiue homo operetur cum
tali iudicio, ſiue abſq; illo, quando operatur ſine
determinato aſſenſu, & cum illa ſuſpentione
circa bonitatem aut malitiam actionis, ſemper
dicitur operari contra conſcientiam, & per cō-
ſequens mala erit illa actio; vtroq; enim modo
viget periculum peccandi.

Dico ſecundo, dubium, ſeu ſuſpenſio, de qua
4 ſupra, dupliciter contingere poterit † primò
ex defectu medij aſſentiendi, aut diſſentiendi.
Secundò ex æqualitate mediorum pro vtroque
extremo contradictionis, primo modo euenit,
quando intellectui nullum ſe offert mediū, per
quod, poſſit aſſentiri, vel diſſentiri, v. g. ſi propo
natur an aſtra ſint paria, vel imparia, aut homi-
nes, qui ſunt in hac ciuitate, in numero ſint pa-
res, aut impares, vel quid ſimile: tunc intellectus
impoſſibile eſt, vt aliquid ex illis contrarijs de-
terminatè iudicet; ideoq; manebit ſuſpenſus, tū
quoad aſſenſum, tum quoad diſſenſum, & hu-
iuſmodi ſuſpenſio vocatur dubium negatiuum
& intellectus dicitur negatiuè dubius per carē-
tiam medij. Secundo modo prouenit dubium,
quando rationes pro vtraq; parte habēt æqua-
lem probabilitatem; ita vt intellectus nequeat
diſcernere maiorem cōuenientiam in vno, quā
in alio extremo, & ſic dum ſingulæ partes, velu-
ti trahentes ad ſe intellectum, mutuo ſe impe-
diunt, manet ipſe intellectus in æquilibrio, ad
eum ferè modum, quo in ſtatera examen ratio-
ne æqualitatis in ponderibus non inclinat, nec
in vnam, nec in alteram partem, & talis ſuſpē-
ſio nuncupatur dubium poſitiuum, & intellec-
5 tus dicitur eſſe poſitiuè dubius. † Suſpenſio
autem prædicta non ſolùm debet eſſe quoad
exercitium; verùm etiam quoad ſpecificatio-
nem, vt rectè notauit *Suarez in p. 2. diſp. 12.*
ſect. 5. initio, nam homo ſuſpendens actum iu-
dicij, quoad exercitium, nequaquam dici poteſt
dubitare; quia etiam circa res certas poſſumus
per voluntatem impedire, ne intellectus actum
eliciat, & tūc impeditus, manebit ſuſpenſus, ſed
non dubius, requiritur ergo, vt ſuſpēſio ſit quo-
ad ſpecificationem, quatenùs voluntas nequeat
imperare intellectui, vt iudicet, & hoc ob carē
tiam, vel inſufficientiam medij, vt dictū eſt, &
in hoc ſenſu rectè docuit *Ariſtoteles 2. de ani-*
ma tex. 153. liberum nobis eſſe ſimulacra in
imaginatione fingere, non autem opinari, quia
ad opinandum requiritur determinatio ex par-
te obiecti

Aduertendum etiam eſt dubium negatiuum
6 † bifariam ſumi poſſe, vel metaphyſicè, vel mo-
raliter; tunc erit dubium metaphyſicè, & non
moraliter negatiuum, quando ſuſpenſio fūda-
tur tantùm in rei poſſibilitate, & explicatur per
hoc: Res iſta potuit eſſe, & potuit nō eſſe, v. g.
adultus, qui non recordatur omnium actuum
internorum, quos in pueritia habuit, dubitare
poterit, an aliquando Deum, aut parentes odio
ſit proſequutus, nulla tamen poſitiua ad hoc ſe
offerente ratione, non ſolùm circa veritatem
obiecti, ſed neq; circa eiuſdem obiecti proba-
bilitatem; tale autem dubium dicitur negatiuū,
quia non procedit ex poſitiuis, & probabilibus
rationibus circa ipſum obiectum ſecundum ſe
ſpectatum, & pariter appellatur metaphyſicū,
quia fundatur in mera poſſibilitate, connotan-
do tamen defectum memoriæ. Cæterum du-
bium iſtud eſt contemnēdum, & nullam ponit
in homine obligationem, ideoq; diſceptatio
iſta non erit de huiuſmodi dubij genere.

Dubium verò moraliter negatiuum neceſſa-
riò fundatur in aliqua ratione, ſed adeo leui, vt
vi illius nequeat intellectus iudiciū elicere. E.
C. ſi quis recordetur ſuggeſtionem aliquam
habuiſſe ad prauam actionem, ſeu ad eius con-
ſenſum, & ſuam agnoſcēs fragilitatem, incipiat
dubitare, an cōſenſū ſuggeſtioni prædictæ præ
ſtiterit, nec ne? tunc ipſa ſuggeſtio, & cognitio
fragilitatis dant occaſionē dubitandi: at inſuf-
ficientes ſunt ad mouendum intellectū, vt de-
terminatè, & probabiliter iudicet interueniſſe
voluntatis conſenſum, ideoq; ob defectū medij
vocatur dubiū negatiuū, ſed morale, in quantū
non in ſola poſſibilitate, & negatione impli-
cantiæ fundatur, vt diximus de metaphyſico
dubio, ſed in aliqua morali ratione.

Neq; dicas tale dubium non eſſe appellandū
negatiuum, ſed potiùs poſitiuū, quia originem
trahit à ratione aliqua poſitiua, nempè ab exi-
ſtentia ſuggeſtionis, fragilitate naturæ &c. ne
dicas hoc, quia dubium negatiuū morale, de
quo nos cum Theologis ſermonem habemus,
non appellatur tale per excluſionem cuiuſcūq;
poſitiuæ rationis, quia dubium procedens, nulla
exiſtente ratione, in moralibus non meretur no
men dubij, ſed ſolùm in phyſicis dubiū exiſti-
matur: at dicitur negatiuū in quantùm ratio-
nes, ex quibus ſuſpenſio animi emergit, non sūt
tales, vt vi ipſarū poſſit probabile iudicium fer-
ri de obiecti veritate; atqueadeo denominatio-
nem negatiui ſortitur ex carentia ſufficientiæ
ad iudicium eliciendum, & non ex carentia
omnis rationis poſitiuæ.

Ad conſcientiam autem dubiam reuocatur
7 † ſuſpicio propriè dicta, quæ nihil aliud eſt,
niſi quædam ſimplex inclinatio intellectus in

vnam

vnam potiùs partem, quàm in aliã, ſine vllo aſſenſu; non differt à conſcientia dubia, niſi ſecũdum magis, & minùs: quoniam dubium preſsè acceptum non ſolùm negat actuale iudiciũ, ſeu adhæſionem vni parti; verùm etiam, & inclinationem: ſuſpicio autem ſolùm remouet adhæſionem, & dicit puram inclinationem ſine aſsẽſu, aut diſſenſu, & ideo licèt differant phyſicè, moraliter tamen non differunt, cum neutrum poſſit eſſe regula humanarum actionum.

8 Dico tertiò. Dubium diuiditur † in illud, quod eſt iuris, & in illud, quod eſt facti: illud tunc euenit, quando dubitatur an ſit lata aliqua lex, ſit editum aliquod ſtatutum, ſeu impoſitum tale, vel tale præceptũ &c. Iſtud verò cõtingit, cũ dubitatur v.g. an homicidiũ, ſeu furtum fuerit nec ne commiſſum? an datum fuerit circa rem aliquam conſilium, auxilium &c. an votum fuerit, ſeu iuramentum emiſſum.

Dico quartò, Vtrumq; dubium tum circa
9 ius, tum circa factum poterit eſſe, † aut ſpeculatiuũ, aut practicum: ſic nouiſſimè *Franciſcus de Amico tom. 3. diſp. 15. ſect. 3. num. 35. & Ioannes Præpoſitus in p. 2. quæſt. 19. num. 6. dub. 4. Baſſæus in flor. v. conſcientia num. 23.* Solet autem diuiſio iſta ſic explicari, vt dubiũ ſit ſpeculatiuum, cũ intellectus dubitat de aliqua actione, aut re in vniuerſum, v. g. an licitũ ſit die feſtino iter agere, an contractus talis cõditionis ſit vſurarius? Dubiũ verò practicũ eſt cũ in particulari intellect⁹ hic, & nũc dubitat, v. g. an mihi ſit licitũ die feſto iter agere, an ſit licitum hunc contractum hic, & nunc inire: de dubio autẽ loquentes, putant aliqui, vt Caietanus. & Nauarrus; quos laudat *Vaſquez p. 2. diſp. 62. cap. 5.* poſſe rectè operari hominem manente dubietate circa rem in vniuerſũ, non autem circa rem hic, & nunc in particulari ſpectatam. At talem modum dicendi impugnat ibidem Vaſquez, quia ſi intellectus dubius eſt, an talis ſpecies contractus, v.g. ſit licita, nequit, ſtante tali dubio, ſimiliter non dubitare de contractu in indiuiduo directè contento ſub eadẽ ſpecie; oppoſitũ .n. manifeſtè repugnat; ideoq; *Lorca in p. 2. diſp. 38. mem. 1.* hac ductus ratione, tamquam ineptam reiecit diuiſionem illam de dubio ſpeculatiuo, & practico: ſed malè reijcit, cum ſit res euidens, & ab omnibus recepta; quamuis ſit aliqua diuerſitas in modo eam explicandi: quapropter dicimus non eſſe diuiſionem intelligendam eo pacto, quo prædictis Authoribus Vaſquez attribuit, quaſi poſſet intellect⁹ dubitare de honeſtate ſpeciei, & nõ dubitare de honeſtate indiuidui directè cõtẽti ſub illa ſpecie, hoc .n. contradictionẽ inuoluit. Et addo circa eamdem numero rem eſſe poſſe dubium, & ſpeculatiuum, & practicum, vt rectè notauit *Martinez in p. 2. quæſt. 19. ar. 6. dub. 5. not. 1.* Intelligenda eſt igitur diuiſio hoc pacto, vt dubium ſpeculatiuum verſetur circa rem ſecundum ſe ſpectatam, præſcindendo à circumſtantijs, & conditionibus, quæ ab extrinſeco eidem rei accidere poſſunt: practicum verò dubium feratur in eamdem rem affectam omnibus circumſtantijs, ſeu in operationem hic, & nunc exercendam circa rem illam, v.g. ſi hodie ſit dies ieiunij ex præcepto Eccleſiaſtico, & quis dubitet, an ratione alicuius corporalis ægritudinis teneatur ieiunare, poterit dubium de obligatione ieiunandi practicè deponere; videlicet vel conſilio Medici, qui iudicet inualetudinem illam eſſe talem, vt excuſet; & ſic dubiũ per principia extrinſeca deponitur, & conſciẽtia practicè formatur, non obſtante illo dubio ſpeculatiuo; an infirmitas illa ſit cauſſa ſufficiẽs nec ne, ad excuſandum, & ſic iſte talis poterit hic, & nunc licitè frangere ieiunium, ductus cõſilio periti Medici, vel ſi non habeat opportunitatem petendi conſilium à Medico, poterit practicè deponere dubiũ per principia intrinſeca. Hoc pacto. ſtante dubio, an qualitas ciborum, ſeu abſtinentia notabiliter noceat; non debeo periculo vitæ, aut grauis infirmitatis me exponere; idcirco licitum mihi erit hodie non ieiunare. Et hæc ſufficiant pro terminorum declaratione, qua poſita, deſcendendum iam eſt ad caſus particulares.

CAPVT II.

Dubia exiſtente conſcientia, án honeſtè operemur.

SVMMARIVM.

1 *Numquam licet agere contra conſcientiam practicè dubiam.*
2 *Peccatum contra conſcientiam erit illius ſpeciei, circa quam verſatur dubium.*
3 *Dubitans ſpeculatiuè, per ſe loquendo debet practicè dubitare.*
4 *Aliquando practicè licitum erit diſcordare à dubio ſpeculatiuo.*

1 DICO primò, numquam † eſſe licitum agere cum conſcientia practicè dubia: eſt communis ſententia, nam hoc eſt intrinſecè malum, ſicuti operari contra conſcientiam poſitiuè, dictantẽ actionem aliquam eſſe illicitam. Et de hac concluſione neq; eſt, neq; eſſe poteſt controuerſia, & ſupponitur vt vera: ita *Suarez in p. 2. d. 12. ſect. 1. num. 2. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dubio 5. num. 2. & ſeq. Franciſcus Delugo in ſua Theol. moral. p. p. præuij decur. quæſt. 1. num. 5. Baldelli tom. 1. lib. 4. diſp. 7. num. 1. Lanfrancus opuſc. 1. moral. cap. 2. num. 1. & alij apud ipſos,* & ratio eſt in promptu, quia homo ita operans, liberè ſe exponit euidenti peccandi periculo, & ideo ſic operans conuincitur aperte velle, & amare tale periculum, ac proinde

peribit in illo, vt dicitur *in Eccl. cap.* 3. proba-
ri etiam ſolet ex illo *D. Pauli ad Rom.* 14. *quod
non eſt ex fide, peccatum eſt*, videlicet omnis
operatio, quę non procedit ex conſcientia dic-
tante talem operationem eſſe licitam, mala eſt
moraliter; at quando homo operatur cum du-
bio practico, operatio non procedit ex fide, ſeu
ex conſcientia dictante bonitatem moralem;
ergo ſic operans peccabit, ſiue peccatũ ſit mor-
tale, ſiue veniale iuxta conſcientiæ rectæ dic-
tamen, & materiæ qualitatem.

Dico ſecundò, peccatum, quod committitur
2 contra conſcientiam practicè dubiam, † erit
illius ſpeciei circa quam dubium verſatur, v. g.
ſi practicè dubito, an mihi licitum ſit in die ie-
iunij frangere illud, ſeu comedere carnes, & cũ
tali dubio practico frãgo ieiunium, aut carnes
comedo, peccatum erit contra temperantiam
& ſi cum dubio practico accedo ad Euchari-
ſtiam, & communico, erit ſacrilegium, & ſic in
reliquis. Concluſio eſt pariter certa apud om-
nes; nam voluntas cum dirigatur ab intellec-
tu, fertur in obiectum eo modo, quo ab in-
tellectu illi proponitur, & dum proponitur cũ
dubio contra temperantiam, aut contra religi-
onem &c. in operatione procedente cum tali
dubio, erit voluntas quædam implicita, & vir-
tualis contemptus contra talem virtutem; pro-
inde peccatum erit in ſpecie intemperantiæ, &
irreligionis &c.

Dico tertiò, dubitans ſpeculatiuè rem ali-
3 quam eſſe illicitam, † debet, per ſe loquendo,
etiam dubitare practicè: ita *Sanchez in decal.
lib.* 1. *cap.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. *Bonacina de leg.
diſp.* 2. *quæſt.* 3. *par.* 7. *nu.* 2. *Breſſerus lib.* 4. *de
conſc. cap.* 2. *num.* 17. *Franciſcus Delugo quæſt.
cit. num.* 11. Probatur concluſio, quia cum ex
dubio ſpeculatiuo per ſe aptum ſit ſequi dubiũ
practicum; idcirco per ſe loquendo non eſt li-
citum diſcordare vnum ab alio: v. g. ſi dubito
ſpeculatiuè eſſe vſuram dare mutuum imponẽ-
do tale, vel tale onus mutuatario, vltra onus re-
ſtitutionis, perſeuerante tali dubio, teneor etiã
dubitare practicè, an talis cõtractus ſit illicitus.

4 Dico quartò poſſumus, † interdum licitè
formare conſcientiam contrariam dubio ſpe-
culatiuo: ita *Sanchez loc. cit, Martinez in p.*
2. *quæſt.* 19 *num.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2. *Bonacina p.
cit. num.* 12. *Breſſerus loc. cit. & alij.* Ad hoc
autem licitè faciendum duo requiruntur, vt no-
tant Authores prædicti. Primò debita diligẽ-
tia ad inquirendam veritatem, eaq; diligenter
eſt adhibenda, quæ exigitur ſecundum pruden-
tis arbitrium, iuxta qualitatem temporis, rei, &
loci; aliter imprudenter conſcientia dubia
deponeretur. Secundò, requiritur cauſſa ali-
qua rationabilis, ob quam formamus conſcien-
tiam diſcordantem à iudicio ſpeculatiuo: ita
Bonacina, Reginaldus, & alij apud ipſum lo. ci.
Conſcientia autem iſta ſic formata poterit eſſe
proxima operationis regula, non obſtante iu-
dicio ſpeculatiuo contrario; non enim tene-
mur in noſtris operationibus immediatè ope-
rari iuxta iudicium ſpeculatiuum, ſed practicũ,
licet abſolutè, & ſimpliciter obligemur age-
re conformiter ad ſpeculatiuum, ex quo oritur
per ſe loquendo iudicium practicum ſimile,
quamuis per accidens ipſa iudicia diſcordare
valeant, vt dixi.

CAPVT III.

Vtrum in dubio iuris, aut facti tutior pars ſit eligenda.

SVMMARIVM.

1 *In alijs materijs à iuſtitia tutiorem partem,
dubio exiſtente, eſſe eligendam cenſuit
Vaſquez.*
2 *Limitatur à Salas.*
3 *Alij in omni materia putant non eſſe ſemper
neceſſariò ſequendam tutiorem partem.*
4 *Author hanc vltimam opinionem recipit.*
5 *Soluitur vtrumque argumentum Vaſquez.*
6 *Reijcitur limitatio Salas.*

IN Vtroq; dubio tutiorem par-
tem ſemper eſſe eligendam,
quãdo non agitur de materia iu-
1 ſtitiæ, † cenſuit *Vaſquez in p.* 2.
d. 65. *c.* 3. *& diſp.* 66. *c.* 1. & eam-
dem eſſe rationem de dubio iu-
ris, & facti firmat *cap.* 3. *num.* 11. ſuam
fundat ſententiam primò in eo, quod *cap. ad
audientiam, & cap. ſignificaſti* 2. *de homicidio*
præcipiens Pontifex, vt in dubio homicidij ſit
abſtinendum à miniſterio altaris, reddit ratio-
nem vniuerſalem dicens: in dubijs tutior pars
eſt eligenda, & hoc aſſeruit Pontifex, non quaſi
ſtatuens nouum præceptum, ſed ſupponens
regulam vniuerſalem. Secundò, quia ideo
in dubio facti tutior pars eſt eligenda, ne ho-
mo ſe exponat peccandi periculo; idem autem
periculum interuenit in dubio iuris: hanc opi-
nionem etiam ſequitur *Turrianus opuſc.* 10. *de
conſcientia dub.* 1. *& ſeq.*

Sed *Ioannes ſalas in p.* 2. *tract.* 8. *diſp. vni-
2 ca ſect.* 17. *&* 19. † limitat hanc ſententiam
in caſu, quo magnum incommodum inuenire-
3 tur, ſequendo partem tutiorem. † Alij verò ma-
gis communiter dicunt, non ſemper eſſe ſequẽ-
dam tutiorem partem, ſiue in dubio iuris, ſiue
in dubio facti, etiam in materijs non pertinen-
tibus ad iuſtitiam; ita *Suarez de cenſur. diſp.*
40. *ſect.* 5. *num.* 5. *& ſect.* 6. *& in p.* 2. *diſp.* 12.
ſect. 5. *num.* 7. *&* 8. *Sanchez in ſumm. libr.* 1.
cap. 10. *num.* 11. *& ſequ. & quamplures alij*,
quos laudat, & ſequitur *Merolla tom.* 1. *diſp.*
3. *cap.* 3. *dub.* 2. *à n.* 60. *& Baldelli tom.* 1. *diſp.*
8. *nume.* 2.

4 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, †
videlicet non ſemper nos obligari in dubijs ſe-
qui id, quod eſt tutius. Probatur concluſio,

quia

quia non minùs debemus vitare periculũ peccandi in materia iuſtitiæ, quàm in materia aliarum virtutum, & ideo ſicuti non obſtante dubio in materia iuſtitiæ, occurrere poterit ſufficiens ratio, ob quam contra dubium illud ſpeculatiuum dictans reſtituendum eſſe, formamus conſcientiam practicè certam, non eſſe reſtituendum; ita & in materijs aliarum virtutum ſimilis occurrere poterit ratio, per quam prudenter deponamus dubium, & eliciamus iudicium practicè certum, quo non obligemur, proinde abſolutè eſt dicendum in dubijs ſiue iuris, ſiue facti nos non conſtringi ad ſequendã ſemper tutiorem partem: dixi non ſemper, nam interdum, quod eſt tutiùs amplecti debemus, vt infra dicetur.

Ad fundamenta verò, quibus nititur Vaſquez facilis erit reſponſio, & ad capita illa (*Ad audientiam*) 5 † ex ſacris Canonibus deſumpta dicimus principium illud; nempè in dubijs tutior pars eſt eligenda, non eſſe intelligendum, quaſi ſit lex vniuerſaliter præcipiens, ſed tamquam magis conueniens, quamuis in materia illa de homicidio Pontifex decreuerit, vt in dubio homicidij homo ſe gerat tamquam irregularis. Vide *Suarez ſect. illa 6 à numer. 9. & Sanchez num.* 48.

Ad ſecundum concedimus eamdem eſſe rationem in vtroq; dubio ſiue iuris, ſiue facti, ſed falſum eſt nos ſemper exponi periculo peccandi, tutiorem partem non ſequentes; nam licet ſpeculatiuè ſit dubium, rem, ſeu actionem illam eſſe peccaminoſam; practicè tamen dum rationabili cauſſa ducti, formamus conſcientiam certam de honeſtate actionis, nullum peccandi periculum remanebit.

Limitatio verò, quam ponit Salas, non eſt firma, & vniuerſalis; etiam ſi loquamur in terminis noſtræ ſententiæ, & dicamus electionem tutioris partis eſſe de conſilio, & non de præcepto, quia ſi tutiorem admittentes partem, grauia timemus incommoda, eſſet conſiderandum, an incommoda illa ſint talia, vt præponderent, & dent nobis ſufficientem cauſſam deponendi dubium, & tunc nihil contra nos aſſeritur, quia volumus non eſſe inconueniens omittere tutiorem partem, cauſſa rationabili occurrente, & ad deponendum proportionata: Si verò talis cauſſa non occurrat, debemus tutiorem ſequi partem, quamuis vniuerſaliter loquendo hoc, vt diximus, non ſit de præcepto, niſi in adminiſtratione Sacramentorum, vt ſupra oſtendimus, & quibuſdam exceptis caſibus, etiam in alijs materijs à Sacramentis.

(†)

CAPVT IV.

An Potior ſit in omni materia Poſſidentis conditio.

SVMMARIVM.

1 *Controuertitur an principium iſtud iuris vim habeat in omni materia.*

2 *Negant aliqui illud verificari in alijs virtutibus à iuſtitia diuerſis.*

3 *Alij vniuerſaliter illud admittunt.*

4 *Hæc ſecunda opinio Authori magis arridet.*

5 *Poſſeſſioni, vt faueat, non debet ius reſiſtere.*

1 QVAMVIS ſatis communis opinio ſit † principium iſtud, quod habetur *in regulis iuris in 6.* videlicet (*in pari cauſſa potiorem eſſe conditionem poſſidentis*) locum habere in materia iuſtitiæ, & per conſequens cũ adeſt dubium reſtituendi, poſt adhibitam moralem diligentiam ad indagandam veritatem, non obſtante illo dubio, poſſe elici iudicium practicum oppoſitũ, quia melior eſt poſſidentis conditio, non omnes tamen conueniunt, vtrum in omni materia militet idem principium, & ideo

2 Prima opinio † negat in materijs aliarum virtutũ verificari regulam, ſeu principiũ prædictum, & conſequenter aſſerit, quando dubium adeſt, dictans nos obligari ad aliquem virtutis actum, vel ad aliquid omittendum &c. non poſſe deponi conſcientiam, iudicando oppoſitum, ſed eſſe eliciendum iudicium ſimile: ita *Sayrus libr. 1. de cenſur. cap. 16. num. 40. caſ. 1. & in clau. reg. libr. 1. cap. 15. nu. 9. & 76. Azor tom. 1. libr. 2. cap. 19. quæſt. 20. & libr. 21. cap. 16. quæſt. 2. Vaſquez p. 2. diſp. 65. cap. 3. & diſp. 66. cap. 1. Turrianus opuſc. 16. de conſc. dubia, dub. 1. & ſequen. & alij quamplures Canoniſtæ, & Theologi,* quos refert *Sanchez in ſumm. lib. 1. cap. 10. nu. 10.*

3 Secunda opinio oppoſitum cenſet; vult n. regulam prædictam tranſcendere per omnem materiam cuiuſcumque virtutis: ita *Sanchez loc. cit. de matrim. diſp. 41. à nu. 31. Filliuccius tom. 2. tract. 21. cap. 4. nume. 159. Bonacina de reſtit. diſp. 1. quæſt. 2. p. 2. §. Incidens, alijque apud ipſos,* & præcipuè *Lanfrancus de opin. elect. opuſc. 1. cap. 2. numero 4. Baldelli tom. 1. diſp. 8. num. 15. Caramuel de conſc. dubia, cap. 1. diſput. 1. reſolut. 3. num.* 1329.

Dicendum eſt primò, hanc ſecundam ſen-
4 tentiam † eſſe longè probabiliorem, niſi cauſſæ diſparitas adeo faueat non poſſidenti, vt vincat alteriùs poſſeſſionem, ſicuti infra declarabimus, qua limitatione poſita, con-

clusio

cluſio probatur, quia eadem prorſus ratio militat in materia iuſtitiæ, & in materia alterius virtutis; ſicuti enim in materia iuſtitiæ, vigente dubio, reſultat quędam ęqualitas inter obligationem reſtituendi, & inter poteſtatem retinędi, & ideo cum accedit poſſeſſio, & adhęret huic parti, debet pars iſta pręualere, & in eius fauorem eſt decidendum; ita in alijs virtutibus, quando viget dubium, an ſit obligatio exercēdi, v.g. actum religionis, reſultabit etiam quædam æqualitas inter religionem, & libertatem, proinde cum penſatis omnibus voluntas fruatur ſua libertate, ſeu eam poſſideat, prævalere debet poſſeſſio, & per conſequens abſolui debet poſſidens ab obligatione.

Et ſi dicatur, diſparem eſſe rationem, nam ideo in materia iuſtitiæ fauor eſt pro poſſidente, quia obligatio eſt odioſa, atq; adeo reſtringenda, idem ego dicam, cum dubium eſt in materia alterius virtutis. Neq; valet quorumdam reſponſio, ſcilicet, titulũ poſſeſſionis inueniri in rebus ad iuſtitiam, & non ad alias virtutes pertinentibus, non valet, inquam, quia titulus poſſeſſionis eſt vniuerſaliſſimus, ideoq; ſolemus dicere, poſſidere, vel non poſſidere propriam libertatem: at ne vis fiat in nomine, quamuis demus, poſſeſſionem ſtrictiſſimè acceptam in ſola iuſtitia reperiri, & in materijs aliorum virtutum inueniri aliquid æquiualens, certum erit, quod quaſi poſſeſſio appellari ſolet.

Dicendum eſt ſecundò. Poſſeſſio, quæ meliorem reddit conditionem poſſidẽtis debet eſ-
5 ſe talis, † vt illi non reſiſtat ius; ſi enim lex illi reſiſtat, tunc poſſidentis conditio non erit potior, neq; pro ipſo poſſidente erit iudicandum, cum neq; pro ipſo extabit præſumptio: tũc enim haberetur cauſſæ diſparitas, quæ eſt limitatio pręcedentis concluſionis, & fuſius *cap. ſeq.* Pro huius ſecundæ concluſionis confirmatione nõ nulla poſſent adduci exempla ex iure Canonico; ſatis tamen erit illud, quod habetur *ex cap. (Ad decimas) de reſt. ſpol. in 6.* ibi enim enarratur, decisũ fuiſſe contra Canonicos cuiuſdam Eccleſię, qui poſſidebant ius percipiendi decimas quorũdam prędiorum intra fines alterius Parochię exiſtentiũ; attamen de hac poſſeſſione titulum non oſtendebant, & ideo contra ipſos erat pręſumptio iuris diſponentis decimas prędiales adhibendas eſſe Rectori illius Parochię, infra cuius limites ſita ſunt prędia, ex quibus detrahendę ſunt decimę; idcirco dum Canonici titulum non oſtendebant, præſumptio erat pro Rectore, in cuius fauorem fuit decisũ: Similia exempla habentur *in cap. ex inſinuat. de Procur. & in ca. conſtitutus de elect.* Igitur, quando regula præſcribit in dubijs meliorem eſſe poſſidentis conditionem, eſt intelligenda de poſſidente, cuius poſſeſſioni ius nõ reſiſtit, quod videtur ſignificari per regulam illam iuris, de quo ſupra; dicitur enim, *in pari cauſſa potior eſt conditio poſſidentis*. Paritas autem iſta non habetur, ſi ius poſſidenti reſiſtat.

CAPVT V.

Firma traditur regula ad dignoſcendum, pro quo in dubijs, ſtet poſſeſſio.

SVMMARIVM

1 *Datur Regula ad agnoſcendum, pro quo in dubio ſit poſſeſſio.*
2 *Poſſeſſio in præſentia latè ſumitur.*
3 *Declaratur regula.*
4 *Quid attendi debeat, cum dubitatur, pro quo ſtet iuris præſumptio.*
5 *Probatur regula prædicta ſecundum duas, quas inuoluit, conditiones.*
6 *Pluribus concurrentibus præſumptionibus, pro eo eſt decidendum, qui efficaciores pro ſe præſumptiones habet.*
7 *Si æquales pro vtraque parte ſunt præſumptiones, tunc cenſendum erit, ac ſi nulla concurreret præſumptio, & remanet purum dubium.*
8 *Duo in contrarium obijciuntur.*
9 *Satisfit obiectis.*

QVIA ſępè eſt difficile, & præſertim in materijs aliarum virtutũ à iuſtitia diuerſarum, agnoſcere, pro quo ſtet poſſeſſio, & conſequenter pro quo ſit decidendũ;
1 † idcirco vniuerſalem quamdã tradere regulam oportet, vnde hoc lucidiùs agnoſcatur.

Pro maiori autem intelligentia, & ad tollendas varias æquiuocationes, ex quibus nonnullæ ſolent difficultates vrgeri contra regulam aſſignandam, ſupponere oportet poſſeſſionem, de
2 qua in pręſenti loquimur † latiſſimè ſumi, videlicet non ſolùm pro poſſeſſione naturali, ciuili, & ciuiliſſima, de quibus mentio fit in iure communi, & fusè ea explicantur à noſtro *Molina tom. 1. de iuſt. d. 12. Rebell. lib. 1. de oblig. iuſt. diſp. 8. per totam*, ſed etiam ſumi pro ea, quę reſpectu rerum incorporalium vocari ſolet quaſi poſſeſſio, & refertur non tantùm ad poſſeſſionem, ſeu detẽtionem rei, quæ dicitur poſſeſſa; verùm etiam ad ius, nempè ad facultatem habendi, ſeu retinendi rem illam, ſiue immobilem, ſiue mobilem. Hæ autem poſſeſſiones quãdoque inueniuntur ſeiunctæ, nam in vno inuenitur poſſeſſio tantùm naturalis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. In alio verò tantùm ciuilis: Rurſus in vno, eſt poſſeſſio ipſius rei; in alio eſt poſſeſſio iuris ad rem illam. His omnibus præmiſſis.

Dicendum eſt primò, hanc regulam ſeruare nos debemus, vt in dubijs iudicemus pro eo ſta-
3 re poſſeſſionem, † pro quo ſtat iuris pręſup-

tio:ita *Sanchez in ſum.lib.1.cap.10. num. 13, Merolla tom,1. d.3,cap.3. coroll. 6. num. 39.* idq; colligunt ex *Soto lib.7.de iuſt.quæſt.3.art. 2.ver.Hic verò, & Aragonio in 2.2. S. Thom, quæſt.88.ar.9.paulopoſt initium.*

4 Rurſus ſi dubitetur,† pro quo ſtet iuris præſumptio,eſt attendendum, quænam pars transferat onus probationum in aliam partem aduerſam, & hoc inuento, eſt iudicandum iuris præſũptionem ſe tenere ex illa parte, quæ trãſfert prędictum onus.Ex his aſſignare poſſumus integram regulam ad dignoſcendum, pro quo in dubijs ſtet poſſeſsio, & dicimus pro illo ſtarę poſseſsionem,pro quo ſtat præſumptio iuris & pro eo eſse pręſumptionem, qui transfert onus probandi rem controuerſam in aduerſariũ Probanda autem eſt vtraq; huius regulę pars. Et prima,quæ aſſerit pro eo eſse poſſeſſionem,
5 † pro quo eſt pręſumptio &c.oſtenditur,quia ius nihil temerè pręſumit,ſed ducitur ad pręſumendũ ex cauſsa aliqua rationabili, & iuſta: aliter pręsũptio iuris eſſet mala, & iniqua, quod aſseri nequit; idcirco ſi præſumit in fauorem vnius partis,ſignũ eſt poſseſſionem, de qua eſt dubitatio,ſe tenere pro eadem parte,& tũc ipſa iuris pręsũptio habebitur pro veritate,& ſecũdum illam eſt decidendũ, vt notant cõmuniter Doctores. *Panor.cap.conſult.de officio Iudicis Deleg n.9.Molin.tom.1.de iuſt.diſp.16.& 196. verſ. Nomine propinquorum, Maſcardo tom. 3.de prob.concl.1221.Simancas de cathol.inſt. tit.50.n.6.*& expreſsè definitur *in inſt.de interdictis § Retinendæ*, vbi concluditur, quod cum obſcura ſunt vtriuſq; iura,nempè partiũ litigãtium, contra petitorem iudicari ſolet.Secunda conditio,ſcilicet præsũptionem iuris eſſe apud illum,qui in aduerſarium transfert onus probationum,oſtenditur ex *leg. Generaliter §. Non tantum verba:de fidei cõmiſſ.libert. & ex leg. fin.de eo,quod met.§.1.& ex alijs* iuribus, quæ afferuntur à *Menoch.lib.1.præſumpt,quæſt.33. n.1.*Idem docet *Sanchez in ſum.lo.cit.& lib.7 de matr.diſp.37.n.7.Merolla diſp.cit.cap.3.nu. 40.& alij.*Et ratio eſt in promptu,quia cũ pręſumptio iuris habeatur pro veritate,vſq;dũ per probationes ipſa veritas oſtendatur,debet onus probationis non ſe tenere ex parte illius, pro quo eſt præsũptio,ſed ex parte alterius contrarij,qui petit contra præſumptionem.

Dicendum eſt ſecundò. Quando concurrũt plures pręſumptiones hinc inde pro vtraq;par-
6 te,† tunc eſt iudicandũ in fauorem illius partis;pro qua ſunt efficaciores præsũptiones; nã validior pręſumptio elidit minùs validam,& ſic vehemens vincit grauem; & violenta deſtruit vehementem,vt cõmuniter dicunt Iuriſtę *Menoch.lib.1.præſumpt.quæſt.30.nu.1.* & hoc ex diuerſis Iuribus confirmat: eamdem rationem etiam tradit *Portellius in reſp.caſuum p.1.caſu 17. num. 9.*

7 Dicendum eſt tertiò, ſi pręſumptiones† vtriuſq; partis erunt ita ęquales,vt nequeat formari determinatum iudicium,pro quo ſtet poſſeſſio,tunc cenſendum erit, at ſi nulla extaret pręſumptio,& eſſet purum dubiũ:ita *Caſtropal.to. 1.diſp.3.pun.6.num.2.* nam pro vtraq;parte par eſt cauſſa,vt in æquali dubio de poſſeſsione aſſerit *Salas p.2.tract.8.diſp.vn.ſect.23. nu.233,* & plures apud ipſum. Ex his probata remanet regula,quam tradidimus ad agnoſcendum,pro quo ſtet præſumptio.

8 Sed contra hanc regulam † duo videntur obijci poſſe: vnum adducitur à *Caſtropal.lo.cit.* inquit enim ipſe ſępe videri pręſumptionem Iuris,non ſe tenere ex parte poſſidentis, ſi ius commune poſseſſioni reſiſtit, quod probat ex *cap. Ad decimas* à nobis adducto *cap. præced.* & ex alijs iuribus, in quibus refertur deciſũ fuiſse contra poſſidentem, quia pręſumptio erat pro parte contraria:ergo non eſt ſemper verũ, ex parte illius eſſe poſſeſsionem, ex parte cuius eſt iuris præſumptio,& per conſequens regula à nobis tradita firma non erit.

Secundo obijcitur, quia, vt benè notat *Sanchez in ſum. cap.10.cit.nu.21.* cauſſa interdum eſt adeo diſpar, vt diſparitas euincat iuſtam alterius poſſeſsionem: v.g. ſum certus de mutuo à me contracto, & dubius an ſoluerim: tunc licet ſim in poſſeſſione meæ pecuniæ, præſumptio tamen cum ſit pro mutuo, integram illam teneor ſoluere: Rurſus *n.13.idem Sanchez expreſsè* docet, quod quamuis poſſeſſio ſit tanti momenti,vt ea ſpoliatus, ante omnia ſit reſtituendus; iuris tamen præſumptio tali præponderat poſſeſſioni, quod ipſe Sanchez exemplificat in poſſeſſore nobilitatis, nã tali poſſeſſione ſpoliatus,cogitur in Hiſpanijs ſoluere Regi tributum ignobilium, ſtatim ac mouetur lis circa nobilitatem, vſq; dum eam probetur;& huius rei rationem aſſignat, quia iuris præſumptio,quæ ſtat pro Rege,præponderat illi poſſeſſioni:ergo poſſeſſio, & præſumptio cum nõ ſemper in eodem inueniantur,nequimus inferre ex eo, quod pro aliquo ſtat præsũptio, ſtare etiam pro eodem poſſeſſioné,vel èconuerſo,cũ ſint ſeparabiles, atq;adeo regula data non erit certa.

9 Reſpondeo † nullum ex his facere contra nos,& ad primum dico in ipſamet inſtantia tãgi ſolutionem, cum autem dicimus pro eo ſtare poſſeſſionem, pro quo eſt iuris præſumptio, vtramque in eodem inſeparabiliter vnientes; loquimur in cauſſis dubijs, & de poſſeſſione, cui ius non reſiſtit, quando verò poſſeſſio non eſt talis, ſed illi contradicit ius, tunc non oportet illa duo ſimul in eodem inueniri, poſſunt enim inuicem ſeparari: ita vt poſſeſſio ſit pro vno, & præſumptio pro altero, & tunc ſecundum iuris pręſumptionem eſt iudicandum, vt patet ex *cap. illo Ad decimas*, & ex alijs iuribus, quæ citantur ab ipſo Caſtropal. in caſibus enim ibi enarratis poſſidenti repugnabat Ius.

Ad ſecundum deſumptum ex doctrina Sanchez reſpondeo in cauſsis,quæ ſunt adeo diſpares,vt diſparitas vincat iuſtam alterius poſſeſſionem ob vehementes præſumptiones, quæ

quæ ſe tenent ex parte non poſſidentis, tūc impoſſibile eſt, eſſe cauſsâ dubiā ex parte vtriuſq; quia præsūptiones illæ generant ſaltem opinionem, qua iudicamus eſſe decidēdū in fauorem illius, pro quo ſunt præsūptiones, & ſic non ſumus in caſu; nos enim loquimur in pari cauſſa, in qua regula data eſt firma.

Exempla verò adducta de mutuo, & tributo, quod ſolui debet ab eo, contra quem mota eſt lis de nobilitate, non contradicunt noſtræ doctrinæ; nam falſum eſt, poſſeſſionem in caſu illo mutui ſtare pro mutuatario, ſtat enim pro contractu mutui, ſeu pro obligatione, quæ cum ſit certa, elidi nequit à ſolutione dubia, ac proinde creditor cenſetur remanere in poſſeſſione ſui iuris petendi ſolutionem mutui, & talis poſſeſſio vincit poſſeſſionem illam, quam habet mutuatarius de ſua pecunia, quæ eſt materialis; talis enim poſſeſſio nihil operatur ad eximendum mutuatarium, quia illi contrariatur poſſeſſiò ciuilis, quam habet mutuator vi obligationis, quæ eſt in cōtractu, & ideo etiam ſi mutuatarius eſſet certus non fuiſſe mutuum ſolutū, maneret adhuc in illa ſua materiali poſſeſſione, quæ nihil ipſi ſuffragaretur: poſſeſſio autem pecuniarum, quæ faceret pro ipſo, deberet eſſe adminiculata validis præsūptionibus, non ſolū auferentibus dubium, ſed etiam cauſſantibus moralem certitudinem de ſolutione mutui, & de exemptione ab obligatione reſtituendi; Similis etiam reſponſio eſt danda ad inſtantiam de obligatione ſoluendi tributum; nam poſſeſſio ſtat pro Rege, & non pro illo, qui ratione nobilitatis prætendit eſſe exemptum; ſicut: poſito onere gabellæ, ſi quis vellet exonerari, & exciperet ſe eſſe Clericum, deberet id oſtendere, & dum non oſtendit, præſumptio, & poſſeſſio iuris exigendi gabellam ſtat pro Principe, ſeu pro Republica gabellam imponente, niſi ex parte ſubditi concurrant præsūptiones poſſeſſionem Regis eneruantes, quę deberent eſſe tales, vt ſaltem opinatiuum aſſenſum parerent.

CAPVT VI.

Quæ ſunt facti, ſunt ne præſumenda, an verò probanda?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quid ſit pertinere ad factum.*
2 *Communis Iuriſtarum regula eſt, quæ ſunt facti non eſſe præſumenda.*
3 *Regula prædicta nonnullas admittit limitationes.*
4 *Præſumptiones aliquæ concurrentes, interdum etiam factum principale fuiſſe poſitum, ſuadent.*

1 EA dicuntur pertinere ad factum, † ſeu eſſe quid facti, quæ circa ipſam operationem verſantur, vel circa eius modum, aut conditionem: E.G. ſi dubium ſit, an Titius occiderit Caium, dubium iſtud eſt quæſtio facti, vel dubitetur, an veneno, ſeu gladio illum interfecerit, vel an ſi mādans occidere aliquem, pecuniam dederit mandatario, vel ſimilia, quę circa modum verſantur ſeu ipſius actionis cōditionem: ſimiliter an Petrus compleuerit ætatis ſuæ ſeptennium, an tali vel tali tempore habuerit rationis vſum, an ſe obligauerit; quæ omnia ad factum ſpectant: quærimus igitur, an in dubijs, aliqua, quæ ſunt facti, præſumi debeāt geſta fuiſſe; an vero probanda ab eo, qui affirmat illa.

2 Dico primò, communem eſſe regulam à Iuriſtis receptam, quod factum † non præſumatur, & regula iſta colligi ſolet ex multis iuribus, ſufficit nobis afferre vnum, aut alterum textum in *l. 1. Cod. de probat.* et *L. aſſeueratio Cod. de non numerata pecunia*, vbi ſtatuitur, quod qui factum affirmat, ſubit onus illud probandi, ita *Menoch. libr. 6. præſumpt. 14. initio, Mantica de coniect. lib. 2. tit. 1. n. 4. & tit. 12. num. 22. Maſcardus de probat. tom. 2. concluſ. 731. & alibi. Layman in ſum. libr. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4.* Ratio autem eſt, quia facta cum ſua pte natura ſint incerta, ideo eorum probatio dubia dicitur, atque adeo probanda.

3 Dico ſecundò, concluſiò prædicta † nonnullas admittit limitationes, quæ videri poſſunt apud laudatos Authores, ſcilicet quando factum de iure erat faciendum, præſumitur factum, v.g. ſi conſtet aliquem vouiſſe, & dubium ſit, an fuerit votum emiſſum ex ſufficienti deliberatione; tunc licet deliberatio ſit quid facti, præſumitur tamen interueniſſe, vt infra fuſiùs dicemus; ideoq; qui affirmat oppoſitum, debet illud demonſtrare: Rurſus ea, quæ communiter fieri ſolent, præſumuntur facta, dum non probatur contrarium: ita *Menoch. præſumpt. cit. nu. 16. Mantica nu. 22. cit.* & id probant diuerſis iuribus; attamen quantùm ad hanc limitationem aduertit *Maſcardus concl. 731. nu.* 10. eſſe intelligendam, quando conſtat de facto principali, & dubium eſt de acceſſorio, quod ſolitum eſt fieri: tunc enim factum præſumitur: ſecùs autem eſſet, ſi dubitaretur de facto principali: tunc enim non præſumeretur, etiam ſi conſuetum fuiſſet fieri; V.G. teſtamenta ſolent fieri, ſed non præſumuntur facta, & ideo, qui aſſerit teſtamentum factum fuiſſe, deberet id oſtendere: at ſi conſtet de teſtamento iam facto, & dubitetur, an Notarius fuerit de eo rogatus, cum hoc ſit quid acceſſorium, & conſuetum fieri, præſumitur rogatus.

Demum ſi concurrant cauſſæ præſumendi factum, tunc etiam ipſum factum principale præſumi debet, vt ex nonnullis Sacris Canonibus confirmat *Maſcardus ibi numer. 7.* qui addit nonnullas alias limitationes minoris

P 2 mo-

momenti, apud quem legi poſſunt.

4 † Et hæc dicta ſint circa quædam vniuerſalia principia, quæ ad hanc materiam de conſcientia dubia ſpectant. Cæterum, quia ſiſtendo in communioribus, non ita facilè concluſiones, & caſus particulares ex eiſdem principijs deduci queunt; idcirco pro pleniori huius tractatus intelligentiâ, placet ad particularia deſcendere per diuerſas diſcurrendo materias, circa quas conſcientia dubia verſari poterit.

DISCEPTATIO VI.

De dubia Conſcientia ſigillatim.

ACturi de dubijs in ſpecie principem locum dare æquũ eſt virtuti Religionis, & quia dubia, quæ in tali materia ſæpiùs occurrere ſolent, ſunt circa vota, & iuramenta, ideo de illis ſermonem habebimus.

CAPVT I.

Ambiguæ conſcientiæ difficultates circa Vota, & Iuramenta, enodantur.

PRincipaliores caſus, qui circa ſubiectam materiam contingunt, per diſtinctos paragraphos, & varia quæſita, claritatis gratia, percurremus. Sit igitur

§. I.

Stante dubio de Voti emiſſione, an illud adimplere cogamur?

SVMMARIVM.

1 *Dubitans de Voti emiſſione aſtringitur diligenter veritatem inquirere.*

2 *Si diligentia adhibita adhùc dubitet, autumãt aliqui teneri ad votum.*

3 *Oppoſitum eſt omninò admittendum, & optima ratione probatur.*

4 *Reijcitur diſtinctio, quæ Nicol. Garciæ placuit.*

5 *Obligationem in tali dubio ſeruandi votum probat Vaſquez, paritate dubij emergentis in Coniuge de legitima matrimonij contractione.*

6 *Infringitur paritas à Vaſquez adducta.*

1 IN RE HAC vnum eſt apud omnes certum ſic † dubitantem teneri moralem adhibere diligentiam ad veritatem aſſequendam, quia dum illam non adhibet, voluntariè ſe exponit periculo frangendi votum, proindè non exequendo rem, de qua ambigit, an fuerit promiſſa, peccabit ſiue grauiter, ſiue leuiter iuxta materiæ qualitatem, & hoc, quod dicimus de adhibenda diligentia, ne iterũ eadem repetamus, ſemper ſupponendũ eſt in ſubſequentibus quæſitis, eorumq; reſponſionibus. hoc poſito: ſententia multorum eſt, ſi poſt diligentiam moralem veritas haberi nequeat, † teneri dubitantem ad votum adimplendum: ita *Corduba in ſumm. quæſt. 147. Vaſquez p. 2. diſp. 65. cap. 2. Azor tom. 1. lib. 2. c. 19. quæſt. 10. Sayr. in clau. reg. lib. 1. cap. 12. num. 36. Monteſinus in p. 2. diſp. 39. quæſt. 4. Lorca ibidem diſp. 38. Hurtadus trac. de bon. & mal. act. diſp. 4. diff. 8. Turr. opuſc. 10. de conſc. dub. diſp. 1. & alij,* quos citat *Diana p. 4. mor. reſol. tract. 3. reſol. 10.*

3 Cæterum oppoſitum † amplectendum eſſe cenſeo, quia ſtante dubio, poſſeſſio eſt pro libertate: atque adeo dum non conſtat de contrario, nempè de voto emiſſo, dubium illud eſt practicè deponendum per iudicium moraliter certum, quo formatur conſcientia, videlicet nõ teneri ſic dubitantem illud ſpeculatiuum dubiũ ſequi, quia nulla eſt pro voto poſſeſſio, ſed ſolùm pro libertate, & hanc ſententiam tuentur grauiſſimi Authores. *Sotus lib. 7. de iuſt. quæ. 3. art. 2. docum. 2. Suarez de cenſur. diſp. 40. ſect. 5. num. 15. & tom. 2. de relig. lib. quarto, de voto, cap. 5. num. 7. Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 9. nu. 11. & in decal. libr. 1. dub. 2. cap. 10. nu. 11. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. coroll. 2. num. 80. Fagundez in decal. libr. 2. cap. 10. num. 2. Arriaga in p. 2. diſp. 25. ſec. 2. ſubſect. 1. Ioannes Præpoſitus ibidem quæſt. 19. art. 6. dub. 4. coroll. 3. Franciſcus Delugo par. 1. præuij de cur. cap. 2. quæſt. 22. num. 125.*

4 *& quamplures alij apud ipſos.* † Neq; eſt audiendus *Nicolaus Garcia de benef. p. 7. cap. 7. num. 16.* qui volens vtriq; ſententiæ ex parte adhærere, cenſuit veram eſſe primam opinionem, quando dubium eſt de voto negatiuo; hoc eſt de non facienda aliqua re mala: at admittit hanc ſententiam ſecundam, dum agitur de voto affirmatiuo, nempè de aliqua re facienda, vt v. g. de eroganda eleemoſyna, de Sacro audiendo &c. non eſt inquam Author iſte audiendus; nam ratio poſſeſſionis pro libertate æquè vrget contra vtrumq; votum, ſine vlla prorſus diſparitate.

5 Sed contra hanc ſententiam, † ſic vrget *Vaſquez loc. cit. numero nono in medio.* Si quis poſſet, in dubio de emiſſione voti, illud non ſeruare, poſſet etiam quando dubitat, an legitimè contraxerit matrimonium, petere debitum, quod tamen eſt falſum: eadem enim eſt ratio, & ad hoc argumentum ſoluendum quorumdam affert reſponſionem;

quam

quam poſtea impugnat, probando paritatem inter vtrumque caſum. At ea reſponſione
6 omiſſa, † mihi videtur nulla eſſe paritas, diſcrimen verò in hoc ſitum eſſe, vt in dubio emiſſionis voti, poſſeſſio reperiatur ex parte libertatis ipſius dubitantis, qui non eſt certus de amiſſione illius iuris, quod prius habebat; proinde cum prius poſſederit ſuam libertatem circa ius prædictum, ad tollendum tale ius, requiritur certitudo; quemadmodum ſi quis habeat ius in re aliqua, V. G. in hoc prædio, quod actu poſſidet, non eſt ſatis dubiũ contrarium, niſi certò probetur eſſe alienum; at in caſu illo de matrimonio, de quo dubitatur, an legitimè ſit contractum, ius accedendi ad hanc mulierem, non eſt certum fuiſſe in ipſo dubitante; idcirco onus probandi legitimam contractionem ipſi incumbit, quando matrimonium cum illo dubio fuit contractum; at ſi dubium ſuperuenerit, poſtquam matrimonium bona fide fuit initum; tunc dubitans ſolum tenebitur ad inquirendam veritatem, & ſi eam aſſequi non poterit, licitum ſibi erit petere debitum, & accedere ad mulierem; cum, facta tali diligentia, ſibi faueat poſſeſſio, quæ bona fide inchoata fuit; & ſic patet diſparitas inter vnum, & alium caſum, & idem dico ſi dubium ſit de iuramento.

§. II.

Quid ſi in voti fauorem ſuboriatur ſuſpicio.

SVMMARIVM.

1 *Suſpicans de voti emiſſione eximitur ab obligatione.*
2 *Contrarij nonnulli iſentire videntur*

1 RESPONDEO ſuſpicantem † non teneri ad votum ſeruandũ, & hoc ob eamdem rationem, qua præcedente paragrapho liberauimus dubitantem; nam ſuſpicio, vt ſupra Diſcept. 5. cap. 1. diximus, eſt ſimplex quædam inclinatio intellectus, ſine aſſenſu, & limites dubij non egreditur; proinde nequit merè ſuſpicantem à poſſeſſione ingenitæ libertatis deijcere; idcirco ita ſuſpicans põt conſcientiam deponere ſequens partem ſibi fauorabilem. Cõcluſio defenditur à pluribus quas
2 pro nobis cap. præcedenti laudauimus † Eſt tamen ni fallor contra *Rebellium p. 2. de oblig. iuſt: lib. 1. quæſt. 2. ſect. 2. num.* 10. quatenus vult, quod quando quis dubitat, vt veriſimiliùs ſit, vouiſſe, teneri ad votum, videtur etiã eſſe contra *Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. 4. num.* 165. in quantùm docet probabile eſſe, dubitantem obligari ad votum, & præſertim, quando maior inclinatio eſt pro ipſo voto.

§. III.

An opinio de illius emiſſione, obliget nos ad illud ſeruandum.

SVMMARIVM.

1 *Teneri votum ſeruare putauit Sanchez tract. de matrimonio; oppoſitum tamen docuit in Decalogo.*
2 *Eximi ab obligatione, vt probabilius, admittit Author.*

THOMAS *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. num. 34.* docet opinantem de voti emiſſio-
1 ne † teneri illud adimplere, & ſi determinatio pro voto ſit mediocris, diuidendam eſſe rem promiſſam; attamen *in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 36.* retractans ea, quæ dixerat loco priùs citato docet in tali caſu nullam eſſe obligationem pro voto, neque quoad totum, neque quoad partem: quod intelligendum eſt, ſi pro nõ emiſſione voti ſit ẽt probabilis opinio, imò addit quod etiam ſi quis minùs probabiliter exiſtimet ſe vouiſſe, non teneri ad votum ſer-
2 uandum, † & hæc ſecunda ſententia eſt probabilior. hac de rè videndus eſt *Ioannes Præpoſitus* multa diſſerens *in p. 3, quæſt. 19. art. 6. dub. 4. per totum.*

§. IV.

Si conſtet emiſſio voti, & dubium ſit, an fuerit adimpletum, tenemur ne ad eius obſeruationem.

SVMMARIVM.

1 *Ambigens an voto ſatisfecerit, tenetur illud adimplere.*
2 *Poſſeſſio in tali caſu eſt pro voto.*

PARS affirmatiua eſt commu-
1 nis, † & omnino recipienda, ratio autem põt, quia cum conſtet de voto emiſſo, & non conſtet, an fuerit adimpletum,
2 † poſſeſſio eſt pro voto: Sic *Sanchez in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 36. in fine; & lib. 4. cap. 1. n. 16. Pater Suarez lib. 4. de voto cap. 6. in fine;* & idem aſſerit de iuramento *lib. 2. cap. 33. num. 7. Bartholomæus à Sancto Fauſto in*

ſto in theſaur. lib.1. quæſt.30. Rebci. de iuſtit. p.2.lib.1.quæſt.3.ſect.2. num.13. Nauarrus in cap.ſi quis autem num. 36. de pœniten. diſt.7. ver.17, Medina cap.de orat.quæſt.de horis iterandis, Fagundez. cap. cit. num. 21. & alij communiter.

§. V.

Et quid, ſi dubium verſetur circa defectum voluntatis ſe obligandi?

SVMMARIVM.

1 *Certus de voto emiſſo, & hæſitans an intentionem ſe obligandi habuerit, aſtringitur ad votum adimplendum.*

2 *Contrarium exiſtimat nonnulli.*

3 *Intentio vouendi licet phyſicè dubia, moraliter certa.*

4 *Præſumptio, & poſſeſſio circa votum non extenditur ad reſeruationem annexam.*

5 *Præſumptio ex verbis ad intentionem inferendam fortior eſt ea, quæ factum non præſumit.*

6 *Probandum eſſet vouentem, dum votum emiſit, verbis æquiuocare voluiſſe.*

DICENDVM eſt, ſi quis ſit certus de voti emiſſione, ad illud
1 teneri; † poſſeſſio enim, & præſumptio ſtat pro voto, quia non præſumitur aliud ore dixiſſe, aliud vero in mente habuiſſe; delictum enim non præſumitur, niſi probetur, vt colligitur ex *cap. abſit. 11. quæſt. 3. & L. merito. ff. pro ſocio.* Vide *Menochium conſil. 99.*
2 *nu.12.* † Contrarium vero docet *Alphonſus de Leone tract. de offic. & poteſt. cōfeſſ. recoll. 17. nu.23.* & idem videtur docere *Rebellius. par. 2. de oblig. iuſt. lib. 1. quæſt. 2. ſec. 2. concl. prima*, quamuis à Leone falsò citetur alibi. eamdem opinionem tuetur *Caramuel de conſc. diſt. cōcl. 3. num. 1338.* aſſerens poſſeſſionem ſtare pro voto purè vocali, non tamen pro voto vero obligatorio, quale nō eſt votum vocale ſine intentione; & ſi recurras ad præſumptionem, reſpondet, ſi erit talis, quæ inferat certam intētionem, tunc nō erit dubium, ſed moraliter certū, votum cum intentione fuiſſe emiſſum. † At
3 non rectè, quia licet intentio vouendi phyſicè loquēdo ſit dubia, præſumptiuè tamen erit moraliter certa, & cum dicimus vouētem eſſe dubium, id aſſerimus de ipſa re, ſupra quam cadit præſumptio, non autē de obligatione, quę oritur ex præſumptione: ſicuti quādo dicimus, certum eſt opinionem aliquam eſſe probabilem, certitudo nō cadit ſupra obiectū materialiter, et abſolute ſumptū, ſed ſupra probabilitatē; ſicuti etiā dicimus myſteria fidei eſſe euidēter credibilia, euidentia non cadit ſupra myſteria ipſa, ſed ſupra credibilitatem. Sed quis vlteriùs inquirere poſſet, an præſumptio iſta, quam aſſeruimus ſe tenere ex parte qualitatis eiuſdem voti? V.G. ſi votum, quod præſumitur, emiſſū ſit de caſtitate perpetua, quæ reddit votū reſeruatum, an præſumptio inquā ſter etiam pro reſeruatione ipſa: Videtur affirmatiuè reſpondendum, quia ſi ſemel ponitur poſſeſſio pro voto, & pro tali voto determinato, nempè pro caſtitate perpetua; tunc poſſeſſio, & præſumptio neceſſariò refundi debet in materiam, ſupra quam cadit votum, & ſic ratione materiæ votum erit reſeruatum.

4 At contrarium eſt † dicendum, ſcilicet præſumptionem, & poſſeſſionem non ſe tenere ex parte qualitatis, nimirum reſeruationis; atqueadeo votum illud commutari poſſe ab alijs Prælatis Summo Pontifice inferioribus: ſic docet *Sanchez in decal. libr. 4. cap. 40. nu. 26. & cap. 44. nu. 3.* & idem verbis æquiualentibus docet *Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de Voto, cap. 26. nu. 2. Merolla tom. 1. diſp. moral. diſp. 3. cap. 3. dub. 2. num. 101. & 370. Franciſcus De lugo par. 1. decur. præuy de conſc. quæſt. 23. Diana par. 3. tract. 6. reſol. 50. Cardinalis De lugo de pœnit. diſp. 20. ſect. 2. num. 18. Thom. Delbene in tract. de comit. dub. 4. ſect. 31. ſub coroll. 9. num. 5.* Ratio eſt, quia reſeruatio eſt odioſa, & ideo reſtringenda ad caſus omninò certos, & non præſumptos. Hæc eſt ratio, cui nituntur prædicti Authores, quę tamen calumniam pati poterit, deducendo argumentum à pari, nam obligatio, quę ex voto reſultat eſt etiam odioſa, & per conſequens reſtringenda: quo nō obſtante, dicimus votum in caſu prędicto obligare, & poſſeſſionem, & præſumptionem eſſe pro ipſo: ergo à pari non obſtante, quod reſeruatio ſit odioſa, debemus aſſerere pręſumptionem etiam ſe tenere pro reſeruatione, non enim videtur aſſignari poſſe diſparitatem, cur pręſumptio afficiat ſubſtantiam voti, & nō eius qualitatem, videlicet reſeruationem.

De hac ſanè difficultate Authores, quantùm videre potui, nihil dicunt, ſed rem conſiderando, mihi videtur dari poſſe ſufficientem diſparitatem, quàm agendo de hac eadem re, & ſuſtinendo eamdem opinionem tradidimus *in explic. Bull. Cruc. p. 2. tract. 7. cap. 2. ſec. 5. §. 10.* Aio igitur, quod quamuis tum obligatio voti, tum qualitas prędicta, nempè reſeruatio ſint odioſę, atqueadeo reſtringendę; nihilominus addo per pręſumptionem iſtam (quamuis afficiatur ſubſtantia voti) non poſſe tamen affici qualitatem, quia ſubſtantiam afficiendo nullum ius quæſitum ab alio tollit, neq; tertio pręiudicium affert; ſed ſolùm habet obligare ipsū vouentem, qui cum ſit certus de voto emiſſo, non pręſumitur voluiſſe mentiri, aliud, ſcilicet ore proferre, & aliud in corde habere; vt dicitur *in L. Labeo. §. Nam quorſum ff. de ſuppell. legat.*, idcirco pręſumptio erit pro obligatione voti, at ad pręiudicandum alieno iuri, quod

tertius

tertius poſſidet, non ſufficit præſumptio, ſed, requiritur certitudo: idcirco cùm Prælati Pontifice inferiores facultatem habeant commutādi omnia vota, niſi obſtet reſeruatio, per quam votum ab eorum poteſtate eximitur; ad derogandum autem tali poteſtati certitudo eſt neceſſaria, & non ſufficit ſola præſumptio; nemo enim ſpoliandus eſt ſua poſſeſſione vi ſolius præſumptionis; & hęc eſt ratio, per quam ducor ad ponendam diſparitatem inter votum, & inter reſeruationem.

Dices: ſi præſumptio ad vitandum mendacium valeat in fauorem voti, contra talē præſumptionem alia ſe offert præſumptio, nempè factum non præſumendum, ſed probandum eſſe; intentio autem ſe obligandi eſt quid facti: ergo non præſumenda, niſi probetur.

5 Reſpondeo non haberi † meliorem, & efficaciorem probationem ad inferendam intentionem, niſi proprium ſignum, quod in verbis conſiſtit, *verba enim ſunt earum, quæ sūt in anima paſſionum nota, Ariſtoteles docet primo perih. cap. 1.*

Reſpondeo ſecundò, quando plures concurrunt præſumptiones inuicem contrariæ, ea, quæ eſt efficacior, minùs efficacem elidit, vt ex communi firmat *Menoch. lib. 1. præſumpt. 29. 30.* at præſumptio ſupradicta, quæ ex verbis prolatis habetur, eſt fortiſſima, ideoque euincit debiliorem, qualis eſt ea, quæ in inſtantia proponitur. *vide eumdem Menoch. lib. 3. præſump. 86.* vbi præfert præſumptionem, quæ vitat delictum, ea, quæ factum non ſupponit, niſi probetur.

Sed vrgebis, non eſſe certum, probationem illam oris in vouente fuiſſe mendacium, potuiſſet enim vouens æquiuocare, apponens mentalem reſtrictionem ob rationabilem cauſam, & ob motiuum honeſtum.

6 Reſpondeo, quæ dicuntur eſſent probanda, quo pacto enim conſtat vouentem æquiuocare voluiſſe? hoc enim eſt quid facti, atque adeo probandum.

§. VI.

Dubitans an tempore, quo vouit, habuerit ſufficientem deliberationem, ſit ne obligandus?

SVMMARIVM.

1 *Dubium de ſufficientia deliberationis eximere ab obligatione voti quidam aſſerunt.*

2 *Ambiguitas oriens ex defectu ætatis ante ſeptennium liberat ambigentem ab obligatione voti, ſecùs ſi poſt ſeptennium.*

3 *Dubitans de ſeptennio tenebitur ad votum.*

4 *Quid ſi dubitatio de ſeptennio conſideretur in ordine ad patriam poteſtatem, remittitur inferius tractanda ſolutio.*

5 *Dubium de voto emiſſo in ſomnis, ebrietate furore, &c. aiunt aliqui non obligare vouentem.*

6 *Aliqui verò oppoſitum docent.*

7 *Hæc ſententia recipitur ab Authore.*

1 FVIT quorumdam opinio, qui abſolutè abſque diſtinctione vlla † aiunt: in tali dubio votum non obligare hos laudat *Sanch. lib. 1. de mat. diſp. 9. nu. 12. in 4. arg.* quibus aſſentitur. *Caramuel. de conſc. dictam. lib. 3. cap. 1. diſp. 1. corol. 11.* Sed puto eſſe cum diſtinctione procedendum 2 hoc pacto. † Si dubium de perfecta deliberatione naſcatur ex ætatis defectu, eſt diſtinguēdum; nam ſi ante ſeptemnium votum emiſſum fuerit, & dubitetur, an tunc fuerit ſufficiens rationis vſus, votum non obligabit; niſi conſtet de tali rationis vſu: & ratio eſt, quia ante ſeptemnium Ius præſumit non incœpiſſe vſum rationis. ita ex *L. ſi infanti. C. de iure delib.* & in Iure Canonico idem habetur *capit. Iuuenis de ſponſal. & cap. litteras. cap. Acceſſit de deſponſat. impub.* idemque confirmant ſcribētes in prædicta iura. & *Sanchez lib. 1. de matr. diſp. 16. nu. 14. in ſumm. lib. 4. cap. 1. num. 14.*, *Caſtropal. tom. 1. d. 3. p. 11. num. 2.* Franciſcus *Delugo par. 1. de cur. præuij quæſt. 24. & alij.* Ideoque cum ante hanc ætatem iura non præſumant plenum, & ſufficientem vſum rationis, deſideratur ad hoc, vt quis obligari valeat: Idcirco niſi conſtet, præſumptio, & poſſeſſio ſtat pro libertate. At ſi poſt ſeptemnium fuerit votū emiſſum, poſſeſſio eſt pro voto, quia præſumitur eo tempore adfuiſſe vſum plenum rationis, ſufficientemque ad obligandum, niſi conſtet oppoſitum, proinde dubitans tenebitur ad votum.

Sed quid dicendum, quando eſt dubium, an fuerit emiſſum votum ante, an verò poſt ſeptennium?

3 Reſpondeo † pro voto eſſe decidendum, quia votum eſt certum; exceptio verò in contrarium eſt dubia. ita ex *Sanchez in ſum. loc. cit. Caſtropalaus tom. 1. tract. 1. de conſcientia diſpu. 3. p. 11. num. 4.* eligens hanc opinionem vt probabiliorem, oppoſitum verò tuentur *Vega in ſum. lib. 4. caſ. 313. Merolla tom. 1. diſpu. 3. num. 91.* & probabile hoc etiam putat *Franciſcus Delugo, & Caſtropalaus loc. cit.* dubitantem ſcilicet de vſu rationis, & de ſeptemnio completo, tempore, quo fuit emiſſum ipſum votum, vel iuramentum, non teneri tali vinculo, & in hac ſententia eſt *Malderus 2. 2. tract. 16. cap. 5. dub. 1. Diana p. 3. trac. 6. miſcel. reſol. 50. & alij, apud eumdem Delugo.*

4 Maior autem difficultas † fieri poterit in noſtra ſententia de poteſtate, quam habet Pater in ordine ad irritanda vota filiorum emiſſa ante pubertatem, & dubium ſit, an votum emiſſum fuerit ante, vel poſt pubertatem? Huic difficultati *paragrapho ſeq.* ſatisfaciemus.

Si

Si verò dubium de ſufficientia deliberationis non oritur ex defectu ætatis, ſed ex alijs capitibus, v.g. ex ſomno, ebrietate, furore, & ſimilibus, & dubitetur, an voti emiſſio fuerit facta in ſomno, ebrietate, &c. duæ extant ſententię.

5 Prima † vult votum non valere, ita docet *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 6. n. 9. Caſtrop. diſp. cit. pun. 11. nu. 8. & ſeq.* licet fateantur, concurrere debere efficaces rationes, vt dubium generent in vouente, cum pro contraria parte ſtet præſumptio deſumpta ex communiter accidentibus, quia communiter non ſolent homines emittere vota, iuramenta, &c. tempore ſomni, ebrietatis, &c. At ſi penſatis omnibus verè maneat dubium, non teneri vouentem, quia in tali caſu eſt dubitatio de

6 valore voti † Secunda ſententia oppoſitum docet, ſcilicet in caſu prædicto, hominem obligari, quia poſſeſſio eſt pro voto; nam certum eſt, fuiſſe emiſſum, & excuſatio eſt incerta; & dubium non eſt de ipſo voto, ſed de ſufficiente deliberatione: idcirco practicè nequit ita dubitans conſcientiam prudenter deponere. Hanc opinionem tuetur *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 1. num. 15. Merolla loc. cit. nu. 97. & ſeq.* eamque puto omnino amplectendam eſſe ob rationes, quę pro illa ab eius authoribus adducuntur.

§. VII.

Certus de voto emiſſo in ebrietate, ſeu furore, & ambiguus an plenum habuerit iudicium, voto obligetur, nec ne?

SVMMARIVM.

Haeſitans an votum in furore emiſſum, fuerit, nec ne ex pleno iudicio, num teneatur ad votum?

IN tali caſu præſumptionem eſſe pro libertate, & non pro voto, affirmant *Sanchez, Merolla, Caſtropal. loc. ci.* quia ebrietas, furor, & ſimilia ſolent vſum libertatis auferre, aut ſaltem impedire; proinde præſumptio liber-

3 tati, & non voto fauet. † Et hæc ſententia eſt omninò admittenda, quę, & iuri, & rationi eſt conformior.

§. VIII.

Si dubium ſit de voto ante, vel poſt amentiam emiſſo, an ad illud implendum vouens aſtringatur?

SVMMARIVM.

1 *Pro voti validitate præſumitur, niſi certum ſit, ante voti emiſſionem, vouentem amentia correptum fuiſſe.*

2 *Homines ſanæ mentis natura generat, proinde ſanitas præſumitur.*

3 *Si amentia antecedat, pro libertate vouentis iudicandum.*

4 *Requiritur, vt amentia ſit aliquo modo ſcontinua, vt pro vouente præſumatur.*

5 *Secùs ſi amentia non durauerit.*

6 *Dubio exiſtente, an dilucida interualla fuerint ne tempore voti, in fauorem libertatis decidendum.*

7 *Oppoſitum docet Henriquez*

1 NISI conſtet vouentem ante voti emiſſionem, furore fuiſſe correptum, † non præſumitur in fauorem ipſius, ſed voti, videlicet votum factum fuiſſe tempore ſanæ mentis, probatur, quia qualitas, quæ naturaliter ineſt, ſẽper præſumitur eſſe, niſi cõſtet oppoſitũ, vel ex coniecturis efficaciter colligatur, vt rectè probat *Menoc. de præſump. lib. 1. qu. 13 n. 3.* vniuerſaliter loquens, quando aliquis ſit præſumẽdus furio-

2 ſus, inſanus, &c. † Natura enim homines ſanæ mentis generat, & ideo ſanitas præſumitur: Si autẽ certũ ſit vouentem ante voti emiſſionem amentia affectum fuiſſe, incertũ tamen ſit, an tempore, quo votum factum fuit vouens habuerit nec ne dilucida interualla, præſumptio, &

5 poſſeſſio ſtat pro libertate † ipſius vouentis, ac proinde votum ſeruare minimè tenebitur, & hoc efficaciter comprobari poterit ex doctrina, quam paſſim tradunt Canoniſtæ; requirentes valorem eorum actuum, de quibus emergit dubitatio, num geſti fuerint nec ne tempore furoris, aut amentiæ, *vide Couaruu. decret. p. 2 cap. 2. nu. 6. Menoch. lib. 6. præſump. 45 nu. 59. Maſcard. to. 2. de prob. concl. 825. num. 5. 6. Sanch. lib. 1. de matr. diſp. 8. nu. 17. & Merol. tom. 1. diſp. 4. cap. 3. de conſc. dub. 2. corol. 3 n. 93.* qui loquitur in terminis de voto. Hi autem Authores animaduertunt, ſententiam hanc procedere

4 † cum probatum fuerit, amentiam illam durasſe aliquo tempore continuo, vt anno, vel menſe, & hoc ego intelligo cum hac cõditione, vt voti emiſſio fuerit eo tẽpore, quo durauit amẽtia, & ſolũ dubitetur, an eo tẽpore vouẽs habuerit dilucida interualla; † ſi aũt furor, & demẽtia

non

non durauerit ſed ſolùm fuerit in quibuſdam actionibus, tunc debet probari votum emiſſum fuiſse tempore amentiæ, & niſi probetur, præſumptio erit pro voto: & vouens obligabitur: Si vero conſtet fuiſse lucida interualla, & dubitetur, an extiterint eo momento, quo fuit votum emiſſum, aio præſumi in fauorem libertatis, ſcilicet votum fuiſse factum tempore amẽ-
6 tiæ: ita *Sanchez loc. cit, & alij*, † quamuis *Hẽ-*
7 *riquez lib. 11. de matrim. cap. 4.* † aſſerat in tali caſu præſumi ad fuiſse rationis vſum. At probatur noſtra opinio, quia amentia cum ex ſua natura ſit perpetua, & inſanabilis, aut ſaltem difficillimæ curationis, præſumitur ſemper durare, lucida autem interualla, cum per accidens eueniant, non præſumuntur, niſi probentur: Sic *Menoch. præſumpt. 45. cit. num. 68. Præpoſitus. cap. Dilectus de ſponſal. Molina Theol. to. 1. de iuſt. diſp. 136. & Molina de Primog. lib. 2. cap. 9. num. 30.* Cæterum ſi actus ita ſit geſtus, vt oſtendat non potuiſſe, vt ſic qualificatum, fieri, niſi à perſona ſanæ mentis, tunc præſumptio erit pro ipſo actu, ſeu pro voto.

§. IX.

Certus de ſubſtantia voti, & dubius de eius qualitate, teneatur, ne ad id, quod eſt tutius?

SVMMARIVM.

1 *Exemplum proponitur.*
2 *Verba, ſub quibus votum fuit emiſſum, ſunt ponderanda, & iuxta eorum ſenſum procedendum.*
3 *Vouens immemor verborum liberandus eſt ab obligatione.*
4 *Ex iactis principijs nonnulli deciduntur caſus.*

1 PONAMVS exempla: Si quis ſit certus vouiſſe caſtitatem, & dubitet, an fuerit de caſtitate perpetua, an verò de temporali, ſeu ſolùm coniugali; teneatur ne eligere id, quod eſt tutius, videlicet ſeruare caſtitatẽ perpetuam, & totalẽ.

Reſpondeo in hac re eſſe ponderanda verba, quibus votum emiſſum fuit, & ſecundum
2 illa procedendũ; † ſi vero vouens ſit verborum immemor, tunc cenſeo probabilius, in prædicto
3 euentu † decidendum eſſe in fauorem libertatis: ita *Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 41. num. 33. & Ioan: Sanchez in ſelect. diſp. 43. num. 3. Diana. p. 4. tract. 3. reſol. 10.* & iuxta hanc ſententiam ſufficiet ſeruare caſtitatem coniugalem: ſi autem recordetur verborum, hoc pacto ſcilicet: voueo caſtitatem, tunc votum eſt interpretandum de caſtitate perpetua; quia verba iſta important perpetuitatem, & totalitatem caſtitatis, vt notauit *Sanchez in ſumm. lib. 4. cap. 13. à num. 16.*

4 Ex hac concluſione † quamplures poſſunt caſus colligi, & definiri.

Si quis v. g. vouerit recitare Roſarium B. Virginis, & poſtea dubitet an intellexerit integrum Roſarium, an vero ſolùm tertiam partem, ſatisfacit ſuæ obligationi recitando ſolùm tertiam partem: ita *Suarez lib. 4. de voto cap. 8. num. 5. Sanchez in decal. lib. 4. cap. 13. num. 15. Merolla loc. cit. num. 104. Franciſcus Delugo part. 1. de cur. quæſt. 22. num. 136.*

Præterea ſi quis promiſerit ſub voto in eleemoſynam dare aliquas tritrici menſuras, inter quas ſunt maiores, & minores ſecundũ communem, & volgarẽ vſum, & ambigat an promiſerit maiores, an minores, ſufficit dare minores: ſic *Molina tom. 1. de iuſt. d. 198. ver. vtrum vero: Sanchez cap. cit. num. 8. Rebell. de oblig. iuſtit. par. 1. lib. 2. quæſt. 14. num. 10. Valentia in 2. 2. diſp. 6. quæſt. 6. p. 4. quæſt. 3. ver. primo igitur:* Et probatur, quia, vt dicitur *de reg. iuris in 6. in obſcuris minimum eſt ſequendum.*

Rurſus vouens aliquam recitare orationem ſi dicat ſemel orationem angelicam ſatisfacit, & promittens plura ieiunia, vel pluribus diebus aliquid recitare, ſeu aliquod aliud pium opus facere, promiſſa adimplebit, duobus diebus ieiunando, vel exercendo illa alia opera pia, ſi de illis fuerit votum: Sic *Sanchez num. 15. cit.* & probatur ex *regulis iuris in 6. Regula. pluralis.* vbi deciditur pluralem locutionem binario numero eſſe contentam, & quia in his omnibus minimum ſeruatur, ad quod tantùm tenemur in obſcuris, ſeu incertis.

Cæterum hæc omnia intelligenda ſunt, niſi ex circumſtantijs temporis, loci, aut perſonæ aliud minime colligatur, proinde verba, ſub quibus promiſſio effecta fuit, diligẽter ſunt expendenda, ideoq; ſi contrarium pro dictis regulis deprehendatur, id erit ab ipſo vouente faciendum.

§. X.

Incertitudo de honeſtate materiæ, circa quam fuit votum, an obligationi eiuſdẽ voti obſtet.

SVMMARIVM.

1 *Ante determinationem diligentia eſt adhibẽda, vt veritas deprehendatur.*
2 *Perſeuerante dubio aliqui cenſent, neq; impleri, neq; omitti poſſe votum, ſed petendam eſſe diſpenſationem.*
3 *Alij exiſtimant tale votum non obligare.*
4 *Prior ſententia ab Authore recipitur.*
5 *Si vouens in talibus circumſtantijs reperiatur, vt alterutrum eligere debeat, votum potiùs erit omittendum.*
6 *Dubiũ ſi erit, an materia illa ſit de meliori bono, aut indifferens, votum erit ſeruandum.*

1 CASV prędicto eueniente ✠ debet ambigens vel diligenter expendere rem ipſam, vel peritos conſulere, vt dubietas quantùm fieri poterit excludatur,& deprehēdatur, num materia illa ſit nec ne licita, vel illicita; verum ſi his peractis adhuc perſeueret dubium.

2 Prima ſententia vult vouentem † neq; poſſe procedere ad exequutionem voti, nec ad eiuſdem traſgreſſionem, nam vtroq; modo periculo peccandi ſe exponeret,deberet tamen diſpēſationem talis voti petere vt tutus, omni ex parte, maneat. Sic docet *Suarez tom. 4. de relig. lib. 4. cap. 6. à nu. 12. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. num. 123.* & alij.

Secunda opinio eſt contraria,videlicet vo-
3 uentem in eo dubio † liberum eſſe ab obligatione. ſic *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 6. num. 6. Bonacina de voto diſp. 4. quæſt. 2. p. 4. §. 1. nu. 5.* imò Sanchez ibidem addit quod ſi dubia res nō ſit, ſed hinc inde ſint opiniones circa bonitatem, vel malitiam talis materiæ, licitum erit quamlibet ex illis opinionibus ſequi, etiam minùs probabilem.

4 Dicendum eſt probabiliorem mihi videri † priorem ſententiam, quam ſequutus fuit Suarez. probatur, in caſu dubij nulla eſt poſſeſſio pro libertate, ſed tota eſt pro voto, cum ex vna parte conſtet voti exiſtentia, ex alia vero ſolùm ſit dubitatio, an materia illa ſit nec ne Deo grata, an potiùs nō grata; proinde hoc eſt declarandum ab eo, qui eſt loco Dei nempè à Pōtifice, aut à Prelato, quando vouens nequit vel per ſe ipſum, vel aliorum conſilio certitudinem acquirere.

Sed quid dicendum, ſi vouens in talibus reperiatur circumſtantijs, vt alterutram partem cogatur eligere, nempe aut votum exequi, aut illud omittere, eo tempore, quo vrget, & vouens neq; per ſe ipsū, neq; poſſit rationes pro vtraq; parte expendere, neq; poſſit conſulere peritos.

5 Reſpondeo in tali rerum diſcrimine † votum eſſe omittendum, & deponendam conſcientiam, & hoc ne, qui vouit, exponatur periculo exercendi actum prauum ita *Merolla l. c. n. 125. & Sanchez, vt ſuprà.* Neque dicas non exequendo votum, vouens periculo etiam ſe exponeret tranſgrediendi votum, nam votum in talibus circumſtantijs non videtur obligare, quia materia dubia, quoad honeſtatem, nequit eſse materia voti.

Petes, quid agendum, quando dubium eſt, an materia voti ſit de meliori bono, conſtat tamen eſſe bonam, & quid ſi dubitetur, an ſit indifferens.

6 Reſpondeo vouentem † teneri ad votum, quia nulla eſt pro ipſo vouēte poſſeſſio, & nullum eſt periculum peccandi, ſi votum adimpleatur: ita *Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 41. nu. 35. & plures apud ipſum. Merolla nu. 122.* Et idem eſt aſſerendum ſi dubitatio ſit, an materia illa ſit ne bona, aut indifferens.

§. XI.

Votum ante pubertatem initum, ſi vouens dubitet, an poſt pubertatem illud ratum habuerit, obſtringendus ne ſit?

SVMMARIVM.

1 *In tali hæſitatione non præſumitur confirmatio.*
2 *Ea conſtante, ſi dubitetur fuerit ne votum ante, vel poſt pubertatem, fuiſſe antea præſumitur.*

1 RESPONDEO præſumi ✠ non fuiſſe ratum habitum, & ſi vouens ſciat ratum fuiſſe, & dubitet, an confirmatio fuerit ante, vel poſt pubertatem, † præ-
2 ſumendum eſt antea fuiſſe, quia poſſeſſio eſt pro iure, quod habet Pater irritandi vota filiorum impuberum; proinde cum Pater ſit in poſſeſsione ſui iuris, & confirmatio ſit quid facti, debet probari ad hoc, vt præiudicet Patri, ſiue alteri Superiori poſſidenti prędictum ius. Sic *Franciſcus Suarez lib. 4. de voto. cap. 6. num. 1. Sanchez in ſumm. lib. 4. capit. 32. num. 9. Bonacina in ſecundum decal. præcep. diſp. 4. quæſt. 2. p. 7.*

§. XII.

Si votum ſub pluribus conditionibus promiſſum fuerit, & dubium ſit, an conditiones illæ copulatiuè, an vero diſiunctiuè ſint verificandæ, quid determinandum?

SVMMARIVM.

1 *Exemplo declaratur quæſitum.*
2 *Votum ſub pluribus emiſſum cōditionibus, copulatiuè, & non diſiunctiuè, in dubio eſt interpretandum.*
3 *Contrarium autumant aliqui.*
4 *Congrua ratione probatur concluſio.*

1 SI quis dicat, vt à Deo gratiā obtineat, † Voueo, exempli cauſa, peregrinationē Lauretanam, ſi Pater meus redeat ab vrbe Romana cum ſalute,

ſalute, & pariter talem obtinuerit gratiam, à Pontifice; poſtea vero dubitare incipiat, an habuerit intentionem ſe obſtringendi; qualibet ex his coditionibus purificata; an verò intentio exequendi votum, directa fuerit ad vtramq; gratiam à Deo recipiendam, ſi poſt debitam diligentiam, & examen de propria intentione remaneat dubium, quid ſit à vouente faciendum.

Dico igitur in dubio prædicto præſumẽdum
2 eſſe † votum emiſſum fuiſſe ſub illis conditionibus copulatiuè adimplendis; proinde ſi vna tantùm, & non altera verificabitur, non erit vouens obligandus ad votum adimplendum: ita *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 23. num. 20. Barthol. à S. Fauſto in theſaur. relig. lib. 1. qu. 226. Bonacina in decal. diſp. 4. quæſt. 2. p. 2. num. 4.*
3 *Fagundez in decal. tom. 1. lib. 2. cap. 28. n. 26.* † Eſt contra *Silueſtrum v. votum. 2. quæſt. 2.* qui aſſerit in tali caſu eſſe obligandum vouentem, quod tutius appellat *S. Antoninus. 2. parte. tit. 11. cap. 2. §. 4.* ad finem; & ideo in affirmatiuam inclinare videtur, ſicut etiam *Tabiena v. vo-*
4 *tum, p. in fine.* Sed noſtra ſententia probatur, † nam cum certum ſit votum emiſſum fuiſſe ſub pluribus conditionibus, & veritas propoſitionis copulatiuę dependeat à purificatione omnium conditionum, vt aiunt Logici, inde eſt, vt poſſeſſio in caſu poſito ſtet pro libertate, idcirco vna ex illis conditionibus deficiente, non obligabitur; niſi aliud conſtet de intentione illius, qui votum emiſit, quæ diximus de voto; intelligenda ſunt de iuramento ſub pluribus conditionibus facto.

§. XIII.

Iuramentum de ſeruandis ſtatutis alicuius ciuitatis, vtrum in dubio extendi debeat ad ſtatuta edenda?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio affirmat intelligi de ſtatutis etiã futuris.*
2 *Secunda ſententia diſtinguendo procedit.*
3 *Tertia negat extendi ad futura.*
4 *Vltima ſententia ab Authore recipitur.*
5 *Extendi aſſerendum, ſi ex coniecturis deprehendatur.*
6 *Soluuntur contraria argumenta.*
7 *Ampliatur ad ſtatuta futura, ſi priorum erunt declaratiua.*

1 CIRCA præſens quæſitum tres referri poſſunt ſententiæ. † Prima vult iuramentum illud intelligi etiã de ſtatutis in poſterum edendis: Sic docet *Card. Zabarella in cap. pæn. de iure iur. paulo poſt init. num. Ioan. Andr. ibidem num. 4.*
2 *& quidam alij.* Secunda ſententia † cum diſtinctione procedit, aitq; quod ſi ſtatuta, quæ in poſterũ fiunt redundant in graue pręiudicium ipſiuſmet iurantis, tunc iuramentum non extendi ad illa: Si vero nullum, vel parum afferunt præiudicium, tunc iuramentum illud extenditur ad ſtatuta futura: ita ſentit *Abbas in cap. illo penult. num. 2.* & citat *Bartol.* ſic etiam aſſerit *S. Antoninus 2. p. tit. 10. ca. 6. §. 6. Roſella in ſum. v. Iurare num. 2.* Ratio autem, qua mouentur deſumitur ex *leg. fin. C. Quæ res pign.* vbi ſtatuitur ſub obligatione bonorum, quæ ſimpliciter fit, contineri bona futura, quia talis obligatio modicum affert præiudicium obliganti. Tertia opinio ait iuramentum præ-
3 dictum † non ſe extendere ad ſtatuta in poſterum edenda, ſed tantum eſſe reſtrictum ad edita, ſic edocent plures Canoniſtæ, quos laudat ſequiturq; *Sanchez lib. 3. in decal. cap. 14. num. 1. Silueſt. ver. Iuramentum 4. quæſt. 23. Armilla eodem ver. num. 37. Tabienna v. Iurare quæſt. 38. Petrus de Ledeſm. in ſumm. tom. 2. tract. 11. cap. 5 dub. 2. concl. 2. Fagundez tom. 1. in decal. lib. 2. capit. 23. num. 5. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 8. quæſt. 7. & alij apud ipſos.*

4 Dicendum eſt † cum hac vltima ſententia, quę longè probabilior videtur, & ratio fundamentalis eſt, quia cum iuramentum ſit ſtricti iuris, ſtrictè eſt interpretandum, & in dubio non obligat, proinde in caſu noſtro non eſt extendendum ad ſtatuta in poſterum edenda, quę ſunt valde incerta, & poſſet grauem moleſtiam, & præiudicium afferre; idcirco non eſt præſumendum, iurantis intentionem fuiſſe ſe obligare ad ſtatuta futura. Cum dico non ſe extendi ad futura, quia ſunt incerta, & poſſent præiudicium afferre, &c. non dico hoc, quaſi admittere velim diſtinctionem traditam ab authoribus ſecũdæ ſẽtentię; videlicet non ſe extendi iuramentum, quando ſtatuta, quæ de nouo fiunt, ſunt præiudicalia, &c. extendi vero quando talia non ſunt; nolo aũt hoc dicere, ſed ex eo præcisè, quod in ſtatutis edendis poſſunt eſſe aliqua præiudicialia, &c. idcirco abſque vlla reſtrictione, & diſtinctione abſoluta, intentio iurantis non ſe obligat; niſi ad ſtatuta præſentia; & hoc eſt omnino præſumen-
5 dum, † ſi oppoſitum ex coniecturis efficacibus non colligatur.

Ad fundamentum autem, cui innititur opinio Abbatis ſecundo loco relata deſumptum
6 ex lege illa Codicis. † Reſpondeo negando paritatem; ideo enim ibi ſtatuitur obligationem bonorum ſimpliciter factam ſe extendere ad bona futura, quia talis obligatio nullum affert obliganti præiudicium; vt enim notat

Gloſſa per talem obligationem non plus debet, cum non obligetur, niſi ad ſolum mutuum, non ſic autem eſt donatio, vt *eadem Gloſſa ibidem* aduertit, quia niſi exprimatur bona futura, non intelliguntur comprehenſa ſub donatione bonorum ſimpliciter facta, poſſet enim talis donatio in futurum non modicum
7 damnum, & præiudicium afferre donanti: † limitat autem Sanchez, & rectè noſtram ſententiam, quando nouum ſtatutum fuiſſet tantùm editum ad declarandum vetus, quia tunc non poſſet propriè dici nouum, ſed idem cum antiquo.

§. XIV.

In voto ieiunandi in feria ſexta totius anni, etiam ſi Vigilia Natalis Domini in eamdem diem cadat, vtrū in dubio præſumatur incluſa, an vero excluſa pinguior illa refectiuncula?

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua defenditur à Rodriquez*
2 *Pars affirmatiua eſt probabilior, & recipitur.*
3 *Inſtantia deſumpta ex inſtituto S. Franciſci, diluitur*

SI quis adueniente caſu dubitet, an debeat ſe abſtinere ratione voti ab illa pingui refectiūcula, quæ in vigilia Natiuitatis Dominicæ ex conſuetudine fieri ſolet: tunc iſte talis iuxta senten-
1 tiam, ✠ quam ſuſtinet *Rodriquez in ſumm. tom. 1. part. 1. capit. 23. num. 10.* ſumere non poteſt pinguiorem, & extraordinariam refectiunculam, ſed ordinariam: huius autem rei rationem aſſignat dicens, non poſſe conſuetudinem introduci contra ea, quæ ſunt de iure Diuino, ſed ſolùm contra ea, quæ ſunt de iure humano poſitiuo; obligatio autem ex voto proueniens eſt de iure Diuino, idcirco contra talem obligationem nulla poterit legitima introduci conſuetudo. ex hac doctrina infert idem auctor, Franciſcanos, qui ex voto tenentur ieiunare à feſto omnium Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Domini, non poſſe refectionem veſpertinam pinguem ſumere in vigilia Natiuitatis eiuſdem.

2 Sed probabilius † cenſeo cum alijs, non obſtante voto, niſi oppoſitum in vouendo intentum fuerit, poſſe ſumi ab ipſo vouente pinguem refectiunculam in vigilis Natalis Domini: ſic docet *Sanchez lib. 4. decal. cap. 11. num. 65. Barthol. à S. Fauſto in theſ. relig. lib. 1. quæſt. 157. Paſqualigus in praxi ieiunij. deciſ. 95.* & ratio eſt; quia votum de aliqua materia non obligat, niſi eo modo, quo lex eccleſiaſtica circa eamdem materiam, quæ cum obliget eo die ad ieiunium, permittens veſpertinam refectiunculam pinguiorem, eodē modo obligat votum, dum oppoſitum non conſtat de intentione vouentis. antecedens autem eſt nobis probandum, illud autem tali pacto oſtendo: Votum eſt quædam lex priuata, quam vouens ſibi imponit: ergo in dubio præſumendum eſt, quod lex iſta priuata impoſita fuerit, eo modo, quo lex vniuerſalis Eccleſiaſtica verſās circa eamdem materiam; per illam proinde moderatur.

Ad illud vero, quod de Religioſis Franci-
3 ſcanis adducit Rodriquez † reſpondeo nihil nobis officere, quia ſi ipſi habent conſuetudinem ea die ſumendi paruam refectiunculam, implicitè votum de ieiunando, intelligendum eſt, tali pacto eſſe emiſſum, ſaltem implicitè, ſeu interpretatiuè, & idem dico de alijs religionibus eamdem ſeruantibus abſtinentiam.

§. XV.

Vouens peregrinationem Lauretanam, & intuitu alicuius negotij Lauretum petat, ſacramq; Domum viſitet, vtrum in dubio cenſeatur voto ſatisfeciſſe?

SVMMARIVM.

1 *Nonnulla, vt manifeſta præmittuntur.*
2 *Refertur opinio negans per ſimplicem, & ſolam viſitationem voto ſatisfieri.*
3 *Oppoſitum à Caſtro Palao aſſeri videtur.*
4 *Si motiuum voti fuit viſendi B. V. ad nihil aliud vouens aſtringitur, niſi ad viſitationem.*
5 *Secùs ſi votū ſub nomine peregrinationis fuit expreſſum.*
6 *Si vouens iter faciat ad locum voti ob alios fines, & dirigat iter illud ad votum implendum; ſatisfacit obligationi, ſecus ſi finem voti non intendat.*

1 ANTEQVAM quæſitum decidamus, ✠ præmittenda ſunt, quæ in re hac certa eſſe poſſunt, & quibus dubitatio locum non habet, & primo eſt manifeſtum quod ſi obiectum eiuſmodi voti fuit tantùm viſitatio B. V. præſcindendo à labore itineris; ab expenſis, &c. procul dubio ſatiſ-

ſatisfactum fuiſſe voto, quicumq; fuerit finis Lauretum petendi. ſecundo ſi in obiecto voti incluſus fuit labor ſumendus in itinere, expēſæ, &c. in obſequium Deiparę certum erit per ſolam & ſimplicem viſitationem non eximi vouentem ab obligatione, & de his non procedit quæſitum, cum ſolùm procedit, quando omnibus cōſideratis, dubia manet intentio vouentis, ſcilicet qualis fuerit tēpore voti emiſſi. Fuit ſē-
2 tētia, † quæ nonnullis placuit, aſſerēs per hanc ſimplicem viſitationem, cum animus in dubio perſiſtit, votum non cenſeri adimpletum: *ita Sanchez in decal. lib. 4. cap. 11. num. 68. Bar-*
3 *tholomeus à S. Fauſto in theſ. lib. 1. quæſt. 165.* † oppoſitum tamen videtur docere *Caſtropalaus tom. 3. tract. 15. diſp. p. c. 13. nu. 9. 10.* videlicet hunc ſatisfacere rei promiſſæ inuiſendo B. V. quamuis ſtipendio conductus, vel cauſſa expediendi aliud negotium, aut curioſitatis eò iter faciat.

4 Dicendum eſt primo, † ſi motiuum fuit dumtaxat viſendi B. V. quod ex verbis colligi poterit: cenſeo per ſimplicem, & ſolam viſitationem ſuæ obligationi vouentē ſatisfacere, ratio eſt, quia cum non conſtet in obiecto, tamquam rem promiſſam comprehenſum fuiſſe laborem, difficultatem, expenſas, &c. & materia voti ſit ſtricte interpretanda, proinde aſſerendum erit ſolam viſitationem fuiſſe adæquatum voti obiectū, atq; adeo vouentem ad nihil aliud adſtringēdū fore. ſicuti ſi miraculosè accideret, vt ipſe vouēs ad locū illū in momento ferè temporis abſq; vlla corporis defatigatione ab Angelo adduceretur, ibiq; delatus, templum illud viſitaret, rationabiliter nemo negaret votum non impleri, nullo in talibus circumſtantijs, reſpectu habito ad laborem non ſuſceptum, aut ad expenſas, ita in caſu noſtro, ſi ipſe vouens alio fine locum illum peteret, ſi poſtea viſitaret Virginem, nihil ſupereſſet illi faciēdum pro voto emiſſo.

5 Dicendum eſt ſecundo. † Si obiectum voti non fuit ſub nomine viſitationis; ſed peregrinationis expreſſum, tunc præſumptio eſſet, in obiecto voti incluſum fuiſſe iter, & conſequenter laborem, expenſas, &c. & in hoc conuenio cum *Sanchez, & alijs* idem ſentientibus, probatur, quia peregrinatio in ſuo conceptu nō inuoluit ſolam viſitationem, ſed iter, expenſas, & reliqua, quę in viam, ſe dantibus accidere ſolēt, viſitationem vero vt terminum, ſeu complementum reſpicit. Et confirmatur ex commutatione huius, aut ſimilium votorum, ſi quis enim de tali voto commutationem expoſtularet, prudens confeſſarius omnium prædictorum rationem habebit, & loco rei promiſſę non ſubrogabit aliquod pium opus ſolùm æquiualens puræ viſitationi, ſed labori, expenſis, &c. iuxta qualitatem perſonæ vouentis, & hæc eſſe attendenda docent cōmuniter Authores, quod ſignum eſt in obiecto voti fuiſſe incluſa.

6 Dicendum eſt tertio, † iter faciens Lauretum, ad aliquod expediendum negotium, vel ad animi relaxationē, aut etiā ad curioſitatē, ſi ſimul dirigat intentionē illius itineris ad votum adimplendū, cenſendū eſt ſatisfacere, ſi poſtea viſitet B. V. & hoc eſt quod docet expreſsè Caſtropalaus, neq; Sanchez contradicit, ſi attentè legatur, probatur, quia cum illa voluntate de negotio expediendo &c. ſtat voluntas ſeruandi votum, à qua voluntate peregrinatio illa ſortitur vt ſit religioſa, & pia, quamuis hoc non habeat à voluntate tendente in alium finem prophanum, & indifferentem; at ſi neq; explicitè, neq; implicite, aut virtualiter ſit intentio religioſa, non cenſebitur huic voto ſatiſfieri, ſub quo præſumptiuè ſupponimus volitam fuiſſe, non quamcumq; ſed religioſam, & piam peregrinationem.

§. XVI.

Votum nolendi viuere in ſæculo, ſi de intentione vouentis, non conſtet, ſit ne iudicandum votum Religionis, atq; adeo reſeruatum?

SVMMARIVM.

1 *Non eſſe votum Religionis placuit Bartholomæo à S. Fauſto.*
2 *Eius ratio refellitur.*
3 *Votum nolendi manere in ſæculo non trahit neceſſariò votum ingrediendi Religionem ſpeculatiuè loquendo.*
4 *Practicè oppoſitum decidituṛ.*

PROPONITVR quæſitum hoc à *S. Fauſto in theſ. Relig. qu. 183.*
1 qui cenſet † nō eſſe votum religionis; ſed tantùm votum nō eliciendi hunc actum (volo viuere in ſæculo,) proinde ſi vouēs negatiuè ſe habeat ſatisfacit voto. Sed hæc ſētentia videtur aliquam pati difficultatem, & ratio, qua probatur, non eſt vera: incipiendo
2 autem ab hoc vltimo, † aio obiectum huius voti non eſſe illud aſſignatum, videlicet: non eliciēdi hunc actum. (Volo viuere in ſæculo,) ſed eſſe negationem vitam ducendi in ſæculo; vouens enim non habuit hunc actum (voueo non elicere actum volendi manere in ſæculo;) ſed hunc alium (nolo manere in ſęculo,) proinde negatio permanentiæ in ſæculo fuit per votum volita, quod autem ſententia illa difficultatem habeat, ſuadetur, quia prędicta negatio manendi in ſęculo, quę eſt alicuius voti obiectum, videtur neceſſariò trahere ingreſſum in Religionem; & quamuis poſſet quis dicere inter ingreſſum Religionis, & permanentiam in ſæculo eſſe

ſo eſſe vitam eremiticam, quæ cum ex vna parte importet ſolitudinem ab omni hominũ familiaritate, & ex alia cum non includat tria vota eſſentialia Religionis, videtur ſtat' medi' inter ſæcularẽ, & religioſum, & per conſequens
3 votum de non manendo in ſæculo † non videtur neceſſariò trahere ingreſſum Religionis; cum poſſit ſaluari in ſtatu eremitico, qui eſt veluti medius; quamuis, inquam, aliquis ſpeculatiuè id defendere poſſit, nihilominùs practicè non videtur admittendum, quia præſumptio ex
4 communiter accidentibus eſt contraria, † nã ille loquendi modus iuxta communem vſum ſignificat voluntatem recedendi à ſæculo per ingreſſum in Religionem.

Addo, quod tranſitus immediatus à ſæculo ad ſolitudinẽ, & nõ mediáte ſtatu religioſo habet exitum valdè incertum, & periculoſum, vt aduertunt *Suarez tom. 4. de rel. lib. 1. cap. 2. nu. 16. & Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 16. nu. 9. ver. vltimum eſt.* Proinde non præſumitur in voto illo includi intentionem fugiendi à ſæculo per tranſitum ad vitam eremiticam; immò *idem Sanchez ibidem* dubitat de obligatione huius voti, & pro parte negatiua nonnulla facit argumenta, licet poſtea hoc votum obligare concludat.

§. XVII.

Si quis poſt acceptam voti commutationem in melius, dubitet; num renuntiauerit iuri ſuo, ſcilicet libertati redeundi ad priſtinum votum, an præſumptio ſtet pro ipſo vouente, an pro voto?

SVMMARIVM.

1 *Deciſio remiſſiuè datur.*
2 *Commutationes communiter fieri ſolent in gratiam vouentis.*

IN explicatione Bullæ Cruciatæ p. 2. *tract. 7. cap. 2. ſect. 1. §. 6. nu.* 94. dubium iſtud propoſui, ✠ breuiterque reſpondens, ſtatui
1 præſumptionem hanc ex communiter accidentibus eſſe in fauorem libertatis; & hanc opinionem ſequitur *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 55. num. 27. Ludouic. à Cruce in Bull. d. 1. cap. 6. num. 16.*
2 Ratio autem eſt † quia commutationes ferè ſemper fieri ſolent in gratiam, & vtilitatem ipſius vouentis, atqueadeo non præſumitur in dubio, vouentem voluiſſe per commutationes iſtas renunciare iuri ſuo, vt ſic enim commutatio eſſet onus, & non fauor. Concluſio intelligi debet cum hac reſtrictione, vt commutatio in melius non ſit à vouente acceptata ex motiuo augendi diuinũ cultũ, tunc enim nõ poſſet redire ad prius votum, quod eſt minùs bonum. Reliqua, quę in re hac dici poſſent; vide *in explicatione Bullæ §. illo citato.*

§. XVIII.

An votum pœnale in dubio obliget pro prima vice tranſgreſſionis; an toties quoties.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui volunt pro prima tantùm vice obligare.*
2 *Pro ſingulis vicibus obligare, Alij ſentiunt.*
3 *Diſtinctione vtuntur nonnulli.*
4 *Tertia ſententia placet Authori.*

PROMITTAT quis Deo ſe non luſurum ludo prohibito ſub pœna erogandi in eleemoſynam vnum aureum, ſi poſtea decies ludat, an obligabitur ad erogandos decem aureos pro decem tranſgreſſionibus, an verò vnum dumtaxat pro prima vice, qua vouens tranſgreſſus fuit votum, & in hoc

Tres ſunt ſententiæ: ✠ Prima aſſerit obli-
1 gare pro ſola prima vice; atqueadeo ſtatim, ac quis ludit, teneri ad pœnam, ſi poſtea iterum, atque iterum ludat, non teneri pœnam multiplicare. Hanc opinionem docere videtur *Eman. Sà in aphor. ver. votum: num.* 26. loquens de fractione voti, quoad peccatum; at nullum pro ſe laudat Authorem, neq; aliquam aſſignat rationem. Suaderi tamen poteſt primò, quia pœnæ abſq; euidenti ratione non ſunt multiplicandæ. Secundò, quia in caſu dubio votum eſt ſtrictè interpretandum, ita vt quantum fieri poteſt ad id, quod eſt minùs, obliget. Et confirmatur à pari: ſi enim quis voueat ieiunare in peruigilio alicuius Sancti, in dubio votum iſtud non intelligitur, niſi de prima vice tantùm: ergo idem eſt dicendum de tranſgreſſione voti pœnalis. hoc pacto probari poterit prima iſta opinio.
2 Secunda eſt oppoſita, † quam tuentur *Sãchez in ſum. lib. 4. cap. 22. num. 21. Barthol. à S. Fauſto in theſ. lib. 1. quæſt. 234. Trullench. in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 26. num. 10.* qui aiunt obligationem ad pœnam illam ſoluendam, non ſolùm pro prima vice, ſed etiam pro alijs vicibus eſſe iterandam, & probatur, quia ſicuti abſolu-

ſolutè, & ſimpliciter, v.g. vouens ſe non luſurũ, non obligatur ſola prima vice, ſed ſemper non ludere ludo illo prohibito: ita ſimiliter voués pœnam aliquam, ſi luſerit, ſeu quod idem eſt, ſi voueat non ludere ſub tali determinata pœna quoties luſerit obligabitur ad pœnam ſoluendã. Probatur ſecundò, quia pœna eſt acceſſoria actui ludendi tãquam principali; proinde eius naturã ſequitur, ideo multiplicatis actibus, multiplicari debet pœna. Tertiò, ſuadetur, quia cum emittimus votum non ludendi ſub pœna, &c. vtrumq; votum eſt indeterminatum: igitur aut vtrumq; aut neutrum obligare debet pro ſola prima vice. Limitant autem hi Auctores hanc ſententiam, quando pœna eſt talis vt iterari non ſoleat, ſicuti eſt, v.g. peregrinatio Hieroſolymitana, vel ſimilis: aut ſi eſſet pœna nimis grauis, vt eleemoſynam erogandi in magna quãtitate: at ſi attentè hæc limitatio perpendatur, videbitur non eſſe propriè, & rigoroſè loquendo huius opinionis limitatio, ſed potiùs coniectura, per quam prudenter colligitur, vouentem noluiſſe ſe obligare ad tam grauem pœnam, niſi pro vna vice tantùm.

3 Tertia ſententia † procedit cum diſtinctione, conſiderans duplicem modum, quo prædictum votum emitti poteſt, primò, quando eſt tantùm de pœna ſubeunda in caſu tranſgreſſionis, non autem de non ludendo. Secundò, cum ipſum votum eſt tum de fugiendo ludo, tum etiam de pœna ſoluenda in caſu tranſgreſſionis hoc duplici modo poſito, aſſerit ſententia iſta quod quando votum fit priori modo, tunc pœna erit pro ſola prima vice; quãdo verò fit poſteriori modo; erit obligatio ad ſoluendam, luendamq; pœnam toties, quoties vouens trãſgreditur votum de re ipſa, & hanc opinionem tuetur *Layman lib. 4. tract. 4. cap. 5. in fine Caſtropal. tom. 5. diſp. 1. p. 18. num. 4.* At in ſecũdo modo vouendi approbat limitationem illã, quam appoſuit Sanchez, videlicet de pœna grauiſſima. omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles.

4 Hæc tertia † mihi magis placet, eamq; probant rationes aſſignatæ pro prima, & ſecunda ſententia, nam ſi votum primo modo emittatur videlicet de ſola pœna, tunc in dubio benignior opinio eſt admittenda, quoniam pœnæ, quæ ſunt odioſæ, non debent multiplicari, & pariter votum eſt ſtrictè explicandum; ſi verò poſteriori modo votum emiſſum ſit, tunc militant rationes pro ſecunda opinione, proinde pœna multiplicanda erit, quia eſt acceſſoria ad votum non ludendi, eiuſq; conditionem ſequitur; & ſicuti votum illud non ludendi obligat toties quoties, ſic votum ſoluendi pœnam, quod eſt acceſſorium.

§. XIX.

Dubitans an in voto Religionis, ſolùm ingreſſum promiſerit, an etiam profeſſionem, teneatur ne profiteri?

SVMMARIVM

1 *Partem affirmatiuam docuit Martinus Nauarrus.*
2 *Sed negatiua eſt recipienda.*
3 *Argumentum, quo probatur implicita vouentis intentio ad perſeuerandum, & profitendum proponitur.*
4 *Satisfit argumento.*

1 AFFIRMATIVAM opinionem † docuit *Nauarrus lib. 3. conſi. tit. de voto, in prima editione, cõſil. 18. num. 1. & in 2. edit. conſil. 16. num. 2. Rodriquez in ſumm. tom. 2. cap. 97. num. 6.* Probatur, quia votum de ingreſſu, niſi includat intentionem profitendi, eſt vanum; proinde debet præſumi votum perſeuerandi, & profitendi.

2 At negatiuam † tuetur *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 16. num. 86.* quem ſequitur *Diana p. 4. tract. 3. reſol. 36.* & hæc opinio magis placet, qui cum nulla ſit poſſeſſio pro verbis voti, non obligatur vouens, niſi ad id, quod eſt minus in fauorem libertatis.

3 Dices † votum illud debet explicari iuxta intentionem ipſius vouentis, vt de ſe patet, intentio autem vouentis non eſt diuerſa ab illa, quæ communiter haberi ſolet ab ijs, qui abſq; voto religionem ingredi deliberant: hi verò, ſaltem implicitè, ita ingredi intendunt, vt etiam intendant perſeuerare, & ſuo tempore profiteri, & interrogati ſic reſponderent, quia non cenſentur velle vanum ingreſſum: ergo votũ, quod additur, fertur in talem intentionem, quæ implicitè ſe extendit ad profeſſionem; nam ſi ſolũ ſe extenderet ad ingreſſum eſſet vanum votũ, vt rectè oſtendit Sanchez, & alij *cap. cit. n. 77.*

4 Reſpondeo † concedendo ab ijs, qui religionem ingredi volunt, intendi ſaltem implicitè, perſeuerantiam, & ſuo tempore profeſſionẽ, in hac tamen intentione aio eſſe imbibitam cõditionalem, videlicet ſi in Nouitiatu inſtitutum illud religioſum ſibi conueniat, & poſſit illi ſe accommodare: Cum igitur conditionalis iſta communiter, & per ſe loquendo ſemper habeatur, idcirco in dubio ſemper præſumitur; proinde in caſu noſtro ſi vouens bona fide eſt ingreſſus, poſtea verò expertus fuerit, non poſſe religionis exercitijs ſe accommodare, liber erit à voto, ideoq; egredi poterit.

§. XX.

§. XX.

Emittens votum Caſtitatis, & ſimul religionis, in dubio, an votum caſtitatis cenſeatur elicitum dependenter, nec ne à voto Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Votum Caſtitatis emiſſum independenter à religione, decidit Nauarrus.*
2 *Oppoſitum alij.*
3 *Penſatis omnibus, ſi dubium perſiſtat, pro libertate reſoluendum.*

1 CENSVIT † *Nauarrus libr. 3.*
conſil. de voto in p. edit. conſil.
4. in 2. conſil. 13. præſumptionẽ
ſtare pro voti indepẽdentia, hoc
eſt præſumendum eſſe caſtitatẽ
promiſſam fuiſſe independenter
à religione; atqueadeo vouentem obligari ad il-
2 lam ſeruandam: † at oppoſitum ſuſtinet *San-*
chez lib. 4. summ. cap. 16. num. 114. quem ſe-
quitur *Diana par. 4. tract. 3. reſol.* 42. Dico igi-
tur in hac re, ſi nihil de intentione vouentis cõ
ſtet; attendenda eſſe verba, ſub quibus votum
fuit emiſſum, vt *ibidem* notat *Sanchez*, & ex-
penſis verbis, quæ ſumi debent iuxta communẽ
vſum, ſeu ſenſum, ſub quo communiter vſur-
pari ſolent, dependenter à tali cõmuni verborũ
ſignificatione determinandũ erit, pro quo ſtet
poſſeſſio, & præſumptio: ſi tamen vouens ſit
verborum immemor, vel ſi memor, ex illis tamẽ
nihil pro voto Caſtitatis, aut pro libertate de-
3 prehendi poterit, & res ſit dubia; † exiſtimo
decidendum eſſe, caſtitatem promiſſam fuiſſe
dependenter à Religione, atqueadeo vouentẽ
non teneri in ſęculo ad illam ſeruandam, vt vult
Sanchez. Ad hanc autem ſententiam moueor
ratione illa generali, de ſtricta interpretatione
facienda in voto, & de poſſeſſione propriæ li-
bertatis.

§. XXI.

Si quis ambiget, an votum ingrediendi Religionem, cum animo ſtatim exeũdi, fuerit ne per modum vnius, an per modum plurium, quid reſoluendum?

SVMMARIVM

1 *Votum ingrediendi cum animo illicò egrediendi irritum eſt aliquando.*
2 *Intentio egrediendi ſolùm concomitans non tollit voti valorem.*
3 *In dubio vtramque partem per modum vnius obiecti præſumitur concurriſſe, docet Sanchez.*
4 *Ambiguitate exiſtente, videtur pro voti efficacia, & valore, eſſe iudicandum.*
5 *Perſiſtente hæſitatione, inualidum præſumi debet votum.*
6 *Efficacior eſt præſumptio, ſecundum quam iudicamus, vtramque partem indiuiſibiliter acceptam fuiſſe, quàm præſumptio pro validitate actus.*
7 *In obſcuris pro valere actus eſſe præſumendũ, non ſemper verificatur.*
8 *Caramuelis doctrina refertur, & in aliquo ſenſu accepta, refellitur.*
9 *Obiectio in contrarium.*
10 *Reijcitur.*
11 *Excuſatur Caramuel.*
12 *Partes huius voti, per modum plurium in dubio eſſe capiendas, nonnullis exemplis ſuadetur.*
13 *Non valet paritas ex præiactis exemplis deducta.*
14 *Inſtãtia fit, qua probatur partes diuiſim eſſe ſumendas, vt vitetur delictum vouentis.*
15 *Ex fuga à delicto non rectè infertur, partes diuiſim præſumi acceptas.*
16 *Paritas ex donatione ſub modo turpi reijciẽdo, nil probat.*
17 *Oſtenditur non ita ſe habere partes votorum, quæ in obiectione afferuntur, ſicuti partes voti in caſu noſtro.*

ANTEQVAM ad huius quæſiti
deciſionem veniamus, admoneo
caſum moraliter non videri poſ-
ſibilem, ſed, quia ab Auctori-
bus ponitur, placet illũ exagita-
re. pro eius aũt maiore intelligẽ-
tia duo ſunt præmittenda, & primò ſupponi-
mus votum emiſſum de ingreſſu in religionem
1 cum voluntate expreſſa ſtatim egrediendi, †
eſſe irritum, quia eſt de re inepta, & vana vt
aduertit *Azor tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. c. 23.*
quæſt. 6. Sanchez in decal. lib. 4. c. 16. n. 74. 77.
78. & plures apud ipſum. Si ſub voto tamẽ de
ingreſſu nõ comprehendatur egreſſus, quis ſo-
2 lùm concomitanter ſe habeat, † tunc validum
erit votum, nam eius materia nempè ingreſſus,
erit totalis materia, & honeſta, & illa voluntas
de exitu, cum ſit ſolùm quędam circumſtantia
extrinſeca, & non pars rei promiſſæ, non pote-
rit à re promiſſa bonitatem moralem auferre,
atqueadeo non poterit votum irritum reddere;
& de his ferè nulla eſt controuerſia: quęſitum
autem procedit, quando eſt dubietas, an volun-
tas illa egrediendi ſe habuerit per modum vnius
obiecti, ſeu vnius rei promiſſę in ordine ad vo-
tum, & indiuiſibiliter; an verò diuiſibiliter per
modum plurium, ſeu diſiunctiuè; valde enim
refert punctum hoc declarare, quia ſi primum
dica-

dicatur, votum erit omninò irritum, vt potè de re mala; nam ingreſſus coniunctus cum firmo propoſito de egrediendo eſt moraliter malus; ſi verò ſecundum aſſetatur, tunc haberemus materiam aptam ad votum, videlicet ingreſſum in religiónem, nihil illi officiente voluntate exeundi, cum ſolum comitanter ſe habeat; exiſtente igitur tali dubietate, eſt determinandum quod facere debeat, qui ita vouit.

3 Eſt ſententia, † quam docet *Sanchez capit. cit. num. 77.* videlicet præſumẽdum eſſe per modum vnius vtramque partem promiſſam fuiſſe.

Sed hæc ſententia difficultatem patitur, † quia pro validitate actus datur iuris præſumptio, quæ colligitur ex *l. Quoties 2. ff. de reb. du.* quod etiam confirmat, & multorum Iuriſtarum & Canoniſtarum authoritate *Menochius lib. 6 præſump. 4. à num. 1.* igitur in caſu noſtro cum votum bifariam explicari poſſit, & in vno ſenſu ſit validum, irritum in alio, videtur ſumendum in priori ſenſu, ne dicamus à vouente emiſſum fuiſſe aliquod ineptum, & vanum.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt,
4 † veram eſse ſententiam, quam Pater Sanchez tenetur, probatione tamen indigere, quam ex cõmunibus pricipijs deſumimus; videlicet ex maiori efficacitate præſumptionis; cum enim, vt ſupponimus, veritas conſtare nequeat, cogimur ad præſumptiones recurrere; proinde, quando inter duo oppoſita iudicium ferre debemus, id, quod ex extremis pro ſe fortiorem habet præſumptionem erit eligendum, ſeu præponẽdum:
5 quo poſito concluſionem probamus. † Præſũptio, quę fauet vtriq; parti acceptę per modũ vni' eſt fortior ea, quæ fauet vtriq; parti acceptę p modũ pluriũ: igitur, quando ambigimus, an votum ingrediendi religionem, & animus ſtatim exeundi per modum vnius, aut plurium fuerit volitus, iudicare debemus vtramq; partem per modum vnius, & non plurium intentã fuiſſe, euidens eſt iſta conſequentia, ſi verum detur antecedens, quia in iure habetur vi præſumptionis efficacioris perimi minùs efficacem, vt deducunt ſcribentes ex *l. Diuus ff. de reſtit. in integ.* quos retulit. *Menoch. lib. 1. de præſump. qu.*
6 *30. per totam.* † Antecedens autem, in quo difficultas reſidet, probatur; nam ſi obiectum voti fuit vtraq; pars indiuiſibiliter, & per modum vnius, vouens remanet liber à tali voto; quia, vt diximus, vtraq; pars, vt ſic accepta erit inepta materia voti, atque adeò mala, inconueniens. n. eſt Deo promittere rem vanam, & ineptam, proinde votum erit irritũ: Contra verò, ſi vtraque pars ſumatur diuiſibiliter per modum plurium, votum erit validum, quia eius obiectum erit honeſtum, nempè ingreſsus in religionem; voluntas enim illa egrediendi, cum ſolùm comitanter ſe habeat, nequit diſtruere honeſtatẽ, quę in tali ingreſſu reperitur, & addo voluntatẽ illam egrediendi eſsẽ lethale peccatum, quia eſt contra votum validè initum, peccatum autem non præſumitur, proinde in tali caſu oppoſitum, nempè vtramq; partem per modum vnius fuiſse volitam, vt ſic enim vitatur peccatum lethale, quãuis nõ veniale, inquantũ vouimus rẽ ineptã: igitur præſũptio, quæ fauet vtriq; parti per modũ vnius eſt fortior ea, q̃ fauet vtrique parti per modum plurium, quod erat antecedens à nobis probandum.

Ad difficultatem autem, quæ contra hanc
7 ſententiam propoſita fuit, † reſpondeo, principium illud, nempè in dubijs præſumendum eſſe pro valore actus, non eſſe ab omnibus vniuerſaliter receptum, ſed ſolùm in fauorabilibus non in odioſis, vt quamplures docent, nempe *Alciatus de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 34. in fine. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 12. tit. 19 num. 15. Menoch. lib. 6. præſumpt. 4. nu. 53. Seraph. deciſ. 1426. n. 7. Merolla tom. 1. diſp. 3. ca. 3. dub. 2. corol. 14. num. 178. & alij apud ipſum;* obligatio autem voti eſt odioſa, & ideo in dubijs non pro voti valore, ſed pro libertate volũtatis eſt præſumendum, *vt cap. 1.* huius diſceptationis per varias materias diſcurrendo oſtẽdim', Addo, q̃ quamuis iuxta noſtrã ſententiam præſumptio non eximat vouentem ab omni culpa, nihilominùs liberat illum à culpa mortali, & inſuper aufert ab illo omnem obligationem ſeruandi votum. Hoc autem intelligi debet, niſi tales concurrant circumſtantiæ, vt trahant nos ad iudicandum per modum plurium duo illa obiecta intenta fuiſſe, & tũc obligaretur vouẽs ad religionẽ ingrediendam, aliter eſſet re' voti.

8 Nolo tamen hìc opinionem † Caramuelis præterire, ipſe enim in ſua morali Theologia *lib. 3. de conſcient. dict. capit. 1. diſput. 1. corol. 9.* poſtquam determinauit, eũ, qui ingreſſum in religionẽ vouit, ambigat tamen, an & perſeuerãtiam vouerit, ſatisfacere ingrediendo, remanere tamen non teneri. Poſtquam inquam hoc firmauit, ſequentia habet verba (*Imò ſi rem bene conſideres, nec tenebitur ingredi: nam ſtando communibus hominum moribus; meliùs eſſet non ingredi, quam ingredi cum animo egrediendi*) Hæc Caramuel, cuius verba cum referri valeant ad votum ſub vtroque illo modo emiſſum, idcirco nequeunt abſolutè, neque admitti, neque reijci; ſi enim referantur ad votum ingrediendi, ſolùm comitanter habentem animum deſerendi religionem, continent falſam doctrinam omninò refellendam, quia cum votum ea forma elicitum ſit in omnium ſententia validum, & laudabile, imò, & Summo Pontifici reſeruatum, non rectè diceretur meliùs eſſe non ingredi, perinde enim eſſet, ac dicere meliùs eſſe nõ adimplere votum, quàm illud implere in ijs circumſtantijs, in quibus eius exequutioni nil obſtat; quod nefas eſt aſſerere; & contra communem piorum, & doctorum hominum ſenſum, omnes enim fatentur votum Religionis, etiam præſcindendo ab intentione perſeuerandi, & profitendi eſſe laude dignum.

9 † Et ſi quis vrgeat aliud eſſe præſcindere ab intentione perſeuerandi, aliud verò poſitiuam habere intentionem non perſeuerandi; & ideo in primo caſu, maximè laudabile eſſe huiuſmodi votum, ſecùs in ſecundo.

R Con-

10 Contra eſt, † quia ſi intentio poſitiua non
perſeuerandi, ſed egrediendi ſolum concomi-
tanter ſe habeat, inefficax erit ad honeſtatem
voti de ingrediendo auferendã, vt explicuimus;
proinde votum de ingreſſu illibatum remane-
bit, quoad honeſtatem, & per conſequens, quo-
ad validitatem.

11 Verùmtamen † cenſeo ab Authore pio, &
Religioſo fortitan minimè intellectum fuiſſe
votum in hac acceptione, ſed in alia, nimirum,
quando reſpicit indiuiſibiliter vtramq; partem,
tamquam obiectum, quo pacto, & nos etiam aſ-
ſeruimus votum non teneri; Verba autem hu-
ius Authoris ſuſpicandi occaſionem nobis ex-
hibuerunt, vt poſteriori modo votum acceptum
fuiſſe ab hoc Authore.

Sed contra principalem concluſionem quis
vrgere poſſet, probans, in dubio cũ intellectus,
omnibus perpenſis, in æquilibrio perſiſtit, im-
potens ad iudicandum, an per modũ vnius, aut
potiùs plurium, aliqua ſint per votũ promiſſa,
eſſe præſumendum magis ſecundum, quàm pri-
mum, nempè per modum plurium, & non vnius
12 hoc autem oſtendi poterit, † nonnulla in me-
diũ afferendo exempla, v.g. ſi puer debilis pro-
mittat ieiunium ſingulis diebus vitæ ſuę, aut Ti
tius voueat peregrinationem Compoſtellanam
valde diſtantem, flexis genibus peragendã, par-
tes, quæ in vtroq; voto continentur per modum
plurium promiſſæ cenſentur, vt rectè docet *Sã-
chez lib. 4. in decal. cap. 10. num. 8. &* 12. atque
adeo tenebitur Titius peregrinationem illã cõ-
ficere reiecto modo, quia cum tali modo redde-
retur impoſſibilis, ideoq; in ambiguis præſumi
debet partes diuiſim, & non coniunctim fuiſſe
volitas, vt in vna ſaltem parte votum ſaluetur:
Rurſus perpetuum illud ieiunium eſt moraliter
impoſſibile tali perſonæ, rationiq; minimè cõ-
ſentaneum; proinde cum materia ſit diuidua,
obligandus erit vouẽs ad aliqua dũtaxat ieiunia
prudentis arbitrio, & nõ ad omnia. Igitur eodẽ
modo in caſu noſtro eſt ratiocinandũ; nam in-
greſſus, & egreſſus cum coniunctim, & per mo-
dum vnius reddant materiam voti ineptam, &
inhoneſtã, præſumi debent eſſe voliti per mo-
dum plurium, & diuiſim, paritas vtrobiq; ea-
dem videtur.

13 Reſpondeo negando paritatem; † manife-
ſta enim eſt diuerſitas inter partes votorũ, quæ
ab arguente proponũtur. & partes, quæ afficiũt
obiectum, de quo agimus, nam partes illorũ ob-
iectorum coniunctim, & per modum vnius red-
dunt obiectum impoſſibile, ideoq; non præſu-
mitur aliquod impoſſibile, cognitũ vt tale, fuiſ-
ſe promiſſũ; & ſi minimè cognita fuerit impoſ-
ſibilitas, cum proceſſerit ex errore antecedente,
votum erit nullum, pro vt ſe extendit ad partes
coniunctim: Rurſus reiecto modo, nempè pe-
regrinatione genibus flexis facienda, & perpe-
tuitate in ieiunio, non exigitur à vouente aliq.
difficilius, aut plus eo, quod vouit, imò facilius,
& minus: Sed in caſu noſtro partes, nempè in-
greſſio in religionem, & egreſſio coniunctim,
& per modum vnius non conſtituunt aliquod
impoſſibile, imò ſi diuiſim caperẽtur, redderẽt
longè difficilius obiectum voti, & plus exigere-
tur à vouente, quàm promiſit, nempè ingreſſus
permanens, aut præſcindens ab egreſſu, &
ideo cũ obligatione experiendi religionẽ, quod
eſt difficilius, & non fuit volitum, imò oppoſitũ
expreſsè fuit intentum. Igitur præſumptio eſt,
vt per modum vnius, & non plurium vtramque
partem fuiſſe volitam.

Dices, ſi per modum vnius partes huius voti
ſumantur, licet non conſtituant obiectum im-
poſſibile, reddunt tamen obiectum ineptum
14 & inhoneſtum; † delictum autem non præſu-
mitur; ergo potiùs præſumendum per modũ
plurium vtramq; partem fuiſſe volitam.

Reſpondeo, licet coniunctio iſta reddat ob-
iectum illicitum, atque adeo irritum, nihilomi-
15 nùs ex hoc nil aliud inferri poterit, † niſi quod
Titius eſſet aſtringendus ad præſtandum
id, quod eſt licitũ, & in quo ſaluari poſſit pro-
miſſio, & non ad aliquod plus non promiſſum;
in caſu autem noſtro non habemus niſi tantùm
hæc duo, nempè obiectum illicitum, & obiectũ,
quod non fuit promiſſum, videlicet vel ingreſ-
ſum cum egreſſu, quod coniunctim eſt quid in-
honeſtũ, vel ingreſſum permanentem, aut præ-
ſcindentem ab egreſſu, quod eſt obiectum non
promiſſum, aliud medium nequit haberi,
proinde ad argumentum neganda eſt conſe-
quentia ob manifeſtam diſparitatem.

Dices vlterius, ſi quis donet alteri centum
aureos apponendo turpem modũ, Donatarius
reiecto modo, conſequetur aureos illos, quãuis
vtrumq; coniunctim fuerit à Donante relictũ;
ergo idem in caſu noſtro, reiecta vna parte, nem
pè egreſſione, poterit remanere ingreſſus.

Reſpondeo quicquid ſit de donatione illa,
quia non ſemper reijciendo modum, poteſt ac-
16 quiri res donata, † nego conſequentiam ob ma-
nifeſtam diſparitatem; nam Donatarius in eo
caſu non exigit plus eo, quod fuit donatum, cũ
ſolùm cẽtũ aureos acquirat; in caſu verò noſtro
plus requireretur à vouẽte, nẽpè ingreſſus per-
manẽs, aut præſcindens, & ſic nõ currit paritas.

17 Addo non ita † ſe habere modum illum pe-
regrinandi flexis genibus reſpectu ſubſtantiæ
peregrinationis, & perpetuitatem reſpectu ie-
iunij, ſicuti egreſſio reſpectu ingreſſus; nam mo
dus in eo voto eſt quid acceſſorium, & ſe habet
minùs principaliter; ſubſtantia verò peregrina-
tionis eſt materia principaliter promiſſa, quæ
cũ ſit honeſta, & apta materia voti, nequit im-
pediri, quin terminet votum validum, etiam ſi
pars acceſſoria ſit inepta, proinde non cenſetur
vtramq; per modum vnius terminaſſe votũ, ſed
per modum plurium; vt rectè admonet *Sãchez
cap. cit. num.* 10. ſecùs ſi pars principalis eſſet
inepta, tunc enim, vt idẽ Author aduertit, totũ
votum corrueret; deficiente enim principali de-
ſinit acceſſorium: Perpetuitas autem in ordine
ad ieiunia per totã vitam peragenda, licet inſe-
parabilis ſit ab omnibus, ieiunijs collectiuè ac-
ceptis, ſeparabilis tamen eſt ab omnibus diſtri-
butiuè ſumptis; ideoq; cum eius impoſſibilitas,

atten-

attenta qualitate perſonæ afficiat collectionem & non diſtributionem ieiuniorũ, in dubio præſumitur ieiunia per modũ pluriũ, & non vnius fuiſſe promiſſa, quia hoc ſecundo modo votum eſſet de re impoſſibili, non autem primo modo.

Egreſſio verò neq; eſt pars, neq; modus ingreſſionis, vt de ſe patet, & in voto prædicto, æque primo, vt ſupponitur, & indiuiſibilitee vnicum votum terminarunt: neq; dicas potuiſſe ingreſſum, & egreſſum terminare per modum pluriũ duplex votum, tum quia ineptè quis promitteret Deo ſolùm egreſſum, cum ſit quid illicitum, tum etiam, quia vouens ſua intentione fruſtraretur; nam inualido exiſtente voto de egreſſu, aſtringeretur ad ſeruandum votum de ingreſſu eodem prorſus modo, quo reliqui, qui ſimile habent votum, religionem ingrediuntur videlicet in ea permanentes ad experiendũ eius inſtitutum; & ſine cauſſa nequeunt reſilire; hoc autem eſt contra intentionem Titij modo prædicto vouentis, & ſic obligaretur ad plus eo, quod promiſit, ad quod non tenetur.

§. XXII.

Voto Religionis, & ſimul debitis aſtrictus, dubitans, an breui temporis ſpatio in ſæculo manens, poſſit illis ſatisfacere, teneatur ne ingreſſum differre, an ſtatim illum exequi.

SVMMARIVM.

1 *Quæſitum ſupponit quæſtionem, an ære alieno grauatus, religionem ingredi valeat.*
2 *Refertur opinio Suarez.*
3 *Aliorum placitum cum diſtinctione procedens exponitur.*
4 *Proponuntur difficultates contra hanc ſententiam, & abſolutè non admittitur.*
5 *Exiſtente ſpe dubia, an dilatio ingreſſus ſit profectura, pro tempore proportionato dubietati, tenetur dubitans differre ingreſſum.*
6 *Quantitas temporis ad differendum, menſuratur per acceſſum, & receſſum à ſpe ſatisfaciendi creditoribus, & arbitrio prudentis eſt determinanda.*
7 *Ponuntur animaduerſiones quædam, & limitationes, & deciditur quæſtio.*

1 QVÆSITVM præſens ✠ ſupponit quæſtionem illam apud Doctores exagitatam, nulla facta hypotheſi de voto emiſſo, videlicet, ſi quis diuerſis debitis ſit obſtrictus, quibus ſtatim ſatisfacere nequeat, an licitè valeat, illis nõ ſolutis, religionem ingredi. Cõtrouerſiã hanc inter alios fusè expẽdit *Sanch. lib. 4. in decal. c. 19. n. 9. per totum*, & hinc inde contrarias referens ſententias, quibus appoſitis limitationibus, eas omnes admittit, & docet differendũ eſſe ingreſſum, ſi debitor ipſe probabilem habeat ſpem, vt manẽs in ſæculo, ſua induſtria, aut alio modo futurus ſit potens ad ſoluendũ infra breue tempus, hoc aũt poſito, ipſemet Sanchez reſtringit poſtea difficultatẽ ad pũctũ, de quo agimus, nẽpè quid dicẽdũ, quãdo debitor ipſe anceps manet, an eo tẽpore breui ſit potens ad ſoluendũ; hoc aũt à nobis diſcutiẽdũ ꝓponitur, quatenꝰ directè cõtinetur ſub noſtro inſtituto de cõſciẽtia dubia.

2 Primus modus dicendi † ille eſſe põt, quẽ ponit *Suarez to. 3. de relig. lib. 5. c. 7. n. 12.* cũ enim priùs aſſeruerit, hunc hominẽ debitis aſtrictũ, licet actu non ſit potens, ſi tamen ſit in ſpe, vel potentia proxima, teneri ingreſsũ differre, &c. addit poſtea verba hæc (*hoc aũt ita moderandũ eſt, vt neceſſe ſit ſpem illã ſoluendi debitũ eſſe moraliter certam, nã propter ſpem dubiã, non debet quis obligari cũ tanto onere.*) Hęc Suarez

3 Secundus modus † procedit limitãdo priorẽ, diſtinctionem quamdã adhibendo, & ſic ait, ſi votũ emiſsũ fuit priuſquam debita ab ipſo vouente contracta fuerunt, tunc prævalere vinculum voti, & poſſidere, & ideò vouentẽ teneri, exiſtente ſolùm ſpe dubia, religionẽ ſtatim ingredi: ſi aũt votũ emiſſum fuit, debitis ex iuſtitia priùs contractis, prælationem, & poſſeſſionem eſſe ex parte rerũ debitarum; proinde obſtrictum eſſe debitorem, non obſtante voto, differre ingreſsũ & manere in ſæculo, etiam ſi ſpes ſatisfaciendi dubia ſit, hunc modum dicendi ſub tali diſtinctione ampleċtitur *Sanchez lo. cit. n. 12. Portell. in dub. reg. verb. Nouitius n. 10. Bonacina tra. de reſtit. diſp. 1. quæſt. vlt. pun. 2. §. 1. n. 2. verſ. Si verò habens. Pellizzarius in manu. reg. trac. 2. c. 4. n. 48. Trullench. in decal. l. 2. c. 2. du. 22. n. 7.*

4 Cæterum ſententia iſta † magnas patitur difficultates, & contra il lã ex varijs capitibus vegere poſſumus, & primò, ex maiore iuriũ efficacitate, ius. n. quod habent creditores, eſt fortius & ſtrictius, cũ ſit ex rigoroſa iuſtitia, eo, quod reſultat ex voto obligante ſolũ ex religione, & nõ eum tanto rigore, ideoq; quando in dubijs verſamur, illud prævalere debet, & ſic debitor anceps manens, an eo breui tẽpore ſit ſua induſtria vel aliqua alia via, acquiſiturus tot bona, vt poſſit creditoribus ſatisfacere, eſt obligãdus differre aliquantulum ingreſſum in religionẽ, ad hoc experiendũ, & in huius rei cõnfirmationẽ adducam doctrinam ab ipſomet *Sanchez, & ab alijs* traditam, loquentes .n. de ſpe certa acquirendi bona, ſuſtinent non poſſe debitorẽ religionẽ ingredi; ſiue votũ fuerit antea, ſiue poſt contractionem debitorũ; imò *Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 45.* inquirens, an ille, qui eſt voto religionis, aut caſtitatis aſtrictus, ſi virginẽ defloret, fide pręſtita de futuro matrimonio, teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum n. 3. cõcludit cum ſecunda ſententia; ſcilicet nõ poſſe talẽ hominẽ religionẽ ingredi, non obſtante, quod ius virginis violatæ ſit poſterius iure illo, quod ex voto prouenit, & hoc, quia licet ſuperuene-

R 2 rit,

rit.eſt tamē fortiùs,idem ego dicā,quando ſpes eſt dubia de bonorum acquiſitione,ius creditorum cum ſit fortiùs, ſiue præcedat, ſiue ſubſequatur emiſſionē voti,magis præpondetare debet;nā ita ſe habet dubietas ſpei ad vtrumque ius, ſicuti, & certitudo quo ad prælationem, & non ita facilè diſparitas excogitatur. Secundò, ſi quis vouerit diſtribuere centum aureos in pauperes,& adueniente tempore adimplendi votum, ipſe vouens totidem debeat ex iuſtitia, & vtrumq; ius extinguere non valeat, proculdubio præferendum eſt voto ius creditoris, vt Doctores communiter aſſerunt. Tertiò conueniunt etiam omnes,vt hæres priùs ſoluat debita defuncti, quàm eius vota, ſi hæreditas pro omnibus minimè ſit ſuffectura, & in hoc nullū habentes reſpectum ad anterioritatem inter vota; & debita ex iuſtitia, abſolutè ſtatuunt iſta eſſe præferenda.

Hæc,& ſimilia argumenta reddunt mihi difficilem opinionem Sanchez, & aliorum, proinde non poſſum illam abſolutè,& ſimpliciter abſq; nonnullis limitationibus, mox explicandis, admittere. quapropter iudico media via eſſe incedendum, & quid de re hac ſentiam per ſequentes concluſiones aperiam.

5 Dico igitur primò: † exiſtente ſpe dubia, an dilatio ingreſſus, pro breui tempore proportionato tamen ipſi dubietati,ſit ne profutura ad ſatisfaciendum creditoribus, nequit debitor ſpē illā contemnens religionē ingredi,ſed debet ſuſpendere ingreſſum ad aliquod tempus,licet minus eo, quod requiritur: quando ſpes eſt certa. opinionem hanc inuenio apud *Cardinalem Delugo tom.1.de iuſt.diſp.11.ſect.6.num.72.* quam ipſe defendit. Concluſio duas inuoluit partes ſecundum vtramq; probandas; prima autem,in qua aſſerebamus eſſe differendum ingreſſum, probari poteſt eiſdem argumentis, quæ ſupra attulimus contra ſecundum modum dicendi, quem ſuſtinuit Sanchez. Et confirmatur,quia ſpes, licet dubia,eſt tamen pretio ęſtimabilis,praxis enim edocet nos multa, quæ ſunt ſub ſpe incerta, vendi ſolere, vt ſunt iactus retium,credita incerta, & ſimilia, & expreſsè habetur *in l.ſi iactus ff. de action. empti,& venditi*: proinde ſpes iſta, quamuis dubia, in præiudiciū creditorum non eſt ſpernenda. Secunda pars.in qua dicebamus breuitatem dilationis prædictę in ordine ad ſpem dubiam,eſſe minorem, quàm in ordine ad ſpem certam: probatur ex minori æſtimatione, quę reperitur iuxta cōmunē hominum cōceptum inter vtrāq;ſpē,ſicuti inter creditū dubiū,& certū,

6 Dico ſecundò † quantitas temporis ad differendum ingreſſum,quando eſt dubia ſpes,nequit habere fixam, & determinatam regulam, poteſt enim augeri, & diminui,ſecundum maiorem, aut minorem dubitationem, menſura autem huius dubitationis deſumenda erit per receſſum,& acceſſum ad extrema contraria, quæ ſunt ſpes,& negatio ſpei, & ideo quò magis homo dubitans accedit ad ſpem ſatisfaciendi creditoribus, eò magis,dubietate attenuata, ſpes æſtimabilior euadit: contra verò quò magis homo ille recedit à ſpe, & ad eius accedit negationem minùs erit ſpei æſtimabilitas, ſed vt aliquid determinatum dicatur, ponamus tēpus breue requiſitum ad differendum ingreſſū, quando certa eſt ſpes,eſſe quadriennium, tunc ſic,quando ſpes eſt dubia. ſi arbitrio prudentū videatur æqualiter diſtare ab extremis, nempè in ea diſtantia recedere à negatione ſpei,in qua accedit ad certitudinem eiuſdem ſpei, plus minùſve,tunc tempus proportionatum huius ſpei dubię erit biennium, & ſi longè plùs accedat ad certitudinem,erit biennium cum dimidio, vel triennium. è contra autem ſi longè minùs recedat à negatione ſpei, tempus dilationis poterit eſſe annus cum dimidio, vel ſolùm vnus annus, plùs,minùſve; quæ omnia non ſunt mathematicè ſpectanda,ſed moraliter arbitrio boni viri, ſpectatis omnibus,nempè rebus,ſeu bonis,quæ ſperantur,induſtria,& qualitate perſonę &c.

Dico tertiò. Sententia,quam tuemur circa obligationem ingrediendi religionem, aut differendi ingreſſum,ne præiudicium creditoribus
7 afferatur, † aliquas poſtulat animaduerſiones, quas notat *Cardinalis Delugo ſect.citata num. 67.68.* primò ſi debitor, quando contraxit explicitè ſe obligauit religionem non ingredi,ſed permanere in ſęculo vſq; dum debitum ſoluerit tunc non poterit ad religionem conuolare, ſic *Delugo*. Huic autem doctrinæ placet limitationem ponere,videlicet,caſu quo penſatis omnibus debitor ſit ita impotens, vt nulla ſit ſpes ſatisfaciendi,etiam ſi in ſęculo permaneat,tunc non obſtante obligatione,poſſet religioſus fieri, quia commoratio in ſæculo inutilis foret ipſis creditoribus, requiritur tamen ad hoc certitudo ſaltem moralis. Secundò,ſi votum fuerit de ingreſſu in religionem laxam, & minimè ſui inſtituti obſeruantem. Tertiò,ſi finis ingreſſus fuerit temporalis,& prophanus, vt ad promotiones dignitatum in religione ipſa, ad commodè viuendum, vel quid ſimile, vt ſic enim ceſſaret detrimentum ſpirituale, quod debitor paſſurus fuiſſet commorando in ſęculo, quod eſſet motiuum, ratione cuius non teneretur debitor longo tempore permanere in ſęculo, vt vult *Delugo num. 61.* licèt ab alijs aliud aſſignetur motiuum, ſed quicquid ſit de hoc, noſtrum non eſt in præſentia examinare, quale ne ſit motiuum, ſed poſita ea ſententia communiter recepta circa ingreſſum, aut dilationem, ad nos ſolùm pertinet expendere quæſtionem, quando eſt ſpes dubia, proinde aio in prædictis caſibus ceſſante fine ſpirituali, quem homo ſibi præfigere debet in ingrediendo, magis vrgebit ius creditorum, etiam ſi debitor diuturno tempore neceſsè fuerit permanere in ſæculo.

Deniq; aduerto, quod in eo caſu, quo debitor ingredi poterit, aut debet, non obſtante iure creditorum, oporteret ad ſcandalum remouendum,certiores facere creditores ipſos de impotentia ipſius debitoris,ob quam mouetur ad ſęculum relinquendum.

§.XXIII.

§. XXIII.

In dubio reuocans, an metus, quo quis religioſam emiſit profeſſionem, fuerit ne grauis, aut leuis, quid terminare debeat?

SVMMARIVM

1 *Pro quæſiti deciſione nonnulla de metu, & de profeſſione vi illius emiſſa, ſupponuntur.*
2 *Probatur talis profeſſionis inualiditas.*
3 *Determinatur tamen eius valor.*
4 *Diluitur probatio in contrarium.*
5 *Idem concluditur, dubio emergente, de animo ſe obligandi.*

1 PLVRA ſupponit † præſens quęſitum, & primò. Metum diuidi in grauem, ſeu cadentem in virũ conſtantem, & in leuem, qui nõ terret conſtantem. Secundò, etiam diuidi in iuſtum, & iniuſtum. Tertiò denique in eum, qui ad extorquendum conſenſum incutitur, & eum, qui in talem finem nõ exercetur, quę omnia, vt à Doctoribus in tractatu de volũtario, & inuolũtario diſcuſſa, à nobis præſupponuntur. Quartò, Profeſſionem metu graui emiſſam, ipſo facto irritam eſſe, vt communiter docent *Canoniſtæ in cap. 1. de ijs, quæ vi, & metu, & in cap. dilectus: eod. tit.* & præterea *Suarez tom. 4. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 9. & Sanchez in decal. lib. 4. cap. 3. num. 11. alijq;* ſiue inualiditas iure naturali, ſiue eccleſiaſtico firmetur, noſtrum non eſt in præſentia terminare. Contra verò Profeſſio metu leui emiſſa valorem habet, vt probat *Suarez cap. cit. nu. 12. & Sanchez numero 24.*

His omnibus præiactis, ſi contingat Titium, v. g. in aliquo ordine profeſſum fuiſſe vi alicuius metus, & poſtea omnibus perpenſis, ambigat, an metus ille fuerit grauis nec ne, aut leuis, quærimus quid ſtatuendum ſit, ex huius enim puncti deciſione, immediatè, & directè pendet alia deciſio, videlicet num profeſſio illa Titij valorem nec ne habuerit; nam ſi decidatur metũ grauem fuiſſe, irrita, ſi verò leuem, valida extiterit.

2 Pro nullitate autem profeſſionis eiuſmodi, † non contemnenda ſe offert ratio, nempè conditio innatæ libertatis, quam Titius poſſidet, & pro qua ſtare videtur iuris præſumptio.

3 Verum hoc non obſtante † cenſeo pro voti valore eſſe terminandum, atque adeo metum leuem, profeſſionemq; firmitatem habuiſſe, & in ea perſiſtere, ſic rectè docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 40. dub. 7. num. 66. Sanchez cap. cit. num. 27. Diana par. 4. tract. 3. reſol. 55. & alij apud ipſum.* Concluſio autem vnica, & efficaci ſuadetur ratione, tali pacto. Conſtat de voto emiſſo, quo mediante Titius religioni ſe mãcipauit, & conſequenter de iure, quod ipſa Religio eiuſq; Prælati in perſonam Titij acquiſiere, & non conſtat de cauſa irritante huiuſmodi contractum: igitur præſumptio iuris erit pro valore profeſſionis, & pro religione, uſq; dum oppoſitum perſpicuum fiat.

4 Ex his patet ſolutio † ad argumentum cõtrarium, falſum enim ſupponitur poſſeſſionem ex parte libertatis Titij ſe tenere, nam dubietate urgente, poſſeſſio, quę ante talem hęſitationẽ extiterat, nempè ex parte uoti, & Religionis permanet, ut prius.

5 Idem † erit aſſerendum, ſi ambiguitas ſit de animo, quem Titius habuit ad ſe obligandum, nam etiam ſi metus ille præceſſerit, intentio ſe aſtringendi, ut ibidem notat Sanchez, erit omninò pręſumenda.

§. XXIV.

Profeſſionem religioſam cum dubio de ſufficiẽtia ætatis emittens, ſi poſtea comperiat, tempore legitimo eam peregiſſe, an validè profeſſus fuerit?

SVMMARIVM.

1 *Circa quæſtionem hanc, rationibus dubitandi expoſitis, nihil Caramuel determinat.*
2 *Proponitur ſtatus controuerſiæ.*
3 *Aperitur dubitandi ratio.*
4 *Eccleſiam nihil de eiuſmodi caſu dubio expoſuiſſe, notat Caramuel.*
5 *Validitas huius profeſſionis firmatur, quamuis eam emittens grauiter deliquerit.*
6 *Aliud eſt velle rem aliquam, quam uoluiſſe, ſi circumſtantiam talem ſciuiſſem, & aliud velle illam ſub conditione carentiæ illius circumſtantiæ; primum non reddit voluntatem conditionatam, ſecùs ſecundum.*
7 *Affertur diſparitas inter collationem Sacramenti, & ſuffragij, ſed impugnatur.*
8 *Reſpondetur ad argumentum Caramuelis.*
9 *Oſtenditur, cur ab Eccleſia nihil de hoc caſu fuerit diſpoſitum.*

1 QVÆSTIONEM hanc proponit *Caramuel de conſc. dictam. libr. 3. cap. 1. diſp. 1. corol. 23.* & rationes ambigendi aperiens, noluit tamen aliquid determinatè concludere, ſed controuerſiam indeterminatam reliquit.

2 Vt

Vt autem ſtatus quæſtionis,& dubitandi ra-
2 tio meliùs percipiatur, † ſupponimus Paulum
cum vero dubio profeſſionem emiſiſſe,ambigē-
do tamen,an decimum ſextum compleuerit an-
num, iuxta Tridentini præſcriptum, & ſup-
ponimus iterum re vera annum illum egiſſe,
at ratione dubiæ conſcientiæ grauiter peccaſſe.
Rurſus ſupponimus ex parte admittentis ad
profeſſionem bonam fidem interueniſſe, vide-
licet Paulum tempore legitimo profiteri. quæ-
3 ritur nunc,an valida ſit profeſſio: † Difficultas
vero pro inualiditate oritur ex eo quod, ad-
mittēs, ſiue fuerit ſolus Prælatus,ſiue Capitulū,
deceptus fuit; ſi enim ſciuiſſet dubitationem,
qua Paulus laborabat, ſuffragium affirmatiuum
ad profeſſionem emittendam nequaquam de-
diſſet,ideoq;inuoluntarium tale ſuffragium cē-
ſeri debet,non quoad ſolum modum, quia vt
ſic validus eſſet contractus, ſed quoad ſubſtan-
tiam; quis enim Nouitium cum tali dubio vota
emittentem à peccato mortali abſolueret? &
quis crederet tam ſtupidam dari cōmunitatem,
quæ vellet admittere, quem mortaliter pecca-
turum deprehenderet. Hæc,paucis comprehen-
4 ſa, affirmat Caramuel, † & quia Eccleſia, vt
ipſe inquit,declarans profeſſionem ante ſexde-
cim annos emiſſam, irritam eſse, nihil expreſ-
ſit,quid de dubio ſentiret;idcirco non auſus eſt,
vt ipſemet ait in re tanti momenti præcipitare
iudicium; proinde ſic concludit: *Profeſſio-
nis valorem non video,nullitatem non adſtruo,
quæſtionem Doctoribus reſoluendam relin-
quo.*

Verumtamen fateor inſufficientiam meam;
non enim video rem adeo implicatam,ac recon-
ditam, vt obſcuritate ſua, intellectum ſatis
perſpicacem viri docti obtenebrare potuerit,
& à ſolutione omnino arcere, quid igitur
ſit reſoluendum, pro modulo meo breuiter
5 aperiam.

Dico igitur † validam eſſe profeſſionem il-
lam à Paulo emiſſam, quamuis cōſcientia anci-
piti refragante, grauiter deliquerit, & de hoc
vltimo nequit eſſe quæſtio. primum autē pro-
bo, quia ſuffragiū admittentis ad profeſſionem
proceſſit à volūtate non conditionata, ſed om-
nino abſoluta: ergo validum fuit; antecedens
oſtenditur, quia Prælatus, aut Capitulum ad-
mittens,non tulit ſuffragium ſub hac cōditione
videlicet(*Do ſuffragium affirmatiuum, ſi Pau-
lus certus ſit de ſufficienia ætatis,*) immò neq;
implicitè potuit eſſe conditionalis iſta,& ſi ali-
quam cōditionem ſuffragium implicitè inclu-
ſiſset, potiùs eſſet hæc alia, ſcilicet (*ſi Paulum
legitimam habet ætatem ad profitendum,*) &
cum in re ita fuerit, ſequitur validum fuiſse
ſuffragiū,etiam ratione implicitę conditionis.

Confirmatur totum hoc, quia iſta duo ſunt
6 valde diuerſa, nempe, † aliquid à Sotte velle,
qui ſi ſciret circumſtantiā aliquam in obiecto
volito,illud nequaquam vellet: aliud vero eſt,
velle obiectum illud ſub hac conditione,vt non
ſit tali circumſtantia affectum; primum non
cauſsat inuoluntarium, aliter nihil firmum in
humanis commercijs reperiretur, quia plures
fiunt contractus,& concluduntur negotia,quo-
rū multæ ignorantur circumſtantiæ, quæ ſi in-
notuiſsēt,cōtractus,& negotia aliqua non fuiſ-
ſent firmata. Secundum autem eſt diuerſum, &
cauſſat actū cōditionatū,ita vt, ſi conditio non
habetur,nihil efficiatur:& tunc hoc pacto eſſet
conditionaliè procedendū, (*ſi in obiecto, quod
amplectendum proponitur, non inuenitur talis
circumſtātia,aut deeſt iſta alia. Ego nolo illud*)
& tunc niſi ita ſit in re, actus erit inualidus. ſic
in caſu noſtro, admittentes Paulum ad profeſ-
ſionem nō ferunt ſuffragium ſub hac conditio-
ne,ſcilicet: (*Do ſuffragium, ſi Paulus non du-
bitet de legitima ætate ad profitendū,*) ſed ab-
ſolutè dāt ſuffragium, iudicando Paulum ido-
neū eſſe ad profeſſionē, vt patet in multis alijs
ſimilibus. V.G. dum Epiſcopus ordines cōfert,
ſi noſceret aliquem ex ordinandis excommuni-
cationis cenſura innodatū, abſq; dubio eū non
promoueret,hoc tamen non obſtāte,valida erit
promotio;neq; cēſetur Epiſcopus habere intē-
7 tionem cōditionatam. † Et ſi dicas diſparē eſſe
rationem,quia collatio ordinis eſt Sacramentū,
quod poſita formę, & materiæ debita applica-
tione,nō dependet eius valor à voluntate admi-
niſtrātis:at ferre ſuffragiū totaliter dependet
à voluntate cōferentis,& non eſt Sacramentū.
Sed diuerſitas iſta nō infringit paritatē, quam
dedimus,quia Sacramentorū validitas,quamuis
nō reſpiciat voluntatem cōferentis,tāquam cō-
partem,reſpicit illam,vt principiū effectiuū,ſeu
applicatiuum;& ſicut ſuffragiū dependet à vo-
lūtate hominis illud cōferentis: ita cōfectio Sa-
cramēti depēdet etiam ab intētione libera Mi-
niſtri,licet poſita efficaci volūtate, & applicatis
partibus, valor nō depēdeat à voluntate ipſius
Miniſtri. Rurſus eſt alia paritas de eo, qui elee-
moſyná erogat pauperi, quē ſi agnoſceret ſuum
inimicū,ſanè nō fuiſſet eam erogaturus, & hoc
nō obſtante,valida erit donatio, vt rectè notat
Sāchez lib.4.in decal. c.2. n.8. expendens hanc
difficultatem circa vota, *à num.6. vſque ad nu.
11.* et ſic in multis alijs, de quibus poſſit ea-
dem proponi dubitatio,quæ omnia ab auctori-
bus cōmuniter hoc pacto diluūtur. quapropter
miror potuiſſe Caramuelem in re hac ita hæ-
rere, vt non potuerit facili negotio eam
diſſoluere.

8 † Ad fundamentū deniq;cui ipſe Caramuel in-
hęret,nō erit difficile reſpōdere,negando hic,&
nunc tale ſuffragiū fuiſſe inuoluntariū; nam li-
cet Pręlatus,aut Capitulū ſi ſciuiſſent dubitatio
nē illam Pauli,ſuſpendiſſent actum, vſq; dum ſe
certos reddidiſſent de legitima ętate profiten-
tis; non tulerunt tamen ſuffragium ſub condi-
tione, ſed abſolutè, vt oſtendimus, proinde ad-
miſsio ad profeſſionem valida fuit. Neq; obſtat
in contrarium à nemine Paulum eſſe à peccato
mortali excuſandum, neq; tam ſtupidam inue-
niri Congregationem, quæ illum tali laboran-
tem dubio reciperet; quia hæc omnia non tol-
lunt valorem ipſius profeſsionis, & legitimæ
receptionis.

Ab

9 Ab Eccleſia autem de dubio iſto † nihil diſpoſitum fuit, quia per ſe, & directè non pertinet ad validitatem huius Sacramenti, ſed ſolùm ad licitè, & abſq; peccato, illud recipiendum, quod eſt quid commune omnibus Sacramentis, & de eo fusè Doctores agunt in ipſo Sacramentorum tractatu.

§. XXV.

Sit ne valida prçſumenda religioſa profeſſio, ſi dubium emergat, an vouens ligitimam nec ne attigiſſet ætatem.

SVMMARIVM.

1 *In praxi non eſt operoſum veritatem de ætate baptizati habere.*
2 *Vt dubitatio locum habeat, formatur caſus.*
3 *Præſumptio videtur eſſe pro libertate.*
4 *Præſumitur tamen pro valore profeſſionis.*
5 *Reſpondetur ad ratione͂ dubitandi in oppoſitu͂.*
6 *Proponitur argumentum contrarium.*
7 *Soluitur.*

1 OPEROSVM in praxi nequaquã erit, ambiguitatem omnem de ætate ad valorem profeſsionis præſcriptam expellere, ſi modum cõſuetum ſpectemus; nam in more poſitum eſt, vt antequam Superior, ſeu Conuentus Nouitium ad profeſsionem admittat, eiuſdem ætatem exploratam habeat, per authenticum inſtrumentum ex libris apud Parochos extantibus decerptum, in quo & Baptiſmus eiuſdem Nouitij, & tempus inſcribitur; ideoq; paruo negotio ætas legitima
2 profite͂di innoteſcit. † Vt aũt dubitatio de ætate locum habeat, formandus eſt caſus tali pacto. ponamus E. C. aliquo infortunio, per combuſtione͂, aut alluuionem libros prędictos deperdi, & poſtea ex circumſtantijs dubium inſurgere, an Nouitius ille, tempore quo profeſsionem emiſit, ſextum ſupra decimum annũ ætatis ſuæ exegiſſet; caſu iſto eueniente, veritas dilucidari nequit inſpiciendo libros, in quibus Baptiſmus, & tempus ſignari ſolet, quia ex ſuppoſitione iam ſunt conſũpti; Quid igitur in hoc ſingulari euentu præſumendum ſit de valore profeſsionis?

Videtur enim præſumptio, & poſſeſſio ſtare
3 pro libertate ipſius profeſſi, quia cũ vota religioſa ante decimum ſextum annum perfectè completũ, iuxta diſpoſitionem Sacræ Tridentinæ Synodus nullam vim habeant obligandi, niſi conſtet de profeſſione emiſſa tali determinato tempore, ſeu non ante tale tempus, religio non videtur fundare ſuam intentionem, atq; adeò profeſſus ille declarandus erit liber, à tali vinculo.

Sed omninò dicendum profeſſionem prædictam, dubio illo minimè officiente, firmam, &
4 validam eſſe † præſumendam; Sic communiter Doctores, inquirentes, vtrũ quando in dubium reuocatur religioſę profeſſionis valor, & hoc ob varias cauſas ab eiſde͂ authoribus poſitas, cēſeri debeat cõſtãs profeſsio ipſa, & partem affirmãtem amplectuntur; *ita colligitur ex cap. Cum virum de Regul. Nauar. conſil. 13. de regul. num. 10. Gratianus in diſcept. for. cap. 413. nu. 17. tom. 3. Sanchez lib. 7. de matr. diſp. 37. n. 12. & in decal. lib. 4. cap. 3. nu. 27. Aſcanius Tamb. de iure Abb. tom. 3. diſp 6 quæſt. 16. num. 16. Pellizzar. in manual. reg. tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 75. Peyr. de Præl. relig. quæſt. 3. cap. 1. nu. 140. Barthol. à S. Fauſto in Theſ. Relig. lib. 5. quæſt. 251. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. nu. 282. Santarel. var. reſol. quæſt. 48. num. 49. Diana part. 4. tract. 3. reſol. 49. Nouiſſimè Bordonus in conſil. reg. reſol. 57. num. 69. 131. Petrus Bellaſius in prompt. regul. verb. Profeſſio n. 27.* Probatur autem concluſio, quia in dubio præſumitur pro valore actus, & præſertim quando oppoſitum non eſſet abſq; peccato, vt accideret ſi quis profiteretur ante ætatem legitimam, tũc enim & ipſe, & Superior, qui eum admittit, grauiter peccaret contra diſpoſitionem Concilij Tridentini, igitur in dubio præſumendum eſt, omnia rectè peracta fuiſſe, nempè profeſsionem emiſſam tempore habili; nam vt notat *Menochius ex L. Quæro §. (inter locatorem). ff. locati,* actus prçſumitur factus iuxta iuris communis diſpoſitionem, vt etiam communiter docent alij: proinde in caſu noſtro præſumptio eſt pro religione, conſtat enim de traditione ipſius Nouitij, de eiuſque receptione medijs votis, & non conſtat de impedimento ipſam irritante, ideoq; poſſeſſio eſt pro religione.

5 Ad rationem dubitandi in oppoſitum † reſpondeo quod quamuis vota Religioſum cõſtituentia vim non habeant ante decimũ ſextum annum, nihilominùs in dubio ſi ſunt emiſſa, ſupponi debent emiſſa canonicè, & legitimè, nempè modo conuenienti, idcircò Religio in ipſis votis emiſsis, dum aliquid in contrarium non apparet, fundatam habet intentionem.

6 Inſtare quis poſſet, † principium illud, in quo fundare videmur noſtram ſententiam, non eſſe firmum, videlicet in rebus dubijs præſumendum eſſe pro valore actus, nam & ſi in fauorabilibus id admitti debeat, in odioſis tamen, & ſtrictam requirentibus interpretationem, locum non habet, vt ex multis oſtendit *Menochius lib. 6. præſumpt. 4. num. 53.* obligatio autem ex votis reſultans libertatem reſtringit, atq; adeo ſub hac ratione inter oneroſa poni debet, ideoq; non militat prædicta regula, quando verſamur in ancipiti circa valorem votorum, vt debeamus illi parti adhærere, quæ facit actum validum eſſe.

7 Reſpondeo † circa principium illud, in dubijs

ſcilicet,

ſcilicet, eſse præſumendum pro valore actus, multa eſsent diſcutiēda, an etiam in odioſis ſaltē aliquando locum habeat, ſed eo ita limitatē cōceſso, aio in cōflictu præſumptionū inuicem pugnantiū præſūptio, fortior, & efficacior erit recipienda, vt ex *L. Diuus. ff. de reſt. in integ.* *ſuit probat Menochius lib. 3. de arbitri. iud. caſ. 472. & lib. 1. præſumpt. quæſt. 29.* *inter alias* autem valde efficax ea eſt, quæ delictum negat iuxta *L. Merito. ff. pro ſocio, vt aſſerit Anchar. conſc. 179. in fine. Dec. cap. In preſentia de prob. not. 13. in fine. Gomez de gratijs, & expect. nu. 90. & alij.* In re autem noſtra duę validiſsimæ concurrunt pręſumptiones, vna, quæ valori actus fauet, altera, quæ delictum, & fraudem remouet, ea in contrarium verò eſt, quę reſtrictionem libertatis tollit; hæc autem reſpectu priorum eſt debilis, & maximè in ſubiecta materia, in qua habemus Religioſum ſponte, vt ſupponimus, profeſsionem emiſiſse in ſpiritualem ſuę animæ vtilitatem, & vt medium aptiſsimum ad ſalutem æternam obtinendam, ideoquè nihil contra duas illas fortiſsimas præſumptiones efficiet vltima iſta pręſumptio, quę aliquantulum libertati fauere dicitur. his omnibus pręhabitis. negandum eſt, principium, ſeu regulam illam pro valore actus, firmitate carere in re, de qua agimus.

§. XXVI.

Qua ratione enodandum ſit dubium, an quinquennio tranſacto, inualida profeſſio fuerit, necne confirmata?

SVMMARIVM.

1 *Tranſacto quinquennio, ſi ambiguitas emergat, profeſſio præſumitur confirmata.*
2 *Præſumptio iſta eſt iuris, & de iure.*
3 *Ante elapſum quinquennium, præſumptio libertati fauet.*

1 HVIC quęſito ſatisfaciam ✠ ſuſtinendo præſumptionem eſse pro validitate, ſeu cōfirmatione voti. Sic *Sātarellus in tract. var. reſol. p. p. quæſt. 48. num. 46. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. coroll. 20. Diana p. 4. tract. 3. reſol. 49. ver. (Ex his.)* & ratio eſt, quia pro eo eſt pręſumendum, pro quo ſtat iuris pręſumptio, ſed in hoc caſu, poſt quinquennium tranſactum, ius pręſumit ratam fuiſse profeſsionem; & ita habetur *in Concil.*
2 *Trident. ſeſſ. 25. de regul. cap. 19.* † ideoq; cum pręſumptio iſta ſit iuris, & de iure excludit omnem probationem iñ contrariū. Ex hac reſolutione colligimus, quòd ſi pręd ictus, qui inualidè
3 profeſsus fuit; dubitet ante quinquennium, † tunc præſumptio erit pro ipſo, & non pro religione, ſeu pro valida profeſsione. Et hic *Concilium Trident. loc. cit.* dat facultatem reclamandi, probandiq; profeſsionis inualiditatem ſecùs quinquennio non elapſo.

§. XXVII.

Profeſſus Societatis Ieſu ad Prælaturam extra Societatem promotus, tenetur ne, conſilium P. Generalis ſequi ambigens num melius ſit eo, quod ſibi in mentem venit.

SVMMARIVM.

1 *Supponitur votum, quo Profeſſi Societatis obſtringuntur acquieſcere Conſilio Generalis, quando ad dignitates extra Religionem promouentur.*
2 *Refertur cuiuſdam Authoris falſa intelligentia de voto iſto, in illud non benè ſe inuehentis.*
3 *Probabile putauit Pellizzarius in eo dubio, Profeſſum non obſtringi ſequi Conſilium Generalis.*
4 *Certum, non dum probabile eſt, non teneri voti, ex cuius formula oſtenditur.*

1 SVPPONIT præſens quæſitum & votum illud, quod iuxta cōſtitutiones noſtræ Societatis *par. 10. §. 6.* poſt profeſſionem peractam ipſi profeſſi piè, & laudabiliter emittunt, nempe ſi Epiſcopatum, aut aliam prælaturam extra ipſam Societatem ſuſcipere cogantur, à Summo Pontifice compulſi, promittant Deo conſilium P. Generalis, qui pro tempore fuerit, vel alicuius, quem ille ſibi ad hoc ſubſtitueret audire, & ſi melius ſenſerint, quod cōſulitur ſint illud executuri, & hoc non quia, vt rectè ibi notatur, Prælatus aliquem de Societate loco Superioris habeat, ſed quia ſponte vult ſe obligare in Dei conſpectu ad id faciendum, quod ad Diuinū obſequium meliùs eſſe iudicauerit, optimum ſanè & proculdubio diuinitùs inſpiratum medium, quo Eccleſię Paſtores operi tam arduo, & excellenti incumbētes, quale eſt ſpirituale proximorū regimen, poſſunt tuto, abſq; errandi timore incedere, dū non ſibi ipſis fidentes, ſapientum, & prudentum virorum ductum ſequuntur; non defuit tamen, qui cœleſte hoc remedium non rectè percipiens temerè auſus ſit, votum iſtud non ſolùm irritū, verum etiam illicitum exiſtimare, & hoc, vt ego reor, deceptus, putans per talem votum Prælatos Eccleſiæ ſe ſubmittere obedientiæ Præpoſiti

Gene-

Generalis noſtrę Societatis, ſed quantum à veritatis ſcopo author iſte aberrauerit, legenti verba ipſius Conſtitutionis manifeſtè apparebit, nūquam autem fuit S.N.P. Ignatij intentio, Profeſſum ſuæ religionis in prælaturam extra Societatem aſſumptum, obligari ad obediendum dictis P. Generalis, imò neq; eius intentio fuit illud obligare ad ſequendum eius conſilia, niſi ſolùm quādo ipſemet profeſſus intellexerit, quod conſulitur in maius Dei obſequiū redundare, & hoc fuit huius voti materia, per quod nulla datur iuriſdictio Præpoſito Generali in Prælatos exteros, ſed tantùm obligatur Profeſſus ad eius conſilia recipienda, quando ſibi videbuntur eſſe Deo gratiora, hoc autem eſt non ſolùm licitum, ſed valde commendandum, & non tantùm in ordine ad homines virtute, & eximia prudentia prędītos, quales eſſe ſolent Generales noſtræ Societatis, verùm etiam in ordine ad quemcumq; etiam rudem, & infimæ notæ virum, ſi conſideretur dumtaxat, vt proponens, & vt clariùs dicam, vt ſubminiſtrans quid melius, & Deo gratius; perpendendum tamen non ab ipſo proponente, ſed ab ipſo Profeſſo, cuius iudicio ſtandum erit, & ſi quod conſulitur, pēſatis omnibus, exiſtimetur eſſe melius, ſtatim ſe offert materia, de qua votum emiſſum fuit; & ideò qui diuina ſe obſtringere voluit promiſſione, obligabitur ad id exequendum, non vi alicuius iuriſdictionis, quę ſit in proponente, ſed vi voti tendentis in obiectū, quod eſt maius bonum, à quocumq; tamen tale bonum propoſitum fuerit. Et hæc obiter ſint dicta pro clariori quęſiti intelligentia, ad quod redeuntes inquirimus, quid faciendum, ſi Profeſſus iſte dubitet, an conſilium P. Generalis ſit re vera meliꝰ eo, quod ſibi occurrit, in tali enim caſu vrgeat ne votum, & Profeſſus in tali animi perplexitate teneatur ne vi voti emiſſi ad exequendum tale conſilium,

3 Difficultatem hanc † mouet *Pellizzarius in manuali regularium tract. 4. cap. 5. ſect. 5. ſubſect. 6. quæſito 11.* & reſpondet probabile eſſe, profeſſum non teneri tale conſilium exequi.

Sed ego pluſquam probabiliter, imò mora-
4 liter certū cenſeo † nullā in tali euentu vi voti dari obligationē, & hoc ob eamdem rationem, quam ipſemet Pellizzarius affert, quia votum obſtringere incipit, quando ex parte Profeſſi iudicium reperitur, per quod ipſe iudicet eſſe maius bonum, rem illam, de qua conſilium præſtatur, ſic expreſsè colligitur ex verbis, ſub quibus votum illud præſcribitur à S. Ignatio, quæ ſuperiùs à nobis relata fuerunt, & pariter ex formula votorum ſimplicium, quæ Profeſſi poſt ipſorum profeſſionem emittunt, ex ipſiſmet Conſtitutionibus extractam; cum igitur obligatio prærequirat iudicium prædictum ex parte vouentis, conſequens eſt vt dicamus eo tempore, quo Profeſſus titubat de maiori bonitate rei, in quam Præpoſiti Generalis conſilium fertur, adhuc non vrgere votum ex defectu requiſitæ conditionis, ſeu ex defectu materiæ, de qua fuit votum, nam dubitare de meliori bono, non eſt de illo iudicare, quod iudicium exigit promiſſio Deo facta à Profeſſo Societatis Ieſu.

§. XXVIII.

Dubio inſurgente de emiſſione voti ante, vel poſt pubertatem, poterit nę Pater illud irritare?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur poteſtas, quæ in Patre, & alijs reperitur ad vota filiorum irritanda.*
2 *Refertur negatiua quorumdam opinio.*
3 *Adducuntur verba Caramuelis.*
4 *Primum argumentum pro hac ſententia.*
5 *Proponitur ſecunda.*
6 *Aperitur opinio contraria affirmans.*
7 *Hanc ſententiam, vt longè probabiliorem amplectitur Author, & efficaci ratione probatur.*
8 *Reſponſio Caramuelis.*
9 *Confutatur vt inſufficiens.*
10 *Inſtatur contra.*
11 *Diluitur inſtantia.*
12 *Soluuntur oppoſita argumenta.*
13 *Error in verbis Caramuelis aduertitur.*
14 *Quæſitum de Patre putatiuo.*

1 SVPPONIT quęſitum facultatem illam, quæ in Patre, Tutore, & ſimilibus reperitur, vi dominatiuę poteſtatis ad irritanda omnia vota filiorū impuberum, pupillorum, &c. vt communiter Doctores affirmant; hoc autem præmiſſo, locum habet præſens quæſitum; videlicet, ſi Titius V.G. ſit certus de voto emiſſo, hæſitet tamen, an illud elicuerit tempore impubertatis, an vero poſt pubertatem, ſeu poſt tempus illud à iure præſcriptum, in quo facultas irritandi vota in Superiore perſiſtit, an tali dubio nihil obſtante, ius maneat in Patre irritandi votum à Titio filio emiſſum.

2 Prima opinio † negat, eamq; tuetur *Ioan. Salas in p. 2. quęſt. 21. tract. 8. diſp. vnica, ſec. 21. n. 261.* quem nouiſſimè ſequitur *Caramuel in theol. mor. lib. 3. ca. 1 diſp. 1. corol. 33. n. 1377.* Hæc ſententia varijs roboratur argumentis.

Et primo, quod reliquis eſt efficacius, proponitur ab eiuſdē ſentētię defenſoribus, in quo Caramuel magnam facit vim, nempè votū eſſe certū, poteſtatē verò illud irritādi, in Patre eſſe dubiā; ergo prædicto dubio exiſtēte, nequit validè irritari: In confirmationem autem huius argumēti, in mediū affero diſcurſum, & verba
3 *ipſius Caramuelis* quę talia sūt. † *Votū vel irritabitur*

tabitur diſpẽſatione certa, vel manebit, dubia enim votum certum irritari non poteſt: Atqui Pater diſpẽſationem certam concedere nequit; ergo, &c. Probatur minor. Vbicumq; eſt dubiũ, an materia ſit capax; nõ erit certũ agens operaturũ eſſe: idem enim eſt dubitare, an corpus ſit coloratũ, ac an ſit viſibile, ſed in præſentia dubitatur, an votũ ſit diſpẽſationis capax (nam ſi eſt perſonale ante annos pubertatis, aut reale ante vigeſimũ quintũ, teſte Salas citãdo, indiſpẽſabile omninò eſt) ergo dubitatur, an Pater validè diſpẽſet. Atqui vbi obligatio eſt certa, & diſpẽſatio dubia, ſtandũ pro obligatione eſt ergo, &c. Hęc Caramuel, in cuius diſcurſu multa ſunt notanda, vt infra videbimus.

4 Secundò probatur prædicta ſentẽtia, † quia poteſtas irritandi eſt coarctata, in iure ad vota vſq; ad certũ tempus emiſſa, nempè durãte tali ætate, ſeu ſubiectione; igitur quando eſt ambiguitas de tali ętate, & ſubiectione, dubia etiã erit poteſtas irritãdi in Patre, &c. ergo eã denegãdo nulla protſus poſſeſſione Patrẽ priuabimꝰ; nõ .n. poteſt eſſe in poſſeſſione rei incertæ.

5 Tertio argumẽtatur à pari, † nã ſi dubiũ exiſtat, an cõtractus initus fuerit nec ne? tempore minoris ętatis, ille qui contractũ inijt, & de cuius ætate dubitatur, non habet facultatẽ reſcindẽdi contractũ illum, beneficio reſtitutionis in integrũ, niſi clarè probet minorẽ ætatẽ, vt ſtatuitur *in L. ſi minorẽ §. (ſi minorem te) C. de in integr. reſtit.* & cõfirmant *Canoniſtæ*, quos laudat *Sanchez l. c.* ratio huius rei eſt, quia, vt ibi dicit *Gloſſa ver. (Comprobatum)* pręſũptio eſt, tẽpore cõtractus, contrahentẽ fuiſſe maiorem, quoniam tẽporis decurſu maior efficitur; vel vt alijs placet; quia poſſeſſio eſt pro altero cõtrahẽte, in cuius fauorẽ initꝰ fuit cõtractus; ꝓindè in dubio nõ eſt ſpoliãdus: ità à pari cũ in præſẽtia poſſeſſio ſit ꝓ voto, ſeu promiſſione Deo facta, vi cuius ipſe Deus ius in rem promiſſam acquiſiuit, nequit per irritationem dubiam tali iure priuari. Hęc sũt argumẽta, quibus Authores huius opinionis eam ſuadere conantur.

6 Secunda opinio † affirmat, nimirũ tali dubio minimè obſiſtẽte, poſſe à Patre votũ filij validè irritari. Sic *Suarez to. 2. de relig. lib. 4. de voto c. 6. n. 1. noſter Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 41. n. 39. & in decal. lib. 4. c. 32. n. 2. Sãchez in ſelectis diſp. 43. n. 9. Villalobos in ſum. to. 1. tr. 1. diff. 21. n. 5. Bonacina in 2. præcep. decal. qu. 2. p. 7 §. 2. n. 21. Galet. in marg. caſ. verb. dubium, ver. Sed ſi dubitatur. Diana par. 4. tract. 3. reſol. 37. Merolla tom. 1. diſp. 3. c. 3. dub. 2. corol. 16. n. 187. Lanfran. opuſc. 1. cap. 7. num. 9.*

7 Dicendũ eſt † cum hac ſecunda ſentẽtia, quę longè probabilior eſt, eamque efficaci ratione oſtendo, deſumẽdo argumentum ex eiſdem principijs, ex quibus aduerſarij ſuã putãt opinionem demonſtrare, nẽpè ex iure poſſeſſionis in hũc modũ. Pater, (& idẽ intelligo de reliquis Superioribus, vt de tutore, curatore &c.) eſt in actuali poſſeſſione poteſtatis irritandi vota, emiſſa à filijs ante tẽpus pubertatis: ergo non obſtante dubio, an tali tempore, an vero poſtea fuerint emiſſa, poterit tali vota irritare. tota difficultas in antecedente eſt poſita, nam cõſequẽtia eſt manifeſta, ſi verũ eſt antecedens, nemo enim in dubio ſpoliãdus eſt ſua poſſeſſione; probatur aũt antecedens; nam Pater à iure habet, ne filius indepẽdẽter ab ipſius Patris voluntate perſonalia vota tempore impubertatis emittat, & ideò talia vota imbibitam inuoluũt cõditionẽ, vt firma maneãt, vſq; dum Pater ipſa nõ relaxat, igitur dum nõ conſtat de exẽptione filij, pręſumptio erit pro poteſtate dominatiua Patris, & qui contrarium excipit, debet id probare: ergo nõ conſtante exẽptione, Pater manet in poſſeſſione ſuæ poteſtatis irritãdi vota, &c.

8 † Reſpõdet *Caramuel corol. cit. n. 1478*: Patrẽ neq; eſſe, neq; vnquã fuiſſe in poſſeſſione irritandi vota perſonalia facta poſt 14. ætatis annum, nec realia facta poſt 25. Ergo idem eſt dubitare, an antè, vel poſt talem ætatem votũ emiſſum ſit, ac dubitare, an Pater ſit in poſſeſſione, aut non poſſeſſione diſpenſandi.

9 Hæc autẽ reſpõſio eſt inſufficiens: † idcircò cõtra eam ſic vrgeo: Dubiũ de tẽpore, ſeu ætate, qua votũ fuit emiſſũ eſt omninò diuerſũ à dubio poſſeſſionis, vt patet ex multis alijs ſimilibꝰ, & ex principijs etiam ab ipſo Caramuele receptis v. g. eſt diuerſũ dubitare, an res iſta, quã detineo, ſit mea, an verò aliena, & dubitare, an ſim in legitima eiuſdem rei poſſeſſione; nã diligẽtia adhibita pro veritate inuenienda, remanet dubiũ prædictũ, ſed practicè nullũ eſt dubiũ de reali, & legitima poſſeſſione; vlterius diuerſũ eſt dubium, an hodie ſit dies feſtiuus, dies ieiunij &c. & dubiũ, an poſſeſſio ſit ꝓ facultate exercendi opera ſeruilia, comedẽdi carnes, &c. ſic in alijs; ergo licet ſit dubium de ętate, & tẽpore emiſſionis votorum, poterit nullũ eſſe dubiũ de poſſeſſione facultatis dominatiuæ, quæ eſt in Patre ad irritanda talia vota. proìndè ad argumentũ ipſius Caramuelis reſpõdentes, dicimus, quod quãuis verũ ſit Patrẽ nũquam eſſe, aut fuiſſe in poſſeſſione irritãdi vota ꝑſonalia filiorũ poſt 14. annũ, &c. talis .n. poteſtas nũquam datur, falſũ tamen eſt, moraliter, & practicè loquendo, idẽ eſſe dubitare de tẽpore emiſſionis, ac de poſſeſſione, aut nõ poſſeſſione irritandi.

10 † Sed quis poſſet in gratiã Caramuelis adhuc inſtare hoc pacto. Ex voto, quod tali certo, & determinato tẽpore fuit emiſſũ, rectè inferimꝰ certã poteſtatẽ dominatiuã, ad illud votũ irritãdũ, in Patre; ergo ex voto, quod incerto tẽpore fuit emiſſũ, inferre debemus incertã poteſtatem in Patre, & cõfirmatur à pari ex rebus phyſicis, ſicuti ex certa capacitate paſſiua ſubiecti, inferimꝰ certã virtutẽ actiuã in agẽte, & ex dubia capacitate, dubiã vim actiuã; ità & in caſu noſtro.

11 Reſpõdeo, † negãdo ex voto tẽpore incertò emiſſo rectè inferri dubiam poteſtatem irritandi in Patre, nam poteſtas iſta in ordine ad tale votum particulare eſſe poterit ſpeculatiuè dubia, practicè tamen certa, ſi Pater ſemel fuit in poſſeſſione, à qua non eſt deijciendus, niſi conſtet de exemptione in filio. Rurſus neganda ſemper erit cauſſalis illa in antecedente poſita, ſcilicet

licet

licet, ideò in Patre eſt certa poteſtas irritandi, quia emiſſio voti certa eſt pro tali tempore; nam iſta non eſt vera, & realis cauſſa ponendi poteſtatem irritandi, ſed vera cauſſalis eſt dominium fundatum in lege naturali, ſecundum quod Pater debet regere voluntatem filij vſq; ad certum tempus à iure poſitiuo, & humano præſcriptum. Ad confirmationem vero deſumptam ex rebus phyſicis nego paritatem, quia in ordine ad res phyſicas non datur certitudo practica, ſed ſolùm ſpeculatiua, & rectè ex certa poſitione vnius correlatiui, colligimus certitudinem alterius correlatiui, & ex dubia poſitione vnius, dubiam poſitionem alterius, cũ nulla in his ſit poſſibilis certitudo practica, quæ tamen in rebus moralibus reperitur, & eſt compoſſibilis non ſolùm cum certitudine, ſed etiam cum dubietate ſpeculatiua.

Addo etiam bonum eſſe argumentum Henrici Villalobos, quo probat noſtram ſententiam; ait enim. Cum vouens prius fuerit puer, quàm iuuenis, non tenetur exiſtimare annos pubertatis attigiſſe, antequam id conſtet; ex quo ego infero, cum Pater prius fuerit in poſſeſſione de voluntate filij pueri, quàm fuerit votum, debet poſſeſſio Patris præualere poſſeſſioni voti; quod tũc eſt in poſſeſſione indepẽdenter à voluntate Patris, quando vouens eſt iuuenis, nempè pubes.

Ad argumenta autem in contrarium non
12 erit difficile reſpondere, & ad primum, † nego poteſtatem dominatiuam Patris eſſe practicè dubiam, ſed aio eſſe practicè certam, vſquè dũ conſtet de emiſſione voti tempore exẽptionis, & ideò neganda eſt conſequentia.

Rurſus ad idem argumentum ſub forma poſita à Caramuele etiam reſpondeo; votum tolli certa irritatione, non dubia, & hoc ob rationem aſſignatam: & nego minorem, ſcilicet à Patre non poſſe certam conferri irritationem, & ad probationem huius minoris, concedo, exiſtente dubio de capacitate materię, eſſe dubium de actione agentis, ſed nego in caſu noſtro eſſe dubium de tali capacitate quo ad irritationem: quia non conſtante exẽptione filij à poteſtate paterna, votũ sẽper remanet capax irritationis, proindè nego eſſe dubium de hoc; ſicuti etiam negatur eſſe ambiguum, an Pater irritare valeat tale votum; & ex his patet reſponſio ad alias conſequentias.

Ad ſecundũ conceſſo antecedente, negatur vtraq; conſequẽtia, & ad illud vltimũ, videlicet non eſſe poſſibilem poſſeſſionem rei incertæ; reſpondeo, diſtinguendo, rei practicè incertæ, concedo, ſpeculatiuè incertæ, & practicè certę, nego. Ad tertiũ nego paritatem, quia in caſu illo de contractu inito ab eo, de cuius ætate minori dubitatur, comparatio fit tantum inter vtrumq; contrahentem, quorũ vnus eſt in poſſeſſione, ille nimirũ in cuius vtilitatem initus fuit cõtractus, alter verò, de cuius ætate ambigitur, non eſt in aliqua poſſeſſione; nam ſtante contractu, pręſumptio eſt cõtra ipſum, qui allegat minorẽ ætatem, & cum ea non cõſtet, erit probãda ab ipſomet excipiẽte; pro valore.n. cõtract᷒ eſt lex vniuerſalis, quæ illũ, ꝑ ſe loquẽdo, firmat: idcircò qui à tali lege ob particulare aliquod priuilegiũ vult ſe eximere, debet oſtẽdere in ſe reperiri qualitatem illam, quę deſideratur ad fruẽdũ priuilegio; ideò cũ minor ætas ſit qualitas requiſita ad fruendũ priuilegio reſtitutionis in integrũ, erit talis ætas oſtendẽda; at in caſu noſtro nõ agitur de exẽptione ipſius vouẽtis; ſi enim de illo eſſet ſermo, nullã in illo inuenirem᷒ poſſeſſionẽ, q̃ tamen eſt pro voto cõtra ipſum vouẽtẽ: ſed locutio eſt de iure tertij, nẽpè Patris, cui præiuditium fieri nõ potuit per actionẽ filij, videlicet per emiſſionem voti, quod fit cum implicita, & intrinſeca cõditione dependẽtię à voluntate ipſius Patris; Maneat igitur conſtans, & firma noſtra ſententia, nempe in dubijs prędictis pręſumptionem, & poſſeſſionem eſſe pro patria poteſtate: atq; adeò oppoſito non apparente, poterit Pater iure ſuo vota prædicta ad ſui libitum irritare.

Pro complemento tamen huius cõtrouerſiæ
13 placet † nõnulla animaduertere in verbis ipſius Caramuelis, videlicet in illis, quæ habentur in ſua fundamẽtali ratione, & eſt primũ argumẽtũ pro priori ſentẽtia: verba autem, quæ parentheſi clauduntur, hæc ſunt, *nam ſi eſt perſonale ante annos pubertatis, aut reale ante vigeſimum quintum, teſte Salas citando, indiſpenſabile omnino eſt* in his verbis, quemadmodum in tota iſta quæſtione: in qua de voto eſt ſermo: noto prius, à Caramuele confundi diſpenſationem cum irritatione, quæ sũt relaxationes voti valdè diuerſæ, ſed hoc tranſeat; nam poſſet largè loqui de diſpenſatione: ſed quod magis videtur conſiderandum, eſt, in verbis errorem contineri; nam cum dicitur votum perſonale ante annos pubertatis, & reale ante vigeſimũ quintũ eſſe omninò indiſpenſabile; ſumitur (*Ante*) pro (*Poſt*) Erat enim dicendũ (*votũ perſonale poſt annos pubertatis, & reale poſt vigeſimũ quintũ, eſt indiſpẽſabile*) id eſt nõ irritabile, aut affirmatiuè *ante annos pubertatis, &c. eſt irritabile*, vel demũ erãt apponẽda alia verba, ſcilicet (*nam ſi eſt perſonale, & dubitetur an fuerit emiſſũ ãte ãnos pubertatis, &c.*) ſic poſtea rectè inferri poterat indiſpenſabilitas, id eſt inirritabilitas, & ex hoc concludere poſſet ipſe Caramuel ſuum intẽtum, nẽpè capacitatẽ materiæ, ſeu capacitatem irritationis in voto, ſed procul dubio reor, hunc fuiſſe Copiſtę, aut impreſſoris errorẽ, quem vir alioquin doctus, & eruditus nõ animaduertit; Salas autẽ, quem ipſe Author laudat, & promittit locum inferius ſignandum, quem poſteà obliuione omiſit, rectè loquitur, ſic enim inquit. n. 261. *vt ſi dubium ſit an votum perſonale emiſſum ſit ante annos pubertatis, & votũ reale ante annum vigeſimum quintum, non poteſt ità irritare Pater tale votum, vt filius, illud non ſeruans, ſit tutus in conſcientia.*

14 † Quæres, ſi quis ex errore putetur Pater, cum re vera non ſit, an eius irritatio remaneat, veritate innoteſcente?

Reſpondeo negatiuè, ita *Sanchez loc. cit. nu. 16. in fine. Bonacina in decal. diſp. 4. quaſt. 2. p. 7. §. 2. num. 13. Trullench. pariter in decal. l. 2. cap. 2. dub. 34. num.* 11. & ratio eſt, quia error dominatiuam poteſtatem dare nequit; ſicuti ſi quis venderet hominem liberum, putans eſſe ſeruum, inualida eſſet venditio.

§. XXIX.

Quid dicendum ſi vxor, aut ſeruus ambigat, an votum fuerit nec ne emiſſum ante matrimonium, aut ante ſubiectionem?

S V M M A R I V M.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Determinatur harum perſonarum vota, tali vigente dubio, eſſe irritabilia.*
3 *Obiectio.*
4 *Reſpondetur diſtinguendo.*
5 *Satisfit propoſitæ difficultati.*

1 EX principijs *in precedẽte paragrapho* iactis videtur inferendum præſumptionem eſſe pro firmitate voti, itá vt nõ poſſit à viro votũ illud irritari, (& idem dico de Domino reſpectu ſerui,) & diuerſam eſſe rationem in hoc caſu, ab illo, quem ſupra expendimus; nam in caſu illo Pater, ſeu Superior erat in poſſeſſione ante dubium; proindè, dubio ſuperueniente, non erat ſua poſſeſſione priuandus: in caſu autem iſto oppoſitum habetur, quia incertum eſt, an Superior nempe vir, fuerit nec ne priùs in poſſeſſione, ánte quam votum fuit emiſſum; & ideò, quia voti obligatio eſt certa, & hæſitatio eſt de tempore emiſſionis, videlicet an fuerit ante vel tempore ſubiectionis emiſſum, ſeu dubitatio eſt an votum inuoluerit nec ne conditionem illam, nempè dependentiam à voluntate viri, idcircò niſi conſtet hoc, præſumptio erit pro ipſius voti firmitate.

2 Dicendum tamen eſt † votum, circa quod verſatur prędicta dubitatio, eſſe irritabile à Superiore. Sic *Sanchez lib. 4. in decal. cap. 32. num. 7. Merolla vt ſupra num.* 194. Probatur, quia vir reſpectu vxoris, & Dominus reſpectu ſerui actualiter poſſident facultatem ad irritanda vota vxoria, ſerui, &c. & ideò cum tale ius ſit actu, & certum, & exemptio ſit dubia, ſequitur præſumptionem eſſe pro poteſtate dominatiua ipſius viri, Domini, &c.

3 Dices † aliud eſſe loqui de fundamento prędictæ poteſtatis, aliud verò de ipſa poteſtate formaliter ſumpta; quamuis enim fundamentum poteſtatis ſit certũ, nempè matrimonium, ſeruitus, &c. nihilominùs poteſtas ipſa eſt dubia, in ordine ad vota, de quibus animus anceps eſt, an fuerint nec ne ante ſubiectionem emiſſa; Ergo non poterit vir vota prædicta vxoris irritare.

4 Reſpondeo, † diſtinguendo poteſtatem ipſam ſecundum variam habitudinem ad voluntatem ſubditi; nam ſi eam ſpectemus in ordine ad ſtatum præſentem, certa erit poteſtas, & poſſeſſio, quam habet vir ſupra voluntatem vxoria; fundatur enim in actuali matrimonio; at ſi eamdem poteſtatem attendamus in ordine ad voluntatem, à qua poterat emitti votum ante ſubiectionis tempus, poteſtas ipſa, & poſſeſſio erit dubia, hoc tamen non obſtante, ſufficit actualis poſſeſſio ad vota taliter dubia irritanda, & actuale dominium præualet, & ideò ratione illius vir ius habet exercendi ſuam poteſtatẽ, & non poterit illi pręiudicare ſuperueniens dubium optimũ ſimile ad hoc confirmandum dat *Sanchez vt ſupra*; ſicuti enim poſt matrimonium legitimè, & bona fide contractum, ſi alter coniux de eius valore dubitare incipiat, tali dubio non impediente, tenetur debitum reddere, & hoc non ob aliam rationem, niſi quia alter in poſſeſſione actuali matrimonij inuenitur; itá à pari in caſu noſtro, in quo vir actualem habet poteſtatem irritandi vota vxoris facta tempore ſubiectionis, quando inſurgit dubitatio, an votum fuerit emiſſum ante ſubiectionem, poſſeſſio eſt pro viro, & conſequenter poterit irritare vota illa, & irritatio erit certa & extinguet vota.

5 Ex his patet † reſpõſio ad difficultatem initio huius paragraphi poſitam; nam poſſeſſio, & ius eſt pro parte Superioris, & cum hoc ſit indubitatum, & dubia ſit firmitas voti, ius illud præualere omninò debet.

§. XXX.

Maneat ne firma irritatio prædicta, ſi poſt eam comperiatur, votum ante ſubiectionẽ emiſſum fuiſſe?

S V M M A R I V M.

1 *Concluditur irritationis firmitas.*
2 *Argumentum in contrarium.*
3 *Eius Solutio.*

1 DICENDVM eſt irritationem illam euaneſcere; ſic docet *Sanchez cap. 32. ſuperius citato in fine.* probatur concluſio; quia error non poteſt efficere, vt actus non procedens à vero Domino ſit verè actus dominij; igitur cum Titius E.G. nõ ſit realis, & verus Pater Sortis, ſed ſolũ

ex errore

ex errore ſit putatiuus, actus irritationis ab ipſo procedens, non erit verè actus dominij; idcirco quando error detegitur, & apparet veritas, irritatio non tenebit, vt ſupra diximus, de venditione hominis liberi, qui ex errore ſeruus cenſetur.

2 Sed dices; in iure habemus, quod ſi quis ex communi errore exiſtimatur Iudex, omnia acta ab ipſo procedentia ſunt valida, etiam poſt agnitum errorem *ex l. Barbar. ff. de off. Prat.* Igitur valida iudicari debet irritatio emanans à Titio, qui ex communi errore Pater Sortis exiſtimatur.

3 Reſpondeo † negando conſequentiam; eſt enim inter vtrumq; caſum latum diſcrimen; nã actus illi procedentes à Iudice putatiuo non ſunt actus poteſtatis dominatiuæ, ſed tantùm poteſtatis iuriſdictionalis, quæ iure poſitiuo, & humano in tali caſu ob bonum populorum regimen à Superioribus conceditur; irritatio autem eſt actus dominatiuæ poteſtatis, quæ fũdatur in naturali generatione vnius ab alio; & radicaliter eſt à natura ipſa, & non eſt actus iuriſdictionis, vt rectè animaduertit Sanchez *lib. cit. cap. 24. num. 5.* Et quamuis, vt quibuſdam placet, poteſtas iſta ſit ex iure humano, quod in præſentia examinare nolumus; nihilominùs nõ habemus vi alicuius iuris Canonici, aut Ciuilis, quando circa paternitatem verſatur error, conceſſam eſſe Patri putatiuo veram, realemq; poteſtatem dominatiuam; & ideo quemadmodum paternitas eſt putata, ita etiam poteſtas iſta; atque adeo votum emiſſum non cenſetur habere conditionem illam imbibitam in ordine ad Patrem putatiuum, quam inuoluit in ordine ad Patrem verum, & ad alios ſimiles Superiores.

§. XXXI.

Votum numquam rem cum fœminis habendi, an legitimum excludat coniugium.

SVMMARIVM.

1 *Spinulæ ſententia, eiuſque ratio refertur.*
2 *Alia ſententia oppoſita.*
3 *Quæſitum ſolui debet perpenſis motiuis, ob quæ votum fuit emiſſum.*
4 *Penſatis omnibus, ſi animus anceps remanet pars negatiua eſt recipienda*
5 *Votum eſt ſtricti iuris.*
6 *Quæ talia ſunt reſtringi debent etiam intra naturale ſignificatum, & fusè probatur.*
7 *Obiectio probans non eſſe talem faciendam reſtrictionem, proponitur.*
8 *Infringitur.*
9 *Cuiusdam Recentioris obiectio.*
10 *Solutio.*
11 *Diluitur Spinulæ argumentum.*

1 PAVCIS ab hinc diebus de re hac à nobili quodam viro conſultus, quid ſentiam, in medium aperire conſtitui. † Primam ſententiam, quæ etiam matrimonium excludit, inueni apud *Spinulam in ſuo opuſculo de prudenti agibilium electione diſp. vlt. ſect. 5. in fine.* vbi quam breuiſſimè à quæſtione ſe expedit, partem affirmatiuam docens, nimirum per votum illud, quodcumq; etiam legitimum excludi coniugium, quando de intentione vouentis non conſtat, & penſatis omnibus mens in ancipiti verſatur; probat ſuam ſententiam ratione magni ponderis, quæ in hoc conſiſtit, vt vnuſquiſq; votum emittens, niſi reſtrictionẽ apponat, cenſeatur velle ſe obligare, quantùm verba ſonant, quapropter qui Deo promittit negationem commixtionis cum fœmina, ſub talem promiſſionem cadere videtur etiam negatio licitæ commixtionis, quia cum ſit de meliori bono, poterit eſſe materia voti, atq; adeo cum verborum ſignificatio ſe extendat etiam ad talem commixtionem; idcirco qui ita vouit, non poterit vxorem ducere abſq; voti fractione. Hæc eſt vnica ratio, qua Spinula ſuam probat opinionem, & eſt adeo efficax, vt titubantem me detineat, imò ad hanc ſententiam amplectendam inclinet: quæ etiam non leuiter confirmari poterit ſatis recepto Doctorum sẽſu, ſecundum quem aiunt verba legis etiam ſtricti iuris, & odioſæ, quamuis non ſint amplianda vltra naturale ſignificatum, extendi tamen debent ad omnia, quæ comprehenduntur ſub ipſorum ſignificatione naturali; propoſitio.n. generalis, generaliter eſt explicanda, vt colligunt Iuriſperiti *ex l. 1. §. Generaliter ff. de leg. præſt.* & vbi lex non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus, vt ait *Gloſ. in l. de pretio, ff. de public. in rem actione, initio*; Votum aũt eſt quædam priuata lex, quam vouens ſibi imponit, proinde in explicatione ſequitur naturã legis vniuerſalis, quæ licet pœnalis, & odioſa, eius tamen verba extendenda ſunt ſecundum omnem proprietatem, & naturalem ipſorum ſignificationem, quamuis non vltra: negatio autẽ cõmixtionis cum fœmina, quæ eſt materia huius voti, iuxta propriam, naturalemq; ſignificationem comprehendit ſub ſe tum illicitam, tũ licitam commixtionem cum muliere; ideoq; dicendum videtur per votum prædictum, de quo in titulo agitur, etiam legitimum excludi coniugium. His argumentis ſuaderi poterit hæc opinio; ſupereſt autem, vt quid ſenſerim, explicem, ſuppono igitur deciſionem quæſiti ſpectari poſſe practicè, & ſpeculatiuè, & ſecundum vtrumq; modum ad illam deuenio.

2 Secunda † ſententia eſt oppoſita, videlicet in tali voto non comprehendi legitimum coniugium; Authores verò, & rationes pro hac ſententia inferiùs ponentur.

Dico

Dico primò practicè ſpectando quęſitum,nō
erit difficile veritatem,aut ſaltem veriſimilē in-
tentionem vouentis ex circumſtantijs depre-
3 hendere, † & pręſertim ex fine, quo vouens
motus fuit ad tale votum emittendum; nam ſi
interrogatus reſpondeat eius finem in vouen-
do, fuiſſe vitare peccatum, tunc iudicandum
erit, illicitam dūtaxat commiſtionem promiſ-
ſam fuiſſe, nam licita admiſſā,vitatur peccatū,
atq; adeo adęquatè habebitur intentū, & finis,
ob quem votum fuit emiſſum; rurſus idem pu-
to aſſerendum,ſi intentio fuit fugere prodiga-
litatem cum ſimilibus mulieribus,ſi vouens pe-
cunias profundere conſueuerat in huiuſmodi
actionibus; ceſſant enim tales ſumptus per ab-
ſtinentiam ab illicita commixtione, & non in-
ducuntur per licitam,& matrimonialem: Prę-
terea hoc ipſū cenſeo decidendum, ſi intentio
vouentis fuerit vitare contagionem aliquam,
quę adoleſcentes,& iuuenes contrahere ſolent,
ſe talibus mulieribus commiſcentes. Cęterum
ſi deprehendatur alius finis,v.g. imitatio Bea-
tiſſimę Virginis in puritate caſtitatis, tunc
decernendum erit, votum illud extendi ad quā-
cumq; etiam licitam commixtionem,& per cō-
ſequens prohibitum eſſe vouenti vxorem du-
cere;quia cū ea ſe cōmiſcendo,deficeret ab imi-
tatione illa ſanctiſſimę Matris,& nō acquireret
finē illū, quē in vouendo ſibi præfixit.Ex his,&
ſimilibus circūſtantijs rectè conſideratis, non
erit difficile, veritatem, aut quod magis ad illā
accedit,exploratum habere. Et hæc pro praxi
ſufficiant. Cæterum ſi omnibus perpenſis,ſup-
ponatur adhùc perſiſtere ambiguitas, & nullū
probabilem aſſenſum elici poſſe, quid dicendū
iuxta meum ſenſum, nunc aperiam.
4 † Dico ſecundò. Quamuis prior opinio ſit
valde probabilis,& tutior, vt oſtendit argumē-
tum, quod in eius fauorem attulimus, proba-
biliorem tamen iudico oppoſitam, & eam de-
fendit *Sanchez lib.2.de matrim. d.4. num.33.*
& lib.4.in decal.cap.21.num.27. Trullench.
loquens de voto nō tangendi mulierem *in de-*
cal.lib.2.cap.2.dub.25.num.8. & Ioann. San-
chez in ſelect.diſp.43. num. 4. Probatur con-
cluſio,primò, à poſteriori ex modo conſueto,
quo homines ſoliti ſunt Deo promittere abſti-
nentiam ab omni vſu cū fœminis etiam licito,
ſolent enim id clarioribus verbis explicare, &
expreſsè id intendere, & declarare. † Secundo
5 probatur à priori ex principijs legalibus hoc
pacto. Votum eſt ſtricti iuris, atq;adeo ſtric-
tam exigit interpretationem: ergo votum nō
habendi rem cū mulieribus,legitimum non ex-
cludit coniugium. Antecedens in præſentia
probatione non indiget, eſt enim ab omnibus
receptū, & ex doctrinis ſuperiùs traditis, clarè
innoteſcit, fundatur enim in natura obligatio-
nis, quę, cum libertatem adimat, eſt odioſa, &
debet limitari, vt quantùm minus fieri poteſt
hominem abſtringat, vt rectè docet *Panorm.* r
loquens de iuramento *cap. cum clerici num.4.*
de verb. ſignif. Conſequentia verò probatur.
6 † Ea quæ ſunt ſtricti iuris, atq;adeo odioſa,nō
ſolùm non ſunt extendenda ad ciuilem, vltra
propriam verborum ſignificationem, ſed intra
propriam coarctanda; At votum non haben-
di rem cum mulieribus eſt ſtricti iuris,atq; odi-
oſum;ergo debet coarctari etiam intra ſuum
proprium ſignificatum,nempè in hoc,quod eſt
non habere rem cum mulieribus: ergo excludit
legitimum coniugium, hæc vltima conſequen-
tia negari non poteſt, quia ex ſuppoſitione,
quod tale votū limitari debeat in ſignificatio-
ne verborum, nullam aliam admittere poteſt
reſtrictionem, niſi hanc, cum enim duplex ſit
commixtio cum mulieribus,illicita vna,licita
altera,ſi reſtrictionem concedamus, ſanè non
alia, niſi excluſio licitæ commiſtionis erit illi
tribuenda, remanet tamen probanda maior, in
qua tota difficultas conſiſtit;nam minor ex an-
tecedente prioris argumenti eſt manifeſta, ſi
enim de ratione voti in vniuerſum eſt exigere
ſtrictam interpretationem, ſanè hoc ipſum cō-
uenire debet omni voto in particulari; maior
autem,ab omnibus authoribus nō admittitur,
plures enim ſunt Doctores, qui legibus, & diſ-
poſitionibus odioſis negant tantùm extenſio-
nem vltra propriam verborum ſignificationē,
ſed illas extendunt ad totum ſignificatum na-
turale, niſi aliqua reſtringendi ſe offerat occa-
ſio,& inter hos Authores certiſſimè eſt *Suarez*
lib.6.de leg.cap.2.num.3. & pro eadem citatur
ab alijs; nihilominùs, vt opinor ex errore Ty-
pographi,aut Scriptoris appoſita fuit dictio ne-
gatiua (*Non*) debuiſſet enim dicere: *Omnis*
lex odioſa, per ſe loquendo, extendenda eſt ad
omnia; quæ verba in ſignificatione propria, ac
naturali cōprehendunt,non verò vltra &c. ta-
men ſcriptum inuenimus (*omnis lex nō odio-*
ſa)eſſe autem errorē patet tum ex poſtilla mar-
ginali,quæ dicit (*Quouſq; lex odioſa extendē-*
da eſt) tùm quia falſa eſſet propoſitio,cum di-
citur lex non odioſa non eſſe extendenda vltra
naturalem ſignificationem,cum lex non odio-
ſa ſit fauorabilis, proinde amplianda vltra ſi-
gnificationem naturalem propriam, vt ipſemet
Suarez eodem cap. oſtendit;tùm quia de lege
fauorabili *num. 5. in ſecunda concluſione* ſer-
monem habet; ſed quicquid ſit de hoc, quam-
plures tuentur maiorem noſtri argumenti, vi-
delicet,quæ ſunt ſtricti iuris,eſſe intra propriū
ſignificatum reſtringenda; ſic expreſsè *Panor.*
cap. Sedes Apoſtolica num.2.de reſcript. Gā-
bar.de author. Legati lib.10. num.256. San-
chez libr.8.de matrim.diſp.1.num.10. Merolla
tom.2.diſp.4.cap.9.num.19. retractans contra-
riam ſententiam,quam docuerat *tom.1.diſp.1.*
cap.2.num.552. fauet etiam *Euerardus in ſuis*
topicis loco à rat.leg.larg.à num.57. Layman
lib.1.tract.4.cap.18.num.2. & alij. Probatur
etiam ex Sacris Canonibus; nam *in regula 15.*
Iuris in 6. dicitur *Odia eſſe reſtringenda*;ſi.
leges odioſæ haberent tantùm non extendi vl-
tra proprium ſignificatum,& non reſtringerē-
tur intra illud, non dicerentur eſſe reſtringen-
da,niſi valdè impropriè:non enim res aliqua
dicitur propriè reſtringi,ſi illi concedatur totū
quod

quod naturaliter exigit. Et ſic in vocibus terminus iſte, homo, intellectus, quatenus omnes veros homines comprehendit, nõ cenſetur ſumi reſtrictè, ſi excludatur homo pictus; & iſte terminus, Riſibile explicatum, vt cõtinens omnia ſignificata propria, nempè omnes homines prout habent aptitudinem ad riſum, etiam ſi excludat riſibile improprium, vt eſt Pratũ florens, nemo dicet limitatè ſumi; igitur ad hoc, vt lex, ſeu diſpoſitio odioſa conditionem illam habeat, quam Ius ipſi tribuit, ſcilicet reſtrictionem, oportet, vt reſtrictio, propriè illi conueniens, ſit intra proprium, & naturale eius ſignificatum. Et confirmatur varijs exemplis, v. g. Diſpoſitio pœnalis contra Clericos, non cenſetur comprehendere Canonicos, qui ſunt Clerici qualificati, vt aduertit *Panor. par. 2. conſil. 9. num. 2. Tuſcus lit. C conſil. 377. num. 4.* Rurſus diſpenſatio cum illegitimo ad ordines ſuſcipiendos, non extenditur ad Ordines Sacros, vt rectè probat *Sanchez diſp. cit. num. 26.* & tamen Ordo Sacer, verè, & propriè eſt Ordo.

Deniq; celebris, pro re hac efficaciter confirmanda, eſt textus *in cap. ſtatutum, de elect. in 6.* vbi *Bonifacius VIII. Summus Pontifex* declarat ſtatutum editum *à Gregorio X.* per quod diſpoſitum fuit eos, qui ad Parochiales Eccleſias aſſumuntur, ſi Sacerdotes non ſunt, teneri infra annum promoueri ad Sacerdotium, aliter eiſdem Eccleſijs priuentur, declarat, inquam, *Bonifacius* ſtatutum hoc, & ait, cum ſit pœnale, eſſe potiùs reſtringendum, quàm ampliandum, ideoq; declarat non ſe extendere ad parochiales collegiatas. Ex hac pontificia declaratione duo pro noſtra ſententia habemus, vnũ expreſsè, aliud verò deductiuè; habemus primò diſpoſitiones pœnales, & odioſas reſtringendas eſſe, vt expreſsè loquitur Pontifex: Secundò, quod colligimus, eſt, reſtrictionem hãc faciendam eſſe intra ſignificatum naturale; nomine enim Parochiæ conuenit omnibus Eccleſijs, quæ verè ſunt tales, inter quas eſt collegiata, & ita in multis alijs exemplificari poſſet; ex quibus colligimus leges, & diſpoſitiones odioſas non ſolùm non extendi vltra proprium ſignificatum, ſed intra illud limitari. Et ſic patet veritas noſtræ maioris, quæ & ſi ab omnibus non recipiatur, negari tamen non poterit, quin ſit valdè probabilis. Ex quibus omnibus deducitur probabilitas huius ſecundæ concluſionis, nimirum per votum prædictum, quando mens vouentis non conſtat, ſed in dubio verſatur, non excludi legitimum coniugium.

Dices eſto, † admittamus in odioſis verba eſſe reſtringenda intra proprium ſignificatum, hoc tamen intelligi debet, quando termini, ſeu verba pati poſſunt reſtrictionem, & talia ſunt verba prædictatum diſpoſitionum, quæ in exẽplum adducuntur; nam termini ſignificati annexam habent qualitatem aliquam; ratione cuius capaces redduntur reſtrictionis, & ſic in primo exemplo nomẽ Clerici limitatur, vt in odioſis non extendatur ad Clericum, qui habeat aliquam qualitatem, reddentem illum digniorem, vt eſt dignitas Canonicatus; in ſecundo Ordines maiores habent ſpecialem ſanctitatẽ quam non habent minores, & ideo ratione huius ſpecialis ſanctitatis, ad ipſos diſpoſitio pœnalis non extenditur, idem dico de Eccleſia Parochiali collegiata; nam eſſe collegiatam reddit illam digniorem: at in caſu noſtro res nõ ita ſe habet, quia materia illius voti cum ſit negatio commiſtionis cum fœmina, nullam ſpecialem rationem habere videtur annexam, quãdo reſtringitur ad licitam commiſtionem; ergo eſt diſcrimen inter exempla adducta, & caſum noſtrum.

8 Reſpondeo † falſum eſſe per commiſtionẽ licitam non habere ſpecialem rationem, valdè cohoneſtantem commiſtionem ipſam, ea vero eſt vinculum matrimonij, & ratio Sacramenti, quæ non reperiuntur in alijs commiſtionibus, proinde neganda eſt conſequentia; optima enim inuenitur paritas inter exempla, & caſum noſtrum.

9 Sed quidam Recentior ita mihi objiciebat: Verum quidem eſſe coniugium ſupra commiſtionem cum fœmina addere ſpecialem rationẽ, valdè cohoneſtantem, ſed tamen non addit rationem afferẽtem maiorem difficultatem; aliud enim eſt addere nouam ſanctitatem, aliud verò maiorem arduitatem, ratione cuius non debeat præſumi rem aliquam in obiecto voti fuiſſe incluſam: facilior enim eſt coniunctio cũ vxore legitima, quàm cum fœmina impudica ob maximas vtilitates, quas affert honeſtum coniugiũ in educatione filiorum, vel in regimine familiæ; igitur non debet præſumi in voto prędicto excluſum fuiſſe coniugium, vt verba, ſub quibus votum fuit emiſſum, ſtrictiori ſignificatione explicentur.

10 Reſpondeo † concedendo aliud eſſe addere nouam ſanctitatem, aliud verò maiorem arduitatem, ex hoc autem nihil contra noſtram doctrinam deduci poteſt; nam & ſi conuictus cum vxore legitima facilior ſit, quàm cum fœmina impudica, nihilominùs cum abſtinentia à coniugio longè maiorem inuoluat arduitatem, quã abſtinere ſolùm à commiſtione cum impudica muliere, idcirco votum prædictum, cũ ſecundum rationem genericam voti ſtrictam poſtulet interpretationem, debemus illud explicare, vt quantùm minùs fieri poteſt, obliget.

Paritas autem inter exempla adducta, & caſum noſtrum conſiſtit in hoc, vt quando in obiecto aliquo ſpecialis inuenitur ratio, quæ non reperitur in alijs obiectis, tunc in diſpoſitionibus ſtricti iuris, vt ſunt vota, quando dubia eſt mens diſponentis, ſeu vouentis, obiectum illud, ſpecialem includens rationem, excludi debet, ac proinde præſumendum eſt diſpoſitionem, ſeu votum non extendi ad tale obiectum.

Ad argumentum autem in contrarium pro
11 ſententia † Spinulæ, reſpondere poſſumus, quamuis ſpectando ſignificationem naturalem verborum, ſeu ſenſum grammaticalem, ſub illis comprehendatur omnis commiſtio cum fœ-

minis

iuſta, & ſufficienter promulgata, ſtatim incipit
obligare, & exigit, vt acceptetur, atq; adeo ſub-
diti tenentur illam admittere, eamq; non reci-
pientes, ſi eam tranſgrediuntur, grauiter peccāt
licet trāſacto tempore, quod ius præſcribit, &
poſita bona fide in ſubditis poſteris, hi excu-
ſeatur, ſi legem illam non ſeruent, nam ipſa
lex abrogatur per deſuetudinem legitimè in-
5 trōductam. † Si verò non fuerit dubium, ſed
fuerint opiniones contrariæ ambæ probabiles,
quarum vna affirmet legem eſſe receptam; alia
verò neget; in tali caſu *Sanchez, Baldellus loc.
cit. & alij* dicūt poſſe ſubditos opinionem ne-
gatiuam ſequentes, abſq; peccato legem illam
non ſeruare, quia vnicuiq; licitum eſt amplecti
opinionem probabilem: at oppoſitum defendit
Merolla dub. cit. nu. 131. nam in pari caſu me-
lior eſt poſſidentis conditio, proinde cum pro
vtraq; parte, nempè pro receptione, & pro nō
receptione ſint probabiles opiniones, potior
videtur conditio legis, ex cuius parte ſe tenet
poſſeſſio, & ad illam rationem, quam pro ſe ad-
ducit Sanchez, videlicet poſſe ab vnoquoque
eligi probabilem opinionem, reſpōdet Merol-
la id eſſe intelligendum, quando nulla eſt poſ-
ſeſſio pro altera parte; nam poſſeſſio facit præ-
ualere partem, cui poſſeſſio adhæret.

Cæterum contra hanc interpretationem vr-
gere poſsūt Aduerſarij aientes axioma illud, *in
pari cauſſa &c.* intelligi, cum paritas verſatur
circa facti probationem, nō autem quādo ver-
ſatur circa ius, quia interdum iura dant ſenten-
tias cōtra poſſidentes ex vi opinionis proba-
bilis circa ipſamet iura, vt fusè oſtendit *Cardin.
De lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 16. ſec. 5. nu.* 94. Verū
hæc inſtantia nō fauet Aduerſarijs; quoniam ſi-
cuti receptio eſt quid facti, ita etiam negatio
ipſius receptionis; idcirco dum lex fuit pro-
mulgata, & incœpit obligare, onus proban-
di, eam non fuiſſe receptam, & progreſſu
temporis euanuiſſe, ſpectat ad illum, qui hoc
affirmat; ideoq; ſi hoc ſufficienter non pro-
batur, lex remanebit in ſua poſſeſſione, &
vigore. Neque dicas, vt lex obliget, probān-
dam eſſe eius receptionem; & dum hoc non
probatur, non obligare; nam, vt oſtendi-
mus, vigor legis eſt independens à receptio-
ne, quia ſubditi tenentur eam recipere: id-
circo dum non conſtat oppoſitum, præſumi-
tur receptam fuiſſe, vt diximus, ex conſenſu
Doctorum, quos citat Merolla, & meritò,
quoniam non recipere legem iuſtam, cum
ſit peccatum, non præſumitur, niſi
6 probetur: † Ex his igitur mi-
hi magis placet opinio
hæc, quàm op-
poſita.

§. III.

Dubitans an per deſuetudinem lex ſit abrogata, vtrum ab eius obligatione eximatur.

SVMMARIVM

1 *Sic ambigens non eximitur ab obligatione legis.*
2 *Certitudo precepti non eliditur incerta excuſatione.*

1 DICENDVM omninò eſt † ita
dubitantem non eximi à legis
obligatione: ſic *Salas in p. 2. tra.
8. diſput. vnica, ſect. 26. in fine.
Ioannes Sanchez in ſelect. diſp.
43. num. 8. Thomas Sanchez in
decal. lib. 1. cap. 10 num. 35. in fine. Caſtropal.
tom. 1. diſp. 3. pun. 7. num. 6. circa medium.
Baldell. tom. 1. lib. 4. diſp 9. num. 1.* obiter, *&
Merolla tom. 1. diſp. 3. num. 128. Ver. ſequitur
2 ſecundo. Lanfrancus opuſc. 1. cap. 3. num. 12.* †
Ratio autem eſt illa generalis, ſecundum quam
dicimus, certitudinem præcepti non euinci per
dubiam, & incertam excuſationem: cum autem
vt ſupponimus; conſtet de lege, & dubia ſit eius
derogatio, poſſeſſio ſe tenet ex parte legis, ſeu
legiſlatoris, atq; adeo non obſtante tali dubio,
quod eſt ſpeculatiuum, debet ſubditus ſibi for-
mare iudiciū, quo iudicet ſe teneri ad legem
illam ſeruandam, vſq; dum certitudinem de ab-
rogatione legis obtineat.

§. IV.

Ambigens an conſuetudo contra legem ſit nec ne introducta, nū fidem præſtare poſſit Doctori excellenti id affirmanti.

SVMMARIVM.

1 *Plures Iuriſtæ partem tuentur affirmatiuam.*
2 *Contrarium placuit alijs.*
3 *Conatur Maſcardus hos Authores conciliare.*
4 *In foro externo dictum vnius excellentis Doctoris præſumptionem ſolùm gignit.*
5 *In foro tamen conſcientiæ poterit eſſe ſufficiēs principium ad rectè operandum.*

6 *Non deijcitur ſententia authoris ex eo, quod conſuetudo ſit quid facti.*
7 *Doctrina adiuncta prudentiæ apta eſt mouerȩ ad prudenter iudicandum.*

1 QVAMPLVRES Iuriſtæ magni
nominis ✠ partem affirmatiuã
tuentur, inter quos primus eſt
Bartolus in l. de quibus nu. 21.
quæſt.4. ff. de liber. & poſth. &
multi alij, quos adducit *Maſca.*
de prob.concl.426.per totam; non enim præſu-
mendum eſt virum qualificatum eſſe mendacẽ,
vel imprudenter aliquid affirmare.
2 † Alij verò ſunt in oppoſita ſententia, videli-
cet dictum etiam excellentis viri fidem minimè
facere: ſic *Iaſon in leg.cit.num.89. Nauarr.in*
cap.placuit.d.6. à num.186. alijque apud Ma-
ſcardum, & Sanchez lib.7. de matr.d.17.nu.8.
quibus addo *Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 2.*
diff.39.num.11. Baſſæum in flor.v. conſuetudo
num.17. & ratio, qua ducuntur, eſt, quia in ijs,
quæ ſunt facti, etiam prudentes ſępe decipiũtur
l.2. ff. de iuris, & facti ignorantia; nam doctri-
na in his non videtur aliquid magis operari,
3 quàm carentia doctrinæ in alijs. † Hos Do-
ctores conatur *Maſcardus* cõciliare, ideoq; ait
dictum Doctoris teſtantis conſuetudinẽ ſolùm
præſũptiuè, non autẽ concludenter fidẽ facere,
& vtrumq; probat *ibid.* proinde Doctores, qui
partem affirmatiuã ſequũtur, explicari poſſunt
loqui ſolùm in ſenſu prȩſumpto. alij verò, qui
negant, loquutos fuiſſe in ſenſu cõcludente. Ap-
ponit etiam Maſcardus limitationem quam-
dã, nempè attendendum eſt an conſuetudo, de
qua Doctor teſtatur, ſit cõformis iuri commu-
ni, & non contraria, quia ſi tali iuri aduerſatur,
reijcienda erit, nam ius commune præponderat
dicto vnius, ac etiam plurium. Hæc apud lau-
datos Authores inueni.
4 Dicendum tamen eſt primò, † in foro ex-
terno dictũ vnius excellentis Doctoris ſolùm
ex quadam præſumptione fidem facere, vt rec-
tè notauit, & probauit *Maſcardus*, quod intel-
ligendum eſt, dummodo alij non cõtradicant;
at non facere plenam, & concludentem proba-
tionem, & hoc ob rationem tactam.
5 Dicendum eſt ſecundò, in foro conſcientię †
ſufficere dictum vnius ad operandum pruden-
ter: ita *Caſtropal.tom.1.d.3.tract.3.p.6. num.9.*
Diana par.6.tract.5. reſol.28. nam authoritas
viri excellentis ſufficientem gignit probabilita-
tem, ſi aliunde non infirmetur.
6 Neq; huic concluſioni officit † in ijs, quæ
ſunt facti, poſſe etiam doctos falli, quia ſi Do-
ctor ille eſt prudens, vt ſupponimus, præſumẽ-
dum erit, eum omnia conſideraſſe, & prudenter
7 iudicaſſe. † & falſum eſſe in his doctrinam non
iuuare: nam doctrina ſimul cum prudentia mo-
uent hominem ad diligentem inquiſitionem
veritatis, & ad prudenter iudicandum.

§. V.

In dubio an leges aliquæ ſub præcepto, an verò ſub conſilio latæ ſint, quid præſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Non eſt intentio Authoris examinare, an ſit de ratione legis obligare in foro conſcientiæ.*
2 *Lex in præſentia latè ſumitur.*
3 *In dubio præſumi legem ſub conſilio, & non præcepto latam eſſe, exiſtimarunt nonnulli.*
4 *Proponitur ratio in contrarium.*
5 *Pro ſolutione quædam præmittitur diſtinctio, & deciditur controuerſia.*
6 *Vrgetur in oppoſitum.*
7 *Occurritur inſtantiæ.*

1 IN prȩſenti quæſtione ✠ nõ intẽ-
dimus examinare cõtrouerſiam,
illam nempè, an ſit de ratione le-
gis aliquam obligationem con-
ſcientiæ imponere ſubditis, ita
vt ſi nullam talem obligationem
afferat, ſtatim ceſſet à ratione veræ legis, de qua
re fusè tractant Authores in materia legis, ab
2 hac autem, inquam, quȩſtione prȩſcindimus †
Rurſus in quȩſito ſub nomine legis non intelli-
gimus legem ſtrictè, & rigoroſè ſumptam; nam
certũ eſt, quod iſta obligationẽ trahat propor-
tionatam materiæ, circa quam verſatur, ſed lar-
gè ſumimus nomẽ legis, quatenus importat or-
dinationem quamdam Superioris, de qua quæ-
rimus, an in dubio prȩſumi debeat inducere ob-
ligationem in foro cõſcientiæ; an verò nullam,
ſed ſolùm prȩſumatur eſſe per modũ cõſilij ida-
ri autem directiones, quæ non ſint præcepta, aſ-
ſeritur à *S.Thoma 2.2.quæſt.186.ar.9.ad 2.* vbi
in lege diſtinguit aliqua tradita per modũ prȩ-
cepti obligãtia cõſcientiã, & aliqua per modum
ſolius ſtatuti, quę ab ipſo vocãtur ordinationes
obligantes ſolùm ad certã pœnam; idem ponit
Angelus v. Inobedientia n.1. & alij, quos lau-
dat, & approbat *Suarez lib.3. de legib.cap.22.*
num.5. & patet *ex cap. exijt, qui ſeminat, §. in*
primis quia de verb.ſign. in 6. & in Clem. exi-
ui: eod. tit. §. Nos circa, vbi Summus Pon-
tifex declarat non omnia, quæ in regula
S. Franciſci habentur, obligare ſub graui præ-
cepto, & conſtat etiam ex regulis aliquarũ Re-
ligionum, quæ ad nullam, neque venialem
culpam obligant. Hoc poſito procedit quȩ-
ſitum: vtrum lex aliqua, ita latè accepta,
ſeu ordinatio, in dubio præſumatur obligare
per modum præcepti ſtrictè ſumpti, an verò
ſolùm per modum conſilij?

Ad

3 Ad hoc dubium ſub his ferè terminis † reſpondet *Menochius de præſump. lib. 2. præſump. 3.* in dubio legem eſſe de præcepto, & citat *Archidiaconum in cap. vlt. §. vlt. d. 4.* vbi dicitur tantum legem eſſe de conſilio, quando id in ipſamet lege exprimitur, vel aliunde id cõſtat.

4 † Sed eſt ratio dubitandi in oppoſitum, fũdata *in regulis iuris*, in quibus habemus *in obſcuris minimum eſſe ſequendum*, ac proinde mitiorẽ explicationem eſſe adhibendã, & ex hoc principio quamplures, & magni nominis Authores conſiderantes verba quædam in legibus poſita, quæ ſunt indifferentia ad indicandum præceptum, an conſilium, ſtatuunt benigniorem partẽ recipiendam eſſe. vide *Sanchez in ſum. lib. 6. cap. 4. per totum* id fusè explicantem.

Ad ſolutionem tamen huius quæſiti cum diſtinctione quadam puto, procedendum eſſe.

5 † Dico igitur dubitationem ferri poſſe in duo, ſcilicet, vel in hoc diſiunctum, nempè an diſpoſitio iſta ſit vera lex, an potius ſimplex quędam directio, quæ rationẽ legis non habeat, vel poſito, quod conſtet, directionem illam eſſe verã legem, dubitetur an præceptum, an vero ſuaſionem quamdam contineat: ſi priori modo loquamur, poſt diligens examen, per quod inquiratur veritas ex conditionibus, & circũſtantijs, ſub quibus diſpoſitio illa proceſſit, mitior pars eſt eligenda; atq; adeo cenſendam eſſe puram directionem; non autem legem propriè dictam & conſequenter ſub conſilio, & non ſub præcepto latam fuiſſe. Contra verò ſi poſteriori modo res ſe habeat, tunc determinandũ eſt eſſe per modum præcepti, vt vult *Menochius*, ac proinde obligationem trahere, quæ eſt effectus rationẽ legis neceſſariò conſequens, vt rectè probat *Suarez lib. 1. de leg. cap. 14. per totum, & Merolla tom. 1. diſp. 4. cap. 3. dub. 23.*

6 Dices dari aliquas ordinationes, † quæ ſunt veræ leges, & tamen in foro cõſcientiæ ad nullam culpam obligare: ergo falſum eſt obligationem eſſe effectum neceſſarium legis; antecedens probatur ex multis, & ſufficit id ſuadere ex cõſtitutionibus, & regulis quarumdam Religionum, quæ ſub nulla culpa obligant ſubditos, & nihilominùs ſunt ordinationes habentes veram rationem legis.

7 Reſpondeo † aliud eſſe loqui de obligatione, vt ſic, aliud de obligatione in conſcientia. Primum latiùs patet quàm ſecundum, nam obligatio legem conſequens, poterit immediatè ferri in pœnam aliquam, & nõ in culpam, & poterit interdum ferri in culpam; fateor ergo aliquas ordinationes eſſe veras leges, quæ tamẽ ſub nulla culpa, etiam veniali, obligant, vt probat inſtãtia facta de regulis Religionũ; at obligant ad luendam pœnam, ſiue ordinariam trãſgreſſionibus impoſitam, ſiue extraordinariam imponendam Superioris arbitrio, ſed de hac materia fusè in tractatu de legibus ſermo habetur. vide *Suarez loc. cit. & lib. 3. cap. 22.*

§. VI.

Lex in conſcientia obligans, vtrũ in dubio iudicanda ſit obligare ſub mortali, an verò ſub veniali.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt ſubditi per leges ciuiles in conſcientia obligari.*
2 *Difficultas ex duplici ſuboritur capite.*
3 *Teneri ſub graui obligatione legem ſeruare, tali exiſtente dubio, plures cenſuerunt.*
4 *Contrarium tuentur Alij.*
5 *Hæc ſententia magis placet Authori.*
6 *Cognita legiſlatoris intentione, ſi dubium verſetur circa materiam, ſub graui culpa hæſitans aſtringitur.*

1 SVPPONIMVS † poſſe interdũ ſubditos in conſcientia per leges Ciuiles à legiſlatore ſub lethali culpa obligari, quo poſito, inquirimus quid præſumendum ſit, quoad quantitatem, & qualitatẽ obligationis, data certitudine legis, & ipſius obligationis. 2 † Difficultas autem ex duplici capite prouenire poteſt, videlicet, vel ex eo, q. non apparet qualis ſit ipſius legiſlatoris intentio; ideoq; de illa dubitetur, vel etiam ſi cõſtet velle ſub graui culpa obligare: dubium ſit de materia legis, ſeu pręcepti, nempè, an ſit leuis, an verò grauis, & per conſequens dubitetur, an ſit materia grauis obligationis capax. His præmiſſis, ſi ſermo erit de primo, duas inuenio ſententias; 3 † Prior enim vult in tali dubio teneri dubitantem ſub graui obligatione ad legem ſeruandam, ne peccãdi periculo ſe exponat: ſic *Salas de legib. diſput. 10. ſect. 2. num. 12. in fine, & diſput. 13. ſect. 2. num. 23. ver. (Ad audientiam.) Valent. to. p. 2. diſput. 7. quæſt. 5. p. 6. in ſecundo ſigno dignoſcendi, quando lex humana obliget &c. Layman in ſum. trac. 4. cap. 2. num. 6. Sayrus in clau. reg. lib. 3. cap. 7. num. 29. Toletus tract. de ſeptem pecc. mort. cap. 26. dub. vlt. Alphonſ. de Caſtro lib. 1. de leg. pœn. cap. 3. docum. 4. in fine. Medina Cod. de ieiun. quæſt. 19. §. ſupereſt tamen. in fine, & alij.*

4 Poſterior ſententia † aſſerit, quod rectè perſpectis regulis, quæ proponi ſolent ad dignoſcendã legiſlatoris intentionẽ, de quibus quãplures agunt, vt *Sanchez lib. 6. ſum. cap. 4. Bonacina loco infra citando, & alij*; ſi adhùc perſeuerat dubium, præſumendum eſſe legem illam non obligare, niſi ſub veniali; & hanc fuiſſe intentionem legiſlatoris: ſic *Nauarrus in Enchir. capit. 22. numero 50. Bonacina*

tract. de legib.diſp.1.quæſt.1.p.7.§ 4. num.31. Diana par.2.tract.10,reſol.20. Primò, quia, vt habetur *ex regulis iuris in 6. in obſcuris minimum eſt ſequendum*; at in caſu poſito obſcura eſt obligatio: ergo minima eſt admittenda, nempè ſub veniali; Præterea ſubditus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; proinde in dubijs eſt obligandus quantùm minus fieri poteſt. Hæ autẽ ſunt Doctorum opiniones, circa præſens punctum, quid vero cenſeam; aperio,

5 Dicendum eſt primò † hanc ſecundam ſententiam ob rationes aſſignatas magis mihi placere, cum hac conditione, vt regulæ ad inueniendam intentionem legiſlatoris diligenter ſint prius expenſæ, tum ex parte materiæ, tùm ex verbis, tùm ex communi aliorum exiſtimatione; nã ſi ex his capitibus diſcuſſio fuerit neglecta, grauiter peccabit ſubditus tranſgrediens legem ratione periculi, vt dictum eſt, at bene penſatis omnibus, ſi extat dubiũ, placet hæc ſecunda opinio ob rationes pro eadem aſſignatas.

6 Dicendum eſt ſecundò, † quando ex verbis legis, vel ex alijs capitibus dignoſcitur, ꝙ voluntas legiſlatoris ſit ſub graui culpa; velle ſubditos obligare, & dubitetur ſolũ de materia, nempè, an ſit grauis, aut leuis, atq; adeò, an ſit capax, vel incapax grauis obligationis, tunc tenetur ſubditus ſub graui peccato legem, aut Superioris præceptum ſeruare. ſic docet *Corduba in reg.S.Franciſci cap.10.quæſt.3. p. 1. Sotus in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. concl.1. Arag.in 2.2. quæſt.62. ar.3. concl.6.§. (Et ſi quis quærat.) Sanchez in ſum. lib.6. cap.4.nu. 46. Merolla tom.2.diſp.4.cap.3. dub.26.num. 214.& alij.* Ratio autem eſt, quia cum ex vna parte conſtet, ſiue ex verbis præceptiuis, ſub quibus lex lata eſt, ſiue ex alio capite, mens legiſlatoris volens obligare per legem illam ſub graui culpa, & ſolùm dubium ſit de capacitate materiæ, nulla poſſeſſio eſt pro ſubdito, ſed tota eſt pro Superiore; atq; adeo pro ipſo præſumendum eſt, & iudicandum rectè omnia perſpexiſſe, & conſequenter exiſtimaſſe materiam eſſe grauem in ordine ad finem intentũ, & ideo capacem grauis obligationis, & ita lex iſta, ſi aliud in contrarium non conſtet, obligabit ad ſui obſeruationem ſub peccato mortali.

§. VII.

Si quis anceps maneat, an conſuetudo inducta ſit intuitu deuotionis, an verò obligationis quid præſumi debeat?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio docet in dubio iſto præſumi conſuetudinem ſub præcepto aſtringere.*
2 *Secunda vult pro libertate eſſe præſumendum*
3 *Hæc ſecunda recipitur ab Authore.*
4 *Referuntur coniecturæ ad dignoſcendum, quando conſuetudo ex ſola deuotione, quando verò ex præcepto inducta fuerit.*

SI perpenſis omnibus coniecturis, ex quibus mens conſuetudinem introducentium deprehendi poterit, & adhùc ambiguitas perſiſtat duas in hoc contrarias inuenio ſententias.

1 Prima enim ea eſt, † quam tuentur *Azor p. 1.lib.5.cap.18.quæſt.4.& Reginaldus in praxi tom.1. lib.13.num. 244. Rocchus de Curte de conſuet.ſec.4.* aſſerentes in tali dubio præſumẽdum eſſe conſuetudinem ſub præcepto obligare.

2 Secunda opinio † contrarium docet, nimirũ in dubio potius eſſe inclinandum pro libertate, quàm pro obligatione; ideoq; conſuetudinem potiùs ex deuotione, aut ad meliùs eſſe, quàm ex obligatione eſſe inductam: ita *Suarez lib. 7. de legib. cap.15. num. 13. Bonacina de leg. diſp.5.ſect.2.num.3. Merolla tom.3.diſp.5.cap. 3.dub. 2. num. 31. Diana par. 1. tract. 10. reſol.30. & par.4.tract.3.reſol.58. Caramuel de conſc.dictam.lib.3. c.1.diſp.1. corol.44.alijq;*

3 Dicendum eſt † cum hac ſecunda ſententia, & ducor ad eam aſtruendam ex eo, quod obligatio cum ſit odioſa, niſi certò conſtet, non eſt admittenda; Coniecturæ autem, ex quibus infertur intentio obligandi ponuntur à *Suarez*

4 *loc.cit.* † Primò vt ſit conſuetudo longi temporis, & rei grauis, & à maiori populi parte ſeruetur. Secundò, vt viri prudentes, & pij nõ rectè ſentiant de non ſeruantibus eam. Tertiò, ſi Superiores ſiue ſpirituales, ſiue temporales puniãt, vel reprehẽdant tranſgreſſiones. Quartò, vt materia illa, de qua eſt conſuetudo, conducat ad commune Reipublicæ bonum &c.addo aliam, nempè ſi redundet in maius Dei obſequium, quàm ſit oppoſitum.

§. VIII.

Conſcientia ſit ne deponenda, ſi intellectus titubet, an ſit parendi obligatio?

SVMMARIVM.

1 *Circa tria quæſitum verſari poteſt.*
2 *Superiori docto, & prudenti, ſi præcipiat tenetur ſubditus in dubio deponere conſcientiam, & obedire.*
3 *Deficiente Superiore, aut ſecundum doctrinam, aut prudentiam, debet ſubditus, vel per ſe ipſum*

ipſum, vel per alios examinare honeſtatem præcepti, & iuxta ſui ipſius vel alterius dictamen operari.

4 *Si caſus vrgeat, & nequeat ſubditus, aut per ſe ipſum, aut per alios decidere, debet deponendo conſcientiam, obedire.*

5 *Exiſtente Superiore in ſua poſſeſſione, tenetur ſubditus illi parere, quando dubium eſt de poteſtate præcipiendi, ſecùs ſi in poſſeſſione non reperiatur.*

6 *Ambiguitas emergens de extenſione iuriſdictionis ad hunc caſum, non tollit obligationem parendi.*

1 DVbium hoc † circa varia verſari poteſt. Primò, circa rem ipſam, de qua eſt præceptum; dubitando an ſit licita, an verò illicita? ſecundò, circa poteſtatem illius, qui præcipit, dubitando, an ſit legitimus Superior, nec ne? Tertiò, ſupponendo eſſe legitimum Superiorem, ſed dubitando, an eius iuriſdictio ſe extendat ad hunc caſum: His præhabitis.

Dicēdū eſt primò, ſi de priori ſit ſermo, & Su-
2 perior ſit doctus, & prudens, † tenetur ſubditus deponere dubium, & obedire, formans ſibi conſcientiam, quod ille Superior rem benè perpenderit, & iudicauerit eſſe licitam, & honeſtā.

Dicendum eſt ſecundò, ſi Superior † ſit in-
3 doctus, aut imprudens, tunc ſubditus ſi per ſe ipſum nequeat ſe extricare à dubietate illa, debet viros doctos conſulere, eorumq; dictis acquieſcere.

4 Dicendum eſt tertiò, † ſi caſus vrgeat, & tempus, non permittat, vt ſubditus conſilium ab alijs petat, cenſeo ſufficiens habere fundamentum deponendi practicè conſcientiam, quia dum non agnoſcit manifeſtum eſſe peccatum in re præcepta, & dubium hic, & nunc ſit inſuperabile, debet Prælato obedire.

5 † Dicendum eſt quartò, ſi dubium procedat ex ſecundo capite eſt diſtinguendum: vel ille, qui præcipit eſt in poſſeſſione Superioratus, vel adhùc non eſt in tali poſſeſſione; ſi primum, in tali dubio tenetur ſubditus obedire, quia præſumptio eſt in fauorem præcipientis; ſi ſecundum non tenebitur, poſt diligentiam adhibitam ad inquirendam veritatem, perſeuerante dubio.

6 Dicendum eſt quintò, † ſi verò ex tertio capite oritur dubitatio, cenſeo eſſe obediendum ob eandem rationem.

§. IX.

In dubio, an ratione ætatis, aut temporis lex aliqua vrgeat, eſt ne ſeruanda?

SVMMARIVM.

1 *Expenditur quæſitum in legibus Eccleſiaſticis.*

2 *Subditus ita hæſitans, excuſatur ab harum legum obſeruatione.*

3 *Corollaria in quibus nonnulla ad præſentem doctrinam pertinentia, deciduntur.*

1 CONSVEVERVNT Doctores præſens quæſitum expendere in quibuſdam Eccleſiaſticis legibus, v. g. ieiunandi, dies feſtiuos celebrandi, & ſimilibus, Cæterum antequam ad particularia deueniamus, quid in vniuerſum de propoſita quæſtione ſit dicendum aperiemus, vt ex eius deciſione, veluti ex quodam generali principio, nonnullas in ſpecialibus materijs concluſiones inferemus.

2 Dicendum igitur eſt † non teneri ſubditū legem illam ſeruare, ſi poſt diligentiam adhibitam ad veritatem inueniendam; intellectus adhuc in ancipiti verſetur. Eſt ſententia ſatis cōmuniter recepta, & inter alios eam docet *Sanchez de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 38. Layman in ſum. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 33. Ioannes Sanchez in ſelect. diſput. 43 num. 6. Caſtropal. tom. 1. diſput. 3 pun. 8. num. 7.* alijq; apud ipſos agentes in caſibus particularibus; & apud *Dianam par. 4. tract. 3. reſol. 21.* Probatur concluſio ratione vniuerſali, & fundamentali: Quoties lex aliqua, aut præceptum aliquam præuiā ad ſui obſeruationem requirit conditionem, non incipit obligare, niſi conditione illa poſita; ergo non obligantur ſubditi legem illam ſeruare, ſi poſt diligens examen intellectus in ancipiti verſetur; antecedens non indiget probatione, quia lex non alio modò obſtringit, niſi eo modo, & forma, ſub qua à legiſlatore emanat, & cum ſupponatur inſtituta taliter fuiſſe, vt poſt conditionem determinatam incipiat habere vigorem, conſequens eſt, vt dicamus non obligare, niſi ea conditione poſita. Conſequentia autem ex iſto antecedente deducta, ſic oſtenditur: Quando nō cōſtat de cōditione purificata, ſubditi manēt in poſſeſſione ſuæ libertatis, proindè in dubijs, eſt melior cōditio poſſidentis, quod principium etiam in alijs materijs à iuſtitia locum habere initio huius diſceptationis demonſtrauimus; idcirco rectè inferimus, non conſtante conditione purificata, ſubditos non teneri.

Ex

3 Ex hac concluſione † plures illationes fieri poſſunt in particularibus materijs. Et primò deducimus, non teneri dubitantem ad ieiunandum diebus inſtitutis, ſi dubitet an vigeſimum primum compleuerit annum ſuæ ætatis, nam tale tempus poſtulat lex Eccleſiaſtica ad obligandos fideles, vt ieiunent; & ratio eſt ſupradicta vniuerſalis, qui cum legiſlator fundet ſuam intentionem ad obſtringendum, poſita tali conditione, nempe tali tempore ætatis, ſi hoc non conſtet, manent Fideles in ſua natiua, & naturali libertate. contrariũ docet *Breßerus lib. 4. de conſcien. cap. 7. n. 61.* Secundo deducimus ambigentem, an media nox Iouis, ſeu alterius diei ante ieiunium ſit nec tranſacta, ſi diligentia adhibita, perſeueret dubium, poſſe carnes comedere, quia dies præcedens diem ieiunij, cum fuerit prius in ſua poſſeſſione, quàm dies ſubſequens, nõ præſumitur in dubio completus, neque dies ſubſequens poſſidere incæpiſſe. igitur poterit dubitans carnes edere. Sic determinat *Caramuel lib. 3. de dict. conſc. ca. 1. diſput. 1. coroll. 15.* & plures, quos ipſe laudat. An autem iſte talis poſſit die ſequenti ſacram ſumere Euchariſtiam, determinabimus infra *diſcept. 7.* cum ſermo erit de conſcientia dubia circa Sacramenta. Tertio, inferimus vacillantem, an hodiernus dies ſit feſtiuus, & ſub præcepto poſſe adhuc, ſi dubiũ expellere nequeat, opera ſeruilia exercere, Sacrum non audire, &c. ita *Suarez de cenſur. diſput. 40. ſect. 5. num. 15. Caramuel coroll. 21. & alij.* contra *Breſſerum loc. cit.* Quarto dubitantem, an tranſacta ſit media nox Sabbathi, & dies Dominicus ſit incæptus, non poſſe comedere carnes, & ſi ſit peruigilium alicuius Sancti, neq; poſſe ieiunium frangere, & hoc ob eandem rationem; nam dies Sabbathi, aut dies peruigilij ſunt in poſſeſſione, & ipſi dubitanti incumbet onus probandi eſſe diem Sabbathi, &c. tranſactum. *Caramuel Coroll. 22.* loquens de Dominica Palmarum, quando quis dubitat eſſe Dominicam Paſchæ; ait, non poſſe ita dubitãtem credere eſſe diẽ Paſchæ cũ enim ieiunium quadrageſimale ſit in poſſeſſione, nequit, vt ita dicam ſpoliari tali poſſeſſione manente tali dubio. Quinto inferimus titubantem, an habeat ætatem requiſitam, vt ad aliquam ex ſacris ordinibus promoueatur, non poſſe promoueri, quia ætas inſufficiens eſt in poſſeſſione. Sic *Caramuel Coroll. 23.* aliiq; apud ipſum remiſſiuè.

&c.

*

§. X.

Tenetur ne, dubitans de legitima Iudicis interrogatione, ad eius mentem reſpondere?

SVMMARIVM.

1 *Eſſe aſtringendum, ſuſtinent plures.*
2 *Non teneri, cenſuerunt alij.*
3 *Hoc vt probabilius eligitur, cum de re graui eſt ſermo.*
4 *Secus ſi de re leui.*
5 *Declaratur grauitas damni ſufficiens ad excuſandum.*
6 *In delictis lædentibus bonum communitatis, teſtis in dubio tenetur Iudici reſpondere ſecundum veritatem.*
7 *Limitatur ſententia.*
8 *Quando teſtis eſt excuſatus non reſpondens ad mentem iudicis, non afficitur excommunicatione.*
9 *Doctrina hæc datur tum pro ſæcularibus, tum Religioſis.*
10 *Non eſt ſermo de manifeſtatione delicti à Religioſo facienda Superiori, vt Patri.*
11 *Interdum etiam ab hoc excuſabitur.*
12 *Soluuntur obiecta.*
13 *Diſcrimen inter obligationem ſoluendi tributum, quando de eius iuſtitia ambigitur, & inter obligationem Rei ad veritatem Iudici aperiendam.*

1 PARTEM affirmatiuam † docet *Paludanus in 4. diſt. 19. quæſt. 4. in ſolutione argumentorum 16. Antonin. par. 3. tit. 9. cap. 5. Bonacina in decal. præcep. 8. diſp. 1. q. 4. quæſt. 3. p. 2. num. 4. & Ioannes Sanchez in ſelect. diſp. 43. num. 18.* ducuntur hac ratione, quia Superior cum ſit in poſſeſſione ſuæ iuriſdictionis, atq; adeo præcepti imponendi, in dubio pro illo eſt præſumendum, & decidendum; & ideo ſubditus tenebitur in dubio de legitima interrogatione, reſpondere ad mentem Iudicis. Secundo probari poſſet à pari in alio ſimili; nam quando ſubditus dubitat de iuſtitia tributi impoſiti, obligandus erit ad eius ſolutionem; præſumitur enim iuſtè à Superiore impoſitum fuiſſe, vt affirmat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 33. nu. 64. & alij.* igitur ſicuti in materia tributorum præſũptio eſt pro Superiore, quando eſt dubium impoſitioni ſuperueniens; Ita in actione iudicandi, quando ex parte ſubditi eſt dubium de legitima interrogatione iuxta ordinem iuris, præſumptio erit pro Iudice interrogante.

2 Partem autem negatiuam, † videlicet in tali dubio, quando veritas innoteſcere nequit, ſubditum nõ teneri ad Iudicis mentem reſpondere

docent

*docet Sotus lib.5.de iuſt.quæſt.6.art.2.ver.Ex
his autem, & de ſecreto teg.memb. 2. quæſt.7.
poſt tertiã concl.ver. At vero, & mẽb.3.quæſt.
2.concl.2. Rodrig. in qq.reg.tom.3. quæſt. 19.
art. 4. in fine. Henriquez lib.4.de irregul.cap.
3.num.3.in comen,lit.x. Sanchez in ſum.lib.6.
cap.3.num.24.& in conſil.lib.6.cap.3.dub.31.
Fagundez in decal.in 2.præcept.lib.2. cap.11.
num.18. Cardinalis Delugo tom.2.de iuſt. diſp.
40.ſect.1.num.3. Dicaſtillo de iuſt.lib.2.tra. 1.
diſp.6.dub.1. Thomas del Bene de comitijs du-
bit. 2. ſection. 1. num. 6. Paſqualigus in ſuis
moral.deciſ.loquens de teſte.deciſ. 219.& alij
tum Antiqui, tum Recentiores apud Sanchez.*

3 Dicendum eſt † cum hac ſecunda ſententia,
quando agitur de re graui, & imminet pericu-
lum, ſi veritas manifeſtetur, contra ipſum
Reum, vel contra aliam tertiam perſonam, &
cum hac limitatione Authores citati defendunt
hanc opinionem, quam ſic probo: Reus ma-
net in poſſeſſione propriæ vitæ, aut honoris,
ſeu famę; ergo dum non conſtat, Iudicem pro-
cedere iuris ordine ſeruato, Reꝰ nõ tenebitur in
dubio, diſcrimini vitę, aut honoris ſe exponere.

4 † Dicendum eſt ſecundo. Si agatur de re le-
ui, in dubio tenetur Reus Iudici interroganti
iuxta eius mentem reſpondere: ſic Authores
citati pro ſecunda opinione. Probatur conclu-
ſio, quia dum agitur de rebus parui momenti,
Reus veritatem aperiens non ſe exponit peri-
culo damni notabilis, & ſic ceſſat ratio celan-
di delictũ leue, nam tunc præponderat poſſeſ-
ſio iuriſdictionis ex parte Iudicis, quę euinci
nõ debet leuis dãni timore. Eſt aũt hic explicã-
dũ, quid per damnũ notabilę, & leue in ſubiecta
materia à nobis intelligatur; Authores enim
hoc minime declarant, quamuis ex eorum do-
5 ctrina aliquo modo colligi valeat. † Aio igi-
tur per damnum graue, ſeu notabile intelligi
mortem, mutilationem membri, aut pœnam
ad perpetuas carceres, ad triremes per diutur-
num tempus, vel quid ſimile. Rurſus amiſsio-
nem omnium, vel ferè omnium bonorum tem-
poralium, vel eorum magnam partem, deniq;
detractionem in honore, aut fama, ſi Reus erit
perſona nobilis, & apud alios in exiſtimatio-
ne. Per damnum verò leue intelligimus hic le-
uem aliquam corporis caſtigationem, aut pau-
carum pecuniarum ſolutionem, &c. Hæc autem
non debent ita æſtimari, vt præponderent iuri,
quod habet Iudex ad interrogandũ, ſi erit pro-
batæ vitę, & prudens, quem Reus debet iudi-
care cum debito ordine ad interrogandum
proceſsiſſe.

6 † Dicendum eſt tertio. Si delicta, ſuper quæ
Iudex interrogat, contra bonum commune
vergant, vt eſt hęreſis, rebellio, ſeditio, &c.
tunc ſi interrogatur teſtis, tenebitur in eo du-
bio veritatem fateri; in tali enim caſu ma-
gis rectæ rationi conſentaneum videtur expo-
nere periculo priuatam perſonam, quãuis aga-
tur de pœna capitali, quàm exponere periculo
deperditionis Rempublicam, aut aliam cõmu-
nitatem. Et confirmatur, quia etiam præſcin-
dendo à Iudicis interrogatione, obligabitur te-
ſtis manifeſtare delictum, ne communitas pe-
riclitetur. Idem etiam aſſerunt Doctores de
damno contra priuatam perſonam, ſi adhuc
pendeat, quia conditio innocentis præponi de-
bet contra delinquentem, qui malum machina-
7 tur. † cæterum concluſio iſta admittit limita-
tionem; nam ſi crimen ſit iam tranſactum, &
Reus ſit emendatus, ita vt nullum ſit periculum
contra communitatem, &c. tunc teſtis dubitans
de legitima interrogatione, non tenebitur. Di-
xi, teſtem teneri, nam Reus ipſe non videtur
obligandus, quia ceſſare poteſt à dolo, quem
ipſe molitur. Sic *Sanchez in conſilijs loc. cit.
num.4. ex alijs.*

Dicendum eſt quarto. In illis caſibus, in qui-
bus ſtatuimus ſubditos non teneri in dubio ad
reſpondẽdum iuxta Iudicis interrogantis ſen-
8 ſum, † aſserimus id eſſe ſuſtinendum, quam-
uis ſub pœna excommunicationis id præcipia-
tur: ita docet *Sanchez dub. illo. 31. num. 7. ex
Soto.* & ratio eſt, quia excommunicatio iſta eſt
interpretanda vim habere in ijs, ad quæ ſubdi-
tus tenetur, & quę omittens, grauiter peccet:
cum autem, vt oſtendimus, in illis caſibus ceſ-
ſet obligatio in ſubdito ad veritatem aperien-
dam; idcirco omiſsio, ſeu taciturnitas de rebus
petitis non erit peccaminoſa, atq; adeo excom-
municatio contra illam efficax non erit.

Dicendum eſt quinto. Quę diximus in
præcedentibus, intelligenda eſſe vniuerſaliter,
9 non ſolùm in ordine ad Laicos, † verum
etiam ad Religioſos, quando agitur de iuridi-
ca manifeſtatione delicti, nempe de illa, quæ
fit ad Prælatum, tãquam Iudicem, & ad puniẽ-
dum; ſi enim Prælatus regularis interrogaret
Religioſum ſibi ſubditum de re magni momen-
ti, & Religioſus rationabiliter dubitaret, an
Prælatus legitime interroget, eſſetq; periculum
grauis pœnæ Reo infligendæ, tunc Religioſus
non teneretur reſpondere, ſiue interrogaretur
vt Reus, ſiue vt teſtis de alieno delicto, niſi ſit
tale, quod contra bonum commune tendat. Sed
in hac re aduertant Religioſi non ita facilè re-
uocandum eſſe in dubium, an interrogatio ſit
nec ne legitima? quia Prælati Regulares, &
pręſertim in Religionibus, in quibus regu-
laris diſciplina viget, ſolent eſſe docti, &
prudentes: proinde erit potius iudicandum
ipſos non temerè, ſed iuris ordine ſeruato
proceſsiſſe.

10 † Dicendum eſt ſexto. Doctrinam prædic-
tam, quatenus eximit ſubditum à manifeſtatio-
ne delicti, non eſſe ſumendam de manifeſtatio-
ne, quæ fieri poteſt Pręlato regulari, tanquam
Patri, & non ad vindictam delicti ſumendam,
ſed ad delinquẽtis emendationem, & hoc, quia
damnum, quod religioſus Reus ex tali mani-
feſtatione pati poterit, eſt leuiſsimum, & maxi-
mè in ordine ad communitatis bonum, & ad
profectum ſpiritualem ipſius ſubditi, qui non
debet ita ſuę famę eſſe addictus, ſicuti ſęcula-
res, quando aliqua famæ denigratio non re-
dundat in iniuriam Religionis, & ſolùm apud

ſupe-

Superiorem habetur, & etiam, quia fama Religioſi potius eſt Religionis, quam ipſius Religioſi, vt optime notat *Ribadeneira de inſtituto Societatis c.35.ver.(la ſegunda) & Suarez tom.4 de relig.lib.10.cap.9.nu.12. & ſequent.* ideoq; ſi Prælatus interroget ſubditum de aliquo crimine, quod à Religioſo patratum fuit, ſubditus, qui interrogatur, poterit, & interdum in conſcientia tenebitur Superiori, vt Patri,
11 delictũ aperire ad finem emendationis. † Dixi interdum, quia aliquando non obligabitur, immò etiam aliquando debet illud non manifeſtare, ſi delictum ſit occultum, & conſtet eſſe ſufficienter ab ipſo Reo correctum, nullumq; eſſe periculum noui, & iterati lapſus, vt rectè probat *Suarez in ſumm: lib.6.cap.18.nu.49. Sanchez cap.cit.nu.17.* Admonitos deniq; volo ſubditos Religioſos, ne ita ſint proni ad ſibi perſuadendum Reum emendatum, & omnem occaſionem labendi eradicatam fuiſſe, quia ſæpe euenit, vt paſsionibus, & affectu ducti erga delinquentem, non rectum forment iudicium de neceſſaria manifeſtatione facienda Prælato tanquam Patri; quapropter in his euẽtibus bene omnia, quocumq; terreno affectu remoto, perſpiciant, & in Domino conſiderent, & ſi opus ſit viros doctos, & pios eiuſdem religionis conſulant, & ſic determinent quid hìc, & nunc ſit faciendum, videlicet an debeant delictum manifeſtare modo explicato, an verò à tali manifeſtatione ſe abſtinere.

12 † Ad primum argumentum pro ſententia priori loco relata reſpondeo: Sicuti Superior dicitur eſſe in poſſeſsione ſuę iuriſdictionis, &c. ita & ſubditus in poſſeſsione ſuę libertatis, quę in hoc caſu pręualere debet; cum enim agatur de graui, & notabili pręiudicio illius, qui interrogatur, vel alterius tertij, & non conſtet, an Iudex interrogando procedat iuxta directionem ſuę iuridictionis, an eius limites excedat, non videtur rationi conſonum, vt ſubditi cum tanto diſpendio, & vitę periculo, aut alterius damni notabilis obligentur ad reſpondendum iuxta Iudicis mentem, qui cum poſſit ſubdito aperire ſtatum cauſſę, & probabilitatem illam, quam habet contra ipſum delinquentem, & hoc non faciat, ſibi imputetur, ſi ſubditus ęquiuocando reſpondeat. In rebus autem leuibus, cum non agatur de notabili pręiudicio ſubditi, potius pro Superiore eſt pręſumendum, atque adeo poſſeſsio iuriſdictionis, quę in Superiore inuenitur præponderat poſſeſsioni libertatis, quam habet ſubditus, quę ſolùm prænalere debet, quando agitur de notabili pręiudicio ipſius ſubditi, quia tunc poſſeſsio ſubditi coniuncta cum periculo grauiſsimi detrimenti euincit poſſeſsionem illam, quę eſt in Iudice exceptis caſibus Superius enarratis.

Ad ſecundum, non eſt ita facilis ſolutio, cum prorſus eadem videatur paritas, & ſic de facto aliqui docent in dubio de iuſtitia tributi, non eſſe ſubditos obligandos ad illud ſoluendum; & ideo ſi hanc vellemus recipere ſententiam, reſponſio ad argumentum eſſet parata concedendo paritatem; Sed quia oppoſita ſententia ab alijs defenditur, quę aſſerit in dubijs pro principe, ſeu Republica tributum imponente eſſe præſumendum; atq; adeo teneri ſubditos, non obſtante tali dubio, illud ſoluere; conabor inter vnum, & alium caſum, diſparitatem aſsignare, quamuis apud noſtræ ſententiæ ſectatores inuenire nequaquam potuerim.

13 † Vt autem hoc à me plenius præſtetur, ſuppono ex communi doctrina, Iudicem teneri ſtatum cauſſæ Reo aperire, & ſi omittat, abſq; dubio Reus non obligabitur ad veritatem manifeſtandam, & de hoc puncto non contendunt Aduerſarij; Sed controuerſia eſt quando à Iudice explicatur ſtatus, & adhuc Reus dubitat de legitima interrogatione, & nos dicimus non teneri; nam & ſi poſſeſsio libertatis, quæ reperitur in Reo per ſe, euincatur à poſſeſsione, quàm habet Superior ad præcipiendum, nihilominùs poſſeſsio illa ſubditi adminiculata, nempè coniuncta cum periculo imminentis, & notabilis damni præponderat nudæ poſſeſsioni, quam Iudex habet, & ideo in hoc caſu, quando adeſt tale dubium excuſandus erit Reus ſi æquiuocet.

Cæterum in ſoluendis tributis res non ita ſe habet, quia damnum, quod ſubditus patitur eſt leue, vel non eſt adeo graue, vt faueat poſſeſsioni illius libertatis, quæ eſt in ſubdito, & eneruet ciuilem poſſeſsionem Superioris exigentis, ad ſui, vel Reipublicæ neceſsitates ſubleuandas, tributum illud. Addo aliam practicam diſparitatis rationem, nam ſi Princeps teneretur ſubditis manifeſtare iuſtitiam tributi imponendi, deberet illis aperire omnes conditiones, quas Doctores requirunt, tum ex parte cauſſæ finalis, tum ex parte cauſſæ formalis, quod eſt impoſsibile, non ſolum ob multitudinem ſubditorum, verum etiam ob eorum incapacitatem; nam maior pars continet perſonas idiotas, quæ nequeunt diſcernere neceſſarias conditiones à non neceſſarijs ex parte finis, formæ, &c. contra vero in cauſis iudicialibus ceſſat vtraque ratio, nam Reus eſt vnus, vel alter, res, quæ aperire debent ſunt coniecturę conſiſtentes in geſtis ipſius Rei, præterea ſũt teſtes, qui an ſint ſuſpecti, nec, ne ſcitur ab ipſo Reo; proinde inter vtrumque caſum non eſt paritas, ergo in caſu iſto dubium facit præualere poſſeſsionem ſubditi, non autem in caſu tributi.

§. XI.

Quando eſt ambiguitas, an caſus aliquis ſub lege comprehendatur, quid præſumendum?

SVMMARIVM

1 *Remiſſiuè in alium locum deciſio reijcitur.*

1 QVÆSITVM, ✠ quod proponitur non eſt leuis momenti, multàq; pro ſui deciſione trahit, & inuoluit valdè difficilia, & implicata, quæ perfectam Epijkiæ notitiam ſupponunt de qua cum capite ſequenti diffuſiùs inſtituere decreuerimus ſermonem, proinde deciſionem ipſam in eum locum remittimus, ne earũdem rerum repetitio legentibus moleſtiam afferat; ideoq; ad alia digredimur.

§. XII.

Titubans graue ſibi nocumentum obuenturum, ſi aliquod ſeruet Eccleſiaſticum præceptum, vtrum diſpenſatione indigeat, vt ab obligatione eximatur?

SVMMARIVM.

1 *S. Thomas loquens de lege ieiunij requirit in dubio diſpenſationem Prælati.*
2 *Alij dicunt Medici conſilium eſſe adhibẽdum.*
3 *Non eſſe opus diſpenſatione nonnullis placet, ſi Medicus peritus videat aliquem eſſe eximendum ab obligatione legis, ſecùs ſi ipſe Medicus dubitet.*
4 *Alij in dubio aiunt non eſſe neceſſariam diſpenſationem.*
5 *Bonacinæ ſententiã eſſe ſuſpectam, & non fuiſſe rectè à Caramuele intellectam.*
6 *Solum Medici periti conſiliũ ſatis erit ad excuſandum, vel in eius defectu alterius viri prudentis ſenſus.*
7 *Si Medicus dubitet, adhibenda erit diſpenſatio*
8 *Vrgetur in contrarium.*

1 VARIAS apud Authores reperio loquutiones. ✠ Et primo loco refero *Angelici Doctoris ſenſũ in 2.2. qu. 147. ar. 4.* vbi agens de præcepto ieiunij, in fine corporis ait in cauſſa dubia ad Superiorẽ, qui poteſtatẽ habet diſpenſandi, eſſe recurrendum, nihil autem tangit de Medico.

2 At † *Sotus lib. 10. de iuſt. quæ. 5. ar. 3. immediatè ante verſum (At de alijs)* vult eſſe adhibendum Medici conſiliũ, & Prælati authoritatẽ & ita etiam loquitur *Graffius par. 1. deciſ. lib. 2. cap. 54. n. 2. Tho. Sãchez lib. 7. conſ. dub. 45. n. 2*

3 Verum † alij dicunt eſſe Medicum conſulendum, & ſi ille peritus in arte, certò proferat cauſſam, quæ affertur, eſſe ſufficientem ad excuſandum ab obligatione talis præcepti, v. g. ieiunij, recitationis horarum &c. diſpenſatione non eſſe opus; at ſi Medicus dubitet, eſſe recurrendum ad Superiorem, vt ſtante illo dubio diſpenſet: ſic *Nauarrus cap. 21. de orat. n. 16. Azor tom. 1. lib. 10. c. 13. q. 1. in fin. Reginaldus in praxi lib. 18. n. 182. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de horis Canonicis cap. 28. à nu. 19. Filliuc. tom. 2. tract. 27. cap. 6. nume. 128. Perſicus trac. de horis Can. cap. 12. dub. 4. n. 4.*

4 Demum oppoſitam tuentur ſententiam alij, † nempè in dubio de nocumento obfuturo in obſeruatione talis præcepti, abſq; vlla diſpenſatione dubitantem excuſari ab eiuſdem præcepti obſeruatione: ſic *Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 51. num. 9. Caramuel de conſcien. dictam. lib. 3. cap. 1 diſp. 1. corol. 42. & alibi remiſſiuè,* & citat *Bonacinam de horis Canon.*

5 *diſp. 1. quæſt. 6. p. 2. nu. 5.* † Sed Bonacinæ ſententia mihi eſt valde ſuſpecta, nam *loc. cit.* ponit caſum eo tempore, quo Medicus dubitat; quamuis enim ibi dicat, ſe arbitrari, ſic ambigentem non teneri, quia nõ eſt obligandus periculo grauis damni ſe exponere; nihilominus, nõ negat eſſe recurrendũ ad Prælatum; & ſi nihil aliud adderet, poſſet aliquo modo fauere citationi Caramuelis, verũtamen remittit ſe ad ea, quæ de ieiunio egerat in *decal.* declarãs præcepta Eccleſiæ *diſp. vlt. qu. 1. pun. vlt. num. 16.* ibi enim vniuerſaliter determinat, ita dubitantẽ teneri ad ieiunandũ, niſi diſpẽſationẽ obtineat, vel niſi dubium deponat conſilio boni viri, aut alia ratione, & poſtea *num. 17. inquirit:* à quonam petenda ſit facultas non ieiunãdi, dũ cauſſa dubia eſt, & ait petendam eſſe ab Epiſcopo, vel alio Superiore &c. idcirco locus à Caramuele citatus ipſi nõ fauet; vel ſaltẽ nõ eſt adeo clarus, vt Caramuel potuerit ita cõfidẽter illũ pro ſua ſẽtẽtia adducere. Deceptio aũt, vt opinor fuit ex eo, quod Caramuel ſolũ attenderit præciſa verba, quæ habẽtur in loco de horis Canonicis, omittẽs locum alium, ad quem Bonacina ſe remittebat. Sed hæc obiter ſint dicta.

6 Dicendum † igitur eſt primò. Solũ conſilium Medici periti, & in defectu illius alterius viri prudentis conſiliũ, abſq; recurſu ad Prælatum 7 ſufficit, vt dubitans deponat conſcientiam, & omittat opus, quod ab Eccleſia præcipitur, videlicet ieiunium, recitationem horarum, auditionem Sacri in die feſtiuo, &c. Et in hoc ſẽtio cum *Nauarro, & reliquis ſuperiùs laudatis.* Ratio aũt eſt, quia conſilium illud eſt rationabile motiuũ, vt prudẽter, & nõ temerè cõſcientia deponatur, & praxis quotidiana piorũ hominum id oſtendit; nam, quãdo Medicus teſtatur ieiunium, ſeu abſtinentiam à carnibus eſſe

 noci-

nociuã nihil aliud ab hominibus, etiam timidæ conſcientiæ, requiritur, ſed dictis Medici ſe cõformant, & tũc ſæpe expellitur dubiũ etiã ſpeculatiuum, quia re vera ſolent iudicare illud ipſum, quod Medicus affirmat, & quãuis aliquãdo iudicium ſpeculatiuum non deponatur, ſatis erit practicè illud deponere; nam ſufficiens illis ſe offert fundamentum, ex quo practicum dictamen deduci poteſt, per quod ipſe ægrotus formet ſibi conſcientiam, ſecundũ quam exiſtimet ſe non peccaturũ, ſequendo iudiciũ periti Medici, immò rectè ſe facturũ id agens, nõ obſtante illo iudicio ſpeculatiuo contrario.

7 Dicendum eſt ſecundò, ſi ponamus caſum, † in quo Medicus dubitet, an infirmitas ſit talis, vt excuſet, tunc cenſco petẽdam eſſe diſpenſationem à Superiore, qui authoritatẽ habet diſpenſandi, vt Epiſcopus reſpectu ſæculariũ, vel in eius abſentia, Vicarius, aut Parochus; & reſpectu Religioſorum proprius Prælatus, vt dicunt Authores citati. Probatur, quia ſtante tali dubio ex parte Medici, lex cenſetur poſſidere, nam ipſa eſt certa, excuſatio autem vndequaq; dubia, proinde nõ ſe offert ſufficiens fundamẽtum deponendi practicè conſcientiam, & in tali caſu vtilia ſunt priuilegia Religioſorum, vi quorum Prælati diſpenſãt cũ ſuis ſubditis, & etiam vtilis eſt præſumpta voluntas Pontificis, vt Epiſcopus, aut alius eius vicem gerens diſpenſet cũ ſæcularibus, vt fusè oſtendi *in Explic. Bullæ Cruc. par. 2. tract. 3. cap. 1. ſec. 1. num.* 10. declarans per Bullam aliquid ſupra ius commune concedi in hac materia.

8 Dices, falſum eſſe † in prædicto dubio poſſeſſionem ſe tenere pro lege Eccleſiaſtica; nam eſt pro lege naturæ præcipiente, nemini licere vitę periculo, aut grauis nocumenti corporalis ſe exponere: ergo in tali dubio poterit vnuſquiſq; non ſeruare præceptũ illud Eccleſiaſticũ

Reſpondeo, negando antecedens, quia periculum vitæ, aut notabilis nocumenti fundatur in quãtitate, aut qualitate morbi ad hoc, vt ſufficientem exhibeat excuſationis cauſsã: & auferat poſſeſſionẽ à lege Eccleſiaſtica, & illã trãſferat in ægrotum: at cum morbi quantitas, & qualitas non apparent tales, non habetur ſufficiens, ſed ſolùm remotum fundamentum ad periculũ ſtatuẽdum, cum dubium verſetur immediatè circa ipſummet fundamentum; idcirco in tali euentu locum habet diſpenſatio, quæ ſuppleat defectum ſufficientis fundamẽti, vt in explicatione Bullæ declarauimus.

§. XIII.

Vtrum in dubio iuriſdictio conceſſa, cenſenda ſit ordinaria, an verò delegata?

SVMMARIVM.

1 *Præmittitur diſtinctio.*

2 *Iuriſdictio à iure conceſſa in dubio ordinaria præſumitur.*

3 *Iuriſdictio ordinaria minùs quã delegata præiudicat.*

4 *Conceſſa ab eo, qui non agnoſcit Superiorem, & intuitu officij, cenſetur ordinaria.*

5 *Si detur perſonæ priuatæ his verbis, authoritate noſtra concedimus, erit delegata.*

6 *Limitatur concluſio.*

7 *Cum priuatæ perſonæ datur vniuerſitas cauſſarum, iuriſdictio præſumitur ordinaria.*

8 *Inſtantia, & reſponſio.*

9 *Data à Iudice inferiori præſumitur delegata.*

1 CVM diſtinctione † eſt procedendum, ſcilicet, vel iuriſdictio illa cõceditur à iure, vel ab homine; & rurſus, vel ab homine non agnoſcente Superiorem, vel ab agnoſcente. His præhabitis

2 Dicendũ eſt primò, † quando iuriſdictio eſt cõceſſa à iure, ſeu à lege, tunc in dubijs præſumitur ordinaria. ita cõmunis opinio, quã ponit *Gloſ. lege (Et quia) ff. de iuriſdic. omn. iudic. Alex. l. 1. ff. de dãni infec. Paul. de Caſtro l. (à Iudice) C. de iudicijs. Iaſon ibi in fine. Frideric' de ſen. conſ.* 130. *Alciat. de præſump. reg. 3. præſ. 36. nu. 2. Menoch. de præſump. lib. 2. præſumpt. 16, nu. 8. & alij apud ipſum.*

3 Probatur, † quia iuriſdictio ordinaria minùs præiudicat tertio habẽti pariter ordinariã poteſtatẽ; vt ſic. n. vterq; cumulatiuè cõcurrere poteſt: iuriſdictio verò delegata derogat ordinarię, q̃a vt procedẽs à Superiori eſt nobilior, & ſupra ordinariã. Diſpoſitio aũt in dubio debet ita exponi, vt quantũ minùs fieri põt, pręiudicet tertiæ perſonæ; proinde iuriſdictio cõceſſa, in dubio pręſumẽda eſt ordinaria, & non delegata. Coniecturę aũt, ex quibus qualitas iuriſdictionis colligitur, duæ cõmuniter ſolẽt à Doctoribus aſſignari, videlicet ſubiecta materia, et verba, quæ iuriſdictioni conceſſæ adduntur.

4 Dicendũ eſt ſecundò, † ſi iuriſdictio eſt cõceſſa ab homine nõ agnoſcente Superiorẽ, vt à Papa, Imperatore, Rege, & alio ſimili, tũc ſi cõcedatur Iudici ſub rõne officij erit ordinaria: ſic *Gloſ. leg. cit. Bart. in leg. ambitioſa n. 34. ff. de decret. ab ordin. facien. Baldus in leg. more ver. iuxta quod quæro, ff. de iuriſd. omn. iudic. Menoch. præſu. 16. cit. n.* 23. qui quidẽ Author poſtea examinat, an iuriſdictio iſta cõceſſa, ſit propria illius, cui conceditur; an verò ſit prorogata, & nonnullis propoſitis caſibus, id determinat expendendo perſonas, quibus conceditur, & ſubiectam materiam.

5 Dicendũ eſt tertiò, † quãdo iuriſdictio conceditur perſonæ priuatæ nullũ habenti officiũ, & in cõceſſione Princeps dicat: Authoritate noſtra, vel vice noſtra id faciat, &c. tunc erit iuriſdictio delegata: ſic *Menoch. præſump. cit. n. 28. ex Bart. Baldo, & alijs,* & à fortiori id confirmat; nam & ſi ille, cui facta eſt commiſſio, haberet ordinariam poteſtatem, eiq; committeretur noua cauſſa, in qua procedat authoritate mandantis, tunc eſſet etiam delegata.

Limi-

6 Limitatur concluſio, † nam quando in cōceſſione facta etiam perſonæ priuatæ, diceretur, pono te pro me in omnibus, vel ſimilia, tunc cenſeretur iuriſdictio ordinaria, ſic *Menoch. num. 30.*

7 Dicendum eſt quartò, † cum priuatæ perſonæ committitur vniuerſitas cauſſarum, iuriſdictio cōmiſſa præſumitur ordinaria; ſic *Bartol. in l. more eis. num. 8. Purpur. ibidem nu. 57. Curtius iunior. num. 57.*

8 Dices, iuriſdictio † delegata interdum eſt ad vniuerſitatem cauſſarum: ergo ex tali commiſſione non rectè infertur iuriſdictio ordinaria.

Reſpondeo, quando non explicatur, vel ex verbis conceſſionis nihil determinatè colligi poteſt, iuriſdictio præſumitur ordinaria, & nō delegata, quia illa eſt fauorabilis; iſta verò odioſa: ſic reſpondet *Merolla* ad hanc inſtantiam *tom. 3. d. 7. c. 2. qu. 2. nu. 50. in fine*; attamen inſpici debet, an iuriſdictio in tali vniuerſitate conſueuerit eſſe ordinaria; an verò delegata, & tunc iuxta cōſuetudinem præſumendum eſt, vt animaduertit *Curt. in leg. more. nu. 58.*

9 Dicendum eſt quintò, † iuriſdictio collata ab inferiori Iudice, nempè ab eo, qui Superiorē agnoſcit, in dubio præſumitur delegata. ita *Miliſ. in repert. verb. iuriſd. verſ. iuriſdict. ordinaria. Meroll. qu. cit. num. 52. & alij*, Ratio eſt, quia iuriſdictio ordinaria nequit concedi, niſi à lege, vel à Principe, ſeu Republica. Pro oppoſita ſentētia citatur *Garſia de benef. p. 5. cap. 8.* qui dicit iuriſdictionem Vicarij eſſe ordinariam, ab Epiſcopo tamen collatam, at hoc videtur poſſe ſolui; nam Vicarius, & Epiſcopus ſunt vnum, & idem tribunal; proinde nō debet eſſe mirum, ſi iuriſdictio, Vicario collata, ſit ordinaria; habet enim Vicarius illam non ab Epiſcopo, ſed à iure, poſita electione Vicarij facta per Epiſcopum.

§. XIV.

An iuriſdictio ordinaria cenſeatur priuatiuè, an cumulatiuè conceſſa?

SVMMARIVM.

1 Cumulatiuè præſumitur conceſſa.
2 Octo à Merolla apponuntur limitationes.
3 Collata à Rege in dominium, præſumitur conceſſa priuatiuè.

1 Reſpondeo † iudicandum eſſe conceſſam cumulatiuè potiùs, quā priuatiuè, non ſolū reſpectu ipſius cōcedentis, verū etiam reſpectu aliorū qui eamdem ordinariam iuriſdictionem habēt, & ratio eſt, quia in dubio non eſt præſumendū voluiſſe Principem concedentem præiudicare iuri alterius: ſic habetur *ex Bart. l. 1. C. de effec. præſ. vrb. & alij ſcribentes, Menoch. de arbit. lib. 1. q. 40. n. 3. & lib. 2. præſum. 18. n. 26.* & no-

2 uiſſimè *Merolla tom. 3. d. 7. c. 2. num. 60.* † vbi octo limitationibus hāc opinionem modificat, & apud eumdem *à nu. 79.* vide quid ſentiendum ſit de iuriſdictione delegata.

3 Denique aduerte, † quod iuriſdictio data à Rege in dominium, ſiue directum, ſiue vtile, in dubio præſumitur data priuatiuè, etiam ad ipsū Regem: ſic *Merolla ex multis Canonibus cap. 2. cit. à num. 95.*

§. XV.

Vtramque habens iuriſdictionē, ſecundum quam, in dubio, præſumitur proceſſiſſe?

SVMMARIVM.

1 Reſpondetur cum diſtinctione.
2 In dubio præſumendum à Iudice iudicatū fuiſſe, ſecundum eam, quæ reddit actū validum.
3 Secundum vtramque conſiſtente actu, præſumitur ſententiam fuiſſe latam, vi iuriſdictionis ordinariæ.
4 Limitatur à Menochio.
5 Epiſcopus procedens, vt Delegatus Pontificis Summi, iuriſdictione delegata vtitur.
6 Oppoſitum ſentiunt alij.

1 NON poſſumus huic quęſito abſolutè, † ſed cū diſtinctione reſpōdere, nā ſi prog eſſus actionis cōſiſtere pōt ſecundū vnam, & non ſecundū alteram iuriſdictionem:

2 † tunc in dubio pręſumi debet Iudex vſus fuiſſe iuriſdictione illa, ſecundū quam acta conſiſtunt; quia præſumitur vnuſquiſque procedere illa via, per quam valor actuū perſiſtat: ſic *ex leg. 3. de teſt. mil. l. quoties ff. de reb. dub.* & hanc opinionem ſequitur *Panor. cap. cū ex off. n. 3. de præſcr. Felin. ibid. n. 1. Menoch. lib. 2. præſ. 7. n. 6. & alij.* Si aūt actus cōſiſtūt ſecū-

3 dū vtrāque; † iuriſdictionē, tūc pſumitur iudiciū fuiſſe à iuriſdictione ordinaria: ſic *Meroll. to. 3. diſp. 7. cap. 2. qu. 3 n. 56. & cap. 5. n. 402.* & probatur, quia in dubio vnuſquiſque præſumitur vſus fuiſſe iure cōſueto, & nō extraordinario, & ſpe-

4 ciali *l. quāquam, l. in teſt. 2. ff. de teſt. milit.* † Cæterum Menochius limitat hanc ſententiā dicēs procedere, quando iuriſdictio nō eſt à Principe cōceſſa, quia tunc præſumitur proceſſiſſe ſecūdum delegatam iuriſdictionē, quia delegatus à Principe eſt dignior Ordinario in cauſſa commiſſa, vt communiter *Doctores* aſſerunt *in rubr. ff. de off. eius.*

5 Ex hac ſententia ita limitata colligimus, † q̃ in caſibus, in quibus Epiſcopus procedit tamq̃ Delegatus Sūmi Pōtificis, ſeu Sedis Apoſtolicæ, vt habetur pluribus locis in *Tridentino*, & etiā in ſa-

in ſacris Canonibus;in his,inquã,caſibus,colligimus probabilius eſſe Epiſcopum procedere iuriſdictione delegata,& non ordinaria:ſic docet *Gloſſa vltima in cap.ad ſoluendum, de hæret.Panor.in c.irrefragibili num.1.de off.ord. Felin.in cap.cit.ad ſoluendum,num.3.Nauar. in conſil. libr.3.tit.de regul.conſil.83.num.6. Sanchez de matrim.lib.8.diſp.2.num.10. Riccius in praxi aurea deciſ. 449. & aly.*
6 † Oppoſitum autem ſentiũt aliqui Canoniſtæ,quos laudat *Merolla tom.3.d.7.c.5.dub.17. nu.391.* Poſita autem priori opinione infertur à ſentẽtia data ab Epiſcopo,vt delegato non eſſe appellandum ad Metropolitanum,ſed ad Papam vt aduertit *Merolla num.395.*

§. XVI.

Titius, vt Reus deprehenſus, dubio eueniente, an ſit Clericus, an verò Laicus, pertineat ne determinatio ad forũ Eccleſiaſticum, an ſæculare?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum.*
2 *Rationes pro Iudice ſæculari proponuntur, & à pari confirmantur.*
3 *Pro Iudice Eccleſiaſtico deciditur quęſitum.*
4 *Probatur Pontificum authoritate, & ratione.*
5 *Diluuntur rationes contrariæ, & diſparitas oſtenditur.*
6 *Vrgetur in contrarium.*
7 *Infringitur ratio oppoſita.*
8 *Non debent Eccleſiaſtici Iudices iuriſdictionem ſuam defendere, ambitione ducti.*
9 *Refertur conſuetudo contraria apud Gallos.*

1 NON rarò accidit, † vt quis delicto commiſſo,capiatur à Iudice ſęculari, putante ipſum delinquentem laicum eſſe,atq;adeo ad ſuum forum ſpectare cauſſæ deciſionem, ſi tamen in progreſſu dubium oriatur,an Titius E.G. qui delictum patrauit,ſit ne clericus,an verò laicus,ſtatim quæſtio inſurgit, altercante vtroque tribunali Eccleſiaſtico,& ſæculari de iuriſdictione, cum vnuſquiſq; Iudex ad ſe cauſſę cognitionẽ pertinere intendat; idcirco quid ipſe in tali ambiguitate ſentiam, declarandum operę pretium duxi.

2 In fauorem Iudicis ſæcularis † facit, quod ipſe videtur eſſe in poſſeſſione delinquentis, & bona fide in illam ſit ingreſſus, proinde non eſt ſpoliandus, dubio ſuperueniente in contrarium, niſi explorata ſit veritas;& confirmatur à pari: Si enim quis bona fide poſſideat domum, aut prædium aliquod, ſi tempore progrediente, dubitatio occurrat,domum, aut prędium illud eſſe alienum,imò pertinere ad Eccleſiam, Poſſeſſor minimè erit obſtringendus ad conſignandum prędium illi Eccleſię, ſed ſolùm erit obligandus ad moralem diligentiam,vt veritas innoteſcat; & ſi dubium, inquiſitione peracta, repelli nequeat,poterit tuta conſcientia,vt in multis alijs infra videbimus, retinere prędium illud:ſic à pari: Iudex in caſu poſito,bona fide deprehendit Titium reum, exiſtimans ſine vlla hæſitatione eſſe laicum;igitur antequam de veritate fiat certior,non videtur à propria poſſeſſione deijciendus,& per cõſequens ipſemet debet inquirere de ſtatu, & cõditione ipſius Rei, & ante hanc diligentiam non erit obligandus remittere Titium ad forum Eccleſiaſticum.

3 Sed prædictis non obſtantibus, † dicendum omninò eſt,dubio illo exiſtente,determinationẽ eſſe Eccleſiaſticæ iuriſdictionis; ſic expreſſè cautum eſt per textum *in cap. (ſi Iudex) de ſentent. excomm. in 6.* & ibi *Gloſ. alyque Canoniſtæ, Felinus cap. Paſtor. num. 4. de reſcript. Decius ibi initio. Conarr. in pract. quæſt. cap.33.n.1. Sanchez in cõſ.lib.2.cap.4.dub.2. n.2.& dub.55.n.31. Guttiers lib.1.pract.quæſ, 6.num.2. & quamplures aly*,quos ipſi laudant

4 Ratio autem huius veriſſimę ſententię † nõ ſolùm eſt authoritas Summorum Pontificum, id expreſſè diſponentium, verùm etiam conueniens ratio,quam aſſignat *Bonifacius 8. in capit. paſtorali citato*, videlicet, cauſſam hanc eſſe de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali; proinde ad Iudicem proportionatũ pertinere oportet; vocari tamẽ debet Iudex laicus,vel alius, cuius intereſt,vt admonet ibidem Pontifex,&hoc,vt cauſſa decidatur contrarijs rationibus perpẽſis. Eſt autem alia ratio,qua vtitur Felinus, & deſumitur ex præſtãtia vnius Iudicis ſuper alium, ambobus enim concurrentibus,in dubijs,maior eſt præferendus, & talis eſt Iudex Eccleſiaſticus reſpectu ſæcularis.

5 † Ad rationem autem dubitandi in contrariũ, reſpondeo, quamuis Iudex ſæcularis, antequã dubitatio extiterit de ſtatu illius delinquentis, bona fide proceſſerit, & pacifica poſſeſſione manſerit; nihilominùs dubio illo emergente, ſtatim ceſſauit bona fides,& incœpit Reus pertinere ad iuriſdictionem Eccleſiaſticã, & quia conuenienti ratione ſic à Summis Pontificibus ſtatutum fuit: idcirco tenetur Iudex ſæcularis remittere delinquentem ad forum Eccleſię,& ex hoc patet diſparitas inter caſum hunc,& illum alium de bonis temporalibus, nempè de prædio bona fide poſſeſſo à laico; nam & ſi poſtea inſurgat dubium,prædium pertinere ad Eccleſiam, per hanc dubitationem non ſequitur eo ipſo eſſe ex bonis Eccleſię,ſicuti in caſu noſtro, rationabili dubio ſuperueniente, Reus ſtatim, quoad cauſſam prędictam fit de foro Eccleſiæ, iuxta Canonicas diſpoſitiones.

6 Sed contra † quis vrgebit hoc pacto. Intantùm Pontifex in caſu, de quo agimus, diſpoſuit Reum illum ad Eccleſiaſticum Iudicem pertinere, in quantũ agebatur de re ſpirituali,

& Eccleſiaſtica, vt *in ipſomet capite (ſi Iudex)* expreſſè aſſeritur; at idem dici poſſet in alio caſu de prædio poſſeſſo à laico; quando dubiũ illud ſuperuenit, nulla enim ſufficiens diſparitas apparet, niſi ſolùm in materia; nam hìc agimus de perſona, ibi de bonis externis.

7 Reſpondeo, † quamuis ſola authoritas, & diſpoſitio Pontificia, quę eſt circa vnum, & nō circa aliud, nobis ſatis eſſet; nihilominùs nego paritatem, quia in caſu illo de Reo, immediatè cauſſa fertur circa rem ſacram, Deo dicatam, nempè circa Clericum, de clericatu enim agitur; in alio verò caſu nón agitur de re immediatè ſacra; bona enim externa per quamdam ampliationem, dum actu poſſidentur à perſona ſacra, dicuntur ſacra, non autem ſunt talia intrinſecè, ſicuti eſt Clericus, ſeu clericatus, proinde nulla eſt paritas.

8 Dixi, ſuperueniente rationabili dubio; † nam rectè admonet Couarruuias. In re hac non debent Iudices Eccleſiaſtici duci ambitione, vt ſuã defendant iuriſdictionem, ſed iuſtitiæ zelo negotium hoc pertractare; & tunc, quando eſt ſufficiens dubitandi fundamẽtum de clericatu, ne temerè, & imprudenter procedant.

9 Refert etiam idem Author † contrariam conſuetudinem apud Gallos, quam ipſe pōderat, & ad ea, quæ ibi aſſerit, me remitto.

§. XVII.

Reus ſi poſt crimen patratum, Clericus fiat, vtrum in dubio præſumatur in fraudem declinandi forum ſæculare, clericatum aſſumpſiſſe.

SVMMARIVM.

1 *Abſtinet ſe Author ab illa controuerſia, an Reus poſt delictum clericus effectus, ſubijciatur, nec ne, Iudici laico.*

2 *Conſideratur caſus, quando conſcientia in dubio verſatur.*

3 *Fraus præſumitur, ſi Reus poſt delictũ, & cauſam delatam, habitum aſſumat.*

4 *Ratio aſſignatur.*

5 *Non præſumitur fraus, ſi ante delictum habitus aſſumatur.*

6 *In re hac non eſſe delinquentis iuramento credendum.*

7 *Quando fraus præſumitur, & Reus nequit declinare forum ſæculare, non eſt puniendus corporaliter à Iudice laico, ſed ſolùm in bonis.*

8 *Cum remittitur ad Iudicem Eccleſiaſticum, ne delicta maneant impunita, ab illo mulctandus erit.*

9 *Iudex Eccleſiaſticus determinat an habitus in fraudem aſſumptus, nec ne, fuerit.*

1 NON intendimus † directè, & ex profeſſo exagitare quęſtionem illam: an laicus poſt delictum clericus effectus ſubijci debeat Iudici laico, qui illius delicti cauſſam examinet, & decidat: an verò cauſſa deuolui debeat ad Iudicem Eccleſiaſticum; de qua re, hinc inde, ſunt variæ, & contrariæ Doctorum ſententiæ, quas fusè ponderat *Carolus de Graſſis effect. 1. à num.* 1071. non intendimus, inquam, de re hac per ſe ſermonem habere, quia eſſet limites noſtri inſtituti tranſilire, requirentis, vt tantùm, † quæ ſub dubia

2 conſcientia comprehenduntur, diſcutiamus, quamuis indirectè, obiterq; de quęſtione illa aliquid ſignificabimus: at intendimus directè, & per ſe inquirere præſumptionem ipſam pro qua parte ſe teneat, videlicet, an pro fraude, & cōſequenter pro iuriſdictione Iudicis laici; an verò pro bona fide; & pro exemptione ipſius Rei à foro ſæculari, vt tandem, cognita veritate, quid in re hac ſit agendum, fiet manifeſtũ. His omnibus præmiſſis

3 Dicendum eſt primò, † ſi poſt delictum commiſſum, & delatum ad Iudicem ſæcularem, Reus aſſumat clericalem habitum, præſumptionem eſſe contra ipſum delinquentem, & pro fraude: ſic *Molina tom. 4. de iuſt. tract. 3. diſput. 49 num. 22. Thomas Zerola in praxi epiſc. ver. Clericus ad ſextum quæſitum. Carolus de Graſſis eff. cit. num. 1076. & plures apud ipſum:* huius præſumptionis rationem non aſſignant prędicti Authores, eam tamen ſupponere videntur, quam in prę ſentia explanare placet; cum

4 enim † ex vna parte nullum in Reo præceſſerit indicium ante delictum patratũ de aſſumẽdo clericali habitu: ex alia verò parte naturale ſit vnicuiq; fugere quantùm poteſt pœnam, & ad eam vitandam adhibere congrua media, & inter alia in caſu noſtro, medium aptum ſit ſuſceptio talis habitus; idcirco naturalis præſũptio eſt, habitum aſſumptũ fuiſſe in eum finem, nempè ad declinandum forum ſæculare, niſi contrarium probetur.

5 Dicendum eſt ſecundò, † pręſumptionem fraudis euinci, ſi ante delictum Reus ſuam voluntatem aſſumendi clericatum, vel ingrediendi Religionem declarauerit, vel de hac re votum emiſerit, cuius emiſſio debet ſufficienter cōſtare, vt mox declarabimus; in tali autẽ caſu præſumi debet, habitum clericatus bona fide ſuſceptum fuiſſe: ſic *Carolus de Graſſis vbi ſupra & num.* 1097. Ratio autem eſt, quia talia præſumi debent principiata, qualia ſunt eorũ principia, vſq; dùm oppoſitum non probatur, vt rectè animaduertit *Andr. Gail. tract. de pace publ. lib. 1. cap. 5. num. 7. Graſſis num.* 1977. & 1098. Igitur cũ intentio, ſeu votũ clericandi, vel ingrediendi Religionem ſint bona principia, & effectus, ſeu principiata ſint ſecundum

ſe bona, nempè aſſumptio habitus, ſeu ingreſſus in Religionem, præſumi debent proceſſiſſe ex bonis illis principijs, & non ex mala, ſeu ſiniſtra intentione.
6 † Cæterum aduerto non eſſe in re hac credendum iuramento Rei aſſerētis ſe vouiſſe, vt multis placet apud *Carolum de Graſſis num.* 1095. quia hodie ob corruptionē naturæ, homines deperditi, ad vitandas pœnas: imò ob leuiſſimas cauſſas, facilè ad falſum iurādum inducuntur; proinde cum ſint ſuſpecti, nō eſt eorum iuramento fides adhibenda, vt ex Couarr. & ex alijs optimè docet *Molina diſp. cit. num.* 23. cuius rei rationem tradit, ſcilicet, quando agitur de præiudicio tertij, non attendum iuramento illius, qui aliquid occultū à ſua voluntate dependens affirmat. In re autē noſtra eſt magnum Reipublicæ præiudicium, delictum illud non puniri per Iudicem ſecularem. Authores verò laudati à Graſſis pro contraria ſententia, ſunt explicandi in caſu, quo nullum reſultat præiudicium, neq; communitati, neq; tertiæ perſonę particulari.

7 Dicendum eſt tertiò, † ſi fraus præſumatur, quāuis, qui clericatū ſuſcepit, nequeat declinare forū ſeculare; nihilominùs non poterit à Iudice laico puniri pœna corporali, ſed ſolùm in bonis externis; & ſi delictū fuerit tale, vt mortē, aut mutilationem mereretur, eſſet degradandus ab Epiſcopo, & tradendus Curiæ ſæculari: ſic *Molina nu. 22. in fine ex Bartolo, Ioanne Andrea, & alijs.*

8 Dicendum eſt quartò, † ſi habitus clericalis nō fuerit aſſumptus in fraudem, & Clericus ſit remittendus ad Eccleſiaſticum Iudicem, ab eodem erit mulctandus, ne delicta maneāt impunita: ſic *Oldradus cōſil. 4. Ioannes Andreas in cap. ad falſariorum in fine. de crimine falſo, & in cap. 1. de obligat. ad ratioc. Panorm. cap. fin. de purg. Canon. & alij*, quos laudat, & ſequitur *Carolus de Graſſis nu.* 1134.

9 Dicendum eſt quintò, † ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectare iudicium determinandi, an habitus fuerit aſſumptus ex dolo, nec ne; ita *de Graſſis ibidem num.* 1079. vbi alios citat.

§. XVIII.

An ſit præſumenda fraus, ſi eadē die delata fuerit cauſſa ad Iudicem laicum, & pariter aſſumptus habitus clericalis, dubiū verò ſit, quid ex his duobus præceſſerit?

SVMMARIVM.

1 *Fraudem aliqui præſumunt.*
2 *Oppoſitum tuetur Scaccia.*
3 *Obiectio contraria.*
4 *Satisfit obiectioni.*
5 *Suſceptio habitus, ingreſſus religionis, & ſimilia præſumuntur eſſe ex illis actibus, qui ſolent à perfecta libertate procedere.*
6 *Fuga eſt ex illo genere actuum, qui perfectam libertatem non ſupponunt.*
7 *Suſceptio clericatus præſumitur ante accuſationem, niſi oppoſitum ex coniecturis colligatur.*
8 *Secus fuga.*

1 IN prædicto dubio. † fraudem eſſe præſumendam aſſerunt aliqui apud Sigiſmundum *Scaccia de Iudicijs, par. 1. cap. 12. num. 6.*
2 † Sed ipſe contrariū docet, & ratio, qua ducitur, procedit ex generali illa doctrina, ſecundum quam Doctores dicunt, in dubijs excludēdum eſſe dolū, & fraudem, quia delictum non præſumitur, vt aduertit idem *Scaccia, Menochius de præſumpt. lib. 3. præſump. 86. num. 5. & lib. 5. præſump. 35. n.* 8. & colligitur expreſsè *ex l. merito. ff. pro ſocio* vnuſquiſq; enim bonus præſumitur, vt docet *Baldus cap. vlt. de præſumpt. Tiraquel. de præſump. Gloſ.* 2. Natura enim hominis, quia rationalis, à ſuis principijs bonitatem duxit; idcirco reſtringendo rationem ſuperiùs dictam ad caſum propoſitum, aio in dubio præſumi priùs fuiſſe aſſumptionem habitus clericalis, vel ingreſſum Religionis, quàm accuſationem ad Iudicem delatam.

3 Sed contra poſſet quis † obijcere à pari in hunc modum: Fuga, quæ antecedit formatam inquiſitionem de crimine, facit indiciū ad torturam, vt iuxta communiorem Iuriſperitorum ſententiam firmat *Iulius Clarus in pract. crim. lib. 5. quæſt. 21. ver. (fuga)* Contra verò ſi erit poſt inquiſitionem prædictam, tale indicium per ſe ſolam non faciet; atq; adeo nō cauſſabit præſumptionem de delicto patrato; ſicuti eam cauſſabit, quando fit ante inquiſitionem: ergo pariter ſuſceptio habitus, ſeu ingreſſio in Religionem, quæ ſunt quædam fuga à ſtatu laico, vel ſeculari, ſi fiāt ante accuſationem cauſſabūt præſumptionem de crimine; at poſt accuſationem nō cauſſabūt talem præſumptionem; contra id, quod ſtatuimus.

4 Reſpondeo inſtantiam hanc † fieri ab eodem *Scaccia loc. cit. num.* 7. & ex eius doctrina inter vtrūq; caſum, ſufficientem aſſigno diſparitatē, q̄ deſumitur ex diuerſitate principiorū, à quibus, per ſe loquendo, cauſſari ſolent tres illæ actiones, nempè ſuſceptio habitus, ingreſſio in Religionem, & fuga.

Pro qua re ſupponendum eſt duo inueniri, prout facit ad ſubiectam materiam, actuum genera, quorum vnum continet actus illos, qui per ſe, & communiter procedere ſolent à plena libertate, licet interdum per accidens oriantur ex aliquali neceſſitate non tollente, ſed diminuēte libertatem, hoc autem in dubio non præſumitur, niſi probetur; à tali autem plenitudine liber-

libertatis procedit ſuſceptio clericatus, ingreſ-
ſio Religionis, & ſimiles; ſoleat. n. per ſe loquē-
do ea deuotione fieri, & omninò liberè, nō aūt
ex aliqua coactione, quæ non eſt præſumenda.
6 † Aliud verò genus continet actus, qui ex li-
bertate diminuta, per ſe loquendo, cauſſantur,
& talis eſt fuga; nemo. n. ſolet fugam arripere,
niſi ex aliquo metu, qui plenitudini libertatis
officit, vt de ſe patet, & reddit aliquo modo
opus inuoluntarium, vt dicant Theologi cū S.
Thom. p. 2. qu. 6. ar. 6. His aūt poſitis iam incipit
eluceſcere diſparitas intenta, cum enim ex cō-
muniter accidentibus efficax deſumatur præ-
ſumptio, vt habet *Euerardus in Topicis ab ip-
ſo editis loco ex communiter, & c. n. 1. Menoc.*
7 *de præſump. lib. 1. qu. 18. & alij:* † idcircò ſu-
ſceptio clericatus (& idem dico de ingreſſu) an-
te accuſationem, quæ eſt cauſſatiua metus, præ-
ſumitur oriri iuxta conſuetum modum, nempè,
ex intuitu religionis, atq; adeo ex plena liber-
tate: at poſt accuſationem, cū adſit cauſſa met⁹,
præſumptio eſt pro fraude, nempè ad declinā-
dum forum, niſi ex coniecturis aliud habeatur.
8 † Contra verò fuga cū ſoleat eſſe ex metu, qui
cauſſatur ex formata inquiſitione, ideo quādo
fit poſt ipſam inquiſitionē, præſumitur ex me-
tu pœnæ fuiſſe arreptam; at ante inquiſitionē,
cum non adſit metus, præſumitur ex alia cauſſa
etiam generāte metum, prouenire, videlicet, ex
delicto commiſſo, & ideo antecedendo facit
ſemiplenam probationem, & indicium ad tor-
turam; & ex his patet diſparitas inter vtrumq;
actum; nam ſuſceptio habitus, niſi aliud obſtet
ex ſuo principio connaturali, nempè, ex deuo-
tione præſumitur proceſſiſſe, & hoc ante accu-
ſationem: quando verò interponitur metus, &
ipſa ſubſequitur, ex metu præſumitur. Fuga aūt
cū ſit ſemper ex metu, ſi arripitur nō ſupponēs
inquiſitionem, cenſetur ex conſcientia delicti
procedere.

§. XIX.

Hæſitans, an Reus alicuius delicti ad Inquiſitionem ſpectantis, ſit ne correptus, debeat illum denunciare, nec ne?

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua refertur, & recipitur.*
2 *Quandoq; denuntiandus eſt Reus etiam correptus.*

1. AFfirmatiue † reſpondet *Emm. de Mourà opuſ. 1. de incant. & Enſalm. ſect. 2. cap. 16. num. 13. Diana p. 4. tract. 3. reſol. 61.* & his adhæreo, quia cum lex præcipiens denuntiationem ſit certa, & excuſatio, quæ forſitan poſſet liberare ab onere denuntiandi, ſit dubia; idcircò ipſi legi parendū eſt, quæ in poſſeſſione manere videtur. † Dixi forſitan liberare &c. quia etiā ſi cōſtet de emendatione, poterit cōtrouerti, an ſit obligatio denūtiandi, non obſtante certitudine emēdationis, ſed de hac re alibi eſt agēdū.

§. XX.

Liceat ne maleficum adire, ſoluendi maleficij cauſſa, ſi dubitetur, an ille malis artibus ſit vſurus?

SVMMARIVM

1 *Maleficium nequit ob nullum finem alio maleficio tolli.*
2 *Non poſſumus petere maleficij diſſolutionem à Mago neſciente media licita.*
3 *Punctum difficultatis reducitur, quando eſt dubium, an Magus ſciat media honeſta.*
4 *Refertur opinio aſſerens eſſe licitum petere ſolutionem maleficij, non obſtante tali dubio.*
5 *Pro diluenda difficultate ſupponitur diſtinctio dubij de voluntate, aut de poteſtate Magi.*
6 *Si dubium ſit de voluntate licitè diſſolutionem petimus vrgente neceſſitate,*
7 *Si vero ſit de poteſtate nequimus illam petere.*
8 *Quid agendum ſi quis ſe offerat ad medendum maleficiato?*
9 *Satisfit rationi pro ſententia affirmatiua initio poſita.*
10 *Quæſitum, an abſolutè poſſumus petere diſſolutionem maleficij non determinando medium.*
11 *Refertur opinio negatiua Caietani.*
12 *Alij partem affirmatiuam tuentur.*
13 *Media via incedit Author.*
14 *Proponitur quædam Sanchez limitatio.*
15 *Eſt diſparitas interdum inter petitionem mutui, quæ fit vſurario, & petitionem deſtructionis maleficij, quæ fit Mago.*
16 *Obiectio in contrarium.*
17 *Soluitur oſtendendo diuerſitatē inter vtramque petitionem.*

PRæſens caſus, de quo paucis abhinc diebus à quodā Prælato cōſultus fui, paſſim occurrere ſolet, proinde quid de illo ſentiam, in hoc quæſito declarabo; ſupponendo prius nonnulla, quæ vt certa communiter admittuntur, occaſione aūt arrepta, quædam alia ad hanc materiam ſpectātia in mediū afferre operæ pretium duxi.

Sup-

Reſpondeo, debere hunc interrogari, vt declaret media, quæ habet ad curandum; & rurſus eſſe ſpectandas conditiones perſonæ, videlicet, ſit ne prudens, doctus, pius, &c. & tunc poſſe illi fidem præſtari; ſecus ſi talis non ſit, & nolit media, quæ habet explicare.

9 Ad rationē autē pro parte affirmatiua † initio difficultatis poſitā, reſp. quod quãuis phyſicè nō cōſtet à mago malis artibus maleficiũ ſore deſtruēdum; nihilominus moraliter, & ſecundum iura debet id eſſe certũ ob præſumptionem iuris, quæ contra tales perſonas habemus.

10 Quæres ex ſuppoſitione, quod petenti remedium, exploratum ſit maleficum poſſe, & licitis, & illicitis medijs opus magicum diſſoluere, † an ſit honeſtum abſolutè petere ablationem mali operis, non determinando me-

11 dium? † *Caietanus tom. 2. opuſc: tract. 12. quæſt. vni. ante reſponſionem ad obiecta*, negat id fieri poſſe: ducitur ad hoc duplici ratione; primo quia per abſolutam illam petitionem videtur opus maleficum poſtulari, quemadmodum cum poſtulatur opus aliquod faciendum ab artifice, poſtulatur opus artificis inquantum talis: ſecundo quia non videtur conueniens non determinare medium: ſed vagè relinquere illud arbitrio praui hominis. Cæterum alij † oppoſitum ſentiunt; hoc eſt

12 benè à tali mago nos abſolutè petere deſtructionem maleficij, quando, vt declarauimus, conſtat medijs honeſtis deſtrui poſſe. *Sic Suarez cap. cit. num. 10. & Sanchez diſp. cit. de*

13 *matrim:* Verum in hac re mihi videtur † media via eſſe incedendum; ſunt enim attendendæ circunſtantiæ, quæ ſe offerunt ratione perſonarum, aut temporis; nam interdum tales concurrere poſſent circunſtantiæ, vt petens abſolute maleficij deſtructionem, implicite videatur petere medium ſiue licitum, ſiue illicitum à mago applicandum, & tunc abſoluta petitio eſſet peccatum inductionis ad malum, aut ſaltem ſcandali: interdum vero oppoſitum euenit: nempe petitionem, quamuis abſolutam, eſſe tamen de ablatione maleficij per medium dumtaxat honeſtum: ponamus exempla; ſi petens ſit vir prudens, & timidæ conſcientiæ, non poteſt præſumi, quod poſtulet diſſolutionem maleficij, niſi per medium licitum; idemque eſſet dicendum, ſi eam petat tempore, quo curat peccata propria per Sacramentum pœnitentiæ expiare; vel ſi periculoſo morbo laborans, ſit in vitæ diſcrimine &c. tali enim tempore nemo præſumitur velle, niſi honeſta: contra vero ſi ſit vir lapſæ conſcientiæ, & multo magis ſi propenſus ſit ad ſimilia opera ſuperſtitioſa facienda, vel curanda. Debent igitur ſpectari circunſtantiæ, ad hoc, vt iudicemus an licitum ſit abſolutè petere à mago ablationem magiæ, medium honeſtum illi non præſcribendo.

14 In hac etiam re notanda eſt † limitatio, quã dat *Sanchez loco citato de matrim: num. 12.* ait enim, quod quando eſt ſpes, vt monitio proſit, tunc lege charitatis tenetur petens ſe explicare, vt medio licito maleficium diſſoluatur; idque omittens, quamuis non peccaret peccato inductionis, ad maleficium, peccaret tamen contra præceptum fraternæ correctionis. Redeuntes autem ad caſum, dicimus diuerſitatem prædictam, quam agnoſcimus in petitione, quæ fit malefico ad tollendum maleficium, non reperiri in petitione mutui, quæ fit vſurario; in petitione enim mutui ſatis per ſe notum eſt, eum, qui mutuum petit, deſiderare vſuras non ſoluere, ſi poſſet mutuum abſque illis habere, & multum eas ſoluere; ſic notat *Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram: cap. 13. num. 11. Sanchez in decal. loc. cita. num. 14.* ideoque petens mutuum non cenſetur cooperari peccato vſurarij, ſed illud tantum permittere. Cæterum poſſet quis paritatem oſtendens ſic vrgere; † etiam ille, qui à Malefico poſtulat ſolutionem operis magici, ſi poſſet diſſolutionem obtinere abſque nouo maleficio, ſanè pergratum ſibi foret: igitur eadem videtur ratio de petente mutuum ab vſurario, & de petente ablationem maleficij à mago; atque adeo ſicut quis poteſt abſolute mutuum petere, non explicando modum licitum mutuandi; ita pariter poterit petere deſtructionem maleficij non explicando modum licitum ſoluendi.

15 Reſpondeo, † non eſſe omnino eamdem rationem; nemo enim ſanæ mentis inuenitur, qui cum poſſit recipere mutuum ſine ſolutione vſurarum, quas nullo titulo debet; velit illas perſoluere; ob quarum ſolutionem nullum reportat commodum, nullumque animi ſolatium, talis enim inclinatio in homine non datur, ſed propenſio ad ſuperſtitioſa, & magica opera in plurimis reperitur, qui commercium cum Dæmonibus amant, vel ob propriam, aut alterius vtilitatem, ſeu emolumentum; vel quia oblectationem capiunt, varios ope dæmonis miros effectus cauſantes; vel denique & magis propriè in caſu noſtro, quia facilius maleficium operatione dæmonum deſtruitur; id circo ad ariolos, & magos recurrunt, relinquendo remedia ſpiritualia, quæ ab Eccleſia præſcribũtur ad hunc effectum conſequendum; proinde non eſt eadem ratio vtriuſq; petitionis; nam in petitione mutui eſt manifeſta præſumptio ex parte petentis volendi mutuum abſque vſurarum ſolutione: contra vero in petitione ſoluendi maleficium non habetur ſemper talis præſumptio, vt oſtenſum eſt; igitur diſpar eſt ratio. Et hæc ſatis ſint breuiter tacta circa rem hanc.

§. XXI.

Vtrum in dubio tres latæ ſententiæ, præſumantur conformes?

SVMMARIVM

1 *Negatiua ſententia refertur.*
2 *Reijcitur ab Authore.*

AD

§. I.

Nōnulla, quæ ad vocem, & Epijkiæ realitatem pertinent, aperiuntur.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur huius nominis ſignificatio.*
2 *Epijkia differt à lege.*
3 *Neceſſitas Epijkiæ explicatur.*
4 *Interpretatio legis differt ab Epijkia preſſe accepta.*
5 *Diſcrimen inter Epijkiam, & ratihabitionem.*
6 *Colligitur diuerſitas inter interpretationem, Epijkiam, & Ratihabitionem.*

2 SVPPONIMVS primò Epijkiā, † ſi ſolam eius vocem attendamus, idem latinè ſignificare, quod conuenientiam, ſeu æquitatem, ſumendo ęquitatem non pro iuſtitia, quæ eſt vna ex moralibus virtutibus, ſed quatenus importat quādam iuris benignitatem, & vt ex S. *Cypriano*, dicunt *Hoſtien. cap. vltimo, de tranſac. num. 5. Ioann. Andr. ibi num. 9. & Panorm. nu. 6. Eſt iuſtitia, dulcore miſericordiæ temperata*; nam eius proprium munus eſt temperare, ſeu emendare, aut legis rigorem corrigere in ijs caſibus, in quibus lex ipſa deficit, ideoq; ſummi iuris moderatio nominatur: Eius autem obiectum dicitur id, quod eſt ſpeciali modo conueniens, ſeu æquum; proindè ſecundum eius realitatem definiri poteſt habitus moralis directiuus, ſeu correctiuus legis deficientis agens contra eius verba; medium ſibi vendicans locum inter ius, & ipſius iuris rigorem.

3 Supponimus ſecundò. EpijKiam † differre à lege: nam lex eſt de vniuerſalibus, EpijKia de particularibus, vtrum autem ſit vna ſpecialis virtus à reliquis diſtincta, an verò tranſcendens per omnes materias virtutum, poteſt eſſe dubitatio, de qua non curamus in præſentia: Vide *Leſſium lib. 2. de Iuſt. cap. 47. dub. 9.*

4 Supponimus tertiò, † neceſſitatem huius virtutis procedere ex eo, quod cum omnis lex tanquam ad finem ordinetur ad communem hominum ſalutem, & in humanis actibus conſiſtat, oportet circa contingentia verſari, quæ infinitas admittunt variationes, ratione diuerſarum circumſtantiarum, quæ occurrere poſſunt, proindè cum non ſit poſſibile, vt à legiſlatore præuideantur omnes caſus ſingulares, nequit ab eodem ferri lex, quæ reſpiciat ſingulos caſus ab ipſo legiſlatore pręcognoſceretur, vt de facto comprehenduntur à diuino legiſlatore, irrationabile tamen eſſet ferre legem, quæ caſus ſingulares enumeret; foret enim confuſio, & hominibus quid improportionatum, imò impoſſibile: Oportet igitur, vt in quibuſdam caſibus lex ipſa deficiat, & ideò datur Epijkia, quæ in eiſdem caſibus emendet, & corrigat legem; rigidum enim, & non æquum eſſet in illis caſibus legem obligare; proindè neceſſariò erit legis attemperatio, ſeu emendatio; & hoc non ob defectum legis, ſeu legiſlatoris, ſed ob naturæ humanæ defectum, nempè, mutabilitatem in rebus contingentibus, vt ipſemet *Ariſtoteles* aduertit *eod. cap. 10. vt ſupra*, Debet igitur lex ferri de vniuerſalibus, ſeu de ijs, quæ in pluribus accidunt, nihil determinando de caſibus in particulari.

5 Deniq; ſupponimus, † generalem legis interpretationē eſſe diuerſam ab EpijKia preſſe acçepta, licet vocari poſſit largè EpijKia, & ab Authoribus ſæpè confundantur: at ſtrictè loquendo, interpretatio pro vt eſt membrum contradiſtinctum ſub interpretatione latiſſimè ſūpta, ſeiungitur ab EpijKia, vt rectè animaduertunt *Caietanus in 2. 2. art. 1. & Suarez de legib. lib. 6. cap. 6. num. 2.* Diſcrimen autem in hoc conſiſtit, vt interpretatio vniuerſaliter ſumpta ſolùm verſetur circa verba legis, ſeu præcepti, quando ſunt obſcura; & dubium emergit, an habeant hunc, vel illum ſenſum, an habeant locum in hoc, vel illo caſu ſecundum ſui ſpeciem, & in tali tempore, & in his perſonis, &c. Epijkia autem ſupponit omnia prædicta, nempè talem determinatum ſenſum, & caſum, ſecundum ſui ſpeciem, quemadmodum etiam, & perſonas comprehendi ſub lege, ſed hìc, & nunc ob aliquam extrinſecam circumſtantiam iudicat, ſubditum eſſe excuſandum à lege ſeruanda. v.g. ſit lex prohibēs geſtationem armorum tempore nocturno, circa legem hanc poterit interdum verſari, tum interpretatio, tum Epijkia, ſed diuerſo modo; nam interpretatio tendit ad declarandum ſenſum verborum, videlicet, an quæcumquè E. C. armorum genera, tum offenſiua, tum defenſiua eo tempore prohibeantur; vel an eadem lex ſe extendat in omni caſu ſecundum ſpeciem, vt ſi inſurgeret E. C. ambiguitas, num tempore, quo in Vrbe exiſtunt plures exteri, inter quos ſint infideles, prohibitio habeat locum, vel an etiam comprehendet Milites, aut aliud perſonarum genus; in his autem opus eſt interpretatione, quæ poterit eſſe in duplici differentia, nempè Authentica, & Doctrinalis, illa eſt à Principe, à quo lex dependet in fieri, & cōſeruari, iſta verò à Doctoribus legem ipſam, ſecundùm iura, explicantibus.

6 Interpretatio verò iſta non dicitur Epijkia, quia explicatio verborum, quoad eorum ſignificatum non eſt emendatio legis, in qua emendatione propriijſſimè ſita eſt EpijKia; cæterum ſi determinetur ſignificatio verborum, ſcilicet prohibitionem ſe extēdere, etiam exiſtentibus exteris in Ciuitate; nihilominùs hìc, & nunc, ſi aliquis prudenter timeat inſidias latronum, tunc ad ſui defenſionem poterit legem

explicare, vtens EpijKia, & arma geſtaret; ardua enim foret lex, ſi in tali periculo, & incommodo obligaret, proindè EpijKia temperat hìc, & nunc rigorem legis, excuſans hominem illum arma geſtantem, & quamuis faciat contra verba legis, minimè tamen operatur contra mentem legislatoris, quæ non præſumitur velle in tali caſu obligare ad legem illam ſeruandam; proindè iſte talis, tantum abeſt, vt inobediens cenſeatur, vt potius iudicandus ſit excellentiori modo obediens, vt loquitur *S. Thomas lect. 16. in lib. 5. Ethic.* exponens moraliter vocem hanc, EpijKia.

Similiter ſi Epiſcopus cenſuram excommunicationis imponat ijs, qui tempore Paſchæ Sacram Sinaxim non recipiunt; excuſaretur per EpijKiam, ſi quis non poſſet è domo exire; & ad Eccleſiam ſe conferre ob timorem Iudicis, ipſum inquirentis ad puniendum, vel quid ſimile; non enim cum tanto incommodo legi parere aſtringitur; proindè vtetur in tali caſu EpijKia, iudicans mentem Epiſcopi non eſſe talem, vt velit caſum hunc in particulari comprehendere; nam leges Eccleſiaſticæ non obligant cum tanto rigore.

6 Ex his etiam colligimus, quo pacto EpijKia † differat à Ratihabitione, nam iſta ſupponit caſum etiam particularem hìc, & nunc comprehendi ſub lege, ſed Ratihabitione vtens confidit, & rationabiliter exiſtimat à Superiore ratum habendum factum. E.G. eſt ſtatutum, aut ſaltem conſuetudo, vt ſimplex Sacerdos non diſtribuat Sacram Euchariſtiam abſquè Parochi, aut Capellani licentia, &c. Sed quia Parochus eſt amicus, & Sacerdos præſumit, quod ſi licentiam peteret, facillimè eam à Parocho obtineret, & grata illi foret Ratihabitio prædicta, idcircò poterit ex ratihabitione munus illud exercere.

Ex his, quæ hactenus dicta, & præmiſſa ſunt, deduci poteſt diſcrimen inter hæc tria, nimirùm inter Interpretationem, EpijKiam, & Ratihabitionem, omnia ſtrictè ſumendo, & pro vt ſunt veluti ſpecies contentę ſub genere interpretationis, & ideò interpretatio ſpecificè intellecta tanquam proprium munus habet ſolùm exponere verba obſcura legis, eiuſq; ſignificatum, EpijKia vero emendare legem, in aliquo caſu deficientem, atq; adeò eſſe quamdam correctiuam interpretationem, eximentem caſum particularem, qui ſecundum ſpeciem, comprehenſus eſt ſub lege; Ratihabitio demùm quamuis etiam caſum in indiuiduo ſub lege contentum ſupponat, nihilominùs ex præſumpta voluntate, & diſpenſatione Superioris, excuſat, ne quis ſit tranſgreſſor legis, ſi in eo caſu opus, à lege pręceptum, omittat, vel aliquid contra legem agat.

Hæc omnia prænotare placuit ad maiorem dicendorum intelligentiam: quibus præhabitis, ad varia quæſita dilucidanda aggredimur. Et primo circa legem humanam, poſtea verò circa naturalem, & diuinam.

§. II.

In dubio verſantibus licet ne vti EpijKia in lege humana?

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt de lege vniuerſaliter ſumpta.*
2 *Sententia affirmatiua refertur.*
3 *Negatiua eſt communis.*
4 *Recipitur ab Authore.*
5 *Satisfit oppoſito fundamento.*

1 LOQVIMVR ✠ vniuerſaliter de quacumq; lege humana, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ciuili, & per extenſionem quamdam de lege priuata, quæ in pręceptis conſiſtit, & de lege ſub hac vniuerſalitate procedit quæſitum, per quod proponitur, an quando intellectus in æquilibrio, ſeu ſuſpenſus manet, non adhærendo vni, aut alteri parti, quod eſt eſſe in dubio propriè accepto, vti valeat EpijKia.

2 Partem affirmatiuam † videtur docere *Henriquez lib. 14. de irregul. cap. 3. nu. 3. in comm. lit. X.* quem ſequutus eſt *Salas part. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſec 25. num. 259. & 260* Fundamentum huius opinionis eſt poſſeſſio libertatis, quam habet voluntas ante legem; proindè eamdem continuare videtur, & in dubio poterit excuſare ſe à legis obſeruatione, vtens EpijKia.

3 Partem autem negatiuam † communiter ſequuntur Authores, quando recurſus datur ad Superiorem, vt voluntatem ſuam ſubditis dubiam declaret; ſic *S. Thomas 2. 2. loc. cit. à 1. ad tertium, & p. 2 quæſt. illà 96. ar. 6. ad ſecundum Caietanus ibi. Bartholom. Medina in p. 2. quæſt. 96. art. 6. propoſ. 3. Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. art. 8. concl. 3. Suarez lib. 6. de legib. cap. 8. num. 10. Breſſerus de conſc. lib. 4. cap. 17. num. 179. Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. num. 37. Caſtropalaus tom. 1. tract. 5. diſp. 3. pun. 8. num. 2. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub. 2. Corol. 7. num. 128. Ioannes Sanchez in ſelec. diſp. 43. num. 8. Baldelli tom. 1. lib. 5. diſp. 47. num. 16.*

4 † Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ fundamentali ratione ſuadetur; nam in caſu prædicto lex poſſidet; certa enim eſt, etiam in ordine ad hunc caſum particularem, & mens legislatoris eſt dubia; igitur in dubio, non licet nobis vti EpijKia, & legem non ſeruare abſquè recurſu ad Superiorem; & vt rectè adnotat *Franciſcus Suarez* in tali dubio nullum ſe offert morale principium, quo poſ-

poſſimus practicè conſcientiam dubiam deponere, Superiore inconſulto.

Ad fundamentum prioris ſententię affirmātis, † negandum eſt, poſſeſſionem eſſe pro libertate, hoc enim eſt apertè falsũm; nam poſita lege, quæ ſit iuſta, & recepta, voluntas ſubditorum ligata remanet, & lex incipit poſſidere eiuſdem voluntatis libertatem: & ſi hoc dicatur nō ſufficere, vt libertas non poſſideat, numquam daretur tempus, in quo poſſideat lex, quia quacumq; lege promulgata, & acceptata, libertas, quæ erat in voluntate ante inſtitutionem, & promulgationem legis, diceretur poſſidere etiā poſt promulgationem legis; ideoq; cum antea poſſideat, & poſt promulgationem aſſeratur ēt poſſidere, numquam erit aſſignabile tempus, in quo verificaretur libertatem nō poſſidere, quod eſt manifeſtum abſurdum. Et de hac concluſione, nulla, aut ferè nulla eſt difficultas apud Authores: non mediocrem tamen ſubſequens quęſitum difficultatem inducit.

§. III.

Eſt ne idem aſſerendum, cum nullam caſus moram permittit recurrendi ad Superiorem?

SVMMARIVM

1 *Licere in caſu poſito EpijKiam admittere, ſentiunt Aliqui.*
2 *Contrarium tuentur alij.*
3 *Hæc ſententia, vt vera admittitur.*
4 *Licitus eſt vſus EpyKiæ, quando quis iudicat æquum non eſſe hic, & nunc legem ſeruare.*
5 *Obijcitur contra caſum ſecundo loco poſitum.*
6 *Soluitur.*
7 *Argumentatur, probando ex ſecundo caſu ſequi ſatis eſſe legem deſinere tantùm negatiuè, vt abſque peccato non ſeruetur.*
8 *Lex deſinit, vel negatiuè, vel contrariè.*
9 *Refellitur difficultas contraria.*
10 *Vt lex ceſſet contrariè; non oportet, vt eius obſeruatio ſit peccatum.*
11 *Vſus EpyKiæ non habet locum in rebus intrinſecè malis.*
12 *Inſtantia contraria.*
13 *Infringitur.*
14 *Alius caſus proponitur à nonnullis excogitatus.*
15 *Non admittitur, vt diſtinctus ab enumeratis.*

LONGE difficiliorem aggredimur quæſtionem, quàm præcedens fuerit, videlicet, an quando caſus moræ impatiēs, recurſum ad Superiorem prohibet, licitū nobis ſit EpijKia vtētes, omittere legis obſeruationem? Difficultatē hanc Authores expendentes, in varias deuenerunt ſententias, quas mox ponderabimus.

1 Prima ſit opinio eorum, † qui docuerunt in caſu poſito licere nobis EpijKiam admittere, & deſerere verba legis, ita *Syluester verb. (Papa) quæſt. 16. dicto 2.* & illud etiam innuit *verb. (Diſpenſatio) quæſt. 4. Corduba* hoc pariter videtur velle *lib. 5. quæſt. 13. explicando quartū modum generalem pro conſcientia deponenda,* cum ait, *interpretari leges in foro contentioſo pertinere ad legiſlatorem, in foro autem conſciētiæ ad quemlibet in facto ſuo, præſertim in manifeſtis, & notis, & vt ait Florent. etiam in dubijs interpretari, & Epykiezare, ſi ipſe eſt Doctus;* ſic ex Corduba, qui cum contradiſtinguat in vſu EpijKiæ forum externum ab interno; & in interno doceat interpretationem ad vnumquemq; in facto ſuo ſpectare, ex hac doctrina neceſſariò infertur ipſum voluiſſe, non eſſe neceſſarium recurſum ad legiſlatorem, vt vnuſquiſq; poſſit in dubijs circa legem ſuperuenientibus, eam interpretari. In eadem ſententia abſq; dubio eſt *Henriq. loco in præcedēte paragrapho citato,* cū abſolutè, & ſimpliciter doceat in dubijs locū eſſe EpijKiæ, & ēt Salas, vt ſupra eidē adhæret opinioni; addit tñ limitationē, dicens, nō eſſe voluntatē ſua libertate ſpoliandā, ſi ea indigeat, ad aliquod graue damnū vitandū.

2 Secunda ſententia † oppoſitū tuetur, loquens abſq; diſtinctione, & vult in dubio nō eſſe locū EpijKiæ, ſed eſſe legē, vt iacet, ſeruandā: ſic *in p. 2 S. Thom. qu. illa 96. ar. 6. docet Caietan. & Medina in fine comm. prob. 3.* & pariter *Suarez lib. 6. de leg. c. 8. n. 12. Vaſquez diſp. 176. c. 3. nu. 21. Sanch. lib. 2. de matr. diſp. 41. n. 37. Caſtrop. tom. 1. trac. 1. diſp. 3. pun. 8. n. 4. Bonac. diſp. 1. de leg. qu. 1. pu. vlt. §. 2. n. 10. ver. (Si verò) Baldell. to. 1. lib. 3. diſp. 47. n. 16. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 19. n. 4. Pellizzarius in man. reg. tract. 4. cap. 2. nu. 394. & tract. 5. cap. 2. n. 52. & alij.*

3 Dicendū eſt † veriſſimā eſſe hāc ſecundā ſētentiā, quam ſic probo; Impotentia recurrendi ad Superiorē non tollit, quin lex in tali dubio poſſideat; nā cū ipſa ſit certa, & exēptio ſit dubia, præſumptio eſt pro ipſa lege: igitur in tali dubio locū habere nequit EpijKia. Concluſio iſta cum moderamine in ſequenti concluſione poſito, eſt intelligenda.

Dicendū eſt ſecundò, EpijKia ſtrictè intel-
4 lecta † licere nos vti, quādo hic, & nūc iudicamus ob aliquā extrinſecā circumſtantiā, nō eſſe æquū legem ſeruare, ſecundum eius verba, v. g. Extat lex audiendi Sacrum diebus feſtiuis; at ſi quis iter facere debeat aliquo die, in quo eſt præceptū de Sacro, & nequeat Miſſam audire,

quia deberet omittere Comites,& in via peri-
culū eſſet,ne à latronib' ſurripiatur in bonis ma
gni pretij;in tali caſu poterit vti Epijkia;graue
enim onus eſſet ſeruare legem illam Eccleſia-
ſticam, cum tanto incommodo, proindè ceſ-
ſat obligatio, & idem in multis alijs ſimilibus
dicere poſſemus.

5 † Sed objicies primo probando in ſecundo
caſu,aut ſimili non eſſe locum Epijkiæ; ſi enim
lex præciperet Sacrum audire,etiam in tali par-
ticulari caſu, non deficeret, quia non præcipe-
ret aliquod illicitum, & iniquum;nam de facto
ſi ille, qui iter eſt facturus, non curaret pericu-
lo latronum exponere pecuniam, veſtes, &c.
quas ſecum gerit,& velit aſſiſtere Sacro, abſq;
dubio nullo notaretur crimine; cum igitur lex
Eccleſiaſtica in eo caſu ſi præciperet auditio-
nem Sacri, non peccaret, non erit emendanda,
atq; adeò interpretatio legis cum non ſit per
correctionem, non erit per Epijkiam.

6 Reſpondeo, † quod quamuis lex in prędicto
particulari euentu, ſi obligaret, non peccaret,
quaſi præciperet malum, peccaret tamen præ-
cipiēs actionem aliquam in illis circumſtantijs
nimis arduam, vel ſignificando plus quàm ab
Eccleſia, legem inſtituente intentum fuerit, &
ideò poterit in hoc per Epijkiam corrigi, vt
aduertit *Suarez cap. illo 8. num. 7.*

Objicies ſecundo, ſi vſus Epijkiæ locum ha-
7 beret in hoc ſecundo caſu, ſequeretur, † ſuffi-
cere, legem deſinere tantùm negatiuè, vt homi-
nes ab eius obſeruatione eximerentur; hoc au-
tem eſt abſurdum;ergo & illud, vndè ſequitur.
Pro ſequela probanda declaro terminos: lex
8 bifariam deſinere poteſt, dum non reuocatur, †
ſcilicet negatiuè, vel contrariè; tunc ceſſat ne-
gatiuè, quando in caſu particulari, licèt non
obliget;nihilominùs ſi obſeruetur, nullum erit
peccatum, vt oſtendit exemplum in prima
obiectione poſitum circa Sacrum audiendum:
contrariè verò ceſſat, cum in eius obſeruatione
peccatum interuenit, vt oſtendit exemplum
illud adductum *à S. Thoma p. 2. quæſt. 96. ar. 6.*
videlicet, ſi hoſtes ciuitatem obſideant, & lata
ſit lex, ne portæ reſerentur; ſi caſu contingat,
vt aliqui ex inimicis ciues hoſtiliter inſequan-
tur, tenebitur Ianitor,non obſtante lege illa,
portas aperire, vt ciues è faucibus inimicorum
eripiantur; iniquum autem foret in tali caſu
legem obſeruare. Ex hac autem terminorum
declaratione fit manifeſta maioris ſequela, ſci-
licet ſatis eſſe,vt lex negatiuè tãtùm ceſſet,cum
non oporteat, vt eius obſeruatio peccatum
trahat, ſed ſeueritatem dumtaxat;quod eſt ne-
gatiuè, & non contrariè deſinere; minor au-
tem, in qua dicebamus, abſurdum eſſe homi-
nes eximi ab obligatione legis, ex eo, quod ip-
ſa tantùm negatiuè ceſſet,oſtēditur ex incom-
modis,quæ ſequerentur. Primò quia precepta
Eccleſiaſtica, ceſſante motiuo, ob quod lata
fuere, non obligarent, & ſic viri perfecti non
obligarentur ieiunare,quia in ipſis ceſſat finis,
qui eſt macerare carnem, & paſſiones deordi-
natas attemperare. Rurſus quam plures conſti-
tutiones, quæ multas actiones prohibēt V. G.
ne quis Monialium monaſteria ingrediatur,ad
vitanda ſcandala, & pericula peccandi, & ne
Moniales perturbentur à conſuetis exercitijs
ſpiritualibus; poſſet negatiuè finis iſte deſine-
re,ſi ingrederetur monaſterium vir eximiæ ſan-
ctitatis, cuius exemplo Moniales excitarentur
ad actiones honeſtas, & adiuuarentur in pro-
greſſu rerum ſpiritualium. Præterea eſt conſti-
tutio ne alienentur bona Eccleſiaſtica, abſq; li-
centia Pontificis,& ob hunc finem,ne inutiliter
bona ipſa dilapidentur, at ſi contingat neceſ-
ſitas, vel vtilitas,ob quam rationabiliter, & iu-
ſtè deberent bona illa alienari; tunc ceſſaret fi-
nis à lege intentus,atquè adeò poſſent bona illa
abſq; licentia diſtrahi,quod tamen nemo con-
cedit. Similiter aliæ conſtitutiones,tum genera-
les, tum particulares, per quas prohibentur,ne
religioſi ambiant dignitatem aliquam,nō obli-
garent,quia poſſet ratio prędictarum legum,&
conſtitutionum ceſſare negatiuè,ſi ponatur ali-
quis procurans dignitates illas ob finem ho-
neſtum, abſq; prauæ ambitionis periculo. Se-
cundo etiam in lege diuina,& naturali habere-
tur exemptio, & ſic fornicatio ſimplex poſſet
cohoneſtari, ſi omninò ceſſaret periculum ma-
læ educationis in prole, & ita in multis alijs ſi-
milibus, quæ tamen omnia valdè abſurda exi-
ſtimari debent; ergo dicendum eſt, ad hoc, vt
ſit vſus Epijkiæ, deberet lex contrariè, & non
ſolùm negatiuè deſinere, etiam in caſibus par-
ticularibus.

9 Reſpondeo, † quod quamuis nonnulli ſint
qui cenſeant ſatis eſſe in caſu particulari, vt lex
ceſſet negatiuè, ad hoc,vt ſubditus obligatione
abſoluatur,quos citat *Suarez lib. cit. cap. 7. n. 1.*
& conentur diſſoluere inſtantias, ex quibus ab-
ſurda contra ipſos inferuntur; nihilominùs,
quia oppoſita ſententia eſt communis, & om-
ninò recipienda, idcircò ad argumentum ne-
ganda eſt ſequela; & ad eius probationem di-
10 co,ad hoc,vt lex ceſſet contrariè, † non requiri
neceſſariò, vt ejus obſeruatio ſit peccatum, vt
aliqui velle videntur, ſed ſufficere, vt ſit valdè
difficile, & arduum in caſu aliquo particulari
legem illam ſeruare, aliter ſi oporteret deficere
legem ſolùm,quando obſeruatio eſt peccatum,
interiretur, vſum Epijkiæ, eo tempore, quo eſt
licitus, eſſe ſemper ſub obligatione, quia dum
teneremur fugere obſeruationem legis, vt hic,
& nunc malam, eo ipſo aſtringeremur vti
Epijkia.

Cæterum aduertendum eſt, hoc, quod diximus
de vſu Epijkiæ, quando res cadens ſub le-
11 gem,ſeu præceptum eſt ardua, † intelligi de re-
bus, quæ non ſunt intrinſecè malæ, nam ad has
vitandas, ſemper,& in omni caſu, obligamur,
& talis eſt ſimplex fornicatio,& ſimiles.

Sed dices, ceſſante cauſſa, ceſſare debet effe-
ctus, vt habetur. *Cap. cum ceſſante de appell.*
igitur quãdo lex deſinit tantùm negatiuè,etiam
in caſu particulari, ceſſat in illo cauſſa: ergo &
obligatio, quæ eſt eius effectus,ceſſare debet.

Reſpondeo verum eſſe antecedens, quando
cauſ-

cauſſa illa ceſſat totaliter, & adęquatę; at quando ceſſat tantùm negatiuè in aliqua perſona particulari, non ceſſat adæquatę cauſſa finalis, ob quam lex lata fuit. habemus inſtantiam in lege illa Eccleſiaſtica, per quam interdicitur, ne contrahatur matrimonium, niſi præmiſſis denuntiationibus, ad hoc, vt ſi extent impedimenta, manifeſtentur; at etiam ſi quis certò ſciat nullum inter ipſum, & talem mulierem eſſe impedimentum, non poteſt licitè abſq; licentia Ordinarij matrimonium cum illa muliere contrahere, & hoc, quia licet ceſſet periculum, in tali perſona particulari, non ceſſat tamen in vniuerſali; leges autem vt finem non reſpiciunt caſum ſingularem, ſed ea, quæ communiter accidunt, vt expreſsè habetur *in l. 15. ea, quæ rarò de regulis iuris*, ideoq; vt delineret lex iſta obligare, deberet periculum ceſſare generaliter in omnibus, quod tamen non ceſſat, proindè vnuſquiſq; ad eius obſeruationem tenetur.

12 Solent aliqui † alium caſum aſſignare, in quo equitas locum habet, nempè quando iudicatur caſum illum ſub verbis legis comprehenſum, eſſe vltra voluntatem legiſlatoris.

13 Cæterum iſte caſus, † vel ſumitur iuxtà ſui ſpeciem, vel ſumitur in particulari; ſi primum dicatur; non video quo pacto in praxi facilè euenire poterit, ità vt lex per Epijkiam corrigatur; interrogo enim, ſi verba legis comprehēdunt caſum ſecundum ſpeciem, vndè dignoſcitur non fuiſſe à voluntate legiſlatoris intentum; ſi enim reſpondeatur, id à Superiore declaratum fuiſſe, tunc non haberetur emendatio legis, quia comprehendendo caſum illum ſub verborum ſignificatione, non deprehenditur defectus in lege (ſuppono enim non eſſe de re illicita, quia tunc non eſſet vera lex, de cuius ratione eſt, vt feratur in bonum morale) proindè ſolùm deprehenderetur reſtrictio verborum ex mera, & ſimplici voluntate Superioris; ſi autem in lege non præſupponitur defectus, non erit emendatio, atq; adeò neq; Epijkia; ſi verò ſermo ſit de caſu, qui ſecundum ſpeciem contineatur ſub lege, ſed hìc, & nunc in ſingulari iudicetur non fuiſſe à Superiore intentum, hoc nequit eſſe alia ratione, niſi vel quia ob aliquam circumſtantiam obſeruatio legis reſpectu huius ſingularis caſus foret iniqua, vel quia eſſet de aliquo nimis arduo, & ſic reduceretur iſte caſus ad alterutrum ex illis duobus, quos nos poſuimus; idcircò nulla erit neceſſitas multiplicandi caſus.

§. IV.

Licitè ne conſcientiam deponat, ambigens, an malum ſit verbis legis ſe cōformare; cum per Epijkiam ſibi liquet, caſum ſub lege non comprehendi?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur exemplo.*
2 *Nequit prudenter cōſcientia deponi, tali exiſtente dubio propriè dicto.*
3 *Nullum ſiue extrinſecum, ſiue intrinſecum adeſt principium, quo iudicetur licitum eſſe in eo caſu verbis legis ſe conformare reuelando delictum.*
4 *Quāuis probabiliter quis opinetur non aſtringi ad reuelandum, poterit tamen reuelare.*

1 CLARITATIS gratia debemus quæſitum exemplo explicare, v. g. ſit lex ſub graui pœna ſtatuens, vt omnes, qui ſciant Reum alicuius determinati delicti, debeant illum reuelare, & Titius ſciat ſimile delictum patratum fuiſſe à Sorte, taleſq; concurrant circumſtantiæ, vt per Epijkiam certò iudicetur, caſum hunc in particulari non comprehendi ſub ratione legis, atq; adeò Titium eximi ab obligatione reuelandi; at tali exemptione non obſtante, velit Titius legi ſe conformare, dubitat tamen, an hoc ſit licitum ob prædictas circumſtantias occurrentes: quærimus num Titius poſſit conſcientiam practicè deponere, iudicium formando, quod poſſit legem illam ſeruare, & coram Iudice competenti delictum aperire, & eodem modo in alijs ſimilibus exemplificari poterit. Quibus pontis.

2 Dicendum eſt, dubio propriè dicto exiſtente, † non poſſe conſcientiam prudenter deponi; hanc ſententiam docet [illegible] *Suarez lib. cit. capit. 8. num. 2.* quem ſequitur ad vnguem, etiam quoad verba *Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 8. dub. 3. num. 33.* dixi, dubio propriè dicto &c. quale eſt illud, per quod omninò intellectus ſuſpenſus manet, neque aſſenſum, neque diſſenſum eliciens, quia ſi ſermo eſſet de dubio impropriè accepto, nempè de illo, qui ponit actum intellectus, ſed cum formidine, alia eſſet ratio, vt infrà videbimus. Loquendo autem de dubio ſtrictè ſumpto, probatur concluſio, quia nequit prudenter dubium illud practicum repelli, niſi ex aliquo rationabili fundamento, quod intrin-

in caſu prædicto abeſt tum extrinſecè, tum intrinſecè; extrinſecè poſſet habere fundamentum, ſi dubitans duceretur authoritate legislatoris, ſeu legis, quod tamen in caſu noſtro non conceditur, quia ita dubitans, legem inſpiciendo, mentem legislatoris perſpectam habet, ſcilicet noluiſſe comprehendere caſum illum, de quo agimus: † aliud extrinſecum
3 principium haberi non poteſt; intrinſecum aũt eſſet iudicium probabile de oppoſito, nempe probabiliter iudicare eſſe licitum verbis legis ſe, hic, & nunc, conformare, reuelando delictum; at ex ſuppoſitione tale iudicium non adeſt, cum ponamus intellectum in æquilibrio manentem; igitur nullum datur principium, ſeu rationabile fundamentum, vi cuius poſſit Titius conſcientiam practicè deponere, verba legis ſequendo; idcirco in tali euentu debet omninò abſtinere à tali reuelatione, ne ſe periculo exponat faciendi contra iuſtitiam.

Quæres, an poſito † indicio practicè pro-
4 babili, per quod Titius exiſtimet ius habere ad reuelandum delictum illud, etiam ſi non teneatur, poſſit tuta conſcientia id fieri?

Reſpondeo affirmatiuè, nam vi illius iudicij prudenter ſe gerit, atq; adeo non peccabit reuelando, quamuis ex hypotheſi vi legis poſitiuæ non teneatur.

§. V.

Sit ne licitus vſus EpijKiæ, ſi ſolùm probabiliter iudicetur legislatorem non potuiſſe, aut noluiſſe caſum ſub lege comprehendere?

SVMMARIVM.

1 *Licitum eſſe EpijKiæ vſum in vtroq; caſu cenſuit Merolla, cum pro oppoſito non eſt probabilis opinio.*
2 *Si opinio ſit de poteſtate Superioris licitè quis vtitur EpijKia, ſecùs ſi ſit de voluntate eiuſdem Superioris ita cenſuit Vaſquez.*
3 *Licitam eſſe EpijKiam exiſtimarunt alij, ſiue caſus excludatur probabiliter à poteſtate, ſiue à voluntate, quando aditus ad Superiorem non patet, ſecùs ſi pateat.*
4 *Vrgente caſu, & temporis dilatione non permiſſa, licitè vtimur EpijKia Superiore incõſulto ſiue probabilitas exceptionis verſetur circa poteſtatem, ſiue circa voluntatem.*
5 *Quamuis oppoſitum ſit probabile, honeſtius erit vſus EpijKiæ.*
6 *Soluitur contrarium fundamentum.*
7 *Inſtantiæ aduerſus concluſionem.*
8 *Inſtantijs prædictis non infringitur concluſio, & deijcitur paritas.*
9 *In conflictu opinionum, ſi Superior conueniri poterit, & caſus patitur moram, inſufficiẽs erit iudicium probabile contra verba legis.*
11 *In tali euentu EpijKia non dirigit.*

QVAMVIS videamur quæſtionem inſtituere, cuius proprius locus ſit in præcedente diſceptatione, in qua probabile cõſcientiæ dictamen expendimus; nihilominùs cenſeo redargui non poſſe, quia completa huius controuerſiæ tractatio cogit, vt obiter ſaltem, quando ſe offert occaſio, tangamus aliqua, quæ in opinione probabili cõſiſtunt. Hoc præmiſſo. Pro huius quæſiti ſolutione Authorum placita aperio.

1 Putarunt aliqui in vtroq; caſu † licitum eſſe vſum EpijKiæ: ita *Merolla dub. 3. cit. in præcedente paragrapho num.* 34 & fundat ſuã ſententiam in illo principio vniuerſali, nempè licitum nobis eſſe operari iuxta probabilem opinionem: hanc autem opinionem admittit Author iſte cum hac limitatione, vt pro oppoſito nõ ſit etiam iudicium probabile; nam ſi pro vtraq; parte ſit probabilis opinio, cenſet non poſſe licitè nos vti EpijKia, ſed eſſe legem ſeruandam, ſic *in fine illius numeri* & *ſuccessiuè ad num.* 55. Et hoc, quia in pari cauſſa melior eſt poſſidentis conditio *de reg. iuris in 6.*

2 Alij verò cum diſtinctione procedunt, † nã ſi opinio probabilis feratur in poteſtatem Superioris, de qua aliqui dicunt poſſe caſum comprehendere, alijs negantibus; tunc locum eſſe EpijKiæ, abſq; recurſu ad Superiorem; ſecùs verò ſi conſtet de poteſtate, & probabilitas ſolũ ſit de voluntate, tunc enim legem eſſe ſeruandã, ſiue poſſit, ſiue non poſſit dari recurſus ad Superiorem: ita *Vaſquez in p. 2. diſp. 176. cap. 3. à numero 15.* Ratio prioris dicti eſt, quia in eo caſu non agimus de explicanda mente Superioris, ſed de eius poteſtate: hęc autem interpretatio fieri poterit à quocumq; prudenti, & perito, & non aſtringimur ſequi eam, quæ eſt ex iudicio Superioris, quando illam nõ declarauit, ſicuti de facto multas Pontificis conſtitutiones in dies interpretamur, non recurrendo ad Pontificem. Ratio ſecundi dicti eſt, quia cum de voluntate Superioris diuerſæ exiſtant ſententiæ, debemus ad illũ recurrere; vt ſuam aperiat intentionem, & dum eam exploratam non habemus, tenemur legem ſeruare, quamuis iudiciũ probabile habeamus, noluiſſe particularẽ caſũ comprehendere, & confirmatur, quia tunc lex poſſidet, & non deficit, etiamſi caſum illum cõprehenderet, proinde ob ſolum iudicium probabile non eſt deſerenda.

3 Deniq; † alij cenſent ſiue caſus probabiliter excludatur à poteſtate, ſiue à voluntate legislatoris, licitum eſſe, quando Superior conueniri nequit, vti EpijKia, at nõn eſſe licitum, ſi pateat aditus ad Superiorem, ita ſentit *Suarez lib. 6. de legib. cap. 8. num. 6. & apud ipſum Caieta-*

ietanus p. 2. quæſt. 96. ar. 6. Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. ar. 8. probat Suarez ſententiam iſtam, quoad primam partem eodem principio generali, videlicet in rebus moralibus iudicium probabile ſufficiens eſſe ad operationem cohoneſtandam, quando certa, & indubitata regula applicari minimè poteſt, & confirmatur, quia graue onus eſſet in actibus humanis ſemper requirere euidentem cognitionem; hæc, & plura alia adducit Suarez ad hanc firmandam opinionem, ſed num. 9. rectè docet oppoſitum eſſe exercendum, quando caſus non eſt moræ impatiens, & conueniri poteſt Superior.

Hę ſunt ſententiæ, quæ de re hac inueniuntur, quid tandem rationabilius ſit, per ſubſequentes concluſiones aperiam.

4 Dicendum eſt primò, † Quando caſus vrget, temporiſq; dilationem minimè concedit, Superiore etiam inconſulto, licitum eſſe vſum EpijKiæ, ſiue probabilitas ſit circa exceptionē eiuſdem caſus à poteſtate, ſiue à voluntate Superioris, & in hac ſententia certiſſimè eſt *Caietanus p. 2. quæſt. 96. ar. 6. ver. (Sed tunc inſurgit quæſtio)* explicans S. Thomam, vt patet cōſideranti eius verba; & quamuis à *Vaſquez in eadem p. 2. diſp. 176 cap. 2. nu. 9.* rectè, & fideliter eiuſdem Caietani opinio referatur, nihilominus *cap. 3. ſequente num. 20. ver. (Ex his ſequitur.)* repetens eamdem opinionem, contrario modo illam explicat, & non iuxta mentem Authoris, immemor fortaſſe prioris expoſitionis *capite præcedente* traditæ: Sed nolo tempus terere in hoc, ſatis eſt Caietanum fuiſſe in hac ſententia, in qua etiam eſt *Suarez loc. cit. Merolla tom. 1. diſp. 4. cap. 8. num. 40. & alij.* probatur concluſio ſecundum vtramq; partem: in prima enim parte dicimus, quando caſus eſt moræ impatiens, ſi probabile ſit non comprehendi, poſſe licitè vti EpijKia, probatur, inquam, communi illo principio, ſæpiùs in hac materia repetito; videlicet in actionibus humanis, in quibus rarò euidentiam rerum habemus, prudēter operamur ex iudicio probabili; & hoc pluribus confirmat *Suarez loc. cit.* Secunda autem pars, quatenus aſſerit honeſtum eſſe vſū æquitatis, ſiue caſus excipiatur à poteſtate, ſiue à voluntate ipſius legiſlatoris, oſtenditur; quia nullum ſufficiens diſcrimen poterit aſſignari, nam & ſi ordinariè loquendo, maior certitudo nobis exhibeatur, quando eſt exceptio à poteſtate, quàm quando eſt à voluntate; iſta enim eſt libera, & magis nobis obſcura, illa verò eſt neceſſaria, & notior; poſita tamen incertitudine, oportet vt in vtroq; caſu voluntatem Superioris interpretemur, nam ipſe poſſet, ſi vellet includere caſum illum particularem, ſi lex abſq; peccato poſſit in eodē caſu ſeruari, proinde, vt rectè animaduertit Suarez, ſemper eſt deueniendum ad voluntatem legiſlatoris coniecturandam: igitur à primo ad vltimum eadē currit paritas, quoad peccatum, reſpectu poteſtatis, & voluntatis Superioris, in ordine ad cōſcientiam practicè deponendam, exiſtēte probabili iudicio.

5 Dicendum eſt ſecundò, etiam ſi † oppoſita ſententia, quæ aſſerit caſum non excedere poteſtatem legiſlatoris, & fuiſſe de facto ab eius voluntate cōprehenſum, ſit probabilis, hoc tamen non obſtante, licitum erit vti Epijkia; ſic *Medina in quæſtionem illam 96. ar. 6. propoſ. 4. Suarez capitulo 8. num. 3. & alij*, eſt contra Merollam, vt vidimus in relatione prioris ſententiæ. Sed probatur concluſio, quia ex vna parte habemus probabile iudicium, ſpeculatiuum tamen, dictans caſum illum in particulari non eſſe comprehēſum, ex alia verò parte nulla apparet ſufficiens ratio, quare nequeat ex tali iudicio ſpeculatiuo formari practicum iudicium ſimile, & conſciētiam deponi, agēdo cōtra verba legis, ſi enim eſſet ratio impediens, quin tale iudicium practicum eliciatur, maximè eſſet ratio, cui innititur ipſe Merolla, nēpè poſſeſſio, in qua, vt ipſe inquit, inuenitur lex, at hoc eſt falſum, nō eſt enim lex, quæ in poſſeſſione actuali reperitur, reſpectu huius caſus in particulari, ſed libertas, licet enim ſupponamus caſum contineri ſub poteſtate Principis, ita vt poſſit illum ſua legē comprehēdere; nihilominùs dum hoc non conſtat, remanet ſubditus in ſua libertate: igitur poſito iudicio ſpeculatiuè probabili, caſum intentum non fuiſſe à Principe, poterit practicè conſcientia formari in hunc ferè modum; Mihi non conſtat caſum hunc in particulari fuiſſe à volūtate Principis comprehēſum; imò eſt probabile oppoſitum, ergo licitum erit mihi vti mea libertate, tali autē poſito practico diſcurſu; prudēter homo poterit contra verba legis operari, quamuis non contra intentionem, & mentem legiſlatoris.

6 † Et ex his patet ſolutio ad fundamētum contrariæ ſententiæ, quam tuetur Merolla, & turſus patet, qua ratione ex ſententia iſta, quam ſuſtinemus, nihil inferatur contra regulam illam *Iuris 65.* nempè *in pari cauſſa melior eſt conditio poſſidentis*, vt enim diximus, libertas, & non lex poſſidet.

7 Verùmtamen † contra hanc noſtram concluſionem poſſet quis efficaciter vrgēs duo obijcere; Primum ex doctrina tradita inferri, quod ſtante dubio preſsè ſumpto, in libertate ſubditi eſſet contra legē agere, quia eodē ferè modo formaret ſibi conſciētiam, exiſtimans poſſeſſionem eſſe pro ſe, & non pro lege, dum non conſtat caſum particularē comprehēſum fuiſſe ſub lege. Secundò, obijci poſſe paritatem, nam *Diſceptatione præcedente cap. 25.* inquirētes, an ſubditus aſtringi debeat parere mandatis ſui Superioris, ēt contra propriam, & probabilē opinionē, ſtatuimus in ſecunda concluſione ex multorum ſentētia, pro Superiore eſſe decidēdum, nēpè ſubditum aſtringi pręcepto ſe conformare, licet hinc indè opiniones exiſtant de honeſtate, & inhoneſtate ſui præceptæ; nunc verò contrarium aſſerere videmur, cū dicimus, quod exiſtētibus oppoſitis opinionibus circa comprehēſionem caſus ſub lege, poſſe nos ſequi opinionē negatiuam à verbis legis

diſ-

diſſentientes per Epijkiam. Hæc enim duo co-
hærere minimè cenſentur,

8 Reſpondeo, datam concluſionem prædictis
inſtantijs nequaquam perfringi: ideoq; ad pri-
mum nego ſequelam, eſt enim diſparitas, quia
in ambiguo ſubditis verſantibus, poſſeſſio eſt
pro lege, quę ob ſolam, & præciſam ambigui-
tatem ſua poſſeſſione ſpoliari non debet; verba
enim legis, vt ſupponimus, intra propriam, &
naturalem ſignificationem manentia caſum
illum comprehēdunt, atq; adeo ſuperior vt ſic
incipit vi ſui decreti posſidere ſubditi libertatē
& niſi in oppoſitum ſufficiētes ſe offerant con-
iecturæ, & ex eiſdem probabile, & prudens pro
negatiua feratur iudicium, nēpè probabile eſſe
caſum illum non comprehendi, ſemper lex in
ſua pacifica perſiſtet poſſeſſione, in præſentia
autē tale iudicium minimè habemus; ideoq; fal
ſum eſt in libertate ſubditi eſſe, contra legem
agere, & formare ſibi conſcientiam dictantem
pro ipſa libertate eſſe poſſeſſionem.

Cæterum, quando pro vtraq; parte probabi-
les verſātur opiniones, tūc potiùs libertati ſub-
diti, quam legi eſſe fauēdum exiſtimamus, quia
dum legislatoris voluntas non apparet, innata
ſubditi libertas à ſua cōnaturali poſſeſſione nō
deijcitur, & verba legis, quoad ciuilē, ſeu mora-
lem ſignificationem perturbata manēt, ſtante
oppoſita probabilitate, proinde numquam cen-
ſentur fuiſſe in pacifica poſſeſſione cōprehen-
ſiua huius particularis caſus: dixi, quoad ciuilē
ſignificationem, nam quoad materialem, ſeu
grammaticalem proculdubio caſus in ip-
ſis verbis includitur; in actionibus autem hu-
manis potiùs ciuilis, & moralis, quàm gram-
maticalis eſt attendenda ſignificatio.

Ad ſecundum inficienda eſt paritas, *in ea.n.
diſceptatione* loquuti ſumus, vt legenti patet,
de præcepto Superioris prohibentis, vel man-
dātis rem aliquam particularem; de cuius ho-
neſtate, & inhoneſtate probabile, hinc indè, ha
bemus iudicium, talis autem probabilitas, ſine
alio adminiculo imbellis erit ad expugnandum
expreſsum pręceptum, & ad eijciendum Supe-
riorē à ſua pacifica poſseſſione; at in hoc quæ-
ſito noſter ſermo procedit, quando obſcura eſt
Superioris voluntas, & de ea conſtare nequit,
& pro vtraq; parte probabilitas extat, tunc enim
non veremur aliquid in gratiam libertatis ſub-
ditorum affirmare.

Dicendum eſt tertiò, ſi in tali opinionum
9 conflictu, † Superior conueniri poterit, & ca-
ſus moram non reſpuit, neq; vrget, tunc non
ſatis eſse iudicium illud probabile ad conſciē-
tiam deponendam contra verba legis; hanc sē-
tētiam, quam communem *Suarez* appellat, ſa-
tis efficaciter oſtendit *cap. illo 8. num. 9.* & fū-
damentum eſt, quia diſsentaneum eſt rectæ ra-
tioni ob ſolas coniecturas verba legis reijcere,
quando voluntatem, & mentem Superioris ex-
10 ploratam habere poſſumus, †. ideoq, Epijkia
in tali diſcrimine non dirigit, neq; poteſt legē
emēdare, cum nullum in ea defectum inueniat,
proinde illud iudicium ſpeculatiuum oppoſitū,
& ſpeculatiuum non erit tale, vt prudenter in-
ferre valeat ſimile iudicium practicum; ceſſat
enim neceſſitas vtendi probabili dictamine, cū
nullum appareat periculum in mora, & conſta-
re poſſit de intentione legislatoris.

§. VI.

In lege naturali admittitur ne vſus EpijKiæ?

SVMMARIVM.

1 *Epijkiam dari in lege naturali aliqui iu-
dicarunt.*
2 *Ratione probatur.*
3 *Oppoſitam ſententiam, quæ negat, tuen-
tur alij.*
4 *Lex naturalis intrinſecum defectum non
habet.*
5 *Ad inſtantias contrarias reſpondetur re-
miſſiuè.*
6 *Ius naturale multiplicem admittit ſignifi-
cationem.*
7 *Quatenus dicit lumen à Deo in nobis impreſ-
ſum, non admittit Epijkiam.*
8 *Lex naturalis pro vt in decalogo expreſ-
ſa eſt capax ſimplicis tantùm interpre-
tationis.*
9 *At non recipit Epijkiam propriè dictam.*
10 *Proponitur inſtantia in contrarium.*
11 *Soluitur.*
12 *Aliæ differentiæ, quas Suarez ponit, diſ-
ficultatem patiuntur, ſed immeritò ab
Arriaga impugnatur, quaſi pugnantia
docens.*
13 *Quattuor requiruntur conditiones ad Epij-
kiam, & declarantur.*

DVAS circa rem hanc inuenio
1 ſententias. Prima enim † ſu-
ſtinet dari Epijkiæ vſum in lege
naturali: ſic docet *Caietanus in
2.2. S. Thomæ quæſt. 120. art. 1.
Corduba in 99. lib. 3. quæſ. 2. poſt
quartum modum generalem deponendi conſci-
entiam*, hoc expreſsè ſupponit: *Salas de legib.
diſp. 5. ſect. 10. Molfes in ſumma tract. 19. cap.
3. in fine, & ex Canoniſtis Felinus in cap. Quæ
Eccleſiarum in conſtit. Nauarrus de diſpenſ.
impub. conſ. 4. num. 16. 17. Couarr. in quartum
decretal. 2. p. cap. 6. §. 9. à num. 2.* quatenùs do-
cet, concluſiones, quæ ex primis principijs iuris
naturalis oriūtur, indigere declaratione, & in-
2 interdum deficere. Hęc autem ſentētia † pro-
batur ratione fundamentali, hoc pacto: lex na-
turalis, quoad aliqua præcepta, quæ remotiora
ſunt à principijs primis practicis, fertur in ma-
teriam mutabilem; ergo eſt capax Epijkię: Cō-
ſequentia patet, quia ob eamdem rationem
oſten-

oſtendimus neceſſitatem huius virtutis in lege poſitiua humana; nam exiſtente mutabilitate, deficere poteſt in multis. Antecedens autem, in quo eſt difficultas, varijs exemplis probari ſolet. Primum, & valdè tritum eſt de depoſito, quod lex naturalis dictat eſſe Domino reſtituendum illud petenti; in aliquo tamen caſu lex iſta non eſt ſeruanda; vt ſi Dominus peteret enſem priùs in depoſito aſſignatum, vt interficeret alium, vel vt cõmitteret aliquod aliud peccatum, tunc, vt Doctores vnanimi conſenſu aſſerunt, Depoſitarium non teneri, imò non debere depoſitum illud reddere; aliter peccabit, aut contra iuſtitiam, aut ſaltem contra charitatem. Similiter eſt præceptum naturale in Decalogo, per quod admonemur, non eſſe occidendum proximum, & hoc non obſtante, quando occiſio fit à Miniſtris iuſtitiæ, vel ad iuſtam defenſionem, locum non habet lex illa de non occidendo. Ruſſus idem volumus in lege, qua inſtruimur ad præſtandam Superioribus obedientiam, ad ſeruanda iuramenta, & vota, & nihilominùs in multis caſibus poſſumus, imò aſtringimur ad non obediendum Superiori, ad non ſeruandum aliquod iuramentum, ſeu votũ, & ſic in multis alijs: ergo firmum eſt antecedẽs illud, quod à nobis erat probandum, videlicet legem naturalem ferri in materiam mutabilem, atq; adeo poſſe in multis caſibus corrigi per EpijKiam.

Secunda tamen opinio tuetur oppoſitum,
3 † videlicet, legem naturalem non eſſe EpijKiæ capacem: ita *Suarez libr. 2. de legib. cap. 16. num. 4.* vbi fusè hanc ſentẽtiam conatur oſtendere. *Vaſquez in p. 2. diſp. 176. cap. 3. num 4. Breſſerus de conſc. lib. 4. cap. 17. nume. 176. Merolla tom. 1. diſp. 4. cap. 2. num. 10. per totum. Arriaga in p. 2. tom 2. diſp. 8. ſect. 5. n. 43. & ſequenti: Franciſcus Amicus tom. 8. de legib. diſp. 4. ſect. 3. nu. 86. & alij.*

4 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia † lex naturalis nequit defectum intrinſecum habere, & ideo non eſt capax emẽdationis, & per conſequens vſus EpijKiæ in ipſa locum habere non poteſt; nam vt patet ex dictis, proprium, & adæquatum munus EpijKiæ eſt emendare, & corrigere legem in aliquo caſu particulari deficientem, & ob hanc eamdem cauſſam in præceptis naturalibus non datur diſpenſatio; eſt. n. ius naturale ab intrinſeco immutabile, & lex naturalis, vel eſt ipſamet natura rationalis, vt rationalis, vel iudicium rationis naturalis, quod cum ſit regula morum, deficere nequit; proinde per nullam humanam poteſtatem poteſt mutari, & diſpenſari, vt ferè omnium ſententia aſſerit, & oſtenditur latè in tractatu de legibus

Ad inſtantias verò in contrarium adductas,
5 † reſpondent huius opinionis Sectatores, varias afferendo ſolutiones, vt infra dicemus.

Et hæc breuiter dicta ſint pro vtraq; parte. Supereſt nunc, vt dicamus, quid in re hac nobis probabilius videtur.

6 Pro qua re aduertendum eſt, † ius naturæ, ſeu legem naturalem multipliciter ſumi, vt fusè declarat *Valent. in p. 2. diſp. 7. quæſt. 4. pu. 1. & 2.* pro vt verò facit ad rem noſtram bifariam accipi poſſe: Primò, quatenus idem eſt, quod lumen naturale à Deo in mente hominis impreſſum, de quo *pſalm. 4. dicitur (Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine)* & vt ſic eſt quoddam iudicium rectæ rationi conſentaneum, dictans, quod amplectendum, & quod fugiendum eſt. Secundò, lex naturalis ſumi poteſt, quatenus verbis vniuerſalem habentibus ſignificationem, eſt ſcripta, & nobis exterius expreſſa, vt ſunt præcepta in Decalogo. His præſuppoſitis

Dicendum eſt primò, lex naturalis in prio-
7 re illa acceptione † nullam admittit EpijKiam, neq; largè, neq; ſtrictè ſumptam, hoc eſt, neque ſimplicem interpretationem, neque illam, quæ æquitati eſt propria. Concluſionem manifeſto argumento probare poſſum. Quod eſt omninò indeficiens, nullius EpijKiæ eſt capax: at lex naturalis in priori acceptione eſt omninò indeficiens: ergo nullius EpijKiæ eſt capax: Maior ex ſola terminorum declaratione elucet; nam quod eſt ita indeficiens, omnem reſpuit emendationem, atqueadeo EpijKiam, cuius adæquatum munus, vt vidimus, eſt legem deficientem corrigere: Minor autem ſuadetur. Lex illa naturalis eſt eſſentialiter internum mentis dictamen, rectæ rationi conſentaneum; proinde certa, & immutabilis humanorum, & moralium actuum regula, quæ à ſua intrinſeca, & connaturali rectitudine deficere nequaquam poteſt.

8 Dicendum eſt ſecundò, ſi de lege naturali † in poſteriori acceptione loquamur, nempè, vt generali ſermone in Decalogo eſt nobis expreſſa, eſt capax ſimplicis interpretationis. Cõcluſionem hanc, de qua dubitat nemo, euidenter demonſtrant exempla illa, quę ab Authoribus primæ ſententiæ afferuntur; videlicet lex de reſtituendo depoſito, de nõ occidendo, & de alijs ibidem relatis, aut ſimilibus, quarũ materia eſt à malitia, in quibuſdam circumſtantijs, ſeparabilis: Hę autem leges, quamuis quoad ſonum verborum videãtur vniuerſales, omneſq; comprehendare caſus, explicantur tamẽ iuxta internum rationis dictamen, ſeu ſecũdum legem naturalem in priori illa acceptione; ideoq; ſubintelliguntur vim habere, debitis poſitis conditionibus, nempè nos obligare ad ipſas ſeruandas iuxta verborum ſignificatum, quando recta ratio oppoſitum non dictat, proinde depoſitũ non eſt reddendum, ſi petatur ad iniuſtum dãnum inferendum: neq; tenemur iniuſtum inuaſorem non occidere, quando alia via mortẽ imminentem vitare nequimus, & ſic de alijs, quæ has, aut ſimiles inuoluunt interpretationes. Et de hac concluſione, neque controuerſia, neque ambiguitas habetur.

Dicendum eſt tertiò, lex naturalis etiam ſcripta, † præter ſimplicem interpretationem,
9 de qua ſupra, EpijKiam propriè dictam minimè recipit; & in hoc Authoribus ſecundæ

ſententię me ſubſcribo, & cenſeo, terminis rectè expoſitis, opinionem hanc eſſe omninò certam, niſi de voce contendere velimus. Tali pacto igitur concluſionem oſtendo. Omnis interpretatio, quæ circa legem hanc naturalem excogitatur, nequit ab EpiiKja procedere: Ergo lex iſta naturalis EpiiKiam propriè dictam minimè recipit. Euidens eſt conſequentia: Antecedens verò, in quo difficultatis cardo reſidet ſequenti ſyllogiſmo firmatur. Nulla interpretatio, ſeu exceptio, quæ ab ipſamet lege fit, poteſt ab EpiiKia procedere: at omnis interpretatio, quæ fit in lege naturali, vt naturali, ſeu in præceptis Decalogi, eſt ab ipſamet lege naturali: ergo nulla interpretatio, ſeu exceptio, quę fit in lege naturali, vt naturali ab Epiikia procedit. Vtramq; oſtendo præmiſſam: Maior autem ſic. EpiiKia eſt legis deficientis correctio propter vniuerſale, vt ſupra ex Ariſtotele vidimus, ſcilicet propter vniuerſalitatem, ſub qua inſtituitur; cum igitur ipſamet lex ſe explicat, limitãdo, quando opus eſt, ſuam vniuerſalitatem, eamq; declarando, nullum inuoluit defectum, idcirco emendatione non indiget, & per conſequens neq; EpiiKia: Minor verò probatur, diſcurrẽdo per exempla allata; nam eadem lex, quæ limitat, præcipit depoſitum Domino eſſe reddendum, explicat, & limitat pręceptum hoc vniuerſale, quando à Domino peteretur depoſitum ad iniuſtum damnum inferendum, vel ad aliud malum perpetrandum, tunc dictat nõ eſſe reddendum; & hoc, vt impediatur, quantùm fieri poterit, iniquitas. Similiter præceptum de non occidendo, ab eademmet lege naturali, à qua emanat, reſtringitur, vt locum non habeat, quando occiſio fit publica authoritate iuſtitiæ, vel ad propriam defenſionem; & ſic per inductionem diſcurrendo per alia præcepta Decalogi, videbimus interpretationes, quarum eadem præcepta ſunt capacia, ab ipſamet lege procedere, quod erat minor probanda: Et confirmatur; quoniam depoſitum non reddere, cum dãnum præuidetur, non eſt ex EpiiKia, ſed ex lege naturali, & diuina prohibẽte, ne iniuſtæ actioni cooperemur; pariter capere aliquid, etiam inuito Domino, ex bonis alienis, quando quis eſt in extrema neceſſitate, non eſt per Epiikiam ſed ex iure naturæ præcipiente, vt vitam conſeruemus, & ſic de ſimilibus. Cæterum in aliis caſibus, receſſus à verbis legis non eſt ſub præcepto, neque tunc deſerere verba illa eſt EpiiKia; nam ſupponitur in lege naturali, vt probauimus caſum exceptum fuiſſe, v.g. occidere iniuſtum inuaſorem, cum alia via nõ ſuppetit ad mortem vitandam, non eſt, per ſe loquendo, à Deo mandatũ, poſſet enim quis cedere iuri ſuo poſtponens propriam vitam pro vita proximi, vt communiter Doctores in explicatione quinti præcepti Decalogi affirmant, nonnullis demptis caſibus; attamen licet occiſio iſta defenſiua non ſit præcepta, nihilominùs non fit ex EpiiKia, ſed ex dictamine naturalis iuris indicantis, licitum eſſe vnicuiq; ſe iuſtè defendere cum moderamine; ideoque caſus iſte excipitur ab ipſamet lege naturali ferente legẽ de non occidendo, vt ſupra declarauimus.

10 Sed quis inſtabit: † Si interpretationes prædictæ non ſunt ab Epijkia, quia ſubintelliguntur in inſtitutione legis, ſequeretur idem dici poſſe de lege poſitiua, in qua abſq; controuerſia conceditur vſus EpijKiæ. Probatur ſequela. Sit v. g. lex de Sacro diebus feſtiuis audiendo, ſi aliqua neceſſitas vrgeat rationabiliter impediens, ne Sacrum audiatur, qui impedimento detinetur, interpretatur caſum hìc, & nunc ſub lege non comprehendi; hanc autem interpretationem, quam communiter dicimus eſſe EpijKiam, ego dicam non eſſe, ſed fieri ab ipſamet lege excipiente hunc caſum, ſic legem formando vnuſquiſque tenetur die feſtiuo Sacrum audire, niſi neceſſitate aliqua impediatur. Similiter lex ieiunij eodem modo formaretur, nempè, obligare, quando non occurrit infirmitas, aut quid ſimile impendens ieiunium, & ſic de reliquis; ergo vel eſt dicendum has interpretationes non eſſe Epijkiam, vel ſi iſtæ ſunt, etiam & aliæ in lege naturali ſuperiùs expreſſatæ, nulla enim in hoc ſufficiens videtur aſſignari poſſe diſparitas inter vtramque legem.

11 Reſpondeo, † negando ſequelam, & ad probationem aio, interpretationes in lege poſitiua, niſi exprimantur à Superiore non fieri ab ipſamet lege, circa quam verſatur interpretatio, ſed à lege, & lumine naturali dictãte, caſum in his circumſtantijs non claudi ſub lege, & hoc, vel quia lex redderetur iniuſta, vel nimis ardua, ideoque præſumitur non fuiſſe intentionem legiſlatoris illum comprehendere, & ſic in exemplo adducto, exemptio à videndo Sacro dictatur à lumine naturæ, & ſi tales ſunt circumſtantiæ, vt ſubditus Sacro aſſiſtens omitteret actionem aliquam, quæ à fortiori lege præcipitur, tunc interpretationem illam non eſſe Epijkiam; ſed puram interpretationem generalem, vt ſi propter auditionem Sacri desereretur infirmus grauiter laborans & indigens eius ſubſidio, obligaret tunc lex charitatis erga proximum, & lex Eccleſiaſtica hìc, & nunc non poſſet Sacri auditionem præcipere, ſi verò alia ſuperior lex non vrgeret; ſed talis ſe offerret occaſio, vt lex Eccleſiaſtica poteſtatem haberet etiam in illis circumſtantijs præcipiendi Sacrũ; ſanè præceptum illud valdè rigidum foret, vt ſi mulier nobilis ob paupertatem non haberet veſtes ſuo ſtatui decentes, & domi detineretur, tunc interpretatio legis non obligantis in tali euentu eſſet EpijKia de intentione legiſlatoris nolentis, hunc caſum particularem comprehendere, & ſic de alijs.

12 Scio à Patre *Suarez*. † alias differentias aſſignari inter legem poſitiuam, & naturalem, quo ad vſum EpijKiæ in *eodem capit. à nume. 12. vſque ad finem*: at differentiæ illæ nonnullas patiuntur difficultates, quas fusè impugnat *Arriaga diſp. 8. cit. ſect. 5 à nume. 46.* licet *Author iſte* aliquid Patri Suarez adſcribit

dicens

dicens *num.* 49. videri pugnantia aſſeruiſſe, immeritò tamen tanto Authori id affigit, cum ſi attentè eius doctrina perpendatur, nulla inueniatur repugnantia in doctrina illa, quam de re hac tradit Suarez: Sed quidquid ſit de hoc, ſatis nobis erit diſcrimen aſſignatum, quod ex dicendis meliùs confirmabitur.

13 Dicendum eſt quartò, † conditiones, quæ ad EpijKiam propriè dictam deſiderantur, sũt quattuor, neq; pauciores, neq; plures. Hę autẽ iſtæ ſunt. Prima, vt caſus non excipiatur ex eo, quod hic, & nunc ſit illicitus, & peccatum. Secunda, vt non excludatur ab ipſa lege naturali. Tertia, vt ſecundùm ſpeciem ſit comprehenſus ſub verbis legis. Quarta deniq; vt tales concurrant circũſtantiæ, vt caſus in particulari prudenter exiſtimetur non comprehenſus ſecundũ mentem legiſlatoris, atq; adeo ſi legiſlator ipſe eſſet pręſens, vtiq; illum excluderet, & ideo ab initio nõ fuiſſe incluſum, quia lex debet eſſe de vniuerſali, & non de particularibus, vt in tractatu de legibus oſtenditur: neceſſitas autẽ harum conditionum probatur, diſcurrendo per ſingulas: Prima conditio requiritur, quia ſi caſus in particulari, ob aliquam extrinſecam circumſtantiam, eſt malus, & operari iuxta verba legis eſſet iniquum, tunc non per EpijKiam, ſed per legem Superiorem reiiceretur; proinde deſerere verba legis poſitiuæ, non eſſet ex benigna interpretatione mentis legislatoris, ſed ex neceſſitate iuris naturalis nos impellentis ad deſerenda verba illius legis, vt euenit, quando dictat depoſitum non eſſe reſtituendum, ne damnum iniuſtum contra proximum ſequatur; & quamuis prætermiſſio iſta videatur aliquo pacto emendatio legis; nihilominùs non eſt ea, quæ propriè conſiſtit in æquitate. Secunda conditio patet, quia ſi caſus excluditur ab ipſamet lege, tunc nullus reperiretur defectus corrigibilis per EpijKiam, vt ſupra diſcurrendo per præcepta naturalia ſufficienter oſtendimus. Tertia conditio probatur, quia ſi caſus ſecundùm ſui ſpeciem non continetur ſub lege, nequit lex corrigi in ordine ad hunc caſum. Quarta demum conditio ſuaderi poteſt, quia deſtituere verba legis in aliquo caſu particulari ex benigna interpretatione mẽtis legislatoris eſt propriiſſimè EpijKia, vt ſic enim virtus illa, quæ ita mitigat legem, videtur eſſe eiuſdem legis moderatrix, & ſita in medio inter ius, & rigorem ipſius iuris, quod EpijKiæ conuenit; & hoc pacto remanet probata prædictarum conditionum neceſſitas. Pręter has autem nulla alia conditio excogitari poteſt, quæ neceſſariò ad EpijKiam pertineat.

†✠†

§. VII.

Num in lege diuina vſus EpijKiæ reperiatur?

SVMMARIVM.

1 *Negatiua opinio refertur.*
2 *Conceditur ſimplex interpretatio in lege diuina.*
3 *Probatur ſententia negans EpijKiam in lege hac.*
4 *Aliqui EpijKiam in diuina lege agnoſcunt.*
5 *Negatiua opinio ab Authore recipitur.*
6 *In lege Euangelica præter naturalia præcepta, non dantur alia diuina, niſi de Sacramentis.*
7 *Satisfit fundamento contrariæ ſententiæ.*
8 *Lex diuina abſolutè comparata cum mente legiſlatoris non deficit, ſed ſolùm iuxta verborum ſonum.*

1 PRIMA opinio † negat, eamq; tuetur *Vaſquez p. 2. diſput. 178. cap. 1. num. 4. Becanus in ſchol. theolog. par. 2. tract. 3. cap. 6. qu. 14. num. 3. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 2. nu.* 121. Antequam au-
2 tem ſententia iſta probetur, † ſupponimus, vt certum ab Authoribus eiuſdem ſententiæ admitti in lege diuina ſimplicem interpretationẽ; certum enim eſt huius interpretationis eſſe capacem, & ſic de facto Chriſtus Dominus explicuit multa, ad diuinam legem ſpectantia, *Matthæi* 19. interpretatus eſt, præceptum de non relinquenda vxore, niſi in caſu adulterij, & Iudæi interpretati ſunt præceptum diuinũ de cuſtodiendo Sabbatho, pugnantes eo die contra hoſtes aggreſſores, vt enarratur *libr. 1. Machab. cap.* 2. Et de hoc puncto nulla eſt difficultas; nam paſſim Doctores exponunt ſenſum, quem habent pręcepta diuina in Decalogo; ſed prædicti Authores, nempè Vaſquez, & alij ſuperiùs laudati negant in lege diuina vſum EpijKię. † Ratio fundamen-
3 talia, qua hanc defendunt ſententiam, eſt, quia EpijKia habet locum in caſibus ſingularibus, quos legiſlator præuidere non potuit, & ideo in illis lex deficit, & indiget æquitate, quæ ipſam legem emendat: at lex diuina ſpectata in ordine ad mentem ſui legiſlatoris, nimirum Dei, non deficit, quoniam Deus legem ſcriptã inſtituens, & promulgans, pręuidit omnes caſus particulares, in quibus lex ipſa vniuerſaliter lata, ſecundum litteram, ſeu verba, emendationem ſuſcipere poterat; nihilominùs non per EpiiKiam, ſed per ſimplicem interpretationem id erit præſtandum.

4 Secunda autem ſententia † oppoſitum docet, nempè in lege diuina dari poſſe EpiiKiam, hanc opinionẽ expreſsè tuetur *Iacob. Merati*

*tom.1.tract.de legib.diſp.6.ſect.*2. eamdemque à fortiori ſequi debent, qui EpijKiam agnoſcunt in lege naturali.

5 Dicendum eſt † cum hac poſteriori ſententia, quę mihi probabilior videtur, eamq; oſtendo in pręceptis, quæ ſunt ſolùm de iure poſiti-
6 uo diuino, † ſupponendo non dati in lege Euãgelica alia pręcepta diuina diſtincta à naturalibus, niſi in ordine ad adminiſtrationem, & receptionem Sacramentorum, vt conſiderãti patet; quo poſito. Sumo, v.g. præceptum diuinum mandans integritatem cõfeſſionis Sacramentalis de omnibus peccatis mortalibus poſt baptiſmum commiſſis; & quæ ſunt in ipſius pœnitentis memoria, diligenti peracto examine, vt definit *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.*5. in quibuſdam tamen caſibus, non ſolùm ad vitandum detrimentum ſpirituale, verùm etiam corporale, poſſumus dimidiare cõfeſſionem, interpretando legem diuinam in tali caſu particulari non obligare ad omnimodam integritatẽ; diuerſi autem ponuntur ab Authoribus caſus, in quibus mediari poterit confeſſio ſine peccato, & talis caſus conceditur, infirmo v.g. grauiter laboranti, nam eſſet valdè moleſtum omnia peccata aperire. Ructus Sacerdos confeſſiones excipiens eorum, qui peſte ſunt affecti, poterit citò ſe expedire, pauca quędam audiẽs peccata, & abſolutionem impendens, ne contagium illud contrahat; in tali caſu prudens Cõfeſſarius interpretatur legem diuinam, iudicãs non comprehendere hunccaſum particularem & hoc ex quadam benignitate legiſlatoris, atq; adeo nulla ex conditionibus ad EpijKiam ſpectantibus deeſſe videtur huic interpretationi. Præterea eſt de iure diuino poſitiuo, vt ex *S. Paulo* colligit *Tridentinum ſeß.*13. *cap.*7. vt ante realem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptionem, omnis quantumuis contritus, ſi alicuius peccati mortalis ſibi ſit conſcius, confeſſionem Sacramentalem de illo præmittat, & de precepto diuino idem Cõcilium intelligit verba illa *primã ad Cor. cap.* 11. *Probet ſe ipſum homo, & ſic de panecillo edat, & de calice bibat.* Sed vrgẽte neceſſitate celebrandi, aut cõmunicandi, & deficiente copia Confeſſarij licitè poterit homo communicare cum ſola contritione; neceſſitas autem iſta eximens pro eo tempore ab obligatione Sacramentalis confeſſionis, & permittens ſumptionem Euchariſtiæ in varijs euentibus, explicatur à Theologis. Igitur lex diuina admittit vſum EpijKiæ, quod erat nobis probandum. Alia ratione vtitur Meratius, ſed efficacem cenſeo aſſignatam.

Ad fundamentum verò contrariæ opinionis
7 † non eſt difficile reſpondere; nam & ſi diuinus legiſlator omnes ſingulares caſus, in quibus ſua interpretationem erat admiſſura, perfectiſſimè comprehenderit, eos tamen in lege non expreſſit, non ex defectu præſcientiæ, vt accidit legiſlatori creato, ſed quia erat incongruum, & impoſſibile infinities infinitos caſus ſingillatim explicare; hoc autem, neq; in ipſa lege, neq; in Deo legiſlatore defectum arguit; nam lex debet ferri de vniuerſali, vt ex *Ariſtotele* loquente de humana lege, colligimus, *libr.*
8 *illo cap.*5. *Ethic.* † neq; nos ponimus emendationem, comparantes legem ipſam cum mẽte Authoris, quia, vt ſic non errat, ſed eam ſecundum verba tantùm ſpectamus, & corrigimus, & vt ſic correctam poſtea comparamus illam cum mente Authoris, proinde non rectè *Vaſquez loc. cit.* negat EpijKiam in legẽ diuina, ductus ex eo, quod putat, ſi EpijKia admittatur, debere legem ipſam diuinam emẽdari, vt iam comparatam cum intentione legiſlatoris, quo pacto non errat. Eius autem verba hæc ſunt (*Ideo EpijKia eſſe nequit, quia hæc eſt emẽdatio erroris legis in caſu ſingulari, vt diximus, quamuis autem lex diuina poſitiua ſcripta, ſi ſolum litteram attendas, in caſu ſingulari errare, & ita emendari poſſe videatur comparata tamen cum mente Authoris non errat, quia talis caſus menti illius rectè occurrit, etiam ſi illum expreſſè excipere noluerit*) Hæc Vaſquez: Ecce quo pacto exiſtimat ad vſum EpijKiæ requiri, vt lex comparata cum mente diuini legiſlatoris emendetur, cum tamen tali facta comparatione, hoc ſit impoſſibile, quia lex relata ad diuinum intellectum, & voluntatem, non deficit, atq; adeo non indiget emendatione, & EpijKia; at nos nõ ita diſcurrimus, quia volumus vſum EpijKiæ in ordine ad legem ſcriptam, & iuxta verborum ſonum, ſic eam ſpectando, aſſerimus in aliquo caſu ſingulari eſſe capacem EpijKię, per quam corrigitur iuxta legiſlatoris intentionem, quam benignè interpretamur, ſcilicet noluiſſe talem caſum ſingularem comprehendere ſub rigore legis, vt exempla à nobis adducta manifeſtant.

§. VIII.

Qua ratione ſit Regularibus permittendus EpijKiæ vſus, in eorum legibus, & votis.

SVMMARIVM.

1 *Excuſatio Authoris de re hac in particulari agentis.*
2 *Certum eſt ſimplicem interpretationem dari in votis religioſorum.*
3 *In voto obedientiæ datur EpijKia ſtrictè ſumpta, & probatur nonnullis exemplis.*
4 *Non eſt abſurdum in voto Caſtitatis interdum dari poſſe EpijKiam.*
5 *Aliud eſt ſeruare caſtitatem, aliud votum de illa ſeruanda.*
6 *Votum obligat ad inſtar legis humanæ, quæ in vitæ diſcrimine non obligat.*
7 *Arguitur in contrarium.*
8 *Diluitur argumentum.*

9 *In dubio, an emittens votum, in quibuscumque circumſtantijs euenientibus, voluerit ſe obligare, præſumptio eſt pro libertate.*
10 *In voto paupertatis, ſimplex interpretatio, & ratihabitio admittitur, raro tamen EpijKia.*
11 *Præponitur rarus caſus, in quo EpijKia locum habeat in voto paupertatis.*
12 *Obiectio in contrarium.*
13 *Satisfit huic obiectioni oſtendendo, nihil aduerſus Authorem in doctrina, quæ affertur, inueniri.*
14 *Quare caſus non excipiatur per ſimplicem interpretationem.*
15 *Augumentum proponitur probans non eſſe de mente legislatoris interpretationem in caſu prædicto.*
16 *Solutur bina reſponſione.*

HACTENVS de EpijKia, ſeu æquitate circa leges omnibus communes, nullo ſpeciali perſonarũ ſtatu inſpecto, ſufficiẽter loquuti ſumus, plauſibile tamẽ Regularibus futurum cenſeo, ſi de eadem materia aliquid particulare ad ipſos pertinens, dicamus, ✠ & quamuis ab inſtituto de ambiguo dictamine digredi videamur, vt ſupra tamen admonuimus, ad hoc faciendum, plena & abſoluta de Epijkia tractatio nos impellit. Et ne eadem inutiliter repetamus, quæ de vſu huius virtutis in lege poſitiua ſtabilita fuere, adaptari iure optimo poſſunt legibus religioſorum proprijs, & earum regulis, & præceptis: Supereſt autem, vt de EpijKia in ordine ad vota ſubſtantialia tractemus; † verũm ſi loquamur de EpijKia largè ſumpta, quatenus confunditur cum ſimplici interpretatione res nullam includit difficultatem; nam ſæpe variæ tum authenticè à Superioribus, tum doctrinaliter à Doctoribus emanant explicationes circa vota ipſa, nempè quo pacto intelligi debeant iuxta proprium inſtitutum, & mentem Fũdatoris; at loquendo de EpijKia ſtrictè accepta, ſequentes concluſiones inſtituimus.

1 (margin, at "pertinens")

3 Dicendum eſt primò, in voto obedientiæ † concedendam eſſe EpijKiam. Probatur, quia nulla apparet ratio, quare nequeat dari caſus habens conditiones illas, ſuperiùs à nobis expoſitas, & ad EpijKiam, vt diximus, requiſitas; videlicet, vt non deſeratur præceptum obediẽtiæ ex eo, quod oppoſitum ſit à fortiori lege præſcriptum, quia exequutio obedientiæ hic, & nunc ſit illicita: Secundò, vt non ſit exceptus ab ipſomet præcipiente: Tertiò, vt comprehendatur ſecundum ſui ſpeciem ſub verborum ſignificatione. Quartò, vt poſſit in rigore Superior hunc caſum etiam particularem includere; ſed quia eſt valdè arduus, tunc enim Religioſus recurrere poterit ad Epijkiam, iudicãdo hic & nunc rigorem præcepti eſſe mitigandum. Hoc autem intelligi debet cum illo moderamine, quod ſupra notauimus, nempè in dubio, an caſus hic, & nunc fuerit nec ne à Superiore cõprehenſus, tunc, vt ibi diximus, nequit ſubditus omittere præceptum, ſed debet recurrere ad Superiorem, & ſi opportunitas non ſe offerat, ſeruãdum eſt præceptum: ſi verò probabile ſit, Superiorem noluiſſe hunc caſum particularem includere, tunc ſi patitur moram, non poterit ſubditus præceptum tranſgredi: ſi non patitur, poterit eo modo, quo ibi declarauimus. His limitationibus præintellectis, varijs exemplis probari poterit concluſio. Nonnulla exempla affert *Rodriquez in quæſt.* [illegible]*.regul. tom. 1. quæſt. 26. ar. 5.* in quibus licitus erit recurſus ad EpijKiam, & ſequitur *Petrinus de ſubdito Religioſo quæſt. 1. §. 5. ver. (Sed inquies)* exemplificari cõmodè quis poſſet in præcepto, quo Carthuſiani obſtricti ſunt ad perpetuò ſe abſtinendum à carnibus, quod ſeruant quoq; in mortis articulo, non obſtãte tali præcepto, aliqui viri docti cẽſent in eo caſu, poſſe Carthuſianum carnibus veſci, ſi iudicio medici, abſque illarum comeſtione periculo vitæ ſe exponat, & tunc ſi id faciat, & nequeat ad Superiorem, vt diſpenſet, recurrere, Epijkia vtatur, exiſtimans in caſu illo particulari, præceptum non obligare, licet alij Doctores oppoſitum cenſeant, nẽpè etiam in tali caſu teneri ad abſtinendum, ſi alij cibi dentur, ſecùs ſi omnis alius cibus deſit, quam controuerſiam fusè examinat *Vaſqu. p. 2. diſp. 162. per totam* ſed quicquid de re hac; ſufficit exemplum attuliſſe deſumptum ex probabili opinione.

Rurſus eſt præceptum de non alienãdis bonis Eccleſiaſticis, & præterea eſt declaratio Sacræ Congregationis cum approbatione, & decreto Vrb. VIII. non licere Regularibus pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum ſolutione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vt patet in declaratione die 21. Maij 1626. quæ extat inter Bullas recentiores poſt decretum de non alienando, quod incipit (Sacra Congregatio Cardinalium;) attamen ſi caſus cõtingat, in quo Monaſterium aliquod graui penuria laboret, & non habeat pecuniam pro victu ordinario, niſi valdè reſtrictè, ita vt neq; ſubditis ordinarium victum ſubminiſtrare, & pecuniam alia via, niſi ſub intereſſe reperire non poſſit, tunc arbitrio prudentis licitum erit recurrere ad Epijkiam, atq; adeo poterit Prælatus Monaſterij iudicare hic, & nunc præceptum illud nõ obligare cum tanto incommodo, hoc autem magna cum prudentia, & conſilio eſt faciendũ, & caueant Prælati regulares, ne deordinato affectu in caſibus particularibus rectum iudiciũ non ferant. Multa alia poſſunt in exemplum afferri, in quibus, non obſtante præcepto obedientiæ, honeſtus interdum erit vſus EpijKiæ, Sed ad allud deueniamus votum.

4 Dicendum eſt ſecundò. † In voto Caſtitatis aliquando non eſt abſurdum EpijKiam cõcedere, verùm ne concluſio piorum auribus ſit offenſiua, dum intelligũt æquitatem à me agnoſci in voto perpetuæ caſtitatis, inferentes quaſi conſequens concluſionem poſitam, poſſibilem eſſe caſum, in quo licitus ſit regularibus actus

actus caſtitatis virtuti contrarius: abſit à me talis impietas, ſcio etenim malitiam inſeparabiliter tali actui annexam; ideoq; vt omnis de medio tollatur ambiguitas, oportet hæc duo, vt
5 diuerſa, diſtinguere, † nempè, votum caſtitatis, & caſtitatem vt ſic, ſanè licet primum abſq; ſecundo non detur, nihilominùs paſſim ſecundum ſeorſim à primo reperitur, vt de ſe patet; concluſio autem procedit de voto, & non de materia voti; proindè aio in voto caſtitatis interdum inueniri Epijkiam. probatur, quia dari poteſt caſus, qui ſit affectus cõditionibus illis, quæ vt §. 6. declarauimus, vſum EpijKiæ admittunt: ergo in voto caſtitatis interdum EpijKia dari poteſt. tota difficultas in antecedente conſiſtit, nàm conſequentia eſt certa, ſi ipſum antecedens veritatem habet; illud autem oſtendo, caſum proponendo V. G. Si quis metû mortis alicui Regulari incutiat, niſi peccatum V. G. fornicationis committat, & ille metu deterritus aſſentiatur, tunc lethaliter peccabit contra virtutem caſtitatis, at non contra votum, quod cum tanto detrimento non obligat, vt ſatis communis Authorum opinio firmat; *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. vlt. num. 3. & Sanchez in decal. lib. 4. cap. 3. n. 20.*
6 *& alij apud ipſum*; obligat enim votum † ad inſtar legis humanę, quę cum vitæ diſcrimine ſubditos non aſtringit, & loquendo in terminis de voto, cuius materia ſit præceptum aliquod iuris naturalis, nempè, de non patrando peccatum fornicationis, hoc ipſum expreſsè docet *Sanchez loco cit.* igitur Religioſus, cui talis incutitur metus, quamuis poſſit, non obſtante mortis periculo, ſeruare caſtitatem, etiam vt votum adimpleat, nihilominùs poterit iudicare in hoc caſu particulari non fuiſſe intentionem ſuam ſe obligandi, & ideò corrigit legem illam voti, eam benignè interpretando; cum igitur in iſto caſu votum caſtitatis EpijKiam recipiat, verum erit illud antecedēs, nimirum aliquem dari caſum, in quo votum caſtitatis religioſæ ſit capax EpijKiæ.

7 † Sed dices, dum Religioſus votum perpetuæ caſtitatis in ſua profeſſione emittit, virtualiter ſaltem, & implicitè animũ habet in quocumq; caſu ſeruare caſtitatem: ergo nullus datur caſus, in quo EpijKia circa tale votum habeat locum; atq; adeò, non obſtante periculo mortis, tenebitur Religioſus non ſolùm vi legis naturalis, verùm etiam vi voti caſtitatē ſeruare.

8 † Reſpondeo, quamuis votum ſit perpetuum, non rectè infertur in quocumq; caſu obligare, vt eſt manifeſtum in alijs votis, ſi quis V. G. voueat quotidiè calculos virgineos recitare, ſi ægrotet, & iudicio medici noceat illi recitatio, non tenebitur, durante ægritudine illa, votum ſeruare, & ſic de ieiunio, & alijs ſimilibus votis; idcircò negandum eſt in emiſſione voti perpetuę caſtitatis, virtualiter, ſeu implicitè contineri animum ſeruandi votum, etiam cum periculo vitæ, niſi tempore voti, vel in eius confirmatione ipſe vouens ita fuiſſet affectus, vt quacumq; mutatione ſuperueniente, & in quibuſcumquę circumſtantijs, propoſuiſſet ſeruare votum; talem enim habens animum, obligaretur quidem, etiam cum vitę periculo ſeruare votum, vt docet idem Sanchez *lib. cit. cap. 2. nu. 33.* ſed com-
9 muniter talis reflexio fieri non ſolet, ideoq; † ſi vouens in dubio maneret, num intentionem illam, quãdo emiſit votum, habuerit, præſumptio eſſet pro ipſo vouente, & non pro voto, proindè ſuperueniente mutatione prędicta, non obligaretur ad votum; ſic aſſerit idem *Sanchez eo capite num. 16. Trullench. in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 8. num. 5.* eademq; ſuſtinenda eſt opinio, quamuis probabile ſit vtrumq; videlicet adfuiſſe talem animum, & probabile non adfuiſſe, vt notat *Sanchez in fine eiuſdem numeri 16.* & hoc aſſerimus cohærenter noſtris principijs de electione opinionum probabilium, vt patet ex doctrina tradita in præcedente diſceptatione.

10 † Dicendum eſt tertio. In voto paupertatis eſſe admittendam ſimplicem interpretationem, ratihabitionem, raro tamen Epijkiam, ſtrictè ſumptam, quamuis aliqui illam cum ratihabitione confundant, vt *Fagundez in VII. præceptum Decalogi lib. 7. cap. 5. num. 20. & Pellizarius de Monialibus cap. 4 ſect. 1. num. 69. 70.* Prima huius concluſionis pars de ſe eſt manifeſta; nam ſæpè varijs exiſtentibus dubijs circa paupertatem proprij inſtituti, neceſſariæ ſunt interpretationes, & ſic de facto in noſtra Societate tum vniuerſales Cõgregationes, tum ipſi ſupremi Superiores, nempè Patres Generales multa circa noſtram paupertatem declararunt, & de hoc puncto nulla eſt difficultas, & ambiguitas. Secunda autem pars probatur ex praxi priorum, & prudentum religioſorum, qui in multis caſibus ſub voto contentis, vel accipiunt, vel aliquid donant, iudicantes gratum id fore Superioribus, & talis interpretatio eſt vera, & propria ratihabitio, de qua nonnulla poterit eſſe controuerſia, quoad modum, & de hoc puncto erit ſermo *paragrapho ſequenti.* Tertia deniq; pars, ſi attento animo, conſideretur, ſatis clarè, ni fallor, elucēſcit, & ex eo deducitur, quia vnicus dumtaxat, mihi diu cogitanti, ſe offert caſus, in quo vſus Epijkię aliquo modo habetur, qui tamen non ita facilè obuius in praxi habetur, & præſertim inter benè inſtructas Religiones; ſic enim declaratur: † Sit Reli-
11 gioſus grauiter indigens ſimpliciter neceſſarijs ad victum, veſtitum, vel ad ægritudinem aliquam depellendam, & ipſe ſuam indigentiam Prelato aperiat, qui tamen, aut ex iniquitate, aut ex incredulitate quadam, nequeat Religioſo propriam teſtanti egeſtatem, fidem præſtare: In his autem circumſtantijs poterit Religioſus ille, etiam Superiore inuito, ex bonis monaſterij ſibi prouidere, quantùm ſatis erit, vt illi neceſſitati ſubueniat, & ſi monaſterium nequeat ſubminiſtrare, ab extraneis ſibi neceſſaria ſubditus egens inquirere poterit; vel titulo gratuitæ donationis, vel eleemoſynæ, abſq; eo, quod paupertatis voto deroget, illud interpretando non obligare in hoc caſu ſingulari; quæ quidem interpretatio ab EpijKia procedit. Duo autem ad præ-

præſens dictum verificandum, probare oportet: Primo vſum prædictorum bonorum cõtra voluntatem Prælati in his circumſtantijs eſſe licitũ. Secundo cohoneſtari per recurſum ad Epijkiam: probatur autem primum membrum ex ſatis communi Doctorum conſenſu, illud enim expreſsè docet *Rodriq; in ſumma par. 2. cap. 33. concl. 11. Sanchez in decal. lib. 7. cap. 19. n. 54. Bonacina de reſtit. diſp. 2. quæſt. 10. pun. 3. nu. 3. Caſtropalaus tom. 3. tract. 16. diſp. 3. pun. 23. num. 10. in fine Lezana in quæſt. reg. par. 1. cap. 6. num. 30. Pellizzarius in man. reg. tom. 1. tract. 4. cap 2. ſect. 5. num. 42. & de monial. c. 4. ſect. 1. num. 39. & alij.*

Probatur etiam ratione. Subditus paupertatem vouens non promiſit, niſi eam, quam profitetur Religio, cui ſe adſcribere voluit, & non aliam ſtrictiorem; proindè in caſu poſito, capiens bona Monaſterij, aut aliena per donationem accepta, non operabitur contra votum à ſe emiſſum, ergo vſus predictorum bonorum contra irrationabilem voluntatem Prælati erit licitus.

12 † Contra hanc ſententiam poſſet quis obijcere doctrinam, & opinionem *Patris Suarez tom. 3. de relig lib. 8. cap. 11. à num. 19. vſq; ad* 24. vbi fusè conatur probare licentiam tantùm debitam, & non obtentam nõ ſufficere, vt ſubditus ſine voluntate Superioris rem aliquam accipiat, etiam ſi irrationabiliter negetur licẽtia, & peccet Superior eam negans; & reſpondens ad inſtantiam cõtrariam factam *num.* 21. videlicèt ſubditum per votum non ſe obligaſſe niſi ad paupertatem rationi conſentaneam, & rationabilem; reſpondet *num.* 22. diſtinguens dupliciter eſſe poſſe irrationabilem prohibitionem hanc, nempè, contrariè, & priuatiuè; cõtrariè, quando Superior prohibet id, ad quod ſubditus tenetur ſub peccato, priuatiuè quando prohibet, & quamuis peccet, ſubditus tamen non peccat id exequens, & ſeruans rigorem paupertatis; eamdem doctrinam amplectitur *Caſtropalaus loc. cit.* hoc autem contingere videtur in noſtro caſu, in quo ſupponimus, ſubditum non peccare non capiendo bona illa, quæ ſunt ſibi neceſſaria, licèt Superior imprudenter ſe gerat, non ſuppeditando neceſſaria, vel de eorum acceptione, & vſu licentiam negando; igitur iuxta hanc doctrinam non poterit ſubditus vti EpijKia, capiens bona illa ex eo quod licentia ſit debita.

13 † Reſpondeo, ſi illorum Authorum doctrina attentè attendatur, facilè colligetur in ea, caſum noſtrum non contineri, nam Caſtropalaus expreſsè poſt datam doctrinam, illum excipit in fine *illius numeri*, limitans quando licentia eſt debita; ex eo, quod Religioſus ius habet, à Religione, vt ſibi neceſſaria concedãtur, & quamuis Superior licentiam neget, iure ipſo à Religione conceditur, & ſubdit, *Quapropter ſi Prælatus deficiat in ſubminiſtrandis neceſſarijs ad victum, veſtitum &c. iuxta Religionis morem, & etiam neget facultatem, vt ſubditus ab externis accipiat ſibi neceſſaria, talis negatio, vt iniqua nullius eßet conſiderationis, contra ius à Religione conceſſum; ſic ex Caſtropalao*; qui caſum noſtrum clarè excludit, & licet *Pater Suarez* ità apertè non loquatur; nihilominùs per ea, quę habet *num. 31. eiuſdem capitis* infertur eadem exceptio; aſſerit enim facilius excuſari ſubditos à culpa graui, accipientes rem ſibi neceſſàriã, & Pręlatum eſſe immeritò inuitum, ſaltem de ſubſtantia acceptionis, & quamuis videatur non excuſari ſic accipientem à culpa leui, id tamen ſignificat, quia locutus fuerat ſupra, quando propria veluti authoritate ſubditus accipit, & ſibi rem applicat abſquè expreſſa licentia Superioris, qui ſolet eſſet inuitus quoad modum.

Ex his igitur manifeſtum fiet, duos hos Authores eam doctrinam tradentes non fuiſſe loquutos de rebus neceſſarijs, ex quarum carentia ſubditus graue pateretur nocumentum corporale; quicquid ſit tandem id quod aſſerit Caſtropalaus de illo iure, quod agnoſcit in ſubdito, in rebus temporalibus Monaſterij, vi cuius iuris, addit, licentiam concedi à Religione, quicquid ſit, inquam, de tali iure, de quo nolo diſputare, nequè illi ità facilè aſſentiri poſſum ob varias rationes, ſufficit nobis ab his Authoribus caſum præſentem fuiſſe exceptum. Et hæc de primo, quod erat oſtendendum, ſcilicet de honeſtate vſus bonorum temporalium. Remanet vt ſecũdum membrum probemus, nimirum vſum prædictum cohoneſtari, recurſum habendo ad EpijKiam: Sic igitur hoc oſtendo: caſus iſte particularis, vt ſuppono, non cogit ſubditum, vt ſibi prouideat vi alicuius legis, aut præcepti; poſſet enim ſuſtinere indigentiam illam, non ſolùm abſquè vlla culpa ex parte ſui, verùm etiam cum laude, & merito, quamuis ad id minimè aſtringatur: Rurſus non excipitur caſus ſecundum ſe ab ipſamet lege voti, nequè ab alia; non enim in emittendo voto facta fuit reſtrictio; Propterea caſus ſecundum ſpeciem, præſcindendo ſcilicet ab iniqua negatione licentię, & ab indigentia, & conſiderando dumtaxat acceptionem ipſam, comprehenditur ſub voto, vt patet; deniq; circumſtantijs extrinſecis poſitia, nempè, negatione licentiæ, & neceſſitate ex parte ſubditi, caſus ſit particularis, & interpretationem admittit, videlicet non eſſe ſub voto comprehenſum, ſpectando inſtitutum talis Religionis, intentionem vouentis, &c. ergo excipitur per EpijKiam. Antecedens eſt manifeſtum ex eius partium declaratione; conſequentia autem, in qua manet vis, probari poteſt ex illis conditionibus, quas §. 6. vt neceſſarias ad vſum EpiiKiæ, quæ ſunt enumeratæ in hoc antecedente.

Dices: poteſt caſus poſitus excipi per ſimplicem interpretationem; ergo non per EpiiKiam.

14 Reſpondeo, ſi attendatur † diſcrimen inter ſimplicem interpretationem, generaliter ſumptam, & inter interpretationem, quæ

eſt

eſt ab æqultate, ſtatim deprehendetur, interpretaſionem hanc, de qua eſt ſermo, eſſeab ipſa æquitate: tunc autem ſufficit ſimplex interpretatio legis, ſeu præçepti, quando caſus ſecundum ſui ſubſtantiam, & ſecundum ſpeciem excluditur à lege, vt euenit in quamplurimis declarationibus, quæ in dies fiunt circa paupertatem proprii inſtituti, per quas varia dubia declarantur, non quo ad caſus indiuiduales, ſed quo ad ſpecificos, explicando, an contineantur ſub voto paupertatis nec ne? tales autem interpretationes non ſunt per EpiiKiam, cum ſolùm tendant ad declarandam ſubſtantiam voti, iuxta proprium inſtitutum, ſiuè interpretatio ſit authentica à Superioribus, ſiuè doctrinalis à Doctoribus, vt priuatis perſonis: at quando caſus eſt ſingularis, & non excluditur per aliquam legem, aut decretum, ſed per interpretationem factam ab ipſomet ſubdito, iuxta dictamen prudentiæ, & iudicatur hìc, & nunc non ratione ſui, vt ſic, ſed ratione alicuius circumſtantiæ ſuperuenientis non includi ſub lege, tunc non eſt ſimplex interpretatio, ſed eſt EpiiKia, & hoc pacto excludimus caſum præſentem, iudicando minimè comprehenſum fuiſſe ſub intentione Religioſi votum emittentis.

Dices EpiiKia eſt benigna interpretatio de mente legislatoris, volentis caſum particu-
15 larem includere ſub lege; † at iſta in caſu poſito non eſt de mente legislatoris; ergo non eſt EpiiKia. probatur minor, quia ipſe ſubditus, qui vouit, ſuam propriam mentem interpretatur.

16 † Reſpondeo primò. In caſu de quo agimus, legislatorem eſſe ipſummet vouentem, nam votum emittens, quamdam ſibi impoſuit legem; proindè mentem ſuam tempore voti interpretatur, iudicans ſub voto illo non comprehendi caſum hunc particularem, & hoc ſemper præſumitur, dum non conſtat de contrario.

Reſpondeo ſecundò. Eodem modo etiam fit interpretatio Canonici legislatoris, prohibẽtis vniuerſali ſermone in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis Regularis proprium aliquo modo poſſideat: Sic in *cap. Cum ad monaſterium de ſtatu Monachi: & cap. non dictatis 12. quæſt. 1.* quod etiam confirmat *Concilium Tridentinum ſeſ. 25. cap. 2. de Regul: & Monial.*

§. IX.

Num religioſæ paupertati derroget alicuius rei vſus per ratihabitionem, ſi quoad ſubſtantiam placeat Prælato, diſpliceat verò quoad modum?

SVMMARIVM.

1 *Refertur opinio, quæ aſſerit per talem vſum lædi paupertatem.*
2 *Oppoſitum defendunt alij.*
3 *Modus explicandi poſitus à Thoma Sanchez relinquit animum ſatis perplexum.*
4 *Prælato ſe declarante, nolle licentiam, etiam de ſubſtantia rei, concedere, nequit ſubditus abſq; peccato contra paupertatem donare, aut recipere.*
5 *Tali declaratione præciſa, ab Authore ſecunda ſententia, vt probabilior, recipitur.*
6 *Inſtantia in contrarium ex textu ciuili deſumpta.*
7 *Explicatur textus.*
8 *In his ratihabitionibus aliqua ſæpè interuenit culpa, ſed leuis, contra obedientiam, non autem contra paupertatem.*
9 *Fusè reſpondetur ad fundamentum, cui innititur Delugo; & eius forma arguendi, & doctrina expenduntur.*
10 *Inſtàntia, per quam probatur, licentiam præſumptam non ſufficere, ſicuti non ſufficit ad valorem quorumdam actuum.*
11 *Soluitur hoc argumentum. nam aliud eſt licentiam eſſe neceſſariam ad valorem; aliud verò ad ſolam honeſtatem actus.*
12 *Affertur paritas deſumpta ex neceſſitate licentiæ præcedentis, vt Profeſſus validè donet, aut recipiat.*
13 *Diluitur, oſtendendo diſparitatem.*
14 *Alia obiectio in contrarium proponitur.*
15 *Validitas eſt duplex, firma, & retractabilis, ad illam requiritur licentia præcedens, ſecùs ad iſtam.*

1 PARTEM affirmantem ✠ tuetur, & fusè defendit *Cardinalis Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 3. ſect. 7. num. 124.* vult enim non ſufficere ratihabitionem fundatam in iudicio, quo credat Superiorem conceſſurum licentiam, ſi peteretur; Sed vlteriùs requiri, vt exiſtimet eidem Superiori non diſplicere, vt abſq; petitione licentiæ id fiat, nempè vt in his circumſtantijs ſubditus aliquid pecuniæ, aut pecunijs æſtimabile donet, vel rècipiat, licentia prius non habita; aliter tota religioſa diſciplina euerteretur, quia nunquam

abſq; petitione licentiæ id fiat, nempè vt in his circumſtãtijs ſubditus aliquid pecuniæ, aut pecunijs æſtimabile donet, vel recipiat, licẽtia, priùs non habita; aliter tota religioſa diſciplina euerteretur, quia numquam eſſet recurrẽdum ad Superiorem pro licentia obtinenda. quod eſt magnum inconueniens. Probat autẽ prædictus Author opinionem hanc tali diſcurſu: Si talis licẽtia ſub conditione præſumpta, quoad ſubſtantiam acceptionis, & non quoad modum, eſſet ſatis ad non peccandum contra votum paupertatis, numquam daretur caſus, in quo eſſet petenda, & conſequenter tota religioſa diſciplina corrueret; probatur ſequela, vel enim creditur concedenda licentia, vel non creditur. Si non creditur, ſtultè petitur, quod negandum ſcitur; ſi creditur concedenda, iàm ipſa credulitas ſufficit per ſe, abſq; alia petitione licentiæ; ergo numquam daretur caſus, in quo licentia eſſet petenda. Et confirmatur, quia licet Religioſus ſubditus credat licẽtjam eſſe negandam à Superiore immediato, poſſet probabiliter ſibi perſuadere, eam eſſe concedẽdam à Prouinciali, vel à Generali, & ſi crederet ab his negandam, ſperaret concedendam à Nuntio, aut Legato, vel tandem à Summo Põtifice; hi enim omnes ſunt legitimi Superiores, & ſic numquam eueniret caſus, in quo huiuſmodi petitio eſſet faciẽda: ita diſcurrit Delugo & in eadem opinione videtur eſſe *Bonacina de reſtit. diſp. 2. quæſt. 10. pun. 3. num. 4. Lezana in quæſt. Reg. par. 1. cap. 6. num. 56.* cui aſcribuntur *aliqui docti Recentiores*.

2 Ceterum alij oppoſitum ſentiunt, † videlicet, ſatis eſſe præſumptam licẽtiam, iudicando, quod ſi peteretur, Superior eam eſſet cõceſſurus, quamuis modus Clandeſtinus diſpliceat; ita *Rodriqu. in quæſt. regul. tom. 3. quæſt. 29. art. 10. concl. 7. & art. 11. in fine. Nauarr. in comment. 2. de Relig. num. 20. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap 41. num. 79. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. num. 11. Graph. in deciſ. par. 1. lib. 3. cap. 5. num. 54. Tannerus in 2. 2. diſpu. 6. quæſt. 3. dub. 4. num. 103. Rebell. par. 1. de obligat. iuſt. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 3. num. 22. Layman in ſumma lib. 4 tract. 5. cap. 7. nu. 4. ver. (ſufficit item) Peyrinus de ſubdito Relig. tom. 1. quæſt. 2. §. 3. not. 2. Bordonus in conſil. reg. reſol. 43. num. 31. Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo confeſſ. diſp. 34. quæſt. 42. num. 5. & in theolog. lib. 8. quæſt. 126. Fagundez in 7. præcept. decal. lib. 7. cap. 5. nu. 16. 17. Diana par. 1. tract. 6. reſol. 31. Pellizarius in manual. reg. tract. 4. cap. 2. num. 409. & 410.* Non refero pro hac ſententia *Patrem Sanchez*, quia licet eam
3 amplectatur *lib. 7. in decal. cap. 19. num. 15.* † nihilominùs apponit limitationem quamdam, quæ valdè dubiam, & ſcrupuloſam reddit hanc ſententiam, nempè ſi Prælatus non ſit notabiliter, ſed ſolùm aliquantulum inuitus, quoad modum; quis enim poterit exploratum habere gradum huius inuolũtarij ex parte Superioris? Verùm ferè omnes reliqui citati, quamuis in prædictam conſpirent opinionem, nihilominùs non liberant Religioſum ita operãtem, ab omni prorſus culpa, dicunt enim venialiter peccare ratione modi; an aũt culpa iſta ſit cõtra obediẽtiam; an verò paupertatem, infra videbimus. Fundamentum huius ſecundæ ſentẽtiæ vnicum eſt; nempè per voluntatem illam præſumptam Superioris tolli proprietatem in receptione, ſeu donatione, atq; adeo non eſſe peccatum contra paupertatem; interuenire autem culpam aliquã patet, quia caſus, quando non vrget, & modo debito poteſt ſubditus recurrere ad Superiorem, ſi id omittat, aliqua inuoluitur deordinatio in receptione, ſeu donatione illa, & cum non videatur grauis, erit ſolùm culpa venialis.

Hæ ſunt Doctorum opiniones, quas circa materiam hanc inuenire potui, remanet, vt quid ipſe ſentiam declarem. Et à certioribus incipiens.

4 Dicendum eſt primò, † quando Superior apertè ſe explicat, nolle in eo caſu licentiam concedere, etiam de ſubſtantia, niſi quando tales concurrant circumſtantiæ, vt ſubditus in illis prudenter iudicet, Superiorem ipſum fore contentum, vt abſq; licentia petita, ſubditus recipiat, non poſſe abſq; peccato contra paupertatem à ſubdito aliquid recipi, aut donari. Concluſio à nemine repelli poterit, quia in tali caſu ſubditus proprio nomine reciperet, cum nulla, neq; expreſſa, naq; tacita, neque præſumpta exiſtere licentia, reſiſtente expreſſa voluntate contraria Prælati, idemq; dicerem, ſi in conſtitutionibus, & decretis, vel cõſuetudine Religionis prohiberetur aliqua particularis, & determinata receptio, ſeu donatio, niſi expreſſa habeatur licentia, tunc & tacita, & multò magis præſumpta tolleretur.

Dicendum eſt ſecundò, præciſis apertis de-
5 clarationibus in contrarium, probabiliorem † mihi videri ſecundam ſententiam, cui libenter aſcribor, nixus authoritati eorum, qui eam defendunt, eſt enim ſatis communis, oppoſita aũt eſt aliquãtulum rigida, & paucos pro ſe patronos habet. Concluſio iſta ſufficiẽter oſtenditur ratione illa, qua eius defenſores vtuntur; nam acceptio (& idem dico de largitione) cum illa habitudine, & ſubordinatione ad voluntatem Prælati, quam ſubditus hic, & nunc prudenter præſumit, omnem de medio tollit proprietatẽ, quæ directè religioſæ paupertati opponitur, & per conſequens etiam culpam in eodem paupertatis genere, quod optimè confirmari poterit *per text. inter omnes §. Rectè ff. de furtis* vbi *Vlpianus* ſtatuit non eſſe iudicandum reum furti, ſi quis rem aliquam accipiat, putans eſſe iuxta Domini voluntatem, hoc eſt ſi iudicet à Domino donandam rem illam; idem aſſerit *Gloſ. ibidem*; ſufficit enim præſumpta voluntas, vt res ab obiecto furti extrahatur, ita & in caſu noſtro, vt res accepta, & donata auferatur ab obiecto proprietatis, ſatis erit habitudo illa ad præſumptam ſuperioris voluntatem.

6 Dices: † in textu citato non dicitur volũtatẽ

Domini putatam, ſeu præſumptam fuiſſe, quo ad ſolam ſubſtantiam acceptionis, & non fuiſſe quoad modum, & hoc non obſtante, accipientem excuſari à delicto furti, vt ſic enim curreret paritas inter caſum illum, & noſtrum; at cum hoc minimè ibi dicatur, debemus credere, in textu ſermonem eſſe, quando Dominus iudicatur contentus, vt rem illam quis accipiat, præſumendo placitum Domini, quoad omnia, nempè & quoad ſubſtantiam, & quo ad modum: ergo non valet paritas; & ſi reſpondeatur, neq; in eodem textu haberi conſenſum Domini quoad omnia prædicta, ideoque hoc gratis fingi; fateor neutrum haberi, proinde textus cum vtrumq; includere valeat, & neutrum exprimatur, debemus indifferenter illum intelligere, hoc eſt, neq; pro noſtra, neq; pro ſua aduerſarij illum adducere.

7 Reſpondeo, † impertinens fuiſſet illud apponere, videlicet, agere, an præſumptio fuerit de voluntate Domini, tum quoad ſubſtantiã, tum quoad modum receptionis, quia modus non ponit actionem illam intra obiectum iuſtitię, aut iniuſtitiæ, ſed ſola acceptio, ſeu res pro vt ſtat ſub acceptione; idcirco etiam ſi daremus diſplicuiſſe Domino modum attingendi rem; nihilominùs recipiẽtem non fuiſſe furem; nam diſplicẽtia illa non potuiſſet conſtituere acceptionem intra latitudinem obiecti iniuſtitiæ; ſed potiùs intra obiectum illius vitij, ꝙ charitati opponitur; contriſtare enim proximum, vt ſic, directè contra charitatem tendit, non contra iuſtitiam; & ſi iudicaretur Dominus inuitus quoad modum, receptio illa non eſſet niſi venialis culpa, vt benè aduertit *Fagundez cap. cit. num. 17. 18. & quamplures apud ipſum, & apud* Sanchez *vt ſupra nu. 13.* Alias rationes vide apud laudatos Authores.

8 Dicendum eſt tertiò, † receptio, ſeu donatio, eo modo, quo exercetur, aliquam inuoluit culpam venialem, non autem contra paupertatem, ſed contra obedientiam. Prima pars huius concluſionis ſufficienter probatur argumento ſuperiùs tacto, dum ageremus de re hac; Secunda verò aſſeritur *à Suarez capit. illo* 8. *num.* 11. *tum initio, tum in fine,* dicens, quod cum diſplicentia Superioris ſit tantùm de modo, excuſat ſubditum à proprietate præſumpta voluntas Prælati, quamuis non excuſet ab inobedientia; non eſſe contra paupertatem ſuadetur, quia receptio cum fiat dependenter à voluntate Superioris prudenter præſumpta, caret omni proprietate, & per conſequens nullam inuoluit deordinationem contra paupertatem ipſam.

9 Ad argumenta autem, † quibus oppoſita ſententia probatur, laborioſum non eſt reſpõdere; idcirco, quod Cardinalis Delugo arguens contra noſtram opinionem obijcit, nempè diſſolutionem religioſæ diſciplinæ, eſt illi negandum, ſi ſermo ſit de conuenięti rerum vſu, in earumdem acceptione, & donatione. Et vt plenè totam huius Authoris doctrinam expendamus, eamq; quatenus contra nos facit, efficaciter impugnemus, nonnulla, quæ in progreſſu diſcurſus continentur, & mihi diſplicent, in medium adducam. Primò enim eſt circa formam arguendi, quam ſupra retulimus, volens enim ipſe inferre contra nos inconueniens illud, ſcilicet, numquam eſſe petendam licentiam, ſic argumentatur: Vel creditur concedenda, vel non creditur; ſi non creditur, ſtultè petitur, quod negandum ſcitur: Si verò creditur concedenda, per nos ſatis erit credulitas iſta, abſque eo, quod ſubditus licentiam à ſuo Prælato expoſtulet. Ex tali autem bimembri Enthymemate, quis non videat conſequentiam intentam inferri non poſſe, quamuis totum Enthymema illi daremus: volebat enim ipſe inferre vniuerſaliter, numquam dari caſum, in quo ſit neceſſarium licentiam petere; at quamuis ex primo membro Enthymematis id ſequatur iuxta noſtram opinionem, ſi paupertatem dumtaxat attendamus, & non obedientiam, vt declarabimus, videlicet, [illegible] creditur licentia concedenda; nequaquam tamen ſequitur ex ſecundo, nam ex negatione illius credulitatis ſolùm habetur carentia iudicij de præſumpta voluntate Superioris, non autem habetur iudicium, quo poſitiuè iudicetur, licentiam eſſe denegandam, ſed poterit intellectus anceps manens, neque iudicare eſſe concedendam, neque eſſe denegandam; ac proinde in tali dubietate locus dabitur recurrendi ad Prælatum, vt ab eo licentia obtineatur, vel vt eiuſdem intentio ſubditum latens, exploretur: igitur non videtur aptum Enthymema ſub illo modo formatum, ad inferendam conſequentiam intentam: debuiſſet autem arguẽs illud formare non ſub terminis cõtradictorijs, ſed contrarijs, & vltimam eiuſdem Enthymematis propoſitionem, non vt negantem, ſed vt infinitantem proponere, hoc pacto [Vel creditur concedenda, vel creditur non concedenda] hæ enim duę propoſitiones ſunt inter ſe valdè diuerſæ, vt ex principiis logicis eſt manifeſtum: aliud enim eſt, non credere, v. g. Ioannem eſſe album, aliud credere non eſſe album; prima propoſitio eſt negatiua, per quam vi formæ ſolùm ſignificatur, in intellectu non eſſe poſitiuum iudicium de carentia albedinis in Ioanne; alia verò propoſitio eſt affirmatiua, & importat poſitiuum iudicium, quo actu iudicatur in Ioanne eſſe negationem albedinis: ſic in caſu noſtro, ex eo, quod ſubditus non credat, ſecundum rigorem formæ ſolùm ſignificatur in eo eſſe carentiam iudicij de licentia non concedenda; per aliam verò propoſitionem, quatenus dicitur credere, licentiam non eſſe concedendam, ſignificamus actuale iudicium, quo ipſe ſubditus poſitiuè iudicat, à Superiore licentiam fore negandam, etiam ſi petatur. Et hoc proculdubio exiſtimo intentum fuiſſe à viro docto, & ingenioſo, vt ex eius diſcurſu apertè colligitur.

Sed q̃uis hoc pacto Enthymema formet, arguẽs

neq;

neq; intentum habebit, ad inferendam conſequentiam illam, ſcilicet, ex noſtra doctrina ſequi, numquam aſtringi ſubditum ad licentiam petendam, hoc autem minimè inferri, ex duplici capite euidenter demonſtro: Primò, quia, licet ſubditus credat, à Superiore concedendam fore; nihilominùs non ſequitur, petendam non eſſe: neq; hoc à nobis aſſeritur; nam & ſi illam non poſtulando, paupertati minimè derogetur, derogatur tamen obedientię per illum modum clandeſtinum, qui Superiori diſplicet, ideoque tenebitur ſubditus talē licentiā petere, quando recipit, aut donat. Secundò, et præſcindēdo ab obediētia, nihil per illud Enthymema probatur, quocūq; modo formetur, ſiue.n. priori, ſiue ſecūdo modo conficiatur, poterit frequenter dubiū emergere de intentione, & voluntate Superioris, & tunc ſubditus titubās, neq; credit eſſe cōcedendā, neq; credit non concedendam, ſed in æquilibrio manet; ideoq; etiam firma perſiſtēte noſtra opinione, quamplurimi ſe offerre poſſunt caſus, in quibus vigeat neceſſitas recurrendi ad Superiorem pro licentia obtinenda; ac proinde non ſequitur illud inconueniens, quod contra nos obijcit Delugo, videlicet, numquam neceſſitatem euenire de licentia poſtulanda. Addo etiam, quamuis credatur, licentiam eſſe negandam, non ſequitur ſtultum fore eam petere, quia ob varios fines cohoneſtari poterit, v.g. vel ad exercendum actum humilitatis, vel ſi res, de qua eſt petitio, ſit neceſſaria, Superior nequeat ſe excuſare, dicens, eam fuiſſe conceſſurum, ſi à ſubdito petitā fuiſſet, vel quid ſimile. Præterea, quamuis credatur eſſe concedendam, nihilominùs non erit ſuperuacuum recurrere ad Superiorem, ſed valde pium & laudabile, vt ſic magis eluceſcat religioſa humilitas, & ſubordinatio.

Ad illud verò, quod ab eodem Authore additur, & à nobis pro confirmatione eius ſententiæ initio poſitum fuit, reſpondeo; cùm religioſus credit, licentiam negandam fore ab immediato Prælato, non ita facilè pręſumi poterit, concedendam eſſe ab alijs mediatis Superioribus, aſcendendo vſq; ad Summum Pontificē quando enim negatio non procedit ex prauo affectu, aut ignorantia, vt plurimum eſt prudēs & rationabilis, ideoq; potiùs pręſumi debet confirmanda, quam tollenda ab alijs Prælatis.

Secundo, quę ab eodem aſſeruntur à nu. 125. ni fallor, deſtruunt ſtatum controuerſiæ, & nihil aduerſus ſententiam, quam tuemur, efficiūt; ibi enim explicat ipſe Delugo opinionem Suarez, & aliorum, quibus & nos ſubſcripſimus, eamq; ita lenire conatur, vt punctum difficultatis de medio tollat; ait enim opinionem Suarez &c. eſſe intelligendam, quando Prælatus nō non eſt inuitus quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum, & hoc ipſemet Delugo admittit, & ſatis congrua ratione ſuadet, oſtendens in tali caſu, ſubditum contra paupertatem non delinquere: Quando verò ita modus diſplicet, vt diſplicentia modi redundet in diſplicentiam ſubſtantiæ, & Superior velit ſibi totum ius in ſubſtantiam retinere, eamq; prohibere, quantū poteſt, ſubditus nequit abſq; graui culpa cōtra paupertatem recipere, aut donare. Hæc docet Delugo, & rectè; verùm quem habet in hoc cōtradictorem? neminem ſanè; omnes enim noſtræ ſententiæ Patroni id expreſſis verbis affirmant, & vltrò concedunt vtramq: partem, proinde ſi Cardinalis Delugo nil aliud velit, nobiſcum manifeſtè ſentit, & inter nos, & ipſum, quantùm ad punctum hoc ceſſat omnis controuerſia.

Duo autem ſuperſunt examinanda, quę ab eodem Authore, quamuis leuiter tanguntur, de quibus diſceptationi locus datur: Primò an pręſumenda ſit diſplicentia circa ſubſtantiā, quando diſplicentia circa modum eſt notabilis, vt videtur docere *Thomas Sanchez loc. cit.* & hoc, quia gradus iſte eſt occultus, & ſciri nequit à nobis, quandonam ſit in ea quantitate, vt cauſſet diſplicentiam de ſubſtantia. Addo etiam cū ſeruare modum hunc pertineat ad obiectum obedientiæ, ſicuti illum non ſeruare ad obiectū inobedientiæ; non videtur facilè ſuadendū, qua via ex augmento, aut decremento diſplicentiæ circa modum fiat tranſitus ad aliud obiectum, eſſentialiter diuerſum, nempè ad obiectum voti paupertatis, & nō ſiſtamus intra limites proprij obiecti ſecundum magis, & minùs. Sanè ex natura rei perſpicuū eſt; hoc non haberi, ſi igitur habebitur, id erit ex mera volūtate Prælati, quę tamen deberet innoteſcere, vel iuridicè per ſtatuta; & conſtitutiones, aut conſuetudines legitimè receptas in tali religione, vel ſaltem priuatim per ſimplicem declarationem Prælati, & dum aliquo modo ex dictis non apparet, remanet, vt iudicium in hac re feramus ſecundum ius commune.

Secundò poteſt controuerti illud aliud, quod tāgit idem Delugo, videlicet, an in illis religionibus, in quibus ſtrictè ſeruatur paupertas, hęc videatur eſſe Prælatorum intentio, nempè, vt cū facilè pateat aditus ad Superiorem, velle ab ipſo Prælato retineri totum ius, etiam quoad ſubſtantiam, ad vitanda incommoda prædicta.

Sed hęc animaduerſio nihil facit contra me, etiam ſi illam amplectar, quia ex tali rigida paupertatis obſeruatione, ad ſummum nil aliud colligeretur, niſi vel negatio præſumpti cōſenſus in Superiore circa rei ſubſtantiam, vel non ita frequēter eſſe talem conſenſum præſumendum, præſertim in rebus magni, aut notabilis valoris, ſed ſolùm in rebus minoris momenti; at non ſequitur, quod quando prudēter eſt locus præſumendi, tunc ſententia illa, quam tuemur, locum non habeat.

Ex hac igitur tota doctrina ab Authore iſto contra nos tradita, eiuſq; argumentis manifeſte colligitur, noſtram opinionem non ſolùm aliquod detrimentum non pati, verùm etiam in ſua probabilitate perſiſtere.

10 Dices † ad valorem actus, ſi neceſſaria eſt licētia, debet præcedere, & inſufficiēs eſt ea de futuro, & ſic licētiam ad audiēdas confeſſiones, ad aſſiſtēdum matrimonio, & ſimilia, antece-

tecedere oportet, & non ſufficit eſſe præſumptam, vt ex communi, oſtēdit *Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 35. num. 17. & ſeq.* Ergo, & in caſu noſtro, cum receptio requirat eſſe ex licentia Prælati, debet præcedere, & non ſatis eſt præſumpta, quæ eſt de futuro.

11 Reſpondeo, † negando paritatem; nam aliud eſt loqui de valore actus, aliud nō de valore, & ſubſtantia, ſed de honeſtate, nempè, vt actus licitè fiat; quando autem eſt ſermo de valore, tunc præcedere debet licētia; tunc enim ſe tenet ex parte cauſſæ operantis; ſecùs, quando ad ſolam honeſtatem requiritur, tunc niſi aliud ſit ſtatutum, ſatis eſſe præſumptam. Ad argumētum autem, conceſſo antecedēte, negamus conſequētiam; nam licentia ad Sacramenta conficienda pertinet ad conſtitutiuum cauſſæ operantis, & ideo debet præcedere eo modo, quo cauſſa operans; at in receptione pertinēte ad paupertatem, requiritur licētia non ad validandam, ſed ipſam receptionem cohoneſtandam; ſufficiet ergo præſumpta; inde eſt, ad hoc, vt valida ſit donatio facta à Religioſo profeſſo, prærequiritur facultas conceſſa à Superiore, & ſic antecedere oportet.

12 Inſtabis: † etiam licentia præſumpta in Religioſo donante, ſiue accipiente requiritur ad validitatem, & non ſolùm ad honeſtatem, ſiue receptionis, ſiue donationis factę per Religioſum profeſſum, currit igitur paritas: Antecedens, vt certum ſupponitur, nam donatio iſta ipſo facto eſt nulla, quia cum Religioſus profeſſus ſit dominij incapax, inhabiliſq; ad acquirendum, aut transferendum dominium, niſi accedat Superioris conſenſus, nequit validè donare, neq; donatarius facit ſuam rem donatam.

13 Reſpondeo, † in donatione, (& idem aſſero de receptione) duo eſſe attendenda, & honeſtatem, & valorem; iſta autem duo non ſolùm ſunt ſeparabilia, verùm etiam a diuerſis principijs procedētia; nam honeſtas actionis ſufficienter reſultat ex præſumpta voluntate Superioris, quia cum ſubditus donat cum relatione ad voluntatem Prælati, non cēſetur diſponere de re illa tamquam propria, cū careat, & velle, & nolle, vt habetur in iure Canonico *cap. Relig. de teſt. in 6.* proinde donatio illa egreditur, vt ita dicam, affecta ſubiectione ad Prælatum, quatenus illius nomine, & non ipſius ſubditi exercetur: Valor autem procedit ab eo principio, in quo reperiuntur omnia requiſita ad cauſſandum, & inter alia ſunt dominium, vel iuriſdictio; idcirco, quando ſubditus donat rem aliquam, res illa non procedit à ſubdito tamquam à Domino, neq; tamquam à legitimo adminiſtratore, in cuius facultate ſit diſtribuere, & diſponere de re illa, vel alia, ſed procedit ab illo veluti à ſubminiſtrāte, ſeu inſtrumento Prælati, in quo reſidet poteſtas ad donandum.

14 Sed vlterius vrgebis: † licentia Superioris requiritur ad validitatem donationis; ergo eadem eſt paritas in hoc cum Sacramentis.

15 Reſpondeo, † concedēdo paritatem, ſi ſermo ſit de validitate firma, & irretractabili; nam licet ſubditus prudēter præſumens honeſtè donet, ſeu recipiat; nihilominùs donatio illa retractabilis eſt à Prælato, quando ex eius conſēſu tantùm præſumpto proceſſit, ſic etiam receptio non eſt firma, ſed irritabilis: Cæterum Sacramētum nequaquam ita ſe habere poteſt; nam ſemel confectum remanet irritabile, & ſic licētia, qua vtitur Confeſſarius ſubditus, talis eſſe oportet, vt Sacramentū ab ipſo Confeſſario irreuocabiliter emanet; & quamuis interdum quoad ſuum effectum, nempè quoad grātiam cauſſandam, maneat ſuſpēſum, vt *in 3. par. Theologi affirmant*, loquētes de Sacramēto informi; quoad ſuam tamen conſtitutionem eſt impoſſibile manere ſuſpēſum; quia eo momento, quo forma proportionatæ materię applicatur, vel conficitur ſubſtantia ipſius Sacramēti, vel non; ſi primum, nulla erit ſuſpenſio quoad eius ſubſtantiam; ſi ſecundum, numquam idem numero Sacramentū reſultabit. Verùm in donatione, vel receptione, nullum exiſtimari debet inconueniēs, ſi reuocabilitas admittatur, cum maximum, vt omnes fatentur, inconueniēs ſit, illam in Sacramentis ponere; & ſic patet diſparitas inter donationem, & receptionem ex vna parte in Religioſo operante ſecundum præſumptam voluntatem Prælati, & inter Sacramentum ex alia parte, etiam in ordine ad valorem.

§. X.

Quænam cognitio huius præſumptæ licentiæ requiratur?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui moralem deſiderant certitudinem.*
2 *Solam probabilem credulitatem ſufficere, alij autumant.*
3 *Hec ſecunda ſententia admittenda eſt.*
4 *Reſpondetur ad contrarium argumentum.*

1 NON deſunt, ✠ qui moralem certitudinem poſtulant, vt ſubditus Religioſus prudenter valeat vi illius aliquid recipere, aut donare, ita ſentit *Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 376. nu. 7.* requirēs, vt ſubditus Religioſus nihil recipere, aut donare poſſit, niſi ex beneplacito, ſaltem indubitatè præſumpto ſui Superioris, idem ſuſtinet *Petr. Ledeſma in ſumma tom. 2. tract. 8. cap. 21. diff. 7.* Ratio huius ſententiæ eſt, ne ſubditus periculo exponatur recipiendi, aut donandi abſque vlla ſui Prælati voluntate, quod eſſet peccatum contra votum paupertatis.

2 Sed alij † contenti ſunt iudicio probabili, ſic docet *Sanchez lib. 7. in ſumma cap. 19. numero*

mero 53. in fine, vbi tredecim graues Authores pro hac ſentẽtia laudat; his autem addo *Fagundez lib. 7. in decal. cap. 5. num. 16. Caſtropalaum tom. 3. tract. 16. diſp. 3. pun. 23. num. 8. Pellizar. in man. reg. tract. 4. cap. 2. num. 415. & Caramuelem in Reg. S. Bened. lib. 8. diſp. 64. num. 960.* Ratio eſt communis de electione probabilis.

3 Dicendum eſt † cum hac ſecunda ſentẽtia, quam vt probabiliorem recipio, & ſufficienti argumento firmatur, nam probabilitas de beneplacito Superioris reddit Religioſum ſatis tutum, vt abſq; periculo peccandi huic probabilitati poſſit adhærere.

4 Ad argumentum in oppoſitum † reſpõdeo, morale periculum operãtis contra votum paupertatis ceſſat, cum Religioſus operatur ductus probabili iudicio de præſumpta ſui Superioris voluntate, neq; quicquam refert ſi contingat aliquando error, quatenus in Prælato verè non exiſtit voluntas illa, quæ præſumitur; imò contraria inueniatur, non refert, inquam, nam ſatis erit prudẽter ſubditum iudicaſſe; quod ſi licentiam peteret, Superior eſſet illam conceſſurus, & hoc ex ſufficientibus ſignis, & motiuis, & in tali caſu non diceretur receptio, ſeu donatio alicuius rei eſſe indepẽdenter à voluntate Superioris, & neque eſſet proprietaria; quia & ſi proxima, & ſpecialis voluntas Prælati ſit contraria, ſcilicet negatiua, in quantùm ipſe eſt paratus ad licentiam negandam, etiam ſi explicitè ea peteretur; nihilominùs manet, vt ita dicam, radicaliter quædam generalis voluntas, per quam ita exigente ſuaui, & prudenti hominum regimine, vnuſquiſq; Prælatus conſenſus ſit in eo caſu, quo ſubditus prudenter iudicat Superiorem conceſſurum, quod poſtulatur, poſſe ſubditum conformiter ad tale iudicium operari, nempè iuxta voluntatem rationabiliter præſumptam; talis autem generalis voluntas ſemper eſt præſumenda, dum non conſtat de contraria; eſt enim implicitè, ſeu tacitè imbibita in ea actuali voluntate, quam ſemel Prælatus habuit, ſuſcipiens Monaſterij adminiſtrationem, & gubernationem; intelligitur enim eam ſuſcipere cum intentione ſe gerendi in regimine ſubditorum iuxta dictamen prudẽtiæ, & modum hominibus proportionatum, & conſuetum: addo ad hoc, quod dicimus meliùs firmandum, quod licet ſupponeremus in Prælato immediato iniquam intentionem repugnantem illi vniuerſali, debitæq; intẽtioni, tunc ſatis erit, vt in Prælato immediato, & ſupremo generalis illa voluntas conſtans perſiſtat, & demum recurrendum erit ad interpretandam per Epijkiam intentionem ipſius ſubditi, cui tota obligatio ex voto emanans commenſuranda eſt, videlicet in emiſſione voti paupertatis, noluiſſe vouentem, ſe obligare ad non recipiendum, neque donandum cum tanto rigore, vt non poſſet recipere, aut donare, quando prudenter præſumit Superiorem licentiam conceſſurum, cum enim rigor iſte paupertatis ſit valdè extraordinarius, & non ita prudens, non cenſetur in voto incluſus. Maneat igitur nullum adeſſe periculum moraliter errandi, cum ſubditus prudenter præſumit de voluntate ſui Prælati, & addo hoc argumentum eſſe etiam aliquo modo ſoluendum ab aduerſarijs requirentibus certitudinem moralem, cui non repugnat error phyſicus, inquantùm à parte rei contrarium reperiri poterit.

§. XI.

Notæ præſumptam Superioris voluntatem inferentes, aperiuntur.

SVMMARIVM.

1 *Vt prudenter præſumatur voluntas Superioris, debent nonnulla concurrere ſigna.*
2 *Licentia non expreſſa, eſt duplex, tacita, & præſumpta.*
3 *Quid ſit licentia tacita.*
4 *Quidue præſumpta.*
5 *Signa, quæ prudenter faciunt licentiam præſumi.*
6 *Signa in ratione ſigni certa eſſe debent, non eſt ſatis eſſe probabilia.*
7 *Quid dicendum, quando Prælatus ſpeculatiuè oppoſitam teneat ſententiam.*

1 NEQVIT ✠ voluntas præſumpta Superioris in ordine ad licentiam concedẽdam prudẽter à ſubdito iudicari, niſi quædã notæ, ſeu ſigna præcedãt, ex quibus rationabiliter inferatur. Non erit igitur ab re, ſi in præſẽti paragrapho notas ipſas, ſeu ſigna, & inditia declaremus; & cùm licẽtia, quæ
2 non eſt expreſſa, † ſit duplex, nempè tacita, & præſumpta, licet ab Authoribus non raró confundãtur; diuerſa eſſe debẽt ſigna huic duplici licẽtiæ proportionata: idcirco breuiter ſuppono, licentiã tacitam, pro vt à præſumpta diſtin
3 guitur, † eam eſſe, quæ in aliquo ſigno externo in quo cenſetur incluſa, detegitur; E. C. ſi concedatur licẽtia Sacerdoti ad ingrediẽdum Monaſterium Monialium, vt ibi celebret, in hac actione intelligitur tacitè, ſeu interpretatiuè licẽtia ingrediẽdi ẽt cum ſocio, qui Sacro inſeruire debet. Rurſus ſi detur licẽtia Sacerdoti Regulari ad confeſſionẽ Monialis ægrotę excipiẽdã; tacitè datur ẽt ſocio ingrediẽdi cum illo. Et in materia paupertatis Prælatus mittẽs ſubditum Religioſum ad peregrinãdum, intelligitur illi cõcedere facultatẽ ad accipiendã eleemoſynã; in his igitur actibus includitur tacitè licẽtia ad prędicta exercenda.

Prę-

4 Præſumpta verò eſt ea, † quæ per coniecturas, & inditia procedit, nulla exiſtente actione, in qua eo tempore inuoluatur, quo vi talis licentię aliquid exercetur. Signa autem, ex quibus volũtas iſta præſumpta Superioris colligitur, multa
5 ſunt, quæ diſtinctè placet referre: † primò. Experientia, qua Religioſus comperit ſimiles facultates ab eodem Superiore, cuius voluntatem fauorabilem præſumit, ſibi indultas fuiſſe, & in eiſdem, aut ſimilibus circumſtantijs, quæ Superioris animum aptę ſunt mouere, & ideo ſi tales deeſſent circumſtantiæ non poſſet ſubditus, ex vi huius capitis, prudenter eamdem in Prælato voluntatem pręſumere: Ponamus exemplum: Concedat Superior ſubdito petenti facultatem expendendi quatuor, aut quinq; aureos amico ipſius ſubditi peregrinaturo, vel indigenti erogandos, vel ad quædam emenda munuſcula, vt eidem amico, aut cognatis elargiatur, quo peracto vellet ſubditus iſte, alia vice, ſimilem voluntatem in eodẽ Superiore præſumere, eiſdem, vel ſimilibus deficientibus circumſtantijs malè pręſumeret, proindeq; contra paupertatem delinqueret; Eſt etiam attendendum tempus, aut locus; nam aliqua rationabiliter conceduntur tali tempore, aut loco, & non alio, v. g. multa indulgeri poſſunt tempore bacchanalium, vel in loco, in quo ſubditi ſolent commorari, ad animum reficiendum, & non in Monaſterio, aut Conuentu, vbi ſtrictior, & rigoroſior ſeruatur diſciplina.

Secundò. Eſt qualitas perſonæ petentis; aliqua enim rationabiliter non denegantur ſenioribus, quę tamen expedit denegare iunioribus; multa conceduntur Profeſſis, & non Nouitijs; infirmis, & non ſanis.

Tertiò. Eſt ingenium Prælati; aliquis enim eſt auſterus, rigidus, aut auarus; alius verò dulcis, ſuauis, aut liberalis; in illo autem non ità facilè, ſicuti in iſto præſumere debet ſubditus, & pręterea in iſto frequentius, & in rebus maioris momenti, quàm in illo.

Quartò. Enumerari poteſt affectus, animiq; coniunctio inter Superiorem, & ſubditum: idcirco ſi arctiſſimo amicitię vinculo ſint coniuncti facilè poterit benigna ipſius Pręlati volũtas pręſumi, quàm ſi talis deficeret coniunctio.

Quintò. Eſt valdè ponderanda res ipſa, de qua licentia poſtulatur; ſi enim in bonum totius communitatis redundet, longè certior erit præſumenda fauorabilis voluntas Pręlati, quàm ſi in bonum priuatũ cederet: Rurſus facilius præſumeretur, ſi res ipſa peteretur ad ſubueniendũ alicui neceſſitati ipſius ſubditi, quàm ſi peteretur ad ſolam animi voluptatem.

Hæc & ſimilia diligenter ſunt attendenda, vt ſubditus prudenter, & non temerè formare ſibi poſſit iudicium de pręſumpta Prælati voluntate; caueant autem Religioſi, ne deordinatis paſſionibus ducti, examen prędictarũ circũſtantiarum cõtemnant, & iudicent ſufficienter cõcurrere notas, ex quibus deducenda ſit pręſumpta licentia, cũ tamen oppoſitum cõtingat, ſic enim à peccato cõtra paupertatis votũ minimè ſunt liberãdi.

Duę mihi deniq; ſe offerunt difficultates enodandæ; prima eſt an inditia, ex quibus eſt deducenda præſumpta voluntas Prælati, ſatis ſit, eſſe probabilia, an verò debeãt eſſe certa, & euidẽtia.

6 † Reſpondeo debere eſſe omninò certa, & euidẽtia in ratione ſigni, & vt omnem de medio repellamus ęquiuocationem, iſta duo nõ ſunt permiſcenda, videlicet, an voluntas, ſeu licentia ſufficiat, vt ex coniecturis probabiliter præſumatur, & an ſufficiat, vt ipſæ coniecturæ gradum probabilitatis non tranſcendant; primum procul dubio eſſe ſatis ſupra firmauimus, poſitis reliquis conditionibus cohoneſtantibus actionem, & hoc de ſe patet, quia valdè oneroſum foret, ſemper in hac re certitudinem requirere; at ſecundum non ſufficit, quia omnis probabilitas debet fundari in aliqua re morali firma, & certa, vt ex ijs, quæ dicta ſunt de opinione probabili deduci poterit; ſicuti enim ad hoc, vt tutè ſequamur ſententiam, duo attendere debemus, nempè honeſtatem materiæ, iudicando, vt probabile ſaltem, honeſtatem inueniri in tali materia, circa quam operari intendimus, & rurſus certò, & euidenter iudicium ferre de ipſamet probabilitate, ſeu quod in idem recidit, euidenter iudicare, licitum eſſe operari circa talem materiam, quam probabiliter honeſtam exiſtimamus, ita vt non ſufficiat iudicium tantùm probabile, de actione, ſeu electione noſtra, vt oſtendimus *diſceptat. 1. cap. 9.* Sic & in pręſenti caſu, quamuis ad operandũ vi præſumptæ voluntatis, ſeu licentię, ſatis ſit probabilitas, ex varijs inditijs habita; nihilominus probabilitas ipſa, ſeu coniecturæ, ex quibus oritur, debent certò iudicari probabiles, ſeu euidenter agnoſcerę ex illis probabiliter inferri talis pręſumptio.

7 Secunda difficultas expedienda eſt, † an opinio ſpeculatiua Pręlati exiſtimantis, veram eſſe piorem ſententiam, videlicet, ad honeſtè operãdum circa vſum rerum temporalium requiri, vt Religioſus iudicet tuturum eſſe contentum Superiorem, non ſolùm dę ſubſtantia rei, ſed etiam de modo illo; an, inquam, ſubditus ſciens talem ſui Prælati opinionem, poſſit, hac cognitione non obſtante, licitè operari, recipiendo, aut donando ex probabili opinione cõtraria, quam nos ſequuti ſumus; videtur autem honeſtè id fieri nõ poſſe, quia opinio illa, cui Superior adhæret, impedit, quin in eodem ſubdito generetũ pręſũptio de volũtate Prælati oppoſita. Sed cõtrariũ cẽſeo eſſe dicendũ, nam & ſi Superior priorẽ illam opinionẽ minus fauorabilem amplectatur, cũ hoc tamen ſtat, vt nolit practicè prohibere ſubditis, ne poſteriorẽ ſequãtur opinionẽ, neq; pręſumẽdum eſt ex vi illius opinionis, velle Superiorẽ prohibere ſubditis receptiones, & donationes in eo caſu, quo ipſimet ſubditi iudicẽt placere Superiori ſolã ſubſtãtiã, & nõ modũ; rigor aũt iſte, niſi aliundè innoteſcat, nõ eſt præſumẽdus, cũ potiùs præſumẽdum ſit, intentionem Prælati eſſe omnia relinquere in diſpoſitione iuris communis, & benignè ſe gerere quantùm fas eſt cum proprijs ſubditis.

§. XII.

§. XII.

Religioſus aliquid per ratihabitionem accipiens, teneturne poſt factum Superiori id aperire?

SVMMARIVM.

1 *Præponitur ratio obligationem aſtruens.*
2 *Varij diſtinguuntur modi dicendi, & rem aliquam recipiendi.*
3 *Si res per ratihabitionem accepta ſit cõſumpta non eſt ſubditus aſtringendus id Prelato manifeſtare.*
4 *Per accidens interdum ad id teneri poterit.*
5 *Quamuis mala fide acceperit & conſumpſerit non obligatur ſubditus ad manifeſtandum caſum Superiori*
6 *Res accepta ſi extat, & adæquata ratio præſumendi licentiam fuerit difficultas adeundi Prælatum, tenebitur ſubditus poſt factum illud Prælato aperire.*
7 *Secùs ſi ratio præſumendi non fuerit difficultas adeundi Superiorem; ſed probabilis exiſtimatio de licentia.*
8 *In retentione aliquis reperitur culpa, ſi fuerit in receptione; oppoſitum tamen accidere poterit quibuſdam concurrentibus circumſtantijs.*
9 *Non erit ſaltem grauis culpa recipere ſub ratihabitione, etiamſi pateat aditus ad Superiorem contra aliquos oppoſitum ſentientes.*
10 *Obijcitur in contrarium argumento ad hominem.*
11 *Satisfit obiectioni.*
12 *Vlterius vrgetur, & ſoluitur inſtantia ex diſcrimine inter Epijkiam, & Ratihabitionem.*
13 *Diluitur ratio contraria initio poſita.*
14 *Explicatur S. Bonauentura.*

1 VIDETVR Religioſus ✠ ad id obligaadus, vt enim acceptio ſit rectæ rationi conſentanea, quãdo per ratihabitionem exercetur, debet fieri cum intentione detegendi illam Superiori, quamprimum opportunitas occurrerit, & pro hac ſententia citari poteſt *S. Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ ad Nouitios cap:4. in fine*, vbi aſſerit, licitum eſſe ſubdito, probabiliter præſumẽdo conſenſum Superioris, aliquid facere, pro loco, & tempore, ſi poſtea id Superiori referat.

2 Cæterum vt quæſito plenè ſatisfaciamus, † varij ſunt diſtinguendi modi, ſub quibus caſus euenire poterit.

Pro qua re ſupponimus rem aliquam ità recipi poſſe, vt ſtatim conſumetur, vel alienetur, vel vt permaneat apud ipſum Religioſum: Rurſus attendendum erit, an adęquata ratio præſumendi voluntatem Superioris, fuerit difficultas illum adeundi, an verò ſolùm iudicium probabile ex notis, & coniecturis illatum. His omnibus premiſſis

Dicendum eſt primò. Si res accepta fuit to-
3 taliter conſumpta, † nulla, per ſe loquendo, eſt obligatio imponenda Religioſo, vt detegat Superiori factum ipſum. Sic *Nauarr. in comm. 2. regul. nu. 20. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11: nu. 3. Sanchez in decal. lib. 7. cap. 19. nu. 8. 9. Fagundez in ſept. præcept. eiuſdem decal. c. 5. num. 22. Bonacina de largit. mun. pun. 6. nu. 28. Pellizzar. in man. reg. tom. 1. tract. 4. cap. 2. num. 215. & alij.* Ratio autem huius concluſionis eſt in promptu; quia in tali caſu detegere receptũ, & petere licentiam, ſi res eſt conſũpta, cẽſetur prorſus inutile: ad prætetitũ enim nulla datur poteſtas; proindè ſiue Superior, negotio detecto, concedat, ſiuè neget licẽtiam, quid vo-
4 to paupertatis proficit? per accidens autem † in aliquibus circumſtantijs, ob alios fines poterit Religioſus obligari ad id aperiendum, vt animaduertit Suarez, ſed hoc non facit ad paupertatem, eiq; eſt quid extrinſecum.

5 Dicendum eſt ſecundò. Etiam ſi mala fide, & nulla, neq; præſumpta habita ſit licentia, ſi res accepta conſumpta, aut alienata fuerit, non tenebitur ſubditus id Superiori detegere, & hoc ob eamdem rationem; Sic *Cardinalis De-lugo, vt ſupra.*

6 † Dicendum eſt tertiò. Re adhuc extante, ſi adæquata ratio præſumẽdi licentiam, fuerit difficultas adeundi Superiorem, neceſſitate vrgẽte, procul dubio tenebitur ſubditus poſt factum omnia ſuo Superiori referre, vt vnanimiter *Authores citati* docent. Probatur concluſio; quia in tantùm receptio fuit licita, in quantùm ſubditus in illis circumſtantijs Superiorem cõſulere nõ poterat, atq; adeò ſufficiens ſe offerebat fundamentum præſumendi fauorabilem ipſius Superioris voluntatem; at ceſſante impedimento, vt eiuſdem rei extantis retentio ſit honeſta, & cum debita ſubordinatione, obligatio remanet in ſubdito id Superiori manifeſtum facere, vt emendet, ſeu irritet factum, aut illud ratum habeat: aliter retentio erit abſq; vlla licentia, & conſequẽter ſubditus propria voluntate, & indepẽdenter à conſenſu Superioris rem retinebit, quod eſt contra votum paupertatis.

Dicendum eſt quartò. Si ratio præſumendi
7 non fuit difficultas adeundi Superiorem, † ſed probabile iudicium, quo ſubditus prudenter ex varijs notis, & motiuis exiſtimauit, facilè à Superiore concedendam eſſe licentiam, ſi peteretur, tunc non aſtringetur certiorem facere Superiorem de re accepta, ſed poterit illam retinere; Sic *laudati Authores*: & ratio eſt, quia ſicuti probabile illud iudicium fuit ſatis ad cohoneſtandam receptionem, ita remanens cum eadem probabilitate, ſufficiens erit ad cohoneſtandam retentionem, ſine vlla prorſus diſpa-

ritate,

ritate, quantùm ſpectat ad paupertatem, quicquid ſit de reliquo, ſi ob alios fines ſit retentio iſta detegenda.

8 Aduerto tamen in retẽtione † inueniri poſſe culpam aliquã, ſi in receptione interuenerit, vt accidit, quando modus clandeſtinus recipiẽdi, & non ſubſtantia diſplicet Superiori, tunc enim idem modus clandeſtinus retinendi erit etiam obiectum eiuſdẽ diſplicẽtię, atq; adeò ſicuti deordinatam, quamuis leuiter, vt ſupra explicuimus, reddidit receptionem, eodem modo dehoneſtabit retentionem, niſi aliqua circumſtantia inueniatur deſtruens in modo retinendi motiuũ diſplicẽtiæ; & contra per aliquam circumſtantiam poſſet interdum receptio per ratihabitionem abſq; vlla, vel ſaltem cũ leui culpa exerceri, & retẽtio poterit eſſe cum peccato lethali, ſi Superior, vel conſtitutiones Religionis prohibeant quamdam clandeſtinam retentionem, & præcipiant, vt res, quæ per ratihabitionem recipiũtur, poſtea Superiori detegãtur.

9 † Dicẽdum eſt quintò. Etiam ſi pateat aditus ad Superiorem, & Religioſus commodè poſſit licentiam petere, ſi ex probabili, & præſumpta voluntate Superioris rem aliquam accipiat; nõ peccabit ſaltem grauiter erga paupertatem. Eſt contra *Leſſium lib. 2. de iuſt. cap. 41. nu: 79.* Sed noſtram concluſionem tuetur *Suarez cap. cit. nu. 4. Sanchez vt ſupra, n. 5. Pellizzar. cap. cit. nu. 407.* & quamuis à *Suarez* plures pro hac ſẽtentia laudẽtur, nihilominus id expreſsè nõ dicunt, probabiliter tamen ex eorũ doctrina colligi poterit. Ratio autem pro concluſione eſt, quia in tali caſu ſubditus operatur cũ habitudine ad voluntatem Superioris, probabiliter, & prudẽter præſumpta, ideoq; nõ dicetur propria volũtate recipere, quod ſufficit in rigore ad tollẽdam proprietatem, vt patet ex dictis; dixi, ſaltem grauiter, quia ſępè excuſari nequit ab aliqua deordinatione, & culpa veniali.

10 Sed cõtra ad hominem † validum formatur argumentum; nam *ſupra §. 5. in 3. concluſione* ſtatuimus, ſatis nõ eſſe iudicium probabile ad vſum EpijKiæ, quando Superior cõueniri poterit, & hoc ex communi ſententia cum Suario defendim'; ergo & in iſto caſu, neq; poterit Religioſus per ratihabitionem aliquid accipere, quando commodè poteſt Superiorem adire, ab eoq; expreſſam obtinere licentiam, par enim videtur ratio in vtroque caſu.

11 † Reſpondeo, quamuis rem parùm attẽtè cõſiderãti argumẽtum cõcludere videatur ad hominẽ, & apud noſtrę ſentẽtiæ ſectatores, nihil de hac paritate tãctum inueniri potuerim; nihilominus nõ erit mihi difficile inſtantiam diluere; cõceſſo igitur antecedẽte, negatur conſequẽtia, & paritas deducta; diſcrimen autẽ manifeſtè deſumitur, ſpectãdo, & EpijKiam, & ratihabitionem rigoroſè acceptas; ſi enim diligẽter attẽdamus, per EpijKiam, vt ſupra diximus, fit interpretatio corrigẽdo, & emendando legem, vt deficiẽtem in aliquo caſu particulari, quem excludimus etiam cõtra verborũ ſignificationem, iudicando ſub illis nõ comprehendi, eodemq; modo interpretamur legiſlatoris mẽtem; ad hoc autem faciẽdum, ſola probabilitas, eo tẽpore, quo maior certitudo haberi poteſt, non erit ſufficiens, neq; ex illa iudicium practicum conforme probabilitati ſpeculatiuæ inferre prudenter poſſumus; ideoq; ſpeculatiua tantùm remanebit probabilitas illa; at per ratihabitionem nihil contra verba legis, eorumq; ſignificationẽ facimus, imò iudicamus caſum etiam ſingularem, circa quem ipſa ratihabitio verſatur, comprehendi ſub verbis, atq; adeò nõ corrigimus legem vt deficientem, & ſolùm recurrimus ad prę́ſumptam voluntatem Superioris, iudicando licentiam, ſeu diſpenſationem ab ipſo concedẽdam; proindè tali iudicio prudenter poſito, licitè operamur.

12 Et ſi dicas, † per prę́ſumptam licentiam, ſeu diſpenſationem lędi ipſam legem; nam, vt dici ſolet, diſpenſatio eſt vulnus legis, hoc tamen nihil officit, quia exemptio non oritur ex defectu ipſius legis; ſed ex benigna voluntate Superioris, per varias notas prudenter deducta; at per EpijKiam emẽdamus legem ex defectu ipſius in aliquo caſu ſingulari; idcircò maior certitudo requiritur ad corrigendam legem, quàm ad præſumendam diſpenſationem in illa: Et licet, quando Superior conueniri non poteſt, cõtenti ſimus de ſola probabilitate, & dicamus, illam ſufficere ad emendandam legem, & ad excludendum caſum, id tamen fit, quando neceſſitas ità vrget, vt moram nõ patiatur, iudicando non fuiſſe intentionem legiſlatoris ferre legem cum tanto rigore, vt cum graui ſubditorum detrimento obliget; ideoq; in talibus circumſtantijs probabilitas coniuncta cũ neceſſitate reddit ſubditos moraliter certos, vt in eo caſu lex non obliget, neq; etiam præſumitur, intentionem Superioris velle obligare, quæ tamen certitudo non habetur, ſi nulla ſit neceſſitas, vel Superior conueniri poſſit. Et ſic patet diſparitas inter EpijKiam, & ratihabitionem, quando ſolam probabilitatem de voluntate Superioris habemus, & ex vi illius operari intendimus.

Ad fundamentum in contrarium initio po-
13 ſitum † reſpondeo, poſſe receptionem cohoneſtari abſq; illa intentione referendi eam ad Superiorem in caſibus enarratis, ideoq; negandum eſt ſemper licitam receptionem eſſe faciendam cum habitudine ad ipſius detentionem.

14 Ad authoritatem verò *S. Bonau.* † reſpondeo, vel ipſum loqui, ſpectandó perfectionem paupertatis, & Religioſæ diſciplinæ, vel ad vitandam culpam aliquam, quamuis leuem, non aperiendo factum Superiori.

Et hæc circa EpijKiam, & ratihabitionem diſcuſſa ſufficiant, ideoq; ad ea, quæ magis propriè intra limites dubij dictaminis continẽtur, regredimur.

CA-

CAPVT IV.

Quæ in priuilegiorum vſu incertum reddunt animum, exponuntur.

NON intendimus in præſentia directè ſermonem habere de natura, ſpeciebus, & proprietatibus priuilegiorum; aliena enim eſt à noſtro inſtituto talis tractatio: intendimus igitur ſolùm tangere naturam, ſeu conditiones priuilegij, quatenus aliqua mentis hæſitatio de eo nobis occurrit; idcirco principaliora ſeligentes, per ſubſequentes paragraphos proponimus.

§. I.

Reale ne, an vero perſonale, in dubio, ſit exiſtimandum priuilegium?

SVMMARIVM.

1 *Reale potiùs quàm perſonale in dubio exiſtimandum eſſe nonnullis placuit.*
2 *Alij tuentur illud eſſe perſonale; loquendo de illo, quatenus iuri communi derogat, ſecùs de conuentionali.*
3 *Hãc vltimam ſententiã amplectitur Author.*

NONNVLLORVM fuit ſententia in dubio priui-
1 legium † exiſtimandum
eſſe reale. Sic *S. Antonin'* *par t, tit. 19 cap. 1. § 2. in Tiraquel. de primog. q. 4. nu 72. Emman. Rodriq. in qq. reg. to. 1. q. 56. art. 12.*
Alij vero aſſerunt in dubio † priuilegium
2 præſumi perſonale. Sic docet *Gloſa 15. qu. 2. init. Bartol. conſ. 189. num. 4. & alij.* legiſtæ, quibus etiam adhæret *Tambur. de Iure Ab. to. 1. d. 16. q. 11. nu. 5. Riccius in collect. par. 5. collec. 1625. illat. 13. Caſtropal. tom. 1. tract. 3. d. 4. §. 3. nu. 5. in fine. Mènoch. lib. 3. præſumpt. 103. n. 12. Baſil. Pontius lib. 8. de matr. ca. 15. §. 1. num. 7. & ſeq.* loquentes de priuilegio derogante iuri cõmuni, & de priuilegio non conuentionali, quod eſt per modũ contractus oneroſi; nam ſi priuilegium non deroget iuri, eſt ampliandum, quia ſe habet vt beneficium, & in dubio cenſetur reale; eodem modo exiſtimandum erit priuilegium cõuentionale, quod non fit gratis, ſed vel accepta pecunia, vel aliquo pecuniæ æquiualenti. † Hæc vltima ſententia mihi placet quoad omnes ſui partes, poſita diſtinctione prædicta; ſi enim priuilegium nemini præiudicat, ſed ſolum concedenti, ſe habet vt beneficium, ac proinde reale, quod eſt magis fauorabile; ſi autem præiudicat, ſtrictè eſt interpretandum, atq; adeo perſonale: ſi vero eſt conuentionale, & oneroſum tranſit ad hęredes, & ideo erit reale, dum aliud ex verbis nõ cõſtat.

§. II.

Priuilegium de non ſoluendis decimis, in dubio, explicandum ne ſit de decimis ſuper prædia tantum acquiſita, an etiam acquirenda?

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt de decimis ipſi priuilegiãti ſoluẽdis.*
2 *In dubio extendendum eſt priuilegium ad futuras decimas.*
3 *Concluſio ratione probatur.*
4 *Quando eſt in præiudicium tertij reſtringitur.*
5 *Priuilegia eximentia Societatem extẽduntur ad futurum tempus.*

SVPPONIMVS remiſſionem decimarum per illud priuilegium
1 legitimè factam fuiſſe, † & ſermonẽ eſſe de decimis, quæ ſolui deberent ipſimet priuilegiũ cõcedenti; dubium vero ſolum eſſe de extenſione priuilegij, videlicet an ſit explicandum de decimis, quæ erant ſoluendę ſuper prædia tempore priuilegij iam acquiſita, an vero de decimis ſuper prędia poſtea acquirenda, hoc poſito.

2 Dicendũ eſt, tale priuilegium in dubio † eſſe interpretandum ſe extendere ad decimas, etiam ſuper prædia in poſterum obtinẽda; ita ſtatuitur *cap. quia circa, de priuil. gloſ. ibi. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 6. n.* 10. qui id probat à pari; nam indultum, ſeu priuilegium immunitatis cõceſſum Eccleſijs alicuius Ciuitatis, intelligitur etiam cõceſſum Eccleſijs cõſtruẽdis, vt aſſerũt plures Iuriſperiti apud eumdem
3 Manticam. † Ratio autem noſtræ cõcluſionis eſt, quia priuilegium, quando nõ continet pręiudicium tertiæ perſonę, ſed præiudicium tantum illius, à quo datur, latè eſt interpretandum, ideoq; conceſsio indefinita æquiualet vniuer-
4 ſali: ſecùs ſi ageretur † de pręiudicio tertij, quia tunc priuilegium eſſet potius reſtringendum, quam extendendum.

Cæterum ex hoc ne inferas exemptionem, quam habet Societas à ſolutione decimarum, licet ſit in præiudiciũ tertij nẽpe Epiſcoporũ, Parochorũ, &c. nõ ſe extẽdere ad prędia futura, quæ pro tẽpore acquirũtur ab ipſa Societate, eiuſq;

5 bonis incorporantur. † Ratio eſt, quia Socie-
tas ampliſſima habet priuilegia à diuerſis Sum-
mis Pontificibus conceſſa, & confirmata, clau-
ſulas, & derogationes valdè efficaces includē-
tia, vt videre eſt in *priuilegio concesſo à Paulo
III. Anno Domini 1549. 15. Kal. Nouembr.
& alio conceſſo à Pio IV. die 19. Aug. 1561.
& à Greg. XIII. deroganti cap. Nuper priuile-
gium, primo Ianuary* 1578. fuit etiam iſta no-
ſtræ Societatis exemptio per varias Rotæ de-
ciſiones, & ſententias conformes corroborata
apud *Paulum Rubeum tom. 3. deciſ. 44. nu. 5.
& deciſ. 105. num. 2. & alibi.*

§. III.

Priuilegium ad inſtar prædeceſſoris priuilegij conceſſum, vtrum in dubio cenſeri debeat extraordinarium perſonale, nec ne?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*
2 *Negatiuam aliqui ſuſtinent.*
3 *Rerum tranſlatio eſt in duplici differentia.*
4 *Vera eſt opinio negatiua, ſi de translatione na-
turali loquatur.*
5 *Conceſſio ſub forma ordinaria non extenditur
ad perſonalia anteceſſoris.*
6 *Secùs ſi forma ordinaria, ſub qua ſit conceſſio
ſit extraordinaria.*
7 *Argumenta contraria ſolùm primam conclu-
ſionem probant.*

1 PONAMVS ✠ exemplum v. g. ſi
Princeps concedat alicui priui-
legium ſub hac forma [concedo
tibi talem rem, nempè dignitatē
cathedram, vel quid ſimile, ſicuti
rem illam habuit tuus Prædeceſ-
ſor] dubium eſt an vi huius conceſſionis, intel-
ligatur conceſſum priuilegium aliquod extra-
ordinarium perſonale, quod prædeceſſor ha-
bebat.

2 Partem negatiuam † ſuſtinent aliqui, inter
quos eſt *Barboſa in L. quia tale. ff. ſolut. matr.
num. 1. Gloſſa in leg. Hæreſ. ff. de acq. vel omit.
hæred. ver. in omne ius; & ibi Ang. Rom. &
Iaſon conſil. 20. vol. 2. Giron. de expl. priuil. nu.*
1224. Ratio fundamentalis pro hac ſententia
eſt, quia nouus Beneficiarius ſuccedit in omni-
bus ijs, quæ iure ordinario competebant præ-
deceſſori; non autem in priuilegijs perſonalib⁹
eiuſdem: & ideo in prædicto dubio conceſſio
non eſt explicanda ampliatiuè, ſed ſolùm re-
ſtrictiuè ad ea, quæ erant ordinariè annexa be-
neficio Alij verò mox citandi cum quadam
diſtinctione loquuntur.

Pro deciſione aūt huius quæſiti ſupponendū
3 eſt, † tranſlationē rerum eſſe in duplici differē-
tia, aliam naturalē, & ordinariā, quę fit per ſuc-
ceſſionē, ſiue ſit per legatū, ſiue per donationē,
&c. aliam verò per conceſſionē factam à Prin-
cipe: Rurſus eſt ſupponendū formam illā con-
ceſſionis poſitā in titulo, eſſe poſſe ordinariam
& conſuetā, quāuis nihil à Principe præter be-
neficium cōcedatur, & poſſe eſſe extraordina-
riam, ita vt ille nō fuerit ſolitus concedere alijs
prædeceſſoribus beneficium, aut rem illam
ſub hac forma. His poſitis

4 Dico primò, loquendo de tranſlatione † na-
turali, quæ cōſiſtit in ſucceſſione, verā eſſe ſen-
tentiā eorū, qui pro parte negatiua adducti sūt;
nam ſucceſſio, vt ſic, limitata eſt ad ea tantum
iura, quæ ordinariè annexa ſunt beneficio, &
non ſe extendit ad priuilegia perſonalia. Ratio
eſt, quia poſſidēs nō habet facultatē transferen-
di illa in poſteros, proinde in huiuſmodi priui-
legijs propriè loquendo non datur ſucceſſio, &
ſic hæres, de quo loquitur *Gloſ. l. c.* non ſuccedit
in ijs, quæ perſonaliter Teſtatori cōpetebant;
& ex hoc principio ſequitur, quod Capitulū in
Sede Vacāte non ſuccedat, niſi in illis, quæ iu-
re ordinario Epiſcopo competunt, non autem
in ijs, quæ ex delegatione, vt habetur ex *cap.
Verum. de for. compet.*

5 Dico ſecundò, † ſi ſermo ſit de tranſlatione,
quatenus dicit conceſſionē factā à Principe, eſt
diſtinguēdū; nam ſi forma illa verborū, ſub qua
fit cōceſſio, eſt ordinaria in omni prouiſione ta-
lis beneficij, ſeu muneris, quoties ex liberalita-
te, ſeu gratia Principis cōceditur, ita vt in omni ta-
li prouiſione fiat æquiparatio illa ad ātecеſſorē
ſiue beneficiū, ſeu munus prouiſum ſit, addēdo
alia beneficia, ſiue nō; tūc prouiſio ſub hac for-
ma nō extenditur ad priuilegia perſonalia an-
teceſſoris. Probatur; quia verba iſta, quæ æqui-
parantiā exprimunt, non ſignificāt neceſſariò
anteceſſionē aliorū priuilegiorū, cū per ipſamet
verba ſignificetur prouiſio beneficij facta an-
teceſſori ſine cōceſſione aliorū priuilegiorum;
proinde ſe habent, vt verba generalia, ſub qui-
bus non cōprehenduntur ſpecialia priuilegia.
Cęterū ſi forma illorū verborū ſit extraordina-
ria, & numquā vſurpata fuerit, niſi cū prouiſio-
ne beneficij addātur alia ſpecialia priuilegia,
tunc prouiſio amplianda erit ad priuilegia per-
ſonalia prædeceſſoris: ſic docet *Suarez lib. 8.
de leg. c. 15 n. 11. Caſtrop. to. 1. tr. 3. d. 4 § 8. n. 5*
6 † & ad confirmandū affert caſū quemdā ſimi-
lem, qui in Cōpoſtellana Eccleſia euenit; idē et
tenet *Merolla tom. 3. d. ſp. 6. c. 2. diff. 4.* Et ratio
eſt, quia ex vna parte trāſlatio iſta non eſt ſuc-
ceſſio; & ex alia parte nō eſt diſpoſitio ordina-
ria, ſed extraordinaria; atq; adeo ſpecialis, pro-
inde effect⁹ ſpecialis, q nequit in alio cōſiſtere,
niſi in cōceſſione perſonaliū priuilegiorū, q̄ ha-
bebat prædeceſſor, & ad q̄ reſpicit illa diſpoſitio.

7 Argumenta verò, † quæ pro prima ſenten-
tia adducta ſunt, nihil aliud probant, niſi primā
concluſionem, & primam partem ſecundæ, vt
conſideranti patet.

§. IV.

§. IV.

Perſiſtente animi dubietate, an priuilegij cõfirmatio ſit ſub forma ſpeciali, an potius ſub forma cõmuni, quid iudicãdũ?

SVMMARIVM.

1 *Duplex forma declaratur, ſub qua confirmari ſolent priuilegia.*
2 *Plures effectus ſequuntur ex forma ſpeciali quàm ex communi.*
3 *Quid ſit confirmatio ex certa ſcientia, & quid in forma communi.*
4 *Referuntur ſigna vtriuſq; formæ.*
5 *In dubio nõ pſumitur cõfirmatio ex certa ſciẽtia*

1 SVPPONIT quæſitum † duplicem illam formam, ſub qua Pontifex confirmare conſueuit priuilegia priùs cõceſſa, videlicet, aut ſub forma communi, aut ſub forma ſpeciali, quæ, Ex certa ſcientia, appellari ſolet, & de vtraq; fit mentio in iure Canonico, nam *Cap. quia diuerſitatem, de conſc. præb.* expreſsè ponitur forma communis, & in *cap. 1. de tranſaction.* ſignatur forma Ex certa ſcientia, illis verbis *Pleniſſimæ notionis* (*Gloſ. ibi,*) & idem colligitur *ex cap. veniens, cap. Examinata de confirm. vlt. & inut.* Varij autem ſunt huius duplicis formæ effectus, de quibus latè Iuriſtæ,
2 & Canoniſtæ diſcurrunt, ſed plura, & longè maiora ſequuntur ex forma ſpeciali, quæ dicitur Ex certa ſcientia, præſertim circa reſtitutionem priuilegiorum reuocatorum; nouam eorumdem conceſſionem, &c. Cõfirmatio autem
3 ex certa ſcientia, † ea eſt, quæ procedit ex examine, perfecta notitia rei confirmandę, eiuſq; circumſtantiarum; confirmatio vero in forma communi ſolum ſupponit confuſam prædictorum cognitionem.

Signa verò, quibus in ipſa confirmatione in-
4 noteſcit, ſub qua forma emanauerit, † varia ſunt, videlicet, ſi in inſtrumento inſeratur tenor priuilegij confirmandi, aut ſi minimè inſeratur, Pontifex expreſsè ait, ex certa ſcientia illud confirmare; tunc ius pręſumit pręceſsiſſe in Pontifice exactam priuilegij notitiam, vel ſi apponantur verba ęquiualentia, vt ſi dicatur, De plenitudine poteſtatis, aut, Non obſtante lege contraria, aut quid ſimile. videndi ſunt *Suarez lib. 8. de legib. cap. 18. & 19.* qui fusè differit de hac re, & *Sanchez lib. 7. in decal. cap. 29. n. 144. Caſtrop. to. 1. tr. 3. diſp. 4. §. 10. Merolla to. 3. diſp. 6. c. 5. du. 1. & alij Canoniſtæ ab eiſdẽ laudati.*

His omnibus præhabitis, inſtituitur pręſens quæſitũ; quia interdũ inſurgere ſolet dubium, an confirmatio alicuius priuilegij ſit ex certa ſcientia, an verò in forma communi, & confirmatio ipſa continet tales clauſulas, & verba obſcura, quæ ambiguitatem ingerunt, atq; adeò dubium vinci nequit, & cum deciſio nõ parùm conducat ad aliquos conſeqnẽdos effectus nec ne? pertinet ad noſtram hanc tractationem de conſcientia dubia, in tali rerum diſcrepantia determinatum ferre iudicium.

5 † Dicendũ eſt, in dubio non eſſe pręſumẽdam confirmationem proceſsiſſe ex certa ſciẽtia. Ità *Zabbarel. conſil. 44. d n. 5. Alexand. conſil. 59. n. 8. to. 1. Tuſcus lit. C. concl. 708. n. 3. Sanchez cap. cit. in fine. Merolla vt ſupra n. 7.* ratio autẽ eſt, quia cum præſumptio non ſit pro priuilegiato, imò contra ipſum circa nouam conceſſionem, & reſtitutionem priuilegiorum reuocatorum; idcirco confirmatio ex certa ſciẽtia non præſumitur eſſe, niſi oſtẽdatur, & per cõſequẽs onus id probãdi ipſimet priuilegiato incumbit.

§. V.

Exoriente dubio, an priuilegia hic, & nunc eximant Regulares ab Epiſcopi iuriſdictione, pertineat ne ad ipſum Epiſcopum eorumdem priuilegiorum interpretatio?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur caſus.*
2 *Pars negatiua concluditur.*
3 *Explicatur priuilegium Societatis.*
4 *Iuridica horum priuilegiorum interpretatio ad Pontificem ſpectat.*
5 *Refertur quoddã priuilegiũ Caietano cõceſſũ.*

1 POTEST quandoq; † euenire caſus, in quo Ordinarius loci procedere intẽdat cõtra Regularem aliquem; ſiuè ciuiliter, ſiuè criminaliter; ex aduerſo tamen Regularis ille excipiat, nõ poſſe Epiſcopum in cauſſa illa ſe intromittere, ſtãtibus priuilegijs Religionis eximẽtibus Regulares à iuriſdictione Epiſcopali; verùm cõtingere poterit verba priuilegii eſſe adeò obſcura, vt dubium reſultet, an caſus ille litigioſus cõprehendatur in priuilegio: His autem pręmiſsis, inquirimus, an iuridica priuilegii explicatio ſpectet ad ipſum Epiſcopum, vel ad aliquem àlium.

2 Dicẽdũ eſt primò † nõ pertinere ad Epiſcopum. ita *Henriq. lib. 7. de indulg. c. 25. n. 6. & in cõm. lit. Q. Sanchez in opuſc. lib. 6. ca. 9. dub. 1. c. 34.* loquẽs de noſtra Societate, quę priuilegiũ habet cõceſſum à *Paulo III. die 18 Octob. ann. Dom. 1549.* quod refertur in *cõpẽdio noſtrorum*
3 *priuileg. §. 1.* per illud aũt Põtifex † expreſsè ſibi reſeruat facultatẽ interpretãdi priuilegia eiuſdẽ Societatis, & prohibet omnibus Pręlatis, ne pręſumãt interpretari priuilegia noſtræ Religioni conceſſa, ſiuè clara ſint, ſiuè dubia; Eodem priuilegio gaudent reliquæ Religiones per communicationem; ſed præter hoc particularia priuilegia circa idem conceſſerunt Pontifices aliis Ordinibus, *vt Clemens IV.* ordini

Prædicatorũ,& Minorum,vt refert *Caſarubius in cõpendio priuilegiorum mendicantiũ verb. Priuilegia fratrum n. 5.* & hãc eãdẽ ſentẽtiam ꝑter Authores citatos docẽt *Emman. Rodriq. in qu.regul.to.1.qu.11.ar.5.Lezana in ſumm. quæſt.reg.par.4.Verb Priuil. nu.12.Tambur. de iure Abb. diſp. 16 quæſt.6.tom. 1. Ceſpedes tract.de exempt.reg.cap.24 dub.382.& alij.* Ratio autem pro hac concluſione non eſt alia, niſi Summi Põtificis voluntas in prædicto priuilegio expreſſa; & fundatur in quadam congruentia, nam cum inſurgit controuerſia inter Epiſcopũ,& Regulares quoad iuriſdictionem, non videbatur rationi conſonum, vt iudicium de priuilegio, in quo ponitur fundamentum controuerſię remitteretur ad Epiſcopum, qui in hoc negotio eſt pars, atq; adeò ſuſpecta.

4 Dicendum eſt ſecundò. † Interpretationem iuridicam prædictorũ priuilegiorum ad ipſum Summum Pontificem ſpectare, & hoc eſt de iure communi, & ſtatuitur in *Cap. veniſſent de iudic.* additur etiam ius ſpeciale hoc ipſum prę-ſcribẽs,vt patet ex priuilegio *Pauli III.* noſtræ Societati conceſſo,quod ſupra retulimus.

5 Cæterum *Lezana loc.cit.* refert à *Iulio II.*† manaſſe priuilegium conceſſum Thomę de Vio Caietano Generali Ordinis Prædicatorum, per quod dabatur illi facultas ad explicandá priuilegia ſuæ Religionis conceſſa, & concedenda, quoad ſerenitatem conſciẽtiarum ſubditorum; dumtaxat, hanc autem facultatem ipſe Lezana, Peijrinus, & Tamburinus intelligunt de interpretatione iuridica,& rectè, quia ad doctrinalẽ nõ erat neceſſarium priuilegium,neq; eſt prohibita: Demum aduertit ipſemet Lezana, quod quamuis priuilegium illud collatum fuerit Caietano,per extenſionem pertinere ad Generales in Ordine Prædicatorum ſuccedentes, & per communicationem ad Generales aliorum ordinum; hoc autem admitto, ſi priuilegium Caietano conceſſum non fuerit perſonale,ſed reale; quale autem ſit,definire non poſſum, quia illud ad manus meas minime peruenit.

§. VI.

In dubio an priuilegium fuerit, nec ne reuocatum, ſit ne pro reuocatione præſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Non expendimus cauſas, ob quas Princeps moueri ſolet ad priuilegium reuocandũ,neq; de modis,quibus reuocatur.*

2 *Hæſitante animo, priuilegium non præſumitur reuocatum.*

3 *Ratio deſumitur ex odio, quod trahit reuocatio,& ex poſſeſſione,in qua eſt priuilegiatus.*

1 NON quærimus, ✠ neque exagitare intendimus cauſſis, quę mouere poſſunt Principem ad reuocandum priuilegium à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus conceſſum, & quando validè, & licitè, quando ſolùm validè, & quando neq; licitè, neque validè. Demum neque ſermonem habere intendimus de varijs modis, quibus priuilegia reuocari ſolent; hæc omnia, & ſimilia iure noſtro omittimus exagitanda in tractatu de legibus; ſcopus autem noſtræ intentionis eſt indagare quid faciendum, cum dubitatio ſuboritur, an per decretum V. G. à Pontifice ſubſequẽter editum,ſit priuilegium antecedens reuocatum, & verba eiuſdem decreti ſint adeo obſcura, vt non permittant ab intellectu poſitiuè elici aſſenſum potius vni, quam alteri parti adhærentem, neque aliunde ſuppetat coniectura, ſeu præſumptio, per quam mens ipſius Pontificis colligatur; decidere autem tale dubium ad hanc materiam pertinet.

2 Dico igitur, † ſi penſatis omnibus, & ſapientum conſilio adhibito,adhuc animus in ancipiti verſetur; tunc priuilegium illud reuocatum minimè præſumi. ità quamplures ex Canoniſtis *vt Gloſ. 25. quæſt. 2. in fine ſummarij. Aleiatus reſponſ. 19. num. 4. Roman. conſ. 327. num. 1. Pariſ. conſ. 61. num. vlt. lib. 2. Anchar. conſ. 161. num. 3. Cardinal. conſ. 52. num. 6. & plures alij,* quos laudat,& ſequitur Santar: *var. reſol. quæſt.16.num. 11. & 12. Pontius lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 2. num. 17. Merolla tom. 3. diſput. 6. cap. 7. dub. 8. num. 222. Diana par. 4. tract. 3. reſol. 51. in*

3 *fine.* Ratio † pro hac concluſione eſt, quia reuocatio eſt odioſa, atq; adeò in dubijs non præſumitur: addo aliam rationem; nam poſtquam priuilegiatus reperitur in ſua pacifica, & certa poſſeſſione ſui priuilegij, non eſt, ob dubium ſuperueniens, ſpoliandus eadem poſſeſſione: debet igitur dilucidè conſtare de reuocatione, ad hoc vt priuilegiatus ceſſet ab vſu illius priuilegij.

CAPVT V.

Quæſita conſcientiæ, quæ in diſpenſationibus vſu veniunt, examinantur.

PLura, quæ de diſpenſationibus dici poſſunt, iure omittimus, & de ijs tantum, quæ dubiam terminant conſcientiam, tractabimus.

§. I.

§. I.

An diſpenſatio in dubio ſtrictè, an vero latè ſit interpretanda?

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſatio, per ſe loquendo, ſtrictè eſt explicanda.*
2 *Ratio deſumitur ex iure Canonico.*
3 *In quibuſdam caſibus latè explicatur.*

1 DICENDVM eſt, ✠ per ſe loquendo diſpenſationem in dubio ſtrictè eſſe explicandam; ita expreſsè deciditur *cap. 1. §. Ille verò de filijs præsb. in 6.* cui quidem deciſioni Doctores aſcribuntur. *Sanchez lib. 8. de matrim. d. 1. num. 3. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 1. num. 5. &*
2 *alij.* † Ratio autem aſſignatur *in tex. cit.* nam diſpenſatio exorbitans à iure reſtringi debet. Dixi, per ſe loquendo, quia interdum diſpenſatio admittit latam interpretationem, ſaltem
3 intra naturalem verborum proprietatem; † & primò, ſic ample exponitur, quando motu proprio Principis conceditur, quia tunc ſe habet, veluti Principis beneficium de eius liberalitate procedens, vt habetur *cap. ſi motu de præbend. in 6.* Secundò, quando diſpenſatio eſt in corpore iuris clauſa amplè interpretatur, quia tunc præſumitur motu proprio conceſſa, niſi tendat in præiudicium tertij, quia hoc pacto ſtrictè explicatur; nonnullas alias limitationes vide apud prædictos Authores.

§. II.

Sitne idē aſſerendum de poteſtate diſpenſandi, animo hęſitante, an ad aliquem caſum ſe extendat?

SVMMARIVM

1 *Poteſtas diſpenſandi eſt duplex.*
2 *Amplam, per ſe loquendo, admittit interpretationem.*
3 *Diſpenſatio in fauorem diſpenſaturi, & pro perſonis indeterminatis latè exponitur.*
4 *In dubio cenſetur caſus comprehenſus ſub poteſtate delegata.*
5 *Si tendit in præiudicium tertij ſtrictè declaratur.*
6 *Idem aſſerendum de poteſtate delegata in gratiam perſonæ diſpenſandæ.*
7 *Strictè etiam eſt interpretanda, ſi pro perſona determinata in gratiam delegati concedatur.*

1 VT à certioribus initiũ demus, ſupponendum eſt, ✠ poteſtatem diſpenſandi aliam eſſe ordinariã quæ Epiſcopis, cæteriſq; Prælatis reſpectu ſuorum ſubditorum conuenit, & de hac propriè quæſitum non procedit, cum apud omnes certum ſit, eſſe amplè interpretandam, nam ita bonum commune, & rectum ouium regimen expoſtulat: aliam eſſe delegatam, quæ communicatur ab eo, in quo ordinaria reſidet, & de iſta delegata eſt noſter ſermo. Reſpondeo autem directè ad quæſitum per ſubſequentes concluſiones.

Dicendum eſt primò, Poteſtatem diſpenſã-
2 di, † per ſe loquendo, amplè eſſe explicandam; ita communiter Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 2. num. 1.* & ratio eſt, quia conceſſio talis poteſtatis per ſe loquendo, exiſtimatur purum beneficium Principis, quod latam exigit intrepretationem, continet enim fauorem abſq; odij mixtione, atque adeo extendendum iuxta 15. *regulam iuris in 6.* Dixi, per ſe loquẽdo, nam per accidens interdũ poteſtas iſta erit limitanda, & reſtringenda, vt mox declarabimus.

Dicendum eſt ſecundò, Poteſtatem, quæ cõfertur in gratiam diſpenſaturi, & pro perſonis
3 indeterminatis † eſſe fauorabilem, atq; adeo latè eſſe interpretandam; ſic communiter Doctores *Suarez lib. 6. de legib. cap. 17. num. 11. Sanchez loc. cit. Salas de legib. diſp. 20. ſec. 11. num. 110. Bonacina de legib. diſp. 1. quæſt. 3. p. 7. §. 1. num. 14. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 2. num. 81. & alij.* Probatur concluſio, quia poteſtas iſta cum tali generalitate eſt vtilis cõmunitati, & nemini nocet, proinde eſt purum beneficium, & ideo latè explicanda.

Dicendum eſt tertiò. Ex præcedentibus cõcluſionibus directè colligi reſponſionẽ ad quæſitum, nempè penſatis omnibus, ſcilicet verbis in delegatione contẽtis, & conſuetudine, ſi forſitan adeſt de tali interpretatione, & alijs omnibus circũſtãtijs, ſi, inquam, his omnibus perſpectis, & conſideratis adhuc in dubio verſamur, an poteſtas diſpenſandi extendatur nec ne ad aliquem caſum in particulari, tunc ex principijs iactis debemus determinare caſum illum
4 † comprehendi ſub tali poteſtate, ita Doctores citati; & ratio eſt in promptu, nam, cum ſit fauorabilis eſt amplianda ad caſus dubios; ſicuti ob oppoſitam rationem diximus diſpenſationem vt potè odioſam eſſe ſtrictè ſumendam, & per conſequens in dubio, iudicandum erit non ſe extendere ad caſum illum.

Et hęc dicta ſint, conſiderando ea, quæ per ſe conueniunt poteſtati diſpenſandi, de quibus hactenus loquuti ſumus; at cum concluſiones prædictæ in quibuſdam circumſtantijs locum

non

non habeant;in quantùm poteſtas diſpenſandi
juxta dicta Authorum ſumitur ſtrictè, idcircò
oportet hoc in alijs concluſionibus aperire,
quod nunc præſtabo.

Dicendum eſt quartò, Poteſtatem diſpen-
ſandi, quando tēdit in præiudicium tertiæ per-
5 ſonæ, † eſſe reſtringendam; ſic Authores ſu-
perius laudati, temperantes, ſeu limitantes do-
ctrinam prędictam, & ratio eſt, quia in dubijs
præſumendum eſt, quod Princeps concedens
poteſtatem illam, velit, quantum minimum po-
teſt, lædere ius tertij, & ideo ſi Pontifex conce-
dat Epiſcopo poteſtatem legitimandi, talis po-
teſtas erit reſtringenda, quia in quantùm tendit
in præiudicium alterius continet odium, ratio-
ne cuius erit coarctanda; & ſic de alijs.

Dicendum eſt quintò, quando delegatur po-
teſtas diſpenſandi per facultatem conceſſam
6 ipſimet perſonæ diſpenſandæ, † datur illi fa-
cultas eligendi aliquem, qui ſecum diſpenſet, vt
ſi Pontifex per aliquod Breue concedat Titio
facultatem ad eligendum quemcumq; Confeſ-
ſarium, qui ſibi placuerit, vt ſecum diſpenſet in
tali voto, impedimento ad contrahendum ma-
trimonium, &c. tunc dicendum eſt, talem pote-
ſtatem eſſe ſtrictè explicandam, quia eſt quæ-
dam inchoata diſpenſatio.

Dicendum eſt ſextò, ſi delegatio fiat in gra-
tiam Commiſſarij, ſed nominetur perſona
7 determinata, cum qua diſpenſandum erit, † tūc
eſſe etiam preſsè interpretandam; ita *Felinus
cap. vlt. de ſum. num. 8. limit. 3.* & hoc, quia
cum non ſit generalis, ſed particularis, erit odi-
oſa, ſicuti ipſa diſpenſatio ſingularitatem quam
dam ſapiens.

Ex his autem, veluti ex quibuſdam vniuerſa-
libus principijs reſolui poſſunt quamplures ca-
ſus, quando occurrit difficultas, & dubitatio;
an poteſtas conceſſa extendatur, nec ne, ad ali-
quem caſum in particulari.

§. III.

Duos eodem Epiſcopo generales habente Vicarios, diſpenſationem Pontificiam ad Vicarium, nomine minimè expreſſo, directam, vter ex illis exequi debeat?

SVMMARIVM.

1 *Si ex duobus vnus eſt principaliter Vicarius,
illi delegatio commiſſa præſumitur.*
2 *Si æquè principales, in dubio ad delegantem
eſſe recurrendum exiſtimarunt aliqui.*
3 *Alij putant eum eſſe delegatum, quem actor
eligit.*
4 *Nonnullis placuit ſorte id eſſe determi-
nandum.*
5 *Neutrum eſſe Iudicem cum effectu.*
6 *Impugnatur diſparitas Beroi.*
7 *Obijcitur ex iure Canonico, & ſoluitur.*
8 *In delegationibus non contentioſis illum eſſe
Iudicem, cui reſcriptum præſentatur, cen-
ſuit Thomas Sanchez, eius tamen ratio non
placet.*
9 *Efficaciori ratione probatur.*

1 SI alter ex illis duobus eſt † prin-
cipalior, etiam ſi in delegatio-
ne nullus determinatè explicetur
commiſſionem intelligendam
eſſe directam Vicario principa-
liori: ita *Gloſſa in clem. 2. de re-
ſcript. §. Principalis, & in cap. quoniam Abb.
de offic. & poteſt. Iud. delegat. §. ſubſtitutum.
Ver. (ſed pone, quod plures)* loquens de Ar-
chidiaconis, quando plures ſunt; *Baldus in
cap. quoniam, citato num. 4. Sanchez lib. 8. de
matrim. diſp. 27. num. 36. Phyrrus Corradus in
praxi diſpenſ. lib. 7. cap. 4. num. 46.* Et ratio eſt:
quia cum ſola dignitas in commiſſione expri-
matur; nomen abſolutè prolatum ſtat pro prin-
cipaliori ſignificato, & de hoc puncto nequit
eſſe difficultas, quę tamen habetur, quando duo
illi Vicarij, ſeu quicumq; alij officiales, ſunt
æquè principales, nullam inuicem habentes de-
pendentiam, & neq; ex proprio nomine, neque
ex verbis colligi poſſit, vtri facta ſit commiſſio,
ſed intellectus anceps maneat. In hoc caſu ali-
2 quibus placet † eſſe recurrendū ad Principem
delegantem, v. g. ad Papam, ſi ipſe fuit delegās,
vt declaret, de quo ſenſerit. Alij verò aiunt, ad
illum cenſendam eſſe directam legationem, †
3 quem actor elegerit, ſic *Gloſ. vt ſupra, ca. quo-
niam.* quia in litterarum impetratione talem
delegatum cenſetur fuiſſe electum: Et ſi vlte-
rius quis petat quid reſoluendum, ſi inter par-
tes, in hoc pūcto, ſit diſſenſio, reſponderi poſ-
ſet, tunc illum eſſe exiſtimandum Iudicem, cui
primò delegatio fuit præſentata. Sed alijs pla-
4 cuit ſorte hoc eſſe dirimendum: † hanc opi-
nionem refert *Berous ſuper illud capite. nu. 71.
§. Nec placet, & num. 74. §. Non placet;* eam
verò reijcit, & meritò, quia Iudices delegati
dari debent à Superiore, & non à ſorte:
Poſt longam autem diſcuſſionem *ipſe Berous*
videtur velle omnes ſub eodem nomine appel-
latiuo comprehenſos, eſſe Iudices: ſic *à num.
77. vſque ad 81. incluſiuè.*

5 Dicendum eſt primò. † Neutrum ex illis eſ-
ſe Iudicem cum effectu, donec Princeps decla-
ret, quem ex illis elegerit: ſic *Sanchez loc. cit.* &
apud ipſum *Hoſtienſes, & quamplures alij Ca-
noniſtæ;* quam ſententiam probant *per textum
in l. Duo ſunt Titij de teſtamentaria tutela,* vbi
ponitur caſus, in quo teſtator reliquit Titium
in tutorem, & ſi nequeat deprehendi, vtrum
ex illis duobus nominatè voluerit teſtator, non
deficere ius, ſed probationem, neutrum tamen
eſſe tutorem; ſic in caſu noſtro, niſi appareat

vtri

veri ex illis duobus Vicarijs Pontifex cauſſam delegauerit, recurrendum eſt ad ipſum delegantem, vt tollat dubitationem, & interim neutrũ poſſe procedere: Et ratio omnium eſt, quia identitas illius nominis, ſiue officij impedit quin potiùs vni, quàm alteri cauſſam delegatã fuiſſe determinemus. Nec valet diſparitas, quã dat *Berous num. 81. ver. (Et præſertim)* dicens in caſu illo eſſe expreſſum nomen proprium, quod vniuerſali non æquipollet; in caſu autem noſtro, appellatiuum vniuerſali eſſe æquiualẽs;
6 † non valet, inquam, quia non video ſufficiens fundamentum diſparitatis, & quid in hoc operetur nomen eſſe proprium, aut appellatiuum; nam incertitudo, quæ eſt cauſſa proxima, vt interim neuter procedat, eodem modo ſe habet, ſiue proueniat ex vno, ſiue ex altero nomine; æquipollentia autem illa nihil ſuffragatur, quia vtrique quædam conuenit communitas, & vniuerſalitas; nam hoc nomen, Titius, licet indiuiduo attribuatur, nihilominùs cum plures ſint Titij, de omnibus prędicari poterit, tamquam Indiuiduum vagum, cuius prædicatio à logicis ad ſpeciem reducitur.

7 Dices: † *in cap. Ad hæc, & cap. finali de reſcriptis* ſtatuitur nullius valoris eſſe litteras, ſi incertitudinem Iudicis contineant: ergo & idem in caſu noſtro erit aſſerẽdum. Reſpõdeo, negando paritatem. Diuerſa enim erit incertitudo; nam illa eſt de Iudice incerto ex incertis, iſta de incerto ex certis; proinde meritò illa cauſſat reſcripti inualiditatem, quoniam nullũ habet fundamentum, ex quo certitudo oriatur; iſta verò licet careat proxima certitudine, includit tamen remotam, nempè tale determinatũ officium; & ſic maior ratio eſt vnius, quàm alterius, & præſertim quia ex illa incertitudine prouenire poſſunt varia incommoda; nam cum nominatus ſit Iudex incertus ex incertis, poſſet pars aduerſa eligere, quem maluerit ex Ciuitate, & Prouincia, & aliquem ſuſpectum alteri parti, vel imprudentem, ignarum, &c. quod nõ ita contingit, aut ſaltem non ita facilè, cum nominatur ille, qui eſt in tali determinata dignitate conſtitutus.

Dicendum eſt ſecundò, † quando non agi-
8 tur de legationibus, & commiſſionibus contentioſis, ſed gratuitis, in quibus nulla eſt pars aduerſa, tunc illum eſſe Iudicem vult *Sanchez, ex Gloſſa*, cui reſcriptũ præſentatum fuerit. Sed niſi aliud addatur, ratio aſſignata difficultatem patitur, quia incertitudo cum procedat à Principe delegante, à cuius voluntate totaliter dependeat commiſſio, & delegatio, non apparet qua ratione ſubditus poſſit tollere per præſentationem reſcripti incertitudinem, & applicare delegationem tali determinatę perſonæ; nam applicatio iſta videtur eſſe actus iuriſdictionis, atq; adeo ad eum pertinere, in quo reſidet iuriſdictio, & poteſtas delegandi cauſſam; igitur nil referre videtur nullam eſſe perſonam, quæ vitium incertitudinis excipiat, quando re vera extat tale vitium: Quapropter ſi hanc opinionem *Gloſſæ* ſequi velimus, vt eam ſequitur Sã- *chez, & alij*, firmiori argumento eam fulcire
9 debemus. † Ratio igitur, quæ mihi occurrit, eſt, quia cum reſcriptum, vt ſupponimus, ſit gratioſum, & conceſſum ad ſolam inſtantiam petentis, verbum illud ęquiuocum, nempè, Vicario committimus, &c. poteſt æquè benè in quolibet illorum duorum verificari; nam dignitas Vicariatus v. g. in ſingulis ſufficienter inuenitur: hinc eſt, vt ſubditus, in cuius fauorem reſcriptum conceſſum fuit; poſſit eligere quem maluerit ex illis.

§. IV.

In dubio an diſpenſatio ſit valida, quid determinandum?

SVMMARIVM

1 *Ponitur diuerſitas capitum, ex quibus dubium emergit.*
2 *Quando reſultat ex parte Superioris reſpondetur cum diſtinctione.*
3 *Etiam eſt diſtinguendum, ſi dubitatio oriatur ex parte cauſſæ, ob quam procedit diſpenſatio.*
4 *Dubium ex parte cauſſæ, vel refertur ad qualitatem, vel ad exiſtentiam ipſius cauſſæ.*
5 *Dubio exiſtente an caſus particularis ſub diſpenſatione comprehendatur, negatiuè eſt decidendum.*
6 *Si ambiguitas eſt de taciturnitate veritatis, aut expreſſione falſitatis, præſumptio erit pro diſpenſationis valore.*
7 *In dubio eſſe præſumendam finalem aliqui cenſent.*
8 *Alij verò impulſiuam.*
9 *In odioſis finalem, in fauorabilibus impulſiuam eſſe præſumendam determinat Author*
10 *Limitatur concluſio.*

EX pluribus capitibus prędictum
1 dubium oriri poterit. † Primò ex parte Superioris diſpenſantis, in quantùm defectus in eo apprehenditur, & dubitatur inueniri. Secundò, ex parte cauſſæ, ob quam petitur diſpenſatio. Tertiò, ex parte ipſius diſpenſationis; ideo ſecundum varietatem dictorum capitum, variæ adhibendæ ſunt reſponſiones.

Ex parte Superioris dubitatio poteſt prouenire ex defectu poteſtatis, an ille diſpenſans re vera ſit legitimus Superior, nec ne? & tunc eſt
2 diſtinguendum, † ſi ille eſt in poſſeſſione Superioratus, tunc pro eo eſt dicendum, atq; adeo valida eſt iudicanda diſpenſatio, quia Superior nequit ſua poſſeſſione ſpoliari, quam pacificè ingreſſus eſt, priuſquam conſtet de oppoſito; idcirco, vt ſubditus recta conſcientia va-

valeat vti diſpenſatione illa, oportet priùs diligentiam facere ad dubium expellendum, qua diligentia adhibita, ſi dubium adhuc perſeuerat, eſt deponendum: at ſi Superior adhuc non eſt in legitima poſſeſſione, ex quocumq; capite id oriatur, tunc non poterit diſpenſatus vti illa diſpenſatione ob periculum tranſgrediendi legem, cum nullum habeat morale principium deponendi illud dubium; ſic ex *Sanch. lib. 4. in decal. cap. 44. num. 20. contra Mediuam* vniuerſaliter dicẽtem in tali caſu numquam licitè vti poſſe diſpenſatione illa *in tract. de pœn. qu. de diſp. ſuper confeſſ. reuelanda in fine.*

3 Ex ſecundo capite † dubitatio prouenire
poterit ex parte cauſſæ, quatenus diſpenſandus dubitat, an cauſſa diſpenſandi ſit ſufficiens nec ne; & tunc ſi cauſſa proponatur à ſubdito, & ea audita, Superior diſpenſet, tutus erit ſubditus eâ vtens diſpenſatione, ſic docet S. *Thomas* 2. 2. *qu. 88. art. 12. ad 2. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. § 9. notan. 3. Syluest. ver. votum 4. qu. 6. Suar. to. 2. de Rel. lib. 2. de diebus feſtis cap. 32. num. 3. & alibi:* Idem etiam tenet *Sanchez libr. 4. in decal. cap. 44. num. 6. & quamplures apud ipſum.* Et ratio eſt, quia ſubditus bona fide procedens, prudenter poteſt ſe remittere iudicio ſui Superioris, at ſi quis petat, an Superior in
4 cauſſa dubia diſpenſans peccet? Reſpondeo †
cum diſtinctione, nam dubium circa cauſſam, ob quam eſt diſpenſandum, poteſt referri, vel ad qualitatem, vel ad exiſtentiam cauſſæ. Primo modo contingit, quando certum eſt dari aliquam cauſſam, & ſolùm dubitatur, an ſit talis, vt poſſit Superior diſpẽſare, & in hoc caſu tuto poſſe abſq; vllo peccato concedi diſpẽſationem, vt determinat *Sanchez loc. cit. cap. 45. n. 10.* contra *Ioann. Mediu.* & ratio eſt, quia ſuaue regimen Eccleſiæ hoc expoſtulat, & nimis oneroſum eſſet Prælatis, ſi ad diſpenſandũ in lege Superioris, requireretur cauſſa manifeſta, & euidenter ſufficiens; ideoq; ferè numquã inducerentur ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis; hanc ſententiam docet *Syluest. & Palatius apud eumdem Sanchez*: at ſi dubium ſecundo modo procedat, ſcilicet, vt verſetur non circa qualitatem cauſſæ, ſed circa eius exiſtentiam, tunc Prælatus non poſſet diſpenſare, vt notat *ibidem Sanchez*, quia poteſtas diſpenſandi in lege Superioris neceſſariò cauſſam expoſtulat. Ex tertio deniq; capite conſurgere poteſt dubitatio ex parte ipſiuſmet diſpenſationis, an ſcilicet extendatur ad hunc caſum, & quia dubitatio iſta multiplex eſſe poterit; idcirco omnia ſunt diſcutienda; & primò aio, ſi dubium erit non de aliquo defectu, ex quo oriri poſſet inualiditas, ſed ſolùm an præſcindendo à tali defectu, ipſa ſecũdum ſe, vt verba ſonant, com-
5 prehendat hunc caſum determinatum, † reſ-
pondendum erit negatiuè, & hoc ob rationem generalem; nam diſpenſatio, cum ſit odioſa, eſt reſtringenda, & non amplianda, vt docent cõmuniter Doctores, & de hoc puncto *Decius c. ſi Clerici. §. de Adulter. de Iud. Zuuica de voto quaſt. 6. num. 37. Sanchez loc. cit. nu. 8. Merolla tom. 2. d. 4. dub. 2. corol. 2. num. 89. & alij:* E. C. ſi Pontifex diſpenſet alicui in voto Caſtitatis, vt matrimonium celebret, & dubium ſit, an Pontifex voluerit diſpenſare totaliter, an verò ſolùm ad effectum ineundi matrimoniũ, iudicandum eſt, diſpenſationem non eſſe totalem, neq; ſe extendere, niſi ad illum vnicum effectum; & ſic in alijs ſimilibus: Si autem dubitatio oriatur ex eo, quod diſpenſatus dubitat, an tacuerit verum, vel falſum expreſſerit in ſua
6 petitione: † tunc præſumptio erit pro valore
diſpenſationis, quia ius non præſumit delictum vt habetur *L. meritò ff. pro ſocio.* Rurſus poterit eſſe aliud dubium, nimirum, ſi interpetrans certus ſit, ſe verum aliquod tacuiſſe, aut falſum expreſſiſſe, ſed dubitet, pẽſatis omnibus an cauſſa illa, quam tacuit, aut falſum, quod expreſſit, fuerit cauſſa finalis, aut ſolum impulſiua; nàm ſi eſſet finalis, irrita eſſet diſpenſatiò, non autem ſi eſſet impulſiua.

7 In hac re duæ ſunt ſententiæ: † Prima aſſe-
rit præſumendam finalem: ſic *Baldus conſ. 338 num. 2. vol. 5. Abbas in cap. Quia circa nu. 6. in fine de conſangu. & ibidem Alexander de Neuo num. 6. Villal. in ſum. tom. 1. tract. 2. diff. 43. num. 7. & alij apud Sanchez lib. 8. de matr. d. 21. num. 20.* Ratio pro hac ſentẽtia eſt, quia lex eum ſit veluti in poſſeſſione, & diſpenſatio non ſit omninò certa, nequit vi diſpenſationis vigor legis auferri.

8 Secunda ſententia † oppoſitum tuetur, vult
enim cauſſam illam in dubio eſſe præſumendã impulſiuam, & non finalem; ideoq; diſpenſationem non corruere: ſic docet *Sanchez l. c. Caſtropal. in oper. moral. tom. 1. tract. 3. d. 6. p. 16 §. 5. num. 3. Menochius conſil. 106. num. 91. vol. 2. & alij*, quos refert *Diana par. 4. tract. 3. reſol. 64.* hæc ſententia probatur, quia in dubijs pro valore actus eſt præſumendum, Ius enim maximè fauet validitati actus.

9 Verũ mihi media via † incedendum videtur,
idcirco aio; quãdo diſpoſitio eſt odioſa, & ſtrictè eſt interpretanda, in dubijs potiùs cauſſam finalem, quàm impulſiuam eſſe præſumendam, & in hoc caſu magis placet prima ſententia, cuius fundamentum nihil aliud probat, & quia per ſe loquendo diſpenſatio odium continet, quatenùs exorbitat à iure, ſeu vt dici ſolet, eſt vulnus iuris; ideo preſsè eſt explicanda, & potiùs finalis, quam impulſiua præſumi debet: Neq; ratio pro ſecunda ſententia mihi videtur oppoſitum ſuadere; nam & ſi in dubijs pro valore actus ſit iudicandum, nihilominus hoc nõ habet locum, quando ſumus in odioſis, aliter numquam contingeret diſpenſationes in dubio præſumendas eſſe inualidas, quoniam poſſet quis dicere in dubio præſumendum eſſe pro validitate actus diſpenſationis, quod tamen nemo aſſerit.

Limitandam tàmen cenſeo hanc doctrinam
10 caſu, † quo poſſeſſio eſſet pro contraria par-
te, & dubium poſtea ſuperueniret. V. G. Si quis vi alicuius diſpenſationis matrimonium bona fide ineat, & poſtea ſuperueniat dubium de valo-

valore diſpenſationis, ſi adhibito examine, dubium adhuc perſeueret, tunc in fauorem matrimonij eſt præſumendum, & iudicandum; nam quamuis diſpenſatio, per ſe loquendo, ſit odioſa, nihilominùs fauet illi poſſeſſio bona fide inchoata, & ſic in alijs ſimilibus. At ſi diſpoſitio eſt fauorabilis, & per conſequens amplam admittit interpretationem, tunc in dubio cauſſa præſumenda erit impulſiua, & non finalis, vt vult ſecunda ſententia, & eſt ſtandum pro valore actus.

§. V.

Irrita ſit ne habenda diſpenſatio, ſi deprehendatur non potuiſſe Prælatum diſpenſare?

SVMMARIVM.

1 *Dubitatio an Superior diſpenſans fuerit, nec ne, legitimus, non tollit valorem diſpẽſationis? putat Thomas Sanchez.*
2 *Detecto tamen errore cenſet corruere diſpenſationem.*
3 *Idem aſſerit, quando dubium erat de enarratione veritatis, vel an cauſa fuerit, nec ne finalis, aut impulſiua.*
4 *Non corruere diſpenſationẽ determinat Author, quando dubium non verſatur circa ſubſtantiam, ſed ſolùm circa extenſionem poteſtatis, aut ſufficientiam cauſæ.*

SI dubium erit de poteſtate Superioris, an fuerit legitimus, nec
1 ne? ✠ non perire diſpenſationem vult Sãchez *lib. 4. in decal. cap. 44. nu. 10.* quia ſi Superior ille, qui diſpenſauit, habebat titulum, licet inualidum, ratione alicuius vitij occulti, ſed communiter exiſtimatum legitimum, geſta à Superiore habente titulum coloratum, valida erunt, *per textũ in l. Barbar. ff. de off. præt.* Si poſtea verò detegatur nullum habuiſſe titulum corruere diſpenſationem, & hoc dictum ſit poſita ſententia, quæ neceſſariò requirit titulum ſaltem coloratum, & negat ſufficere communem errorem abſq; titulo, eo modo, quo nos declarauimus rem hanc *in explicatione Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 5. c. 1. ſect. 12. nu. 157.* at iuxta aliam opinionem, quam *ibi* ſequuti ſumus, quæ ait ſufficere communem errorem
2 abſq; titulo, † Dicendum eſt, perire diſpenſationem illam, ſi deprehendatur non fuiſſe communem errorem circa poteſtatem illius Superioris, ſed ſolùm fuiſſe errorem in Superiore diſpenſante, & in quibuſdam alijs tantùm, non ſufficientem, ad hoc vt poteſtas cenſeatur collata tali homini.
3 Et idem aſſerendum eſſe docet *Sanchez,* † ſi dubium oriatur ratione tacitæ veritatis, aut falſitatis expreſſæ, vel an cauſſa expreſſa fuerit finalis, aut impulſiua, tunc ſi manifeſtatur veritas contraria, irrita erit diſpenſatio, quia cum hæc non pertineant ad poteſtatem Superioris, quæ in bonum Eccleſiæ debet amplam explicationem habere, ſed ſpectent ad voluntatem Superioris, qui intentionem habet diſpenſandi iuxta veritatem, quæ ſibi proponitur, idcirco, ſi deeſt veritas, inualida erit diſpenſatio.
4 Cæterum ſi dubium non verſetur circa † ſubſtantiam poteſtatis illius, qui diſpenſat, vt ſic, ſed ſolùm circa eius extenſionem ad hunc determinatum caſum, vel circa ſufficientiam cauſſæ, diſpenſationem non corruere, detecta veritate in contrarium, exiſtimat *Sanchez loc. cit.* ſi bona fide proceſſum ſit, quia in his dubijs diſpenſatio eſt à legitima poteſtate illius, qui abſolutè, & non conditionatè diſpenſationem conceſſit, eiuſque valor non dependet ab euentu futuro, & hoc exigit bonum regimen Eccleſiæ ad vitandos innumeros ſcrupulos, qui aliàs oriri poſſet: ſic ex *Sanchez* probabiliter diſcurrimus.

§. VI.

Temporis diuturnitas eſt ne ſufficiens ad deponendum dubiũ an interuenerit, nec ne, aſſenſus Apoſtolicus in alienatione rei Eccleſiaſticæ?

SVMMARIVM

1 *Aperitur caſus.*
2 *Videntur alienationes inualidæ.*
3 *Decurſu ſufficienti tempore præſumitur præceſſiſſe aſſenſum Apoſtolicum.*
4 *Aliqui triginta annorum ſpatio contenti ſunt*
5 *Alij requirunt tempus immemorabile.*
6 *Refertur opinio Mareſcotti.*
7 *Proponitur alius caſus.*
8 *Si agitur de modico præiudicio ſufficit tempus decem annorum.*
9 *Si ius tollit præſcriptionem non præſumitur aſſenſus apoſtolicus.*
10 *Quando non prohibetur præſcriptio requiritur tempus immemorabile.*
11 *Limitatur hæc opinio.*

1 SOLET ✠ interdum contingere, vt in quibuſdam antiquis rerum Eccleſiaſticarum alienationibus nõ reperiatur aſſenſus Sũmi Pontificis concedentis, ſeu diſpenſantis, vt non obſtantibus decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, poſſint bona ſub

aliqua Eccleſiaſtica alienari; proinde dubitatio inſurgit, an prædictæ alienationes inualidæ,
2 necne, cenſendæ ſint? † videtur enim ita eſſe, quia licentia Pontificis, cum in hac materia pertineat ad ſubſtantiam, & ſit quid facti, debet probari, & dum non probatur, conſiſtere non poteſt alienatio ipſa; ſed quæſitum diſtinctione aliqua eſt à nobis reſoluendum.

Dico igitur primò, ſi ſufficiens tempus ad præſumendum aſſenſum prædictum ſit elapſum,
3 † tunc dubium deponi poterit, iudicando præceſſiſſe licentiam, atq; adeo validam eſſe alienationem illam. Probatur concluſio, quia ſolẽnitates ex ſufficienti temporis diuturnitate interueniſſe præſumuntur: ſic docet *Felin. in ca. Albericus nu. 4. ver. (Et hinc eſt,) & n. 5. ver. (ſi autem inſtrumẽtum) de teſt. & atteſt.. Imola in cap. ea noſcitur: de his, quæ fiunt à præl. n. 14. ver. ſi vero non eſſet recens; & ver. ſi autem regulariter, Riccius in deciſ. Cur. Archiepiſc. Neapol. p. 2. deciſ. 114. Ioannes Mar. Nouar. in quibuſdam ſuis allegat. inſertis apud prædictã Riccij deciſionem.* Ratio autem fundamentalis huius rei eſt, regula quædã Iuris, videlicet, *quod de iure adeſſe debeat, præſumitur adfuiſſe*, vt notat *Baldus l. cum in teſtamento §. hæc verba ff. de hæred. inſti.* ſicuti ob eamdem rationẽ; ſi eodem die apparet collatio beneficij Eccleſiaſtici, & promotio ad Clericatum, iſta præceſſiſſe præſumitur, quia præcedere de iure debebat, vt docet *Caſſadorus deciſ. 20. de præben.* & ante Eccleſiæ erectionem præſumitur anteceſſiſſe vnionem beneficiorum eidem Eccleſiæ eodẽ die factã, vt docet *Creſcen. deciſ. 6. de præſũpt. apud Ricc. vt ſup.* & ante mortẽ impetrationẽ beneficij anteceſſiſſe, ſi vtraq; eodẽ die acciderit; & ſic de alijs ſimilib⁹. ita in caſu noſtro cum valor alienationis dependeat ab aſſenſu Apoſtolico, præſumitur hunc adfuiſſe, ante realem alienationem, niſi alia fortior præſumptio contrarium oſtendat, vt eſſet, ſi longitudo temporis à die alienationis minimè haberetur, quia tunc præſumeretur, aſſenſum Papæ non præceſſiſſe; cum enim diuturnitas temporis non haberetur, non ſolùm ceſſaret præſumptio, quæ ex illa reſultare poterat, ſed contraria emergeret præſumptio; nam ſi obtenta fuiſſet licentia, cum hæc in ſcriptis concedi ſoleat, non videretur probabile, deperditam fuiſſe intra breue tempus, & totaliterè memoria hominum excidiſſe. Difficultas autem eſt in determinanda quãtitate huius temporalis diuturnitatis, quæ eſt neceſſaria ad præſumendum pro valore alienationis, de qua re vario modo loquuntur Authores, inter quos eſt *Riccius*,
4 *qui reſoluit loc. cit.* † triginta annorum ſpatium eſſe tempus diuturnum ad hunc effectum, nempè ad generãdam præſumptionem pro validitate alienationis, idem aſſerit *Felinus nu. 5. cit.* quando agitur de graui alterius tertij
5 præiudicio. Alij vero videntur † velle tempus excedens hominum memoriam eſſe neceſſarium, vt eſt tempus centum annorum: ſic videtur aſſerere *Baldus conſil. 381. volum. 3. libro ſecundo. Menochius conſil. 90. numero. 29. & 44.*

6 Placet etiam hic referre opinionem † *Mareſcotti libr. 1. var. reſolut. cap. 13.* vbi plures ponit caſus, & primus eſt, quando agitur de alienatione rerum, in quibus ius non ſolùm reſiſtit, ſed etiam prohibet, & irritat præſcriptionem, vt eſt decimarum infeudatio reſpectu Laicorum, vt patet ex *capite prohibemus de decimis, & cap. Dudum de decimis. cap. cauſſam de præſcript.* In his autem capitibus tollitur quælibet præſcriptio, per quam Laici poſſent ſibi acquirere ius ad exigendas decimas; & hoc ratione ſpiritualitatis, quę in iure percipiendi inuoluitur. In hoc autem caſu determinat Author iſte numquam præſumi Apoſtolicam confirmationem, allegat Rotam, & aſſignat congruam rationem; quia per prædicta iura ablata eſt præſcriptio quocumque tempore elapſo; ita cenſetur ablata vis inducendi præſumptionem de aſſenſu Apoſtolico: Vana enim eſset diſpoſitio prædictorum iurium præſcriptionem auferentium, ſi decurſu temporis poſset quis excipere præſumptionem confirmationis Pontificię; & idẽ
7 docet *Menochius l. 3. præſumpt. 13.* † Secundus autem caſus eſt, quando dubitatio verſatur circa alienationem alicuius rei, cui, licet ius reſiſtat, non eſt tamen præſcriptio prohibita, & tunc prædictus *Author num. 12.* diſtinguit; aut cum temporis lapſu nulla concurrit obſeruatio contractus, ſed ſolùm allegatur diuturnitas temporis: aut concurrit etiam obſeruatio. Si primum, requiruntur centum anni; vt
8 tradit *Gabriel conſil. 6. num. 52. libr. 2.* † Si ſecundum, vel agitur de modico præiudicio tertij, & tunc ad præſumendam ſolemnitatem ſatis ſunt decem anni. Si vero de graui præiudicio agatur cum obſeruatione, requirũtur triginta anni; aduertit etiam *num. 13. & 14.* Obſeruationem hanc eſse debere certam, & manifeſtam, ita vt non ſufficiat præſumpta, ne fundetur vna præſumptio ſuper aliam, nempè obſeruatio, ſeu actus geſtus, & aſsenſus etiam Apoſtolicus. Hæc eſt opinio Mareſcotti, in cuius declaratione multa alia miſcet. His omnibus præhabitis.

Dicendum eſt primò, ſi Ius tollit præſcrip-
9 tionem † nequit legaliter præſumi aſsenſus Apoſtolicus, & hoc ob rationem à Mareſcotto aſſignatam.

10 Dicendum eſt ſecundò: Quando † non prohibetur præſcriptio, requiritur tempus, cuius initij memoria non eſt, quale eſt tempus centum annorum, vt illud declarat *Maſcardus de probation. concluſ. 1214. numero 53. volum. 3.* non autem ſatis eſt minus temporis ſpatium. Probatur concluſio, quatenus affirmat tale tempus eſse neceſſariũ, probatur, inquam, quia minus tempus non videtur ſufficiens fundamentum, ex quo deſumatur præſumptio prædicta; facilè enim poſset in tempore minori notitia haberi de aſſenſu Apoſtolico, vel per aliquod inſtrumen-

mentum, vel ex aliorum fide dignorum atteſtatione: contra verò, quando eſt tempus immemorabile, tunc poſſet prudenter præſumi inſtrumentum deperditum, aut diuturnitate temporis deceſſiſſe à memoria hominum licentiam à Summo Pontifice obtentam.

15 Limitanda tamen † videtur opinio iſta requirens immemorabile tempus, quando ob aliquod infortunium belli, aut incendij, ſcripturę in publico archiuio ſeruatæ, deperditæ, aut combuſtæ fuiſſent; & aſſenſus Apoſtolicus, ſicuti & reliqua ſimilia inſtrumenta in eodem loco reponi ſolita fuiſſent. In hoc igitur caſu, ſi quis alienauit, & allegaret aſſenſum Apoſtolicum interueniſſe, cenſeo præſumptionem eſſe pro illo, atq; adeo in eius fauorem, dubium de interuentu prædicti aſſenſus, eſſe deponendum, practicè credendo ſollemnitatem hanc præceſſiſſe, & per conſequens validã eſſe alienationem illam &c.

CAPVT VI.

Quæ in Beneficiorum Eccleſiaſticorum ratione conſcientiam efficiunt ſollicitam, enodantur.

Dubia, quæ ex parte conſcientiæ ſuboriri poſſunt circa materiam beneficiorum Eccleſiaſticorum in hoc capite examinabimus, ſeligentes ea, quæ ſæpius occurrere ſolent. Sit igitur

§. I.

Dubitationẽ occurrente, an beneficium ſit Regulare, an Sæculare; ſimplex, an curatum, quid decidendum?

SVMMARIVM.

1 *Beneficium, non Regulare, ſed Sæculare, in dubio, præſumitur.*

2 *Regularitas eſt accidens beneficio ſuperueniẽs ideoque probanda.*

3 *Simplex, & non curatum in ambiguis cenſendum.*

Dicendum eſt, ſi adhibita diligentia veritas haberi non poterit, in dubio
3 beneficium ✠ præſumendum eſſe Sęculare, & non Regulare: ſic docent *Nau. de prab. in antiq. edit. conſil. 8. n. 1. in moder conſ. 3. Maſc. de prob. cõcl. 572. Garz. de benef. p. 7. cap. 9. num. 11. Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 57. num. 163. & de iure Eccl. lib. 2. cap. 4. num. 41. & quamplures alij.*

Huius concluſionis fundamentum eſt, quia
2 eſſe Regulare eſt quædam qualitas, † quæ accidit beneficio Eccleſiaſtico, eiq; ab initio minimè ineſt; nam à principio fuerunt inſtituta Sæcularia, vt probat *Barboſa loc. cit.* qualitas autem rei ſuperueniens eſt probanda, & non præſumẽda, vt rectè animaduertit *Menoch. lib. 1. præſump. qu. 25. num. 53.* Et hęc de prima quęſiti parte; quod vero ad aliam partem pertinet.

3 Dicendum eſt ſecundò. † ſimplex eſſe exiſtimandum: ita *Guttierres alleg. 8. num. 5. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloſſa 6. num. 91. & alij,* quos ſequitur *Diana par. 4. cap. 3. reſol. 74*

§. II.

Exiſtente animi hæſitatione, an Ius patronatus ſit ne erectum, & ex quibus bonis, Eccleſiaſticis, an vero patrimonialibus, quid iudicandum?

SVMMARIVM.

1 *Beneficium erectum non præſumitur, niſi cõſtet*

2 *Ex patrimonialibus, & non Eccleſiaſticis bonis erectum præſumitur, ſi de eo Laicus in poſſeſſione reperiatur, ſecùs ſi Eccleſiaſticus poſſideat.*

QVOAD primum, negatiuã partẽ
1 ✠ amplectitur *Ricc. p. 3. deciſ. 13. n. 1.* & citat *Maſcar. alioſque* Ratio aũt eſt, quia per fũdationem iuris patronatus bona, ſuper quibus fundatur, fiũt ſerua, quod eſt valde odioſũ, ideoq; non præſumitur; nã præſumptio eſt pro libertate, & pro illa decidendum. Et hæc ſententia eſt tenenda.

Quoad ſecundum deciſio quæſiti huius maximè facit ad reſeruationẽ octauæ regulæ Cãcellariæ, nã ſi præſumitur erectũ ex bonis Eccleſiæ, erit Eccleſiaſticũ; ac proinde contentum ſub reſeruatione, contra verò ſi præſumatur ex bonis patrimonialibus erit laicale, & per conſequens nõ comprehensũ ſub reſeruatione illa.

2 Procedendũ igitur eſt cũ diſtinctione: † ſi Patronus Laicus ſit in quaſi poſſeſſione patronatus, tunc præſumitur ex bonis patrimonialibus fundatum, ſecùs autem ſi Eccleſiaſticus ſit in poſſeſſione: ita docent *Puteus deciſ. 228. lib. 1. & deciſ. 90. lib. 3. alijque*, quos laudat, & ſequitur *Gonzalez ſup. reg. 8. Cancel. gloſ. 18. in fine.*

§. III.

Quando non liquet, an quis fundauerit Ius patronatus, quod poſſidet, præſumi ne debet vſurpatum?

S V M M A R I V M.

1 *Aperitur occaſio inſtituendi quæſitum.*
2 *Etus vſurpatio reſpectu priuatarum perſonarum non præſumitur.*
3 *Qualitas priuatam conſtituens perſonam declaratur.*
4 *Si ambiguitas verſetur circa Potentates præſumitur vſurpatio.*
5 *Potentates ydem ſunt, ac Magnates.*
6 *Vniuerſitates in ordine ad præſumendum Magnatibus æquiparantur.*
7 *Quando lis non eſt cum Eccleſia, ſed inter ipſos patronos, non requiritur adeo exacta probatio.*

1 OCCASIONEM ✠ inſtituendi præſens quęſitum exhibet nobis *Concilium Tridentinum ſeſſ.25 de refor.cap.9*, vbi nonnulla ſtatuit circa beneficia, quæ sũt de iure patronatus, volens duo inconuenientia vitare, videlicet, ne iura patronatuum tollantur, & ne beneficia Eccleſiaſtica in ſeruitutem redigantur. Quærimus igitur, an beneficium aliquod poſſeſſum à Titio v.g cenſeatur vſurpatum; ſi ab ipſo Titio non oſtendatur titulus, hoc eſt; nõ probetur poſſeſſio, vel fundatione; vel donatione per authẽticũ inſtrumentum, vel ex multis præſentationibus, quæ per longiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, fuerunt ab ipſo Titio factæ, & ab eius prędeceſſoribus.

Dicendum eſt primò: De perſonis priuatis
2 † non præſumitur vſurpatio Iuris patronatus: ita docet *Barboſa de poteſt.Epiſc.p.2.allegac. 72.num 64.& ſequen.* & pro hac concluſione nõ nullas refert deciſiones Rotæ Romanæ, nomine autem priuatarum perſonarum intelligi-
3 mus eas, † quę non ſunt domini temporales illius loci, in quo reperitur Ius patronatus, in his igitur non præſumit Ius talem vſurpationẽ, quę certò conſtare debet, & ratio deſumitur ex communiter accidentibus; nam exceſſus iſte in vſurpatione cõſiſtens; ordinariè loquendo, ſupponit authoritatem in perſona vſurpante, cui alij reſiſtere nequeunt, vel eam impedire non poſſunt; huiuſmodi autem authoritas ceſſare ſolet in perſonis priuatis, quæ nullum habent dominium in loco iuris patronatus; proinde ſi in poſſeſſione inueniuntur, non debent ea ſpoliari, excipiendo præſumptam vſurpationem, tenẽtur tamen hę perſonę oſtẽdere authentica inſtrumenta iuxta formam Tridentini de vero titulo iuris patronatus.

Dicendum eſt ſecundo: In Potẽtatibus præ-
4 ſumi vſurpatum: † ſic affirmat *Puteus deciſ. 57.58.& 205 par.1. Riccius p.4.collect.1240 Barboſa de poteſt.Epiſc.loc.cit.& quamplures apud eumdem*; & ideo exactior probatio requiritur facienda ab his Potentatibus ad hoc, vt præſumptio vſurpationis euincatur, & non ſatis eſt probatio temporis immemorabilis, ſed præter alia neceſſaria exiguntur cõtinuatę prę- ſentationes, non minores ſaltem quinquaginta annorum ſpatio, & quæ omnes ſortitę ſint effectum, ita diſpoſuit *Concil. loc.cit.*

Dicendum eſt tertiò: Perſonæ, in quibus locum habet præſumptio iſta, licet à Concilio non exprimantur, ponuntur tamen à Doctori-
5 bus, † & aiunt eſſe omnes Magnates iuriſdictionem temporalem habentes: ſic *Barboſa loc. cit num.63. & 65. ex deciſione S. Congreg. ita declarantis Tridentinam diſpoſitionem*, & refert *Gonzalez in octauam reg.cancel.gloſ 18. num.66. ver. (in his perſonis.)*
6 Dicendũ eſt quartò; † quæ dicta ſunt in ordine ad Magnates, militare etiam in Vniuerſitatibus, vt cenſuit idem *Barboſa num.63. qui ex deciſione Rotæ, & aliorum Doctorum nu. 67.* reſtringit rigorem exactæ probationis, quando
7 non agitur contra Eccleſiam, † ſed lis eſt inter ipſos patronos, & ſic vult præſcribi ab vno contra alium compatronum ſpatio quadraginta annorum, concurrente titulo colorato; quod autem dicitur de præſcriptione, intelligi debet ſecundum Ius commune, præſcribendo tamen à conſuetudinibus, ſeu iuribus proprijs municipalibus, quæ præſcriptiones iſtas reprobant, quando de veritate contraria conſtat.

§. IV.

Ius patronatus æſtimandum ne ſit hæreditarium, an verò gentilitium, ſi veritas lateat?

S V M M A R I V M.

1 *Declarantur termini.*
2 *Dubio emergente hæreditarium potiùs quàm gentilitium præſumitur:*
3 *Ratione ſuadetur.*

1 VT hi termini intelligantur, ✠ ſupponimus illud appellari ab Authoribus Ius patronatus hæreditarium, quod tranſit ad quoſcumq; hęredes, etiam ſi ſint extranei, ſimul cum vniuerſitate bonorum, niſi limitetur in fundatione. Gentilitium

litium verò, quod alio nomine, familiare, nuncupari ſolet, dicitur illud, quod eſt relictum ſolùm illis, qui ſunt de tali familia. vide *Maſſobrium in praxi habendo &c. concur. præl. 7. dub. nu. 54.* His poſitis

2 Reſpondeo ad quæſitum, ius patronatus † in dubio præſumi debet hæreditarium: ſic *Card. in Clemen. Plures de iure patr. Lambert. de iure patron. par. 2. lib. 1. quæſt. 2 num. 15. Barboſa de iur. eccl. cap. 13. lib. 3. num. 21. 22. & 23. &*
3 *apud ipſum alij.* † Ratio eſt, quia ſi in eius fundatione à Patrono nulla ponitur reſtrictio, præſumendum voluiſſe illud transferre ſimul cum bonis, ex quibus eſt inſtitutum, atque adeo hæreditarium.

§. V.

Cappellania ſit ne exiſtimanda beneficium Eccleſiaſticum, quando de hoc dubitatur, & fundata in Regularium Eccleſia cenſenda ſit Regularis, an vero Sæcularis?

SVMMARIVM

1 *Cappellania in Eccleſia Regularium fundata Regularis præſumitur.*
2 *Limitatur ab Auguſtino Barboſa.*
3 *In dubio non debet cenſeri beneficium Eccleſiaſticum.*

1 RESPONDEO ✠ iudicandam eſſe Regularem ex eo ſolùm, quia eſt fundata in Eccleſia Regularium: ſic docet *Rodriq. in quæſt. reg. tom. 1. qu. 34. art. 3. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 29. num. 27.*
2 *Barb. de iur. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 14.* † Qui limitat opinionem, quando Cappellania, licet fundata in Monaſterijs, non vt à Regularibus; tamen, ſed vt à Sæcularibus obtineatur, & tunc non eſſemus in dubio, de quo procedit quæſitum, ſed in claris.

Quoad aliam verò partem, videlicet, an in dubio exiſtimanda ſit Cappellania beneficium
3 Eccleſiaſticum † negatiuè reſpondet *Perez de Lara de anniuer. & Cappellan. lib. 2. num. 59. Gonzalez ad reg. 8. Cancel. Gloſ. num. 5. Barboſa cap. cit. num. 1. & apud ipſum eſt deciſio Rotæ in Eluen. Eremitorij diè 17. Februarij 1631. coram R. P. Merlino.*

† ✠ †

§. VI.

Conſenſus Ordinarij in conſtitutione beneficij Eccleſiaſtici, ſi dubitetur, an interuenerit, præſumitur adfuiſſe, nec ne?

SVMMARIVM

1 *Temporis diuturnitas, & determinata inſignia præſumptionem de conſenſu Ordinarij generant.*
2 *Decennium ad hanc præſumptionem ſufficiens erit.*
3 *Triginta annorum tempus requiritur ad donationem de iure patronatus præſumendam.*

1 DIVTVRNITAS temporis, ædificatio Cappellæ cum inſignibus &c. † faciunt præſumi interueniſſe conſenſum Ordinarij: ſic *Menoch. lib. 6. præſumpt. 79. num. 3. Barboſa de poteſt. Episc. p. 3. alleg. 70. num 22. & de iure Eccl. lib. 3. cap. 12. num. 43. & apud eumdem plures Rotæ deciſiones referuntur*; tempus autem diu-
2 turnum requiſitum ad præſumptionem † ſatis & ſufficiens eſſe decennium, docet ibidem *Barboſa de iure Eccl.* & non requiri triginta annorum ſpatium, vt volunt aliqui; nam agitur de fauore, ne beneficium iam erectum corruat ob
3 defectum talis conſenſus. † Secus tamen in donatione iuris patronatus, in qua deeſt fauor, ſed eſt potiùs præiudicium ipſius Eccleſiæ, & ideo ſpatium triginta annorum requiritur ad præſumendum prædictum conſenſum.

§. VII.

Si Clericus beneficium habeat, redditibus tamen ſui patrimonij ſe aluit, dubitet poſtea, an id fecerit animo non compenſandi cum fructibus Eccleſiaſticis, poterit ne ex eiſdem fructibus tantumdem capere, illudque in vſum etiam non pium inſumere?

SVMMARIVM.

1 *Quædam ad deciſionem conducentia præmittuntur.*

2 Sti-

1

2 *Stipēdium ex fructibus eccleſiaſticis ad inſtar bonorum patrimonialium exiſtimatur.*

3 *Beneficiarij ex fructibus eccleſiaſticis, reſeruatis patrimonialibus, ſe altere poſſunt.*

4 *Ex patrimonialibus ſe alentes, tantumdem ex eccleſiaſticis capere, & liberè expendere queunt.*

5 *Dubio emergēte, an animum compenſandi habuerint, præſumitur habuiſſe.*

6 *Si talem excludant intentionem non poſſe, mutando voluntatem, compenſare, exiſtimauit Leſſius.*

7 *Oppoſitum tuetur Ioannes Delugo.*

8 *Hæc ſententia ab Authore recipitur.*

1 VT quæſitum plenè intelligatur, & ad tractatum præſentem de conſciētia dubia propriè pertineat, † nonnulla, quæ vel ſunt certa, vel ferè certa præmittenda, & ſupponenda à nobis erunt.

Primò igitur ſupponimus ex communi Doctorum conſenſu, ſi Innocentium excipiamus relatum à *Sanchez loco infra citando*, & ab
2 alijs, † poſſe Beneficiarios de bonis Eccleſiaſticis, quæ vt ſtipendium clericalis officij, acquirunt ad libitum, ſicuti de proprijs patrimonialibus, diſponere, vt notat *Sanchez lib. 2. conſ. cap. 2 dub. 45. Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 4. ſec. 3. num. 23. & alij*, quos idem Sanchez laudat.

3 Secundò ſupponimus, poſſe Beneficiarios, † redditibus patrimonialibus ſeruatis, ſe ſuſtentare ex fructibus beneficij, quod poſſident: Sic vult ferè communis opinio, & docet *Sanchez cap. cit. dub. 44. n. 5. & quamplures apud ipſum contra paucos ab eodem nu. 1. & 2. relatos.*

4 † Tertiò ſupponimus, poſſe Beneficiarium, qui ex patrimonialibus ſe aluit, tantumdem capere ex fructibus beneficij, de eiuſdemq; ad ſui libitum, tamquam de patrimonialibus diſponere, vt docet *Nauarrus opuſc. de redditibus Eccl. quæſt. 1. num. 67. & in ſumma cap. 25. nu. 126. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 6. n. 38. Molina tom. 1. d. 145. Sanchez vbi ſupra dub. 38. num. 15. Azor par. 2. lib. 7. cap. 9. quæſt. 10. Bonacina de oblig. beneſ. diſp. 4. p. 2. num. 5. & alij apud ipſum.* Hæc autem omnia non ſunt in præſentia à nobis controuertenda, ſed potiùs tāquam recepta, aut ſaltem, vt longè probabiliora, ſupponenda. quibus præhabitis, quod inueſtigamus, eſt, an Titius V. G. Clericus redditus vtriuſq; generis, nempe, patrimoniales, & Eccleſiaſticos, poſſidens, ſi ex primis ſe aluerit, & poſtea anceps ſit, vtrum voluerit non compenſare, & tantumdem capere ex bonis Beneficij, quantum pro ſuis alimentis conſumpſit; in tali, inquam, caſu quid facere debeat, determinandum nobis erit.

Dico igitur, primò dubio prædicto non
5 obſtante, † poſſe Titium tantumdem capere. Sic expreſſe docet *Leſſius numero illo 38. in fine*, & in fortioribus terminis, vt videbimus, idem tuetur *Cardinalis Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 4. ſec. 3. d num. 45.* Ratio autem eſt, quia non præſumitur aliquem iure ſuo ſe priuare voluiſſe; proinde niſi id conſtet, oppoſitum eſt iudicandum. longè tamen difficilior eſt quæſtio illa, an, videlicet, ſi Titius voluerit poſitiuè compenſationem prædictam excludere, valeat intentionem mutare, & illud tantumdem capere ex fructibus beneficij. controuerſia iſta obiter ſit tacta; nam re vera non ſpectat ad conſcientiam dubiam, cum Beneficiarius certus ſit de ſua voluntate, ſed placet hìc ſolutionem huius quæſtionis tamquam acceſſoriæ
6 iuxta id, quod ſentio, afferre, † video opinionem Leſſij negatiuam, nempè, non poſſe in tali caſu Beneficiarium vti compenſatione. *at Delugo numero citato* ait hoc non videri ſatis conſequenter traditum, & addit neque videri ipſi, qua ratione Beneficiarius, quando non habuit animum non compenſandi, poſſit
7 poſtea compenſare; & non poſſit, † quando habuit animum non compenſandi, & hoc quia Beneficiarius ad ſui ſuſtentationem expendens fructus patrimoniales nemini illos cedit, & ſibi ipſi donare nequit, cum vtrorūq; bonorum ſit dominus, neq; ſe obligat Deo per votum, vt ſupponimus; ergo etiam ſi habuerit poſitiuam intentionem, ſeu propoſitum per illos ſumptus ſuæ obligationi minime ſatisfacere, parùm hoc referre; quia re ipſa ſatisfacit, quemadmodum ſi quis obligetur per legem Eccleſiaſticam ad aliquod opus E. C. ad Miſſam audiendam, etiam ſi Miſſam audiat animo non ſatisfaciendi, ſatisfacit tamen præcepto, vt fere omnes dicunt, ſic diſcurrit *Cardinalis Delugo*, & totum ſuum diſcurſum varijs exemplis confirmat.

8 † Dico ſecundò. Beneficiarium, quamuis inſumendo redditus patrimoniales propoſitum habuerit non ſatisfaciendi ſuæ obligationi, atq; adeo non retinere ſibi ius compenſandi, poſſe non obſtante tali propoſito compenſationem poſtea facere, modo explicato cum fructibus Eccleſiaſticis. probatur concluſio iſta non ſolùm exemplo adducto de præcepto Miſſæ audiendæ, & nonnullis alijs à Cardinali adductis, ſed etiam ratione, quia propoſitum illud non habet vim obligandi Beneficiarium, neq; adimit illi facultatem ad oppoſitum exequendum, propoſito iſto mutato; Ergo etiam ſi Beneficiarius animum non compenſandi habuerit, poterit ad ſui libitum compenſare. multa alia circa rem hanc videri poſſunt apud *eumdem Card. Delugo*, pauca iſta obiter à nobis dicta ſatis eſſe videntur.

§. VIII

§. VIII.

Si ignoretur ætas ad beneficium requiſita, & ex duobus altercantibus neget vnus, affirmet alter, cui probandi onus incumbit?

SVMMARIVM.

1 *Diſtinctione adhibita quæſitum eſt decidendum.*
2 *Ad beneficium inſtitutus fundatam habet intentionem, & onus probandi requiſitam ętatem in excipientem reijcit.*
3 *Secùs ante electionem.*

1 DISTINCTIONE ✠ præſens quæſitum eſt decidendum: aio igitur quando quis eſt iam electus, & inſtitutus in beneficio habet intentionem fundatam circa ętatem, † proinde ſi alius
2 in contrarium excipiat, ipſi excipienti incumbit onus probandi tempore inſtitutionis fuiſſe defectum ætatis; at ſi quis pętit eligi, & inſti-
3 tui, † ipſe petens debet probare ſufficientiam ætatis. Sic ex *Thoma Sanchez lib. 2 de matr. diſp. 41. nu. 38. & Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 43. num. 7.* ex *Mandoſ. in reg. 18. Cancel. q. 3. à num. 4. & ex alijs apud ipſum.*

§. IX.

Si ambigatur vtrum quis beneficium viginti, an paucioribus ante mortem diebus reſignauerit, ad quem pertinet alterutram partem oſtendere?

SVMMARIVM.

1 *Onus probandi legitimum reſignationis tempus ex parte opponentis ſe tenere, putauit Mandoſius.*
2 *Contrarium cenſuit, quando valor reſignationis probandus erit.*
3 *Vtraq; pars recipitur ab Authore.*

1 CASVS iſte practicabilis eſt, ſuboriri enim facile poteſt talis controuerſia, & dubitatio, & hinc inde pluribus diſcuſſis, † reſpondet *Mandos in reg. 19. Cancell. quæſt. 6.* onus probandi ſe tenere ex parte petentis, & opponentis; idcirco ſi quis excipiat, reſignatarium non elapſis viginti diebus reſignaſſe, cum in hoc fundare debeat ſuam intentionem, oportet conſequenter hoc probare, videlicet infirmitatem, & mortem tali tempore contigiſſe,
2 nempe non elapſis viginti diebus. † Cæterum ſi reſignationis valor eſt exprobandus, & quis in eius valore ſe fundaret, deberet ſanitatem, & vitam reſignantis probare duraſſe per totum
3 illud temporis ſpatium requiſitum à regula. † Vtramq; partem concluſionis cenſeo amplectendam.

§. X.

Si Pontifex, & Ordinarius eadem die idem beneficium diuerſis contulerint, ſi neutrius collationis anterioritas appareat, quęnam ſit præferenda?

SVMMARIVM.

1 *Poſſidens in tali euentu, & dubietate, eſt præferendus.*
2 *Aliquæ apponi ſolent limitationes remiſſiuè apud Rebuffum.*
3 *Si neuter in poſſeſſione reperiatur, prouiſus à Papa præfertur.*

1 AD HVNC caſum reſpondeo ex ſententia Doctorum, præferendum † eſſe prouiſum illum, qui in poſſeſſione beneficii inuenitur: Sic *Rebuf. de pacif. poſſeſſ. nu. 297. Tiraquel. de iur. primig. quęſt. 17. opin. 17. num. 11. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 57. num. 12. & alij*, atq; expreſſè ſtatuitur *cap. Si à Sede Apoſt. de præb. in 6.* Ratio autem eſt in promptu, quia in iure præſumptio eſt in fauorem poſſidentis, immò, vt notauit idem Rebuf. præſumptio hæc eſt iuris, & de iure, non admittens probationem in con-
2 trarium; † Aliquæ tamen limitationes addi ſolent, quæ videri poſſunt apud *Rebuf. num.*
3 *298. & ſeq.* † Si vero neuter eſt in poſſeſſione pręfertur prouiſus à Pontifice, vt in eodem *cap. ſi à Sede*, determinatur, & notat *Barboſa cum alijs ab ipſo laudatis num. 14.* & hoc ob dignitatem Prouiſoris.

§. XI.

Si vltima die menſis Epiſcopalis beneficium vacat, & dubium ſit, an vacauerit media nocte tranſacta, quando incipit menſis Papalis, pro quo ſit reſoluendum?

SVMMARIVM.

1 *Onus probandi in Actorem refundi cenſuit Gonzalez.*
2 *Nullo poſſidente, prouiſus ab Ordinario ſi eſt anterior, præfertur, vt ait Gonzalez.*
3 *In tali caſu prouiſus ab Ordinario præferendus quamuis prouiſus à Papa ſit anterior, cenſuit Garçia.*
4 *Si minime conſtet quo menſe contigerit vacatio, nulla exiſtente poſſeſſione, aut prouiſione, in fauorem Epiſcopi eſt decidendum.*
5 *Proponitur contraria inſtantia paritatem deducendo.*
6 *Diluitur oſtendendo diſcrimen.*
7 *Si prouiſus à Papa poſſideat, erit præferendus.*
8 *Neq; poſſeſſione, neq; anterioritate innoteſcente prouiſus à Papa præfertur.*

CENSVIT *Gonzalez in 8. regul. Cancell. gloſ. 11. num. 26.* in tali
1 caſu onus probandi † refundi in actorem, qui ſi pro ſe non probet, qui conuentus fuit, eſt abſoluendus, ſi eſt in poſſeſſione, ſiue ſit prouiſus Apoſtolicus, ſiue Ordinarius, & hoc ipſum prius docuit *Puteus deciſ. 107. & 266. lib. 3.* cum enim iura partium ſint obſcura, nempe dubia, contra petitorem eſt præſumendum, & iudicandum, vt præſcribitur *Cap. cum iura de reg. Iur. num. 6. & alibi*, etiam *in iure ciuili L. Qui accuſare C. de edendo*. At ſi neq; prouiſus ſit à Papa, neq; prouiſus ab Ordinario
2 † ſi eſt anterior, eſſe præferendum, quia fundat intentionem ſuam in iure communi; proinde onus probandi reſeruationem, ratione menſis Apoſtolici ſpectaret ad prouiſum à Pontifice, qui fundat ſuam intentionem in vacatione eueniente in menſe Apoſtolico, quod eſt ſuæ intentionis fundamentum.

Cæterum *Garçia de benef. p. 5. cap. 1. num.*
3 *530.* † vult quod quamuis prouiſus à Papa poſſideat beneficium, tamquam vacans in menſe Apoſtolico; nihilominus præſumptionem eſſe pro Ordinario ipſo, intentionem fundatam habente, & onus probãdi oppoſitum transferri in aduerſarium, etiam in poſſeſsione exiſtentem, & hoc *Garçia* defendit *loc. cit. n. 532.* non obſtante, quod prouiſio Apoſtolica ſit anterior prouiſione data ab Ordinario.

Quid autem circa rem hanc probabilius mihi videtur per ſubſequentes concluſiones oſtendam.

Dicendum igitur eſt primò. Si penſatis omnibus conſtare nequeat, in quo menſe contigerit vacatio, & nemo ſit in poſſeſsione, neq; vlla ſit prouiſio, † præſumptionem iuris eſſe
4 pro Ordinario, atq; adeo in eius fauorem eſſe decidendum. Sic docet *Gonzalez, Garçia, Barboſa loc. cit.* quibus addo *Maſſobr. in praxi habendi concur. præl. 23. d. 2. num. 31. Merollam tom. 1 diſp. 3. cap. 3. diff. 3. coroll. 13.* & probatur ex eo, quod, vt diximus Epiſcopo fauet, & aſsiſtit ius commune, per quod ipſi datur facultas conferendi omnia beneficia Eccleſiaſtica ſuę diœceſis, vt habetur *Cap. omnes Baſilicæ cap. Nullus 16. q. 7. cap. ex frequent. de inſtit. cap. conquerente de off. ord.* à Summo tamen Pontifice facultatem hanc eſſe reſtrictam, & cum reſtrictio iſta ſit contra ius commune in dubijs contra illam eſt iudicandum.

5 Sed aduerſus hanc concluſionem † vrgere quis poſſet ex *cap. Si à Sede Apoſt. de præb. in 6.* vbi prouiſio facta à Papa præfertur prouiſioni factæ ab Ordinario, quando ſimul concurrunt, & rurſus *ex Clem. vt lite pendente §. Neutro*, in qua ſtatuitur, quod ſi ex duobus litigantibus ſuper eodem beneficio vnus moriatur in Curia; alius vero extra, & neuter poſſideat, prouiſio ſpectat ad Pontificem, & non ad Ordinarium ob prærogatiuam Pontificis, igitur, & in caſu noſtro, quando non conſtat, an beneficium vacauerit in menſe Apoſtolico; an verò in Ordinario, debet præſumi in fauorem Pontificis, ob eius dignitatem, cum par videatur eſſe ratio in vtroq; caſu.

6 Reſpondeo † diſparem eſſe rationem, & diſparitas oritur ex diuerſitate fundamenti, per quod diſpoſitionum varietas in iure habetur; in nullo enim textu ex illis duobus ab arguente adductis prælatio, quæ Pontifici, eiuſq; Prouiſo conceditur, fundatur in re aliqua dubia, & præſumpta, & præſertim in reſeruatione, quæ eſt odioſa; ſed fundatur in re certa, & non odioſa: nam in *cap. Si à Sede*, fundatur in dignitate Pontificis. cum enim dubiũ fuerit de anterioritate collationis, congruum viſum fuit præferre Pontificiam; neq; ex hoc fit Epiſcopis iniuria, quia Pontifex habet plenam, & ſupremam poteſtatem ſupra omnia beneficia Eccleſiaſtica, & cum collationem Epiſcopis conceſsit, non abdicauit à ſe poteſtatem preueniendi, & conferendi beneficium: Preterea *in Clem. cit.* diſpoſitio fauorabilis pro Pontifice, fundatur in obitu vnius ex collitigantibus; ex tali autem obitu, qui nõ eſt preſumptus, ſed certus, quando contingit in Curia, oritur reſeruatio in beneficio illo, de quo prius erat lis, vt notat *Gomez in reg. de Imper. benef. viuent. quæſt. 8. Gonzalez in reg. 8. Cancell. §. 7. proœm. nu. 18. & 3. de præb. in 6.* Rurſus addo reſeruationem hanc non induci per ſolam litẽ, ſed per obitum liti-

litigantis in Curia, vt aduertit *Mandoſ. nu.7.* Cæterum in caſu noſtro, de quo in concluſione eſt ſermo, dubitatio fundatur in præſumptione reſeruationis, & negatione reſeruationis: at nõ in re aliqua certa V.G. in dignitate Pontificis, aut in obitu aliquo, vt ita dicam, qualificato, qualis eſt ille, qui euenit in Curia, & quia reſeruatio eſt odioſa, & in ea Prouiſus à Papa totalem fundat ſuam intentionem; idcircò cõcludenter eſt probanda, & niſi probetur, præſumitur nõ reſeruatio, & pro Epiſcopo eſt decidendum, & ſic patet diſparitas inter caſum, de quo nos loquimur, & caſus illos poſitos in obiectione.

7 Dicendum eſt ſecundò, † Si Pontifex, eueniẽte vacatione, prouideat de beneficio, & prouiſus poſſeſſionẽ capiat, prouiſio facta ab Ordinario erit poſtponenda: Concluſio iſta eſt cotra *Garſiam loc. cit.* defenditur tamen *à Gonzalez & ab alijs ſuperius laudatis*; & probatur, quia poſſeſſio illa præualet, & ex eadem reſultat longè fortior præſumptio, quàm ſit prȩſumptio illa, quæ habetur pro Ordinario ex iure communi; nam poſſeſſio facit præſumere in poſſeſſore dominium, aut quaſi dominiũ rei.

8 Dicendum eſt tertio. † Quando pro neutra parte datur poſſeſſio, & nulla innoteſcere poteſt anterioritas, cenſeo eſſe prȩferendam prouiſionẽ Papalem: ſententia iſta eſt *contra Garſiam vbi ſupra*, ſed eam tuetur *Gonzalez l. ci.* & hoc aſſero, quia videtur valdè conforme diſpoſitioni Iuris, quod habetur in *cap. illo; ſi à Sede.* in quo præſcribitur, quod vtraq; collatione concurrente, Põtificiâ, ſcilicet, & Epiſcopali de eodem beneficio, ſi nulla appareat anterioritas, & pro neutra parte ſit poſſeſſio, ob prærogatiuam Papæ, eius collatio præferri debet, & in hoc caſu prælationem non fundamus in præſumptione reſeruationis, ſed in dignitate ipſa Papali, cum cætera ſint paria.

§. XII.

Beneficiarius de beneficij tenuitate anceps, an ad horas Canonicas ſit aſtringendus?

SVMMARIVM.

1 *Tenue habẽs beneficium probabile eſt eximi à recitatione horarum pro ſingulis diebus.*
2 *Nonnulla pro deciſione ſupponuntur.*
3 *Ponitur caſus.*
4 *Refertur trimembris caſus à Caramuele poſitus, & einſdem Authoris reſponſio.*
5 *Conditionalis, quam ponit Caramuel, nequit verificari.*
6 *Primus caſus Caramuelis apud viros doctos moraliter euenire non poteſt.*
7 *Ex hypoteſi quod contingat, & exiſtẽte dubio de exemptione, tenebitur ita heſitans horas recitare.*
8 *Idem aſſerendum, ſecundo eueniente caſu.*

DVBITATIO, quam exagitandam proponimus, locum habet propoſita valdè probabili opinione, quȩ aſſerit tenuitate fru-
1 ctuum † excuſari Beneficiarios ad horas Canonicas, ſaltẽ vnoquoq; die, recitandas, de qua re ſufficienter agunt *Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt 5. ar. 3. concl. 2. Verb. (dubium autem) Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 34. dub. 31. n. 169. Sanchez in cõſil. to. 1. lib. 2. ca. 2. dub. 66. Petrus Anellus Perſicus de hor. canon. cap. 5. dub. 5. per totum*, & nouiſſimè *Io: Baptiſta Fragoſus de regim. Chriſtianæ Reip. par. 2. lib. 10. diſp. 22 §. 4 à nu. 17. Et quam plures alij Antiqui, & Recentiores*, quam opinionem examinare ad nos in præſentia non ſpectat; ſed eius probabilitatem ſupponentes, inquirimus quid determinandum, quando Beneficiarius percipiens fructus, ambigit, an redditus attingant gradum illum tenuitatis, qui ſufficit ad excuſandum à recitatione horarum
2 quotidiana: † Vt autem caſus practicabilis fiat nonnulla ſunt ſupponenda: Et primò termonem eſſe de beneficio non requirente actuale Sacerdotium, aut aliquem ex Sacris Ordinibus, quia, vt ſic inutilis eſſet quȩſtio; nam Beneficiarius aliquo Sacro Ordine inſignitus, tenetur ratione Ordinis quotidiè horas Canonicas perſoluere. Secundò ſupponimus, controuerſiam eſſe in eo ſtatu, in quo Beneficiarius nequeat habere pro ſe probabilẽ opinionẽ ex ijs, quȩ apud Doctores circũferuntur de exẽptione à perſoluendis horis ob exiguitatem fructuum, nam aliqui volunt ſex, aut octo, imò decem aureos non ſufficere; alij dicunt non obligare ad quotidianas horas, niſi perueniant fructus ad tertiam partem congruæ ſuſtentationis: hȩc, & ſimilia reperiuntur apud Authores, & cum in his probabiliter diſcurrant, poterit Beneficiarius tuta conſcientia alicui horum Doctorum ſententiæ adhȩrere, & ſic nos egrederemur limites conſcientiȩ dubiæ, tranſeuntes ad opinatiuam: debemus igitur ità caſum formare, vt ſupra lineam dubij dictaminis perſi-
3 ſtamus. † Ponamus ergo quæſtionem ſub hac forma v.g. ſit Titius Clericus in minoribus, & ratione beneficij obligetur ad alia obſequia Eccleſiæ prȩſtanda, intuitu quorum, vel nulla, vel quaſi nulla lucretur emolumenta, fructus verò, ſeu redditus beneficij ſint exigui V. G. ſint quindecim, aut viginti aureorum. hoc poſito dubiũ emergere poterit, an fructus illi dati fuerint propter obſequia, & non propter penſum horarum, an verò etiam propter horas, &
4 de quȩſito ſic formato procedit quæſtio. † *Caramuel de conſc. dict. c. 1. poſt. 3. reſolut. corol. 25.* proponit caſum, quando adeſt ambiguitas, licet eum non declaret modo prædicto, ſed ſolum abſolutè inquirat, an exiſtente dubio de tenuitate beneficij, teneatur Beneficiarius recitare, &c & dupliciter ſupponit dubiũ inſurgere poſſe. Primò, Cũ quis certus ſit beneficiũ, quod ipſe poſſidet, eſſe tenue, ſed dubitet, an eximatur à lege recitandi horas ob tenuitatem illam. Secundò, Si ſciat eximi à tali onere, qui

1 DVBIVM in hac materia poteſt eſſe ✠ vel de Iure, vel de facto, & de vtroq; nõnulla examinabimus, & loquendo de cenſuris exemplificabimus in materia Excommunicationis, idem de
2 Suſpenſione, & Interdicto intelligentes. † Per dubium autem iuris in hac diſceptatione illud ſumimus, quo ambigimus, an ſit lata lex, ſeu præceptum prohibens actionem aliquam ſub aliqua cenſura, vel eidem actioni irregularita-
3 tem affigens: † Per dubium verò facti ſentimus illud, quo ancipites ſumus de ipſamet actione, cui pœna ſpiritualis eſt annexa; hoc autem præmittere volumus, vt lectorem moneamus præterire nos velle quæſtionem illam, videlicet
4 † an dubium de homicidio patrato, aut de voto emiſſo appellandum aliquo modo ſit dubium iuris; vt aſſerit *Arriaga* ſequens *Gabrielem Vaſq; p. 2. diſp. 25. ſect. 2. & 3. ſubſect. 1.* hæc enim inutilis eſt queſtio, & potius de nomine, quàm de re ipſa, ideoq; illam omittentes, & ſumentes dubium Iuris, & facti modo explicato, deuenimus ad caſus particulares.

§. I.

In dubio an excommunicatio ſit præſumenda.

SVMMARIVM.

1 *Nemo in dubio iuris præſumitur excommunicatus.*
2 *Idem aſſerendum in dubio facti.*
3 *Aliqui oppoſitum cenſent de dubio facti ſaltem in foro interno.*
4 *Refertur opinio Spinulæ.*
5 *Reijcitur huius Authoris doctrina, quatenus aſſerit vehementi dubio affectum, debere vt excommunicatum ſe gerere.*
6 *Per reſtrictionẽ, quam ponit Spinula, ſua principia deſtruit.*
7 *Reſponſio pro doctrina Spinulę.*
8 *Impugnatur.*
9 *Excommunicatum etiam contritum ante abſolutionem, incertum eſt participare Eccleſiæ ſuffragia.*
10 *Participant fructum bonorum operum, quæ à iuſtis tamquam priuatis perſonis exercentur, & hoc ratione charitatis.*
11 *Hæc eſt illa Sanctorum Communio, de qua in Symbolo ſit mentio.*
12 *Hæ duæ participationes videntur à Spinula confundi.*
13 *Aliud proponitur remedium, vt de excommunicatione dubitans ſe præparet ad participanda communia Eccleſiæ ſuffragia.*
14 *Neq; diuerſitas inter dubium de excommunicatione, & irregularitate in ordine ad periculum non participandi communia ſuffragia tollit præſumptionem pro dubitante.*
15 *Oſtenditur diſparitas inter peccatum mortale dubium, & cenſuram dubiam in ordine ad abſolutionem ſub præcepto petendam.*
16 *Aequale eſt periculum non participandi ſuffragia inter dubium, & opinionem de excommunicatione contracta.*
17 *Certa ſuaſio de negatione cenſuræ contractæ nihil iuuat ad participanda ſuffragia, ſi re vera fuerit contracta.*
18 *Obiectio ponitur probans diſcrimen inter dubium, & opinionem de contractione excommunicationis in ordine ad abſolutionem petendam.*
19 *In ordine ad pœnas conſequentes æqualiter ſe habet peccatum, & cenſura, ſecus in ordine ad abſolutionem petendam.*
20 *In dubio non præſumitur poſita conditio, ſub qua excommunicatio lata fuit.*
21 *Ambiguitas de valore pro ipſa excommunicatione facit præſumere.*
22 *Ferẽda potiùs quàm lata in dubio prçſumitur.*
23 *Dubium etiam prudens, quo intellectus hæſitat de excommunicatione ab altero contracta, non eſt ſatis ad illum vitandum.*
24 *Refertur limitatio Patris Suarez.*
25 *Vitandus erit, ſi conſtet de contractione excõmunicationis, & non conſtet de abſolutione.*
26 *Varijs modis, quibus id conſtare valeat, declaratur.*

CVM dubium, vt diximus, ſit in duplici differẽtia, videlicet Iuris & facti, de vtroq; ſingillatim erit agendum.

1 Dico igitur primò. In dubio Iuris ✠ non præſumi latam eſſe excommunicationem, atq; adeò neminem in tali dubio exiſtimandum eſſe hac cenſura innodatum. *Ita Sanchez. in decal. lib. 1. c. 10. n. 56. Baldelli in Theolog. morali to. 1. lib. 4. diſp. 9. nu. 12. Merolla to. 1. diſp. 3. c. 3. dub. 2. corol. 17. nu. 200. & alij ferè omnes.* Probatur per *tex. in cap. Is qui de ſent. excom. in 6.* vbi Pontifex determinat eum, qui celebrat in Eccleſia ſãguinis, aut ſeminis effuſione polluta, aut præſentibus maiori excommunicatione nodatis, nõ eſſe habẽdũ irregularẽ, quia in Iure nõ eſt expreſſum; ergo neq; in dubio Iuris erit præſumenda excommunicatio, & hoc ob eandem rationem. Confirmatur, quia cum non cõſtet de lege pœnam imponente, melior erit conditio propriam libertatem poſſidentis.

2 Dico ſecundò. Idem † eſſe affirmandum, quando eſt dubium facti, quia nulla eſt lex, quę ſtatuat in dubio facti aliquem præſumendum eſſe excommunicatũ; proindè in tali dubio cum poſſeſſio ſit pro libertate, quã habet vnuſquiſq; in ordine ad cõmunicandum cum alijs; idcirco dubitans poteſt deponendo cõſcientiam, ſe gerere nõ vt excõmunicatus, & hanc ſententiam docet *Bonac. de cenſ. diſp. 2. q. 2. p. 6. §. 2. nu. 49. Layman in ſua morali Theolog. lib. 1. tr. 1. c. 5.*

§.4 n.38.Sãch.in Sum.lib.1.c.10.n.56.Baldell. loc.cit.Merolla vbi ſup. n.201.Fr.Delugo p.p. decur.q.28.n. 263.
3 † Hæc ſententia eſt contra *Sayrum in clau.Reg.lib.1.cap.13.n.23.& Molinam tom.4.de iuſt.d.67.nu.7. Azorium to.1. lib.2.c.19.q.10.Vaſquez in p.2.d.66.c.1. Alteriũ de cenſ.lib.9 diſp.8.c.4. & alios apud dictũ Delugo*; licet *aliqui ex his AA.* qui tuentur hanc ſententiam, vt *Alterius apud Merol.cit. num.200. Ioan: Andreas, Hoſtiẽſis, & Cardin.* in ſolo foro conſcientiæ, non autem in foro externo id defendant.

4 Hanc ſentẽtiam † admittit *Spinula* pro foro externo, ſed pro interno eam modificat *opuſc. illo de prud.agib.elect.diſp.vlt.ſec.7. ver.(Si autem quis)* dicens, quod cũ eſt vehemens dubiũ de effectu ſequuto, licet inſufficiens ad opinionẽ cauſſandam, tunc ambigens debet ſe gerere tanquam excommunicatus, & quãuis idem Author dicat, ità dubitantem nulla affici pœna, ſi celebret, & poſſe à peccatis ſacramentaliter abſolui ob inuincibilem ignorantiam de ipſa cẽſura, temerarius enim nõ eſſet, nec aliquã Sacramẽto iniuriã irrogaret; nihilomin⁹ grauiter delinquere videtur cõtra charitatẽ ſibi debitã, nõ petẽdo abſolutionẽ, quia ſi re vera excõmunicatione innodat⁹ exiſteret, eſſet priuatus cõmunicatione bonorũ omniũ, & ſuffragiorum.

Cõfirmat autem hanc obligationem à pari; nam dubitans tenetur ſacramentaliter aperire peccatũ dubium, & de eo abſolutionem petere; igitur & hoc ipsũ dicendũ erit de excõmunicatione adnexa. probatur cõſequentia; ſicuti.n. eſt ꝓceptũ in natura Cõfeſſionis inclusũ, vt peccata dubia explicẽtur; ità etiam datur præceptũ charitatis, vt nemo ſe exponat periculo carẽdi tanto bono, quale eſt Communio Sanctorum.

Rurſus idem Author examinans casũ, quãdo quis nõ dubitat, ſed probabilem habet opinionem, quod nõ cõmiſerit peccatũ illud, cui excõmunicatio eſt adnexa, plura hinc, & indè proponit; aſſignat tandem diſparitatẽ inter caſum, quãdo eſt dubietas, an fuerit cõmiſſum, & quãdo eſt probabilitas, patratũ nõ fuiſſe; diſparitas autem eſt, quia poſita probabilitate, periculum eſt magis remotũ; ideoq; opinans nõ debet nimiùm ſolicit⁹ eſſe de tali periculo, ſecùs autem quando eſt dubietas, & non opinio, tunc enim periculum propinquius eſt. Præterea in caſu dubij, tenetur hæſitans peccatum clauibus ſubijcere; ergo etiam tenebitur curare, vt à pœna, nẽpè ab excommunicatione abſoluatur; at non ità quãdo opinatur. Deniq; in caſu opinionis ſicuti peccatũ, etiam ſi in confeſſione non explicetur, indirectè tamen remittitur; ità etiam & excommunicatio, per verba illa abſolutioni peccatorum præuia [*Ego te abſoluo ab omni vinculo excõmunicationis, &c.*] hæc autem verba vim habent tollendi excommunicationes occultas, & oblitas. *Sic Spinula* diſcurrit.

Sed in ſuo diſcurſu nonnulla congerit, quæ
5 non placent, neq; vt reor, ſubſiſtere poſſunt. † Et à primò exordiens, aio, cum dicit, vehementi dubio affectus, debet vt excommunicatum ſe gerere, doctrinã tradit, ex qua innumeri emergere poſſunt ſcrupuli; quis enim iudicabit dubiũ perueniſſe ad vehemẽtiam illam, per quam homo, excõmunicatione innodatum debeat ſe exiſtimare? quis metam tali dubio impoſuit? Et ſi Spinula reſpõdeat, arbitrio prudentis Cõfeſſarij id eſſe decidendũ; hoc tãquam prorſus inane erit repellendum: Confeſſario enim iudicandum relinquitur, quod neq; ipſe, neq; altior Seraphinus attingere valet; nam illa vehementia ſiue ſit quid poſitiuũ, ſiue formalis ſuſpẽſio actus, ſeu, quid negatiuum, eſt in arcanis mẽtis repoſita, ideoq; ſugit à quocumq; alio creato intellectu, naturaliter ſpectato, & ſi arbitrio ipſiuſmet dubitantis deciſio committatur, ecce inextricabilis labyrinthus, à quo nũquã dubitãs erit potẽs ſe liberare: cũ enim ignoret gradum, ad quem vehemẽtia illa perueniens tollit præſumptionem pro ipſo dubitante, nũquam poterit ipſe dubitãs aliquid de re hac determinare.

Inſuper idem Author, tali poſita reſtrictione,
6 † ſuamet principia prorſus euertit, nam *ſect.6. concl:1.* cõſtanter ſuſtinet, quod quis certus de cooperatione in homicidium, facta ſufficienti diligentia, ſi dubitet an ſit ſequutum, neq; debet vt irregularem ſe gerere, neq; diſpenſationem petere, idq; varijs cõfirmat rationibus, ſcilicet factum in dubio non eſſe præſumendũ: rurſus in tali hæſitatione poſſeſſionem eſſe ex parte ipſius dubitantis: idemq; *in 3.concl.* docet, quãdo incertitudo nõ eſt ex parte facti, nempè homicidij, ſed ex parte influxus, & cooperationis: igitur debuiſſet Spinula eodem principio difficultatem hanc de excommunicatione dubia, ſatis cohærenter ſoluere pro ipſo dubitante, at contrarium facit.

7 Poſſet forſitan Spinula † aſſignare diſcrimen inter irregularitatẽ, & excõmunicationẽ; per illã .n. nullo Eccleſiæ ſuffragio priuatur homo, etiã ſi irregularitatem cõtraxerit; ſecùs autem per excõmunicationem; ideoq; ad graue malũ vitãdum, poterit obligari in vno, & non in alio caſu, in quo tale malum non timetur.

8 Sed hæc reſpõſio † neq; ſatisfacit, neq; difficultatẽ tollit; primò quia præſcindẽdo paulisper à periculo illo nõ participandi Eccleſiæ ſuffragia, in quo totaliter ſe fundat Spinula, eędẽ rationes, quæ in caſibus poſitis circa dubiũ irregularitatis faciũt præſumere pro dubitãte, & nõ pro ipſa irregularitate, militãt ẽt pro dubitante de excõmunicatione cõtracta: hæ aũt rationes ſũt illæmet, quas affert Spinula, nẽpè, factũ non eſſe præſumẽdũ, ſed probãdũ. In dubijs poſſeſſionẽ eſſe pro libertate, &c. hę aũt rationes vniformiter ſuadẽt tùm pro dubio irregularitatis, tùm excõmunicationis, & hoc eſt adeò verũ, vt ipſemet *Spin. l.c. in 7.ſect 61.* cõcedat, ità dubitantẽ de excõmunicatione præterita, nõ eſſe temerariũ, aut iniuriã facere Sacramento, ſi celebret, aut abſoluatur à peccatis; ponit tamen totam diſparitatem inter vtrumq; dubium in periculo illo, quod, vt reor, neq; ipſi fauet, neq; ſufficientem diſparitatem probat, vt mox videbimus illud examinando.

Secundò

Secundò igitur probo, non ſatisfacere reſponſionem prædictam, nam dubitans de excõmunicatione, & facta ſuppoſitione de exiſtentia ipſius excommunicationis, ſi ipſe ambigens aliquem eliciat actum contritionis, & iuſtificetur, ſecundum multorum ſententiam, quos affert *Diana par. 5. tract. 9. reſol. 75.* participabit
9 ſuffragia Eccleſię, † ſed hoc eſt incertum, &
10 alij oppoſitum tuentur de ſuffragijs, † quamuis ſine controuerſia communicet iſte talis in bonis operibus, quę ab hominibus iuſtis, tamquam priuatis perſonis exercentur, & hoc ratione charitatis, ex qua independenter ab intẽtione operantium; veluti quadam neceſſitate, exeunt, & diffunduntur in omnia membra viua Corporis myſtici Chriſti Domini, vt rectè probat *Suarez tom. 5. in 3. par. diſp. 9. ſect. 3.*
11 *nu. 5.* † Et hæc eſt illa Sanctorum Communio de qua *in Symbolo* fit mentio, & quæ non tollitur per excommunicationem, ſed tantùm per peccatum mortale, & eſt valdè diuerſa à participatione illa ſuffragiorum, quæ procedunt à Miniſtris Eccleſiæ, non vt à priuatis, ſed publi-
12 cis perſonis, † quæ tamen videntur à Spinula confũdi; cum autem non ſit certum ab excommunicatis etiam iuſtificatis ante abſolutionem participari publica iſta ſuffragia, aliud ſupereſt
13 remedium, † nempè ſi ipſe dubitans accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, in quo per illa verba abſolutioni à peccatis præuia, & ſecũdũ aliquos etiam per eandem formam, per quam abſoluitur pœnitens à peccatis, remittatur iſta excommunicatio dubia, vt concedit Spinula; tunc enim habebimus intentum, abſq; eo, quod explicetur ipſa dubia excommuninatio. His omnibus etiam omiſſis, deuenio ad examen illius periculi.

Tertiò dico; quod quamuis in dubio excommunicationis demus adeſſe periculum nõ participandi ſuffragia, quod non requiritur in du-
14 bio irregularitatis; † diuerſitas tamen iſta non eneruat vim prædictarum rationum, quæ vt vidimus, æquè faciunt pręſumere pro dubitante etiam in vtroq; dubio; & ſi Spinula reſpondeat eſſe diſcrimen, nam ratione huius periculi, cui homo exponitur, quando eſt dubium de excommunicatione, peccabit contra charitatem ſibi debitam, quod non militat in dubitante de irregularitate, cum nullum tale ibi adſit periculum, ſi, inquam, ita reſpondeat, interrogo ab ipſo, vbi nam extat lex præcipiens homini ſub graui culpa, vt curet participare ſuffragia Eccleſię? ſanè lex poſitiua, ſiue humana, ſiue diuina à me ignoratur; ſi dicas præceptum procedere à lege naturali, videtur enim quædã ſpiritualis prodigalitas, bona illa volũtariè deperdere, ſi, inquam, hoc dicas, eadem ratione probaret, peccatores eſſe continuò in actuali peccato, dum non curant gratiam recuperare, quia in peccato habituali perſeuerantes non cõmunicant in bonis operibus iuſtorum, qui ſunt in Eccleſia; nõ enim magis cenſenda erit prodigalitas ſpiritualis illa, quàm iſta, & tamẽ neminem legi, aut audiui aſſerentem, peccatorem actu ſemper peccare, non curantẽ ad gratiam iuſtificantem ſe præparare. Rurſus de eadem prodigalitate poſſit argui ille, qui nolit indulgentias, & iubilæa lucrari, atq; adeo peccaret cõtra propriam charitatem, quod tamẽ nemo docuit, loquor ſemper, ſecluſo contemptu, igitur diſparitas inter vtrumq; dubium irregularitatis & excommunicationis non benè fundabitur, recurrendo ad periculum non participãd i ſuffragia, quia non eſt periculum de aliquo peccato. Et hæc ſufficiant pro impugnanda ſolutione data. Remanet vt reliqua argumenta, quæ ab eodem Spinula adducuntur, ſoluamus.

Et ad confirmationem, qua idem Author ſuã
15 corroborat ſententiam, † dico diſparitatem eſſe inter peccatum mortale dubium, & inter cenſuram dubiam in ordine ad abſolutionem ſub pręcepto petendam, nam de dubio peccati habemus vnanimem fidelium ſenſum, & praxim communem, & pariter rationem in Tridẽtino fundatam, vt fusè oſtendemus *diſceptat. 5. cap. 9.* §. 1. Secùs autem de excommunicatione dubia, de qua oppoſitum indicant Doctores, & praxis.

Venio tandem ad caſum expendendũ, quando exiſtit probabilitas, quę, vt vult Spinula, ſufficiens eſt ad eximendum opinantem ab obligatione petendi abſolutionem, quia, vt ipſe ait,
16 periculum eſt remotum. † Hoc autem, ni fallor, non videtur verum; puto enim ęquale eſſe periculum, ſiue ſit dubium de excõmunicatione nec ne, contracta, ſiue ſolùm opinio de ipſa non contracta; proinde Spinula, ſi cohęrenter loqui voluiſſet, vtrumq; caſum vniformiter decidere debuiſſet, ſiue in fauorem, ſiue contra ipſum dubitantem, aut opinantem. Probatur autem aſſumptum hoc pacto. In ordine ad pręteritam excommunicationis contractionem, nihil omninò influit noſtra exiſtimatio, neq; eam ponit, neq; eam tollit; proinde participatio, aut non participatio ſuffragiorum, cum ſequatur ab excommunicatione præterita nõ vt cognita, aut à nobis exiſtimata, aut non exiſtimata, ſed ab ipſa, vt iam exiſtente, ęquè ſe habet, ſiue de ipſius negatione ſit dubium, ſiue opinio; imò addo, etiam ſi homo certò ſibi perſuadeat non incurriſſe cenſuram, & oppoſitum ſit improba-
17 bile; † ſi re vera eam contraxerit, inanis, & impertinens erit certa illa ſuaſio in ordine ad participationem ſuffragiorum; nam exiſtente ipſa excommunicatione, ex quadam neceſſitate impeditur participatio ipſa; igitur periculum, non participandi æquè ſe habebit tùm in dubitante, tùm in opinante, & per conſequens nõ poterit eſſe remotum in opinante, ſi eſt proximum in dubitante; menſuratur enim quoad eſſe remotum, ſeu proximum per habitudinem ad ipſam excommunicationem iam contractã, & actu exiſtentem, & cũ excommunicatio pręterita ſit omninò independens ab omni noſtra cognitione, & opinione, vt vidimus, & de ſe patet; conſequens eſt, vt dicamus, periculum ferri in ipſam excommunicationem, vt in ſe exiſtẽtem, & non vt ſubſtantem actibus noſtri intellectus;

lectus;proinde vanũ omninò eſt menſurare periculum iſtud per reſpectum ad operationes intellectus ipſius dubitantis, aut opinantis.

18 Dices: † Quemadmodum dubitans de peccato commiſſo tenebitur illud clauibus ſubijcere,& abſolutionem de illo petere,non autem ſi probabile iudicium habeat peccatum non patraſſe;ergo non eſt eadem ratio de dubio, & de opinione, & per conſequens neq; erit eadem ratio,quando dubitamus de cenſura contracta, & quando opinamur de ea non contracta.

19 Reſpondeo † cum diſtinctione,ſi peccatum & cenſura conſiderentur in ordine ad ſuos effectus vltimatos,eamdem eſſe paritatem, effectus autem vltimatos appello pœnas conſequentes, & etiam reatum ad pœnam, & ideo ſicuti non dependet à noſtra exiſtimatione negatio participationis ſuffragiorum,quæ eſt effectus excommunicationis , ita neque deſtinatio ad pœnam æternam , quæ eſt effectus peccati mortalis; nam etiam ſi homo inuincibiliter ignoraret peccatum mortale commiſſum,& habitualiter manens , hoc non obſtante,haberet reatum pœnę, & damnaretur, ſi obiret,eo peccato ſaltem indirectè non remiſſo ;& ſi hoc eſt par ratio de peccato ,& de excommunicatione: at loquẽdo in ordine ad obligationem petendi abſolutionem , eſt diſcrimen,quia peccatum dubium ex pręcepto,vt diximus , & fuſiùs ſuo loco dicemus,tenemur cõfiteri,ſecùs autem excommunicationem dubiã Ad argumentum igitur,diſtincto primo conſequente iuxta doctrinam traditam in ordine ad peccatum,neganda eſt conſequentia, ſi ſermo ſit de obligatione petendi abſolutionem ; concedenda autem eſt in ordine ad cenſuram ob rationem aſſignatam , neganda tamen eſt vltima conſequentia. Et hęc ſufficiant pro hac Spinulę ſententia examinanda.

20 Ex noſtra autem concluſione † ſimiliter infertur , quod ſi cenſura lata fuerit ſub conditione,& dubitetur, an impleta fuerit conditio, ſi dubium vinci non poteſt,tunc ille, contra quem impoſita fuit talis cenſura, non eſt habẽdus vt excommunicatus; quia adimpletio illa cum ſit quid facti pręſumi non debet, ſed indiget probatione ; ita *Sanchez num. 54. & alij.* At ſi dubium ſit de valore excommunicationis v.g.an ante excommunicationem latam pręceſſerit appellatio,an verò ſubſecuta fuerit, an Prælatus habuerit poteſtatem ad cenſuram il-
21 lam imponendam , † tunc poſſeſſio erit pro excommunicatione,quia pro illa erit preſumptio,& ideo niſi prędicta, quę excuſarent ab excommunicatione,oſtendantur,valida cenſenda erit excommunicatio , ſic ex *Sanchez num. 59.* qui rectè ex iure , authoritateq; confirmat ; & hanc eamdem ſententiam ſequitur *Caramuel libr. 3. de conſc. dict. cap. 1. diſp. 1. corol. 32. quinto loco.*

Rurſus infertur in dubio,an cenſura ſit lata,
22 an ferenda, iudicandum eſt, † eſſe ferendam poſt factam moralem inquiſitionem, & poſt recurſum ad Superiorem,qui eam impoſuit , ſi pateat aditus , vel ſi non pateat, conſiderando verba, tũc ſi, his non obſtantibus, maneat dubium, iudicium prædictum eſt eliciendum in fauorem illius , contra quem fertur excommunicatio,ita *Gaſpar Hurtado de cenſur. in comm. diff. 5. num. 22. Conich. diſp. 13. num. 22. Stephanus de Auila p. 2. c. 2. d. 8. in fin. Caramuel de dict. conſc. diſp. 2. quæſt. 1.* & hoc fundatur in duobus principijs *Iuris in 6.* nempè, Odia eſſe reſtringenda;& In pœnis benigniorem eſſe faciendam interpretationem.

Præterea infertur , quod dubium etiam prudens , per quod iudicatur aliquem eſſe excom-
23 municatum,& denunciatum,† non eſt ſufficiẽs, vt illum vitemus, niſi ſit notitia moraliter certa de ipſa denunciatione. ita *Suar. de cenſ. d. 15. ſect. 3. num. 4. Hurtado diſp. 2. de excomm. diff.*
24 *3. num. 2. in fine.* † Limitat tamen *Suarez nu.* 6. hanc opinionem in ordine ad actiones illas, quæ poſſent eſſe inualidæ,ſi ille,de quo dubitatur,re vera eſſet excommunicatus,& denũciatus,& tales actiones ſunt Abſolutio Sacramentalis,vel ſimiles actus, qui,ſi procederent ab excommunicato denũciato,eſſent irriti, iſte enim in ordine ad has actiones eſſet vitandus,ſi abſque ſcandalo,vel aliquo periculo id fieri queat.

Deniq; ſi quis certò ſciat aliquem eſſe excõmunicatum,& denunciatum,& dubitet an fuerit abſolutus,tunc,dùm non conſtat de abſolu-
25 tione,† eſt vitãdus. ſic *ex Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 36. & ex Gloſſ. in cap. propoſuit de Cler. excomm. miniſtr.* docet etiam *Suarez ſec-*
26 *cit. num. 7,* addit tamen id conſtare poſſe † varijs modis , primò ſi teſtes fide digni id affirment, imò vnus teſtis omni exceptione maior ſi id aſſerat certò.

Secundò, ſi ipſemet excommunicatus dicat habuiſſe abſolutionem , & non eſt coniectura, quod dicat mendacium. Tertiò, fama publica de abſolutione,recepta. Quartò,longitudo tẽporis poſt excommunicationem latam,ſpectata qualitate, & conditione ipſius perſonæ , & negotij.ex quibus prudenter exiſtimatur non eſſe veriſimile totò illo tempore in excommunicatione permanere voluiſſe; In his autem caſibus licitè poteris cum illo communicare, abſq; periculo incurrendi cenſuram, etiam ſi de facto non fuerit abſolutus ab excommunicatione , nã prudenter in prædictis caſibus deponitur conſcientia.

§. II.

Vtrum in dubio præſumenda ſit irregularitas?

SVMMARIVM.

1 *In dubio iuris in nullo foro aliquis exiſtimandus eſt irregularis.*

2 *Idem in dubio facti eſt aſſerendum, excipitur dubium*

dubium homicidij.

3 *Fauor rei prævalet in dubijs.*

DE hac re fusè agit *Sanchez in decal. lib. 2 cap. 10. à num. 37.* vbi refert plures Doctorum ſententias, breuiter autem mihi ita videtur dicendum, & primò, ſi ſermo erit de dubio iuris poſt

1 moralem diligentiam, ✠ nemo exiſtimandus erit irregularis, neq; in foro externo, neq; in interno. ita *Sanchez num. 42. Suar. de cenſ. d. 40. ſect. 5. num. 19. Merolla cap. 3. cit. nume. 215. Franciſcus Delugo p. p. de cur. qu. 26. num. 150. & apud ipſum quamplures tum ex antiquis, tũ ex recentioribus*: eſt tamen contra *Vaſquez p. 2. d. 45. cap. 3. num. 9. & 13. & diſp. 66. c. 1.* Probatur autem noſtra ſentẽtia efficaciter *ex cap. Is, qui de ſent. excomm.* in 6. vbi excuſatur ab incurrenda irregularitate, ſi quis celebrare præſumpſerit in Eccleſia polluta, vel coram excõmunicatis maiore excommunicatione, & hoc, quia talis irregularitas non eſt iure expreſſa; igitur, quando adeſt dubium, & in iure expreſſo non inuenitur iniuncta irregularitas, nemo cenſendus eſt irregularis; proinde non obſtante tali dubio, poterit dubitans conſcientiam practicè deponere.

2 Idem etiam aſſero † in dubio facti: excipio tamen dubium facti circa homicidium, de quo infra erit ſermo; hanc opinionem tuentur quàplures, vt *Sanch. cap. cit. num. 48. Layman lib. 1. cap. 5. tract. 5. §. 4. num. 40. Franciſ. Delugo quæſt. cit. num. 153 verſ. ſit ſecundo*; & in eandem ſententiam inclinat *Suarez diſp. cit. ſect. 6. num. 13.* & ratio eſt, quia cum materia ſit odio-

3 ſa, niſi in iure oppoſitum ſtatuatur; in dubio † potiùs in fauorem rei eſt declinandum iuxta *regulam 11. iuris in 6. dum iura partium ſunt obſcura reo fauend um eſt.*

§. III.

Hæſitans an in homicidium concurrerit, habendus ne ſit irregularis.

SVMMARIVM

1 *Refertur opinio pro vtroque foro excuſans.*

2 *Recipitur ſententia, quæ affirmat ita dubitantem in vtroque foro eſſe irregularem.*

3 *Nullum inter vnum, aliudque forum eſſe diſcrimen oſtenditur.*

4 *Irregularitas in hoc caſu eſt, quoad ordines, nõ vero, quoad aliorum bonorum priuationem.*

1 RESPONDEO fuiſſe ✠ opinionem *Henriqu. in ſumm. lib. 14. cap. 3. num. 3. & cap. 14. num. 3.* qui aſſerit in tali dubio, quando veritas haberi nequit, neminem exiſtimãdum irregularem, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quam opinionem fusè expendit *Suar. ſect. cit. à num. 11.* & præſertim examinat *textum in cap. Ad audientiam cap. ſignificaſti 2. cap. Petitio de homic.* vbi Pontifex mandat ita dubitantem eſſe arcẽdum à Sacro Miniſterio Altaris, ait. n. Suarez textus prædictos poſſe interpretari in ordine ad forum externum: idcirco dubitantẽ ante Iudicis ſententiam non eſſe obligandum, vt abſtineat à celebratione; & hanc ſententiã nonnihil probabilitatis habere aſſerit *Rebell. de oblig. iuſt. par. 2. lib. 1. quæſt. 3. ſect. 2. nu. 13. ver. (Non deeſt ex recentioribus,)* licet eam ipſe non ſequatur, ſicuti neq; *Suarez, qui loco cit. num. 2.* concludit non eſſe recedẽdum à cõmuni ſententia, quæ aſſerit in tali dubio eſſe irregularem in vtroq; foro, & ante Iudicis ſententiam.

2 Dicendum eſt primò, † hanc opinionem eſſe omninò amplectendam, quam tuetur, & rectè probat *Sanchez l. 1. in decal. cap. 10. num. 42. & alij communiter in materia de cenſuris* & nouiſſimè hanc ſententiam ſequitur, & intelligentiam prædictorum textuum ponderat *Ioannes Eſcobar à corro in tract. de defectu veritatis ſecundum vtrumque forum Art. 1. §. 5. caſ. 5.* Et ratio eſt, quia cum certum ſit in foro externo talem hominem eſſe iudicandum irregularem, & iudicium non fundari in falſa præſumptione, ſed in vero, & reali dubio, ob reuerentiam debitam tanto Sacrificio; ideo in foro conſcientiæ hoc ipſum eſt iudicandum; nam ablata falſa præſumptione inter vtrumq; forũ; nulla eſt diſſenſio, ſed ambo conueniunt, aliter illud iudicium fori externi eſſet iniquum, quod non eſt aſſerendum, cum per Sacros Canones diſponatur.

3 Dicendum eſt ſecundò, † vanum eſt diſcrimen, quod aliqui Authores ponunt, loquentes de re iſta, inter forum externum, & forum internum; nam alij volunt, textus Canonicos citatos verificari in ſolo foro cõtentioſo, non aũt in foro conſcientiæ: alij vero è contra aiunt, locum habere pro foro interno, non autem externo, quia in foro iſto nemo eſt damnandus ob delictum dubium; vanum, inquam, eſt tale diſcrimen. quia loquendo de irregularitate contrahenda in foro animæ, ſi in tali foro incurritur, ſanè non aliũde id prouenit, niſi ex eo, quòd ius poſitiuũ ita diſpoſuit; lex poſitiua, & præſertim Canonica, quando falſæ præſumptioni non innititur, obligat etiam in conſcientia ad eam ſeruandam; ideoq; Pontifex diſponens, vt dubitãs de homicidio arceatur à miniſterio Altaris, obligat procul dubio in conſcientia ad id ſeruandum, & per conſequens etiam in eodem foro dubitans erit habendus irregularis. Quod autem etiam in foro externo iſte talis ſit irregula-

gularis,patet;nam *in cap. cit. Ad audientiam,* id ſignificatur, quia Pōtifex initio eiuſdem capitis exponit cauſſam illam, in qua de homicidio commiſſo dubitabatur, delatam fuiſſe ad forum externum, cum dicitur (*Ad audientiā Apoſtolatus noſtri peruenit &c.*)& id etiā ſignificatur illis alijs verbis in diſpoſitiua, cum dicitur [*Vos eueuit iniungere præsbytero memorato, vt in Sacris Ordinibus non miniſtret.*]

Aduertit tamen *Sanchez num.* 45. & apud ipſum *Syluester, Manuel, Vaſquez, & alij,* in dubio prędicto, dubitantem eſſe exiſtimādum irregularem quoad Ordines ſuſcipiendos
4 & quoad miniſtrandum in ſuſceptis, † non autem quoad pœnas ordinarias, nimirum quoad priuationem beneficij Eccleſiaſtici, &c. & hoc, quia nemo debet puniri pro delicto dubio,& incerto, pœnis ordinarijs, quę impoſitę ſunt pro delicto certo; ſed puniri debet pœnis extraordinarijs arbitrio prudentis pro delicti qualitate, & quantitate dubij; cum autem iura prædicta loquantur limitatè, videlicet ſolùm quoad Ordines, non debent extendi,& ampliari, quia ſunt pœnalia,& per conſequens odioſa.

§. IV.

Si quis cauſſam dedit abortui, & dubitatur, an fœtus fuerit animatus, quid iudicandum in ordine ad irregularitatem.

SVMMARIVM.

1 *Cauſam dans abortui, & dubitans an fœtus fuerit, nec ne, animatus exiſtimandus irregularis iuxta aliquorum placitum.*
2 *Alij oppoſitum ſentiunt.*
3 *Eſt adhibenda diligentia inquirendo, an fœtus fuerit, nec ne, animatus, & hoc non obſtante perſeueret dubium, liberabitur hæſitans ab irregularitate.*

1 COMMVNITER Doctores ✠ exiſtimant in prædicto dubio præſumptionem iuris eſſe pro irregularitate, & ita dubitātem cenſendum eſſe irregularem: ſic docet *Auila de cenſ. p. 7. d. 2. dub. 8. poſt primam concluſionem verſ. ex dictis ſequitur. Sotus in 4. diſt. 25. qu. 1. art. 3. cōcluſ. 4. Sanchez loco citato num. 43. Merolla tom. 1. d. 3. cap. 3. num. 231. Bauny de cenſ. trac. 11. d. 32. Diana reſol. citanda, Barboſa de po-*
2 *teſt. Epiſc. p. 3. alleg. 51. num. 141. & alij:* † nihilominùs eſt probabilis contraria opinio, quā tuetur *Prepoſ. q. 5. de irreg. dub. 8. & Emman. de Moura opuſc. de enſal. ſect. 3. cap. 1. num. 27. & apud Dianam p. 7. tract. 5. reſol. 24. verſ. (Sed pro negatiua) Machadus de perfecto confeſſario tom. 1. l. 2. p. 3. tract. 17. docum. 10. num. 3.* Et ideo iuxta hanc ſententiam dicēdum eſſet pręſumptionem ſe tenere pro exemptione ab irregularitate,& ratio eſt, quia diſpoſitio illa iuris *in cap. Ad audientiam, & in illis capitibus ſupra citatis*, ſecundum quam ſtatuitur in dubio homicidij, ſeu concurſus ad illud, dubitantem reputandum eſſe irregularem, intelligi debet, quando conſtat de corpore delicti, licet dubitetur, an dubitans habuerit influxum in illud delictum, nec ne; tunc enim dicitur conſtare corpus huius delicti, cum ſumus certi de morte hominis; at in caſu noſtro non conſtat, an de ipſo corpore delicti, cum dubium ſit an fœtus fuerit animatus, nec ne? ſeu, an fuerit homo; & cùm diſpoſitio illa ſit pœnalis, reſtringenda erit, proinde, niſi conſtat de homicidio, indicādum eſt delictum illud non eſſe comprehenſum ſub tali diſpoſitione: & hanc ſententiam nouiſſimè tuetur,& probat *Eſcobar loco ſuperius citato in præcedente paragrapho.* Vt autem explicem, quid in hoc ipſe ſentiam, aio adhibēdam eſſe moralem diligentiam ad acquirendam notitiam, vtrum fœtus ille fuerit animatus, nec ne? & ad hoc inueſtigandum adiuuabit inquirere ex indicijs, an partus fuerit maſculus, an verò fœmina, ſi id obtineri poterit, perſcrutando tempus conceptionis,& ſi deprehendatur ſexus maſculinus, & elapſos fuiſſe quadraginta dies à die conceptionis, quod eſt tempus requiſitū à natura ad formationem completā, & animationem maſculi, tunc clarè infertur intentum nempè animationem fœtus,& per conſequens, qui abortum cauſauit, eſſe irregularem: & eodē modo eſt procedendum, ſi deprehendatur ſexus fœmininus, & trāſactum ſit tempus requiſitum ad animationem fœminæ, quod eſt ſexageſimus, aut octogeſimus dies poſt conceptionem ſecundum communiorem opinionem.

3 Si verò † diligentia nihil ad dubium de animatione fœtus profuerit, tūc cenſeo probabilem eſſe hanc ſecundam ſententiam, atq; adeo in praxi, vt potè benigniorem amplecti poſſe, eximendo dubitantem à pœna irregularitatis.

Neque contra opinionem hanc vrgent textus Canonici citati, qui cum ſint pœnales, & ſtrictè explicandi, exponi poſſunt, loqui ſolùm, quando conſtat de homicidio ſequuto, & ſi attentè legantur, videbitur deciſio ſupponere homicidium iam peractum.

(✠)

§. V.

§. V.

Quid dicendum, ſi ſolùm dubitetur, an cauſſa applicata fuerit, nec ne, ſufficiens ad abortũ, ſiue ad aliud homicidium?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur caſus, quando eſt dubium de ſufficientia tantùm cauſſæ applicatæ.*

2 *Rationes excuſantes eum, qui ita ambigit, explicantur.*

3 *Concluditur pro irregularitate, idque ex iure Canonico ſuadetur.*

4 *Soluitur ratio pro oppoſita ſententia.*

PONAMVS conſtare, abortum fuiſſe animatum, & pariter cõſtare applicationem cauſſæ, 1 † ſed dubium emergere, an cauſſa fuerit, nec ne, ſufficiens ad mortem, ſeu ad abortum illum cauſſandum, an potius cauſſatus fuerit vi alterius cauſſę, & examine adhibito id colligi non poſſe? Quæſitum hoc fieri poterit etiam in quocũque alio homicidio, & de facto paucis ab hinc temporibus de re hac conſultus fui, petebat.n. quis à me, habendus ne ſit irregularis Titius, qui pharmacũ porrexit cuidam, vt interiret, & idem poſtea à Sorte abſq; ſcientia Titij, efficacius ad mortem inferendam, datum fuit pharmacũ, quo accepto, paucis elapſis diebus, mors ſequuta fuit; dubitabat igitur Titius, an interitus prouenerit vi pharmaci, quod ipſe dedit, an verò vi illius, ꝙ datũ fuit à Sorte, atq; adeo petebat, num ambiguitas iſta ipſi aliquo pacto ſuffragari potuiſſet ad irregularitatem vitandam.

2 Ex vna parte † videtur Titius eximendus, quia licet conſtet de homicidio, & de cauſſa aliqua applicata ab ipſo Titio, nihilominùs nõ eſt certitudo de ſufficientia cauſſę, quod perinde eſt, ac ſi Titius certùs non eſſet, an cauſſam aliquam dederit, nec ne, ad mortem inferẽdam? in quo caſu proculdubio Titius liberãdus eſſet: & confirmatur; non quodcumq; dubiũ eſt ſufficiens, iuxta diſpoſitiones canonicas, ad irregularitatem hanc contrahendam; vt enim ſtatuimus tum §. præcedente, tũ etiam in hoc præſenti; quando dubium verſatur circa ſubſtantiã facti, irregularitatem non incurri, neq; ita ambigentem comprehenſum eſſe ſub lege illa *in cap. Ad audiẽtiam*; Similiter cum dubietas iſta de ſufficientia cauſſę habetur, non ſatis ad irregularitatem contrahendam videtur, & conſequenter diſpoſitionem illam Canonicam, vtpotè odioſam, eſſe reſtringendam tantùm in eo caſu, quo duo conſtant, & vnum remanet dubiũ videlicet conſtat delictum completum, conſtat etiam cauſſa data ex ſe ſufficiens ad mortem, & dubitatur ob aliquas circumſtantias occurrentes, an mors de facto ſequuta fuerit, nec ne vi talis, aut alterius cauſſæ; ad hunc igitur caſũ limitanda videtur diſpoſitio odioſa iuris, ad cuius veritatem ſatis eſt verificari in vno tm̃ caſu.

Sed omninò dicẽdum eſt, Titium in caſu po- 3 ſito † irregularem eſſe habendum, & caſum illum comprehendi ſub lege *in cap. Ad audientiam.* Probatur, quia ſi textus attentè conſideretũ, deprehẽdetur, de hoc caſu ibi eſſe ſermonẽ; nam ſuppoſita morte illius famuli in dubiũ reuocatũ fuit, an mors cauſſata fuerit ex vi illius vulneris inflicti à presbytero illo, qui erat Dominus, & famulũ verberauit, quoniam ponitur conualuiſſe famulum à vulnere, & poſtea alia infirmitate correptũ obijſſe, nõ ualuiſſe autem totaliter, quia, vt ſic nullus ambigendi locus remanſiſſet, an mors fuerit vi vulneris, ſed aliquãtulum conualuiſſe, vt aduertit *Cardin. Zabbarella exponendo textum num. 1. & Hoſtienſis ibi num. 2. & 3.* proinde erat dubium, an infirmitas illa, ob quam obijt, ſequuta, nec ne, fuerit ex vulnere inflicto, & quia reliquiæ prioris vulneris aliquo pacto remanſerant, meritò dubitatum fuit, an mors ſequuta fuerit vi vulneris quod idem eſt, an vulnus in ſuis reliquijs permanens, fuerit, nec ne, ſufficiens ad mortem illã cauſſandam, vel ſaltem accelerandam, ex coniunctione cũ alio morbo ſuperueniente: hunc caſum decidit Pontifex, & ſtatuit dubitantẽ eſſe arcendũ à Sacro miniſterio; ſic ego dicã ad caſum huius quæſiti, licet non conſtet ſufficientia cauſſæ, ſi homicidiũ ſit ſequutũ, & ſi cauſſa aliqua data fuerit, & ſolùm dubiũ ſit de eius ſufficientia, Titium eſſe irregularem; & caſum hunc eſſe comprehenſum ſub lege illã Canonica.

4 Ad rationem dubitandi in oppoſitum, † facilis eſt ſolutio; nego enim in hoc caſu moraliter perinde eſſe dubitare de ſubſtantia cauſſæ applicatæ, ac de eius qualitate, nempè, de ſufficientia, quicquid ſit in alijs materijs; nã in præſenti materia habemus contra Titiũ delinquẽtẽ legis Canonicæ diſpoſitionem, vt vidimus.

Ad confirmationem reſpondeo, quodcumq; dubiũ, duobus illis conſtantibus, ſufficiens eſſe ad iudicandum Reum irregularem, nempè, conſtante corpore delicti, & cauſſę applicatione; & hoc, quia lex *in cap. ad audientiam* diſponit, ſupponendo iſta duo, videlicet, interitũ famuli, & cauſſam, nempè, vulnus à presbytero inflictũ, & ſolùm loquitur de dubio, an vulnus etiam cõualeſcente famulo, fuerit ſufficiens ad mortem, nec ne; ſecùs autem eſſet dicendum, ſi alterutrũ ex illis duobus nõ conſtaret, tunc enim lex iſta, vt potè odioſa non extenderetur ad alium caſum, & ceſſante poſſeſſione legis, expedita maneret poſſeſſio pro dubitante, quę tamen poſitis duobus illis, nempè, interitu, & applicatione cauſſæ, ſtatim ceſſat poſſeſſio ex parte dubitantis, & incipit poſſidere lex, & præſumptio datur pro ipſa.

§. VI.

Diligentia adhibita ad dignoſcēdum, an abortus fuerit Mas, vel fœmina, vtrum in dubio præſumendus ſit vir, an vero fœmina?

SVMMARIVM.

1 *Caſus iſte à ſimili deciditur.*
2 *Si Mas, & fœmina ſimul naſcantur, dubio exiſtente de prioritate natiuitatis, partus ille magis libertati fauēs præſumitur prior nat⁹.*
3 *Abortus magis fœmineus, & tardiùs animatus præſumitur, ſi id faciat ad vitandam irregularitatem.*

QVAMVIS in terminis nihil de hoc puncto apud Authores in-
1 uenire potuerim; † tamen mihi videtur poſſe à ſimili aliquid probabiliter determinari, nam Iuriſconſulti dicūt, quod dum agitur de fauore libertatis, & vnico partu nati ſunt maſculus, & fœmina, & dubiū ſit quis eo-
2 rum fuerit primo natus, tūc præſumi debet † primo natus ille, qui fauet libertati, ſiue fuerit maſculus, ſiue fœmina, vt habetur *ex l. ſi fuerit ff. de rebus dubijs §. vltim. Bartolus ibi, & alij expoſitores.* Caſus iſte examinatur *à Menoch. lib. 6. præſump. 51. à nu. 12. & 14.* Et confirmatur *ex reg. iuris, (Semper in obſcuris,)* vbi ſtatuitur præſumendū eſſe pro illa parte, proqua vitatur pœna, vt rectè exponit *Alciatus reg. 3. præſ. 45.* ita ego dicam, cū agatur de fauore exēptionis ab irregularitate, & in hoc caſu magis exemptioni faueat ſexus fœmininus, quia
3 tardiùs animatur, † idcirco abortus ille præſumitur fœmineus, & inanimatus; & per conſequens cū non conſtet de homicidio, poſſeſſio videtur eſſe ex parte exemptionis, & nō ex parte legis imponentis irregularitatem, & fatentur hoc ipſum etiam aliqui ex aduerſarijs, nempe *Sanch. nu. cit. 44. verſus finem, & Merolla nu. 251.* quando quis dedit conſiliū ad occidendū aliquem, & dubium ſit an ille, cui conſilium præſtitum eſt, interfecerit, nec nō in tali autem caſu, quando non conſtat de homicidio eximūt conſulentem à reſtituendo, & ab irregularitate; hoc autem nequeūt affirmare, niſi ducti ex eodem principio, cui innititur hæc ſententia de dubio, an abortus fuerit animatus, & ſic diſpoſitio illa Pontificia *in cap. Ad audientiam* videtur ſolùm comprehendere caſum, in quo cōſtat de homicidio patrato. Ex his igitur patet probabilitas huius opinionis, quam docent *Ioannes Præpoſ. & alij,* idcirco opinio iſta mihi videtur ſatis probabilis.

§. VII.

In dubio an homicidium caſu, an verò ex propoſito fuerit illatū, quid iudicandum in ordine ad diſpenſationem irregularitatis contractæ?

SVMMARIVM.

1 *Homicidium caſu, & non ex propoſito illatum præſumitur.*
2 *In irregularitate, quæ ex tali homicidio reſultat poteſt Epiſcopus diſpenſare.*
3 *Homicidium caſuale diſtinguitur à voluntario.*

1 DICO † eſſe præſumendum caſualiter, & non ex propoſito, commiſsū fuiſſe. ita *Fagundez in decal. to. 1. in quintum præceptum lib. 5. cap. 9. num. 6. Menoch. lib. 5. præſump. 2. n. 29.* Et ratio eſt, quia in dubio de crimine commiſſo, id quod eſt minùs præſumi debet, ſi ex circūſtātijs oppoſitū non colligatur, atq; adeo ex hac opi-
2 nione rectè deducere videor, † in tali irregularitate poſſe Epiſcopū diſpenſare, ſi homicidiū caſualiter patratum ſit occultū, & hoc per facultatem *in Trident.* traditam *ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* vbi cū traditur Epiſcopis vniuerſalis poteſtas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excipitur irregularitas proueniens ex homicidio volūtario & alijs ad forū contentioſū deductis, cum aūt Conciliū loquens de irregularitate conſequēte homicidiū, & excipiat illam, quę reſultat ex homicidio volūtario, conſequens eſt, vt dicamus in illa generalitate non cōprehendi irregulari-
3 tatem ex homicidio caſuali, † quod Doctores cōmuniter cōtradiſtinguūt à volūtario, & præſertim, quando agimus de reſeruatione, quæ eſt odioſa, & reſtringenda. Maneat igitur, q exiſtente dubio, an homicidiū patratū fuerit caſuale, an volūtariū, ſeu ex propoſito, poſſe in irregularitate illa, q̃ cōſequitur, diſpēſari ab Epiſcopo.

§. VIII.

Incertus, an homicidium vi ſui conſilij ſit ſequutum, debet ne irregularem ſe exiſtimare?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio eximit conſulentem ab irregularitate.*
2 *Oppoſitum tuentur alij.*
3 *Si de corpore delicti conſtat, præſumitur contra conſulentem.*
4 *Secùs ſi non conſtet.*

SVNT

1 SVNT duæ extremæ ſententiæ, ✠ prima enim pacem negatiuam tuetur; quia in dubijs melior eſt poſſidentis conditio; proinde ita dubitans poterit practicè cõſcientiam deponere, non exiſtimans ſe irregularem eſſe: & hanc opinionem tuetur *Henriquez in ſum. lib. 14. cap. 16. nu. 3. in commento lit. D.*

Secunda autem ſententia † eſt oppoſita par-
2 tem affirmatiuam ſuſtinens, nempè, hunc talem ita dubitantem debere ſe irregularem exiſtimare, & hoc, quia in dubio facti, ius ſtatuit pro irregularitate eſſe iudicandũ: ſic *Couarr. in Clem. ſi furioſus p. 2. num. 1. Sayrus lib. 7. de cenſ. cap. 3. num. 2. Bonacina eodem tract. diſp. 7. qu. 1. pun. 5. num. 7. 8. & alij Authores.*

Cæterum præſens difficultas cum ſit valde connexa prædictis, idcirco ex principijs iactis eius ſolutio facilè haberi poterit, quapropter media via mihi videtur incedendum, nam dubium iſtud de influxu conſilij dati, vel reſultat, poſita certitudine de corpore delicti, ſcilicet, de homicidio iam ſequuto, vel tali certitudine minimè poſita; ita vt etiam dubium ſit corpus delicti, nempè, ipſum homicidium. Hac diſtinctione præmiſſa, quid in re hac probabilius mihi videtur, duplici concluſione aperiam.

Dico igitur primò, † ſi conſtat de homici-
3 dio iam peracto, & dubitatio ſolùm verſetur an conſilium præſtitum habuerit influxum aliquẽ in delictum, tunc veram cenſeò ſecundam ſententiam, quia præſumptio eſt contra conſulentem ipſum, deberet enim probare homicidium vi ſui conſilij minimè illatum fuiſſe, quod in quibuſdam circumſtantijs, hoc eſt, ex aſſertione occidentis adminiculata alijs coniecturis, poterit probari, ſi autem hoc non probetur, Ius præſumit, quod ſi conſilium datum non fuiſſet, homicidium illud minimè commiſſum fuiſſet; neque præſumptio iſta cenſebitur temeraria; quoniam ex vna parte habemus effectum, videlicet homicidium; & ex alià parte habemus cauſſam ſufficientem applicatam fuiſſe, nempè, conſiliũ præſtitum, idcirco, niſi oppoſitum appareat, cẽſendum erit homicidium vi prædicti conſilij ſequutum fuiſſe. Et hanc ſen. etiam tuetur *Sayrus lib. 7. de cenſ. cap. 3. num. 2. Auila par. 7. diſp. 6 ſect. 2 dub. 2. concl. 5. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 10. nu. 44. Merolla tom. 1. d. 3. cap. 3. dub. 2. num. 251. & alij.*

Dico ſecundò, ſi dubium de influxu conſilij
4 emergat non conſtante † de delicto, ideſt, de homicidio, admittendam eſſe iudico priorem ſententiam, quia cum crimen nõ probatur, præſumptio eſt pro Reo, nempè pro conſulẽte, ideoq; non debet irregularem ſe exiſtimare. Veramq; concluſionem docet *Sanchez*, cui *adſcribitur Merolla locis citatis.*

(✠)

§. IX.

Anceps an in bello iuſto hoſtem interfecerit, ſit ne irregularis cenſendus?

SVMMARIVM.

1 *Tali dubio emergente haſitans eximitur ab irregularitate.*
2 *Dubia exiſtente cauſa nemo præſumitur irregularis, niſi in homicidio.*
3 *Homicidium non iuſtam, ſed iniuſtam importat occiſionem.*
4 *Arguitur in contrarium ex textu Canonico.*
5 *Dupliciter textus explicatur.*

DICO probabilius eſſe in tali du-
1 bio † non eſſe habendum irregularem: ſic *Henriqu. in ſumm. lib. 14. cap. 3. num. 4. Sanch. in decal. lib. 1. cap. 10. nu. 50. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. num. 252. ver. (Quares quartò)* eſt tamen cõtrà *Auilam de cenſ. par. 7. diſp. 6. ſect. 3. dub. 2. concluſ. 3. Bonac. eodem tract. diſp. 3. quæſt. 1. pu. 5. n. 3.* Sed noſtra concluſio efficaci argumento oſtẽditur, ſupponendo doctrinam, & ſententiam ſuperiùs traditam, nempè in dubio, non eſſe quempiam irregularem exiſtimandum, excepto tamen dubio de homicidio, iuxta diſpòſitionẽ Sacrorum Canonum, vt in *cap. Ad audientiã, cap. ſignificaſti 2. de homicidio*, & iuxta ferè omnium Doctorum placitum. Hoc autem ſuppoſito, ita concluſionem demonſtro: Nemo
2 iudicandus eſt irregularis, † dubia exiſtente cauſſa irregularitatis, niſi in caſu homicidij: ergo dubitans an hoſtem in bello iuſto interfecerit, non eſt irregularis exiſtimandus. Antecedens patet ex dictis; conſequẽtia, in qua eſt dif-
3 ficultas, probatur: nam ſub homicidio † non continetur occiſio iuſta, quæ propriè loquendo nõ ſolet homicidium appellari, quod de ſui ratione iniuſtam importat occiſionem, & præſertim in odioſis; de quibus in præſentia agimus; in illo autem *cap. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti*; cum decernitur irregularitas, & pro ea Pontifex in dubio præſumit; ſermo eſt de homicidio, & non de occiſione hominis, vt ſic.

Sed dices: † *in cap. penult. eodem tit.* Pon-
4 tifex declarauit, Presbyterum quemdam, qui pugnauit contra infideles in bello iuſto, & hoſtes occidit, fuiſſe irregularem; ergo falſa eſt concluſio.

Reſpondeo ad textum illius capitis, varias à Doctoribus ſolutiones afferri, vt videre eſt apud *Sanchez, & Merolla ll. cc.*

5 Duę mihi veriſimiliores occurrunt. † Prima in capite illo contineri ius antiquum, ſecũdum, quod etiam pro defẽtione iuſta occidens

irregularis fiebat, licet poſtea ſecundum ius nouum expreſſum in Clem. Si furioſus, ablata fuerit talis irregularitas, quando cum moderamine inculpatæ tutelę quis alium occidit; nihilominùs, quia pleriq; exiſtimant in Clem. illa non condi ius nouum, ſed ſolùm declarari antiquũ, idcirco erit ſecunda ſolutio vniuerſalis, & firma, videlicet, occiſionem à Præsbytero illo patratam, non fuiſſe dubiam, ſed moraliter certã, & dubium fuiſſe, an in occidendo fuerit, nec ne exceſſus aliquis ſupra debitum moderamen; & hoc non gratis à nobis fingitur, ſed colligitur ex verbis eiuſdem Pontificis, cum ait [Mandamus, quatenus ſi de interfectione cuiuſquam in illo cõflictu tua conſcientia remordet, à miniſterio altaris abſtineas &c.] remorſus autem conſcientię indicat defectum in actione; proinde meritò Pręsbyter ille debuit irregularis exiſtimari.

§. X.

Repertus in puteo mortuus, aut laqueo ſuſpenſus, ſi dubium extet, an ſe ipſum interfecerit, ſit ne Eccleſiaſtica ſepultura priuandus?

SVMMARIVM.

1 *Qui ſe ipſos interficiunt ſacris precibus non ſunt ſepeliendi, & priuandi Eccleſiaſtica ſepultura.*

2 *In dubio nemo præſumitur ſe ipſo in puteum fuiſſe proiectus.*

3 *Coniecturis contrarijs concurrentibus, furore, aut mentis alienatione ſe ipſo proiectus præſumitur.*

4 *Si talia concurrerent indicia, vt contra proiectum præſumere faciant, non erit in loco ſacro ſepeliendus.*

PRÆSVPPONIMVS decretum
in *Concil. Bracharenſi* 1. *ca.* 34.
editum, & relatum *cap. placuit*
1 23. *quæſt.* 5. videlicet, † ſeipſos
voluntariè interficientes, nõ eſſe
ſacris precibus ſepeliendos, neque eſſe Eccleſiaſtica, ſed canina ſepultura humandos, vt notauit *Gloſſ ibidem v. ad ſepulturam*, & communiter aſſerunt Doctores. Hoc autem præmiſſo, quia interdum euenit, vt aliquis Inueniatur in puteis præcipitatus, & mortuus, aut in cubiculo laqueo ſuſpẽſus, ex tali facto dubium reſultat, an voluntariè ſibi mortem intulerit, & ſi hoc præſumatur, eſſet Eccleſiaſtica ſepultura priuandus, inquirimus quid in tali dubio determinare debeamus.

Dicendum eſt, extante dubio, præſumendum
2 erit, hominem illum † non a ſeipſo, ſed ab alio
in puteum fuiſſe proiectum, aut laqueo ſuſpenſum, atq; adeo non eſſe illi denegandum, vt eius cadauer in ſacro loco reponatur, ita decidit *Socinus Iun. conſ.* 51. *volum.* 2. *Couarr. lib.* 2. *var. reſol. cap.* 1. *nu.* 18. *in medio. Nauarr. lib.* 3. *concl.* 7. *de ſepulturis. Genuenſis in annotat. praxis Epiſcopalis num.* 11. *Lauarius in ſuis lucubrationibus de priſco, & recen. funer. more tit.* 2. *cap.* 12. *à num.* 51. Huius autem ſentẽtiæ ratio eſt, quia ſi non conſtat ſibi ipſi mortẽ volũtariè intuliſſe, præſumptio iuris eſt, ab alio interemptum fuiſſe, cum nemo delictum committere pręſumitur *ex l. meritò ff. pro ſocio*, vel ſi adſunt coniectúrę aliquæ, præſumendum erit
3 eum, † aut furore, aut mentis alienatione ſeipſum occidiſſe. Cæterum ſi talia concurrerẽt indicia, vt gignerent vehemẽtem præſumptionem in contrarium, quæ eliderer præſumptionem illam generalem, ſecũdum quam dicimus delictum non præſumi, in eo caſu arbitrio pru-
4 dentis Iudicis, † Corpus non eſſet in loco ſacro ſepeliendum.

§. XI.

Vtrum Infantes, qui in hoſpitali, aut in alio publico loco exponuntur, quorum parentes ignorantur, cenſendi ſunt illegitimi, atque adeo irregulares.

SVMMARIVM.

1 *Præſumi illegitimos, & indigere diſpenſatione, vt ordinentur, autumant aliqui.*

2 *Contrariam ſententiam alij tuentur.*

3 *Ob maiorem ſecuritatem eße ab Epiſcopo diſpenſationem petendam, putat Suarez, ſed non placet.*

4 *Secunda ſententia, vt probabilior ab Authore recipitur.*

RESPONDEO eſse duas ſenten-
1 tias, † prima putat hos pręſumendos eſse tales, & ideo non poſse abſq; diſpenſatione ad ordines promoueri: ita *Couarr. in Clem. ſi furioſus de homic. nu.* 9. *Vgol. de irregul. cap.* 44. *§.* 7. *num.* 1. *Henriquez in ſum. lib.* 11. *cap.* 20. *§* 1. *& lib.* 14. *cap.* 8 *§.* 10. Et loquendo vniuerſaliter de eo, de quo dubitatur, an ſit illegitimus, idem tenet *Vaſquez p* 3. *d.* 66. *cap.* 8. *num.* 18. *Tol. in ſum. lib.* 1. *cap.* 52. & nouiſſimè *Gaſpar Hurtado d.* 2. *de irregular. diff.* 14. *in fine*, idem affirmat.

2 Sed alij grauiſſimi Doctores † oppoſitum tuen-

tuentur, nempè, hos expoſitos neq; pręſumi irregulares, neq; illegitimos, ac proinde promoueri poſſe ſine vlla diſpenſatione Pontificia, & hanc ſententiam docet *Ananias de infan. expoſ. cap. 1. num. 11. Menoch. de arbitr. libr. 2. cent. 4. caſu 396. num. 15. Rodriqu. in quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 13. ar. 1. Sayrus de cenſ. lib. 6. cap. 10. num. 39. Martinez p. 2, quæſt. 19. ar. 6. dub. 5. concl. 2. Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 24. n. 246. Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. allega. 51. num. 150. Merolla tom. 1. d. 3. cap. 3. num. 258. Baldellus in p. 2. tom. 1. lib. 4 d. 8. num. 24.* Frãciſcus *Delugo p. p. decur. qu. 10. nu. 53. & quãplures alij.* Sed *Suarez de cenſ. diſp. 50. ſect. 4. num. 4.* docet vtramq; opinionem eſſe probabilem, addit tamen ſecurius eſſe in tali dubio
3 petere diſpenſationẽ ab Epiſcopo; † ſed iſtud additum nõ placet, quia cum Epiſcopus careat poteſtate diſpenſandi cũ illegitimis quoad ordines ſaltem ſacros, perinde eſt adeſſe, & non eſſe talem diſpenſationem, cum nihil in re operari queat. Et ſi dicas eſſe per modum cuiuſdam approbationis, & liberæ facultatis, vt Epiſcopus volũtariè approbet perſonam; ſi dicas, inquam, hoc, nihil dicitur tamquam quid neceſſarium, ſed ſolùm, vt quid volũtarium, & liberum diſpenſatione minimè indigens.

4 Dico igitur probabiliorem †. eſſe hanc ſecundam ſentẽtiam, quia licet matrimonium ſit quid facti, atq; adeo non ſupponendũ, ſed probandum; nihilominùs etiam coitus illicitus, quẽ præſumunt Authores primæ opinionis, eſt etiã quid facti; idcirco ius potiùs præſumit factum honeſtum, quàm turpe; & per conſequens in noſtro caſu ſupponit expoſitos ex matrimonio natos; ideoq; legitimos, & quamuis filij legitimi rarò hoc pacto exponantur, & expoſiti frequentius ſint illegitimi, & præſumptio illegitimitatis ex communiter accidentibus videatur efficacior, præſumptio tamen contraria maiorem vim habet, nempè illam; quæ apta eſt excludere delictum, vt rectè admonet *Menochius lib. 5. præſump. 19. num. 18.*

CAPVT VIII.

Nonnulla diſcutiuntur, quæ cõtra falſum conſcientiæ dictamen in materia cenſurarum, & irregularitatum fiunt.

QVAE ad conſcientiam dubiam circa pœnas Eccleſiaſticas ſpectare videbantur ſufficienter pertractatũ fuiſſe exiſtimo; nunc verò peculiares quoſdam caſus, in quibus falſa inueniri ſolet conſcientia in materia earumrumdem cenſurarum, & irregularitatum perſcrutabimur.

§. I.

Ex Errore iudicans cenſuram, aut irregularitatem actioni, quam exercet, annexam, num illis aſtrictus maneat?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſitum.*
2 *Rationes proponuntur pro parte affirmatiua.*
3 *Ex tali falſa conſcientia nemo operans, in cenſuram incurrit, ſi in re non inuenitur impoſita.*
4 *Cenſuræ in fieri, & conſeruari dependent à voluntate ſolius Superioris.*
5 *Quamuis ſit in aliqua actione contemptus Eccleſiæ, non ſequitur, contemnentem affici cenſuris.*
6 *Operans contra conſcientiam, falsò putans aliquam actionem eſſe malam, peccat, at non ita operans contra conſcientiam falſam circa cenſuram.*
7 *Declaratur Gloſſa adducta in contrarium.*
8 *Celebrans cum falſa conſcientia excommunicationis; non incurrit irregularitatem.*
9 *Neque putans crimen commiſſum eſſe reſeruatum, facit illud tale, ſicuti è cõuerſo credens non eſſe reſeruatum, non tollit ab illo reſeruationem.*

CONSVEVERVNT Doctores de præſenti quæſito quæſtionẽ excitare, loquentes de ignorantia, quæ ab incurſu cenſurę excuſat, & occaſione arrepta ex
1 aduerſo, inquirere, † num exercens actionem, quę re vera immunis eſt ab omni cenſura, aut irregularitate, ſi conſcientia errante laboret, putans, talem actionem ſub pœna excommunicationis ab Eccleſia prohiberi, & hoc non obſtante, ita iudicans, actionem illã exercet, incurrat, nec ne, cenſuram illam putatã, v. g. ſi Titius grauiter, & iniuſtę percutiat Sortẽ, quem Clericum exiſtimat, at Laicus eſt, an excommunicatione aſtringatur.

Poſſet alicui videri Titium in eo caſu Reum
2 eſſe cenſuræ, † quia ſciens præceptum Eccleſiæ expreſſum in *Can. ſi quis ſuadẽte* 17. illud quãtùm eſt ex ſe, contemnit, & contumax ex conſcientia erronea conſtituitur; ergo contra eãdem conſcientiam operans, perinde ſe habet, ac ſi illi actioni annexa fuerit excommunicatio. Probatur etiam à pari, ſicuti per conſcientiam erroneam iudicans actionem aliquam eſſe mortaliter malam, quamuis in rei veritate talis non ſit, eam exercẽs, grauiter peccat: ſic, & in excõmunicatione. Hanc ſententiam tribuit *Couarr. loco infra citando Gloſſa cap. Si vero 2. Ver. Ignorauerit de ſent. excomm.*

Dicen-

Dicendum tamen eſt primò cum communi
3 ſententia, percutientem in caſu prędicto † nequaquam excõmunicatione aſtringi, ità cõmuniter Canoniſtę in eo c. *Si verò. Anchar. Panor, nu.7. Barboſa, & alij ibidem S. Anton.3.par. tit.24.§.1. Syluest. verb. excomm. 6. num.6. Verb. ſciendum eſt quarto. Couar. cap, Alma Mater.par.1.§ 10.illat.2. Suarez de cenſ.diſp. 21. ſect.1. num. 53. Sanchez lib.9. de matrim. diſp.32. num. 28 Auila par. 2. cap. 5. diſp.3. dub. 14. Alterius tom.1. diſp.11. lib.5. cap.5. dub.2. Ver. Quæres ſi quis. Baldellus 1.lib.4. diſp 7 in fine. Caſtropalaus de cenſ.diſp.3.pun. 23 § 3.num.4. & alij.* Probatur concluſio euidenti
4 ratione † Excommunicatio cũ ſit pœna quoad ſui impoſitionem, & exiſtẽtiam, eſt omninò indepẽdens à ſubditis, cum ſolùm in fieri, & conſeruari dependeat à Superiore, volẽte illam imponere; proindè quamuis ſubditus certò iudicet impoſitam eſſe, ſi ità nõ eſt, vi illius falſæ conſcientiæ, nequaquam habebitur excommunicatio, & ſic de alijs cenſuris. Ex hac autem ratione facilè diluuntur obiecta.

Ad primùm, aio, etiam ſi percutiẽs cõtemnat in ſua exiſtimatione eccleſiaſticum pręceptum,
5 & grauiter peccet; † nihilominùs ex hoc non debet inferri excõmunicatione obſtringi, quia illi externæ actioni, & contemptui Eccleſia pœnam cenſuræ non impoſuit.

6 Ad ſecundum, nego paritatem, † quia falsò exiſtimans actionem ex ſe non malam, prauam eſſe, eam exercẽs, peccat cõtra proximam regulam actionum moraliũ, nempè cõtra propriam cõſcientiam, ſecundum quam homo in ſuis actibus debet ſe gerere; at exiſtentia, aut nõ exiſtẽtia cẽſuræ, ſicuti & aliæ pœnæ non dependent à regula intrinſeca ipſius peccãtis, ſed a voluntate Legiſlatoris. † Ad auctoritatem *Gloſſæ* com-
7 muniter reſpondẽt Authores nõ fuiſſe eius verba bene intellecta à Couar. nam *ipſa Gloſſa* non aſſeruit abſolutè percutientem in eo caſu eſſe excommunicatum, ſed propter cõſcientiam, videlicet, erroneã, teneri talem ſe exiſtimare, vſq; dum certus efficiatur de veritate: hanc verò eſſe intentionem *Gloſſæ*, non ſolùm patet ex verbis *illius capitis*, verum etiam *ex cap. In audiẽtia. eod.tit.in fine. verb. Iniuriarum*, vbi expreſsè docet, quod ſi percuſſus non eſt Clericus, percutiens non eſt excommunicatus, quamuis ex errore putauerit illum, quem percuſſit, eſſe Clericum.

Dicendum eſt ſecundò. Si laborans conſciẽtia illa erronea, putet ſe Clericũ voluntariè percuſſiſſe, & cõſequenter exiſtimet ſe eſſe excommunicatione innodatum, & hoc non obſtante
8 celebret, † irregularitatem minimè incurret; Sic docet *Panormitanus in eo cap.cit. num.7.* Cõcluſio, eadem ratione, qua ſuperior, oſtendi poterit; nam pœnę iſtę non afficiunt, niſi reuera impoſitæ ſint; igitur cum percuſſor ille fuerit verè immunis ab excommunicatione, licet falsò oppoſitum exiſtimauerit; ideò non potuit Sacrificium peragendo, irregularitate obſtringi, quamuis per conſcientiam erroneam grauiter deliquerit peccato inobedientiæ, ex contumacia iuxta ſuum dictamen.

Quæres, ſi quia deceptus exiſtimet, crimen à ſe commiſſum ſub reſeruatione contineri, vtrum, tali errore non obſtante, pro reſeruato minimè ſit habendum, ſicuti loquuti ſumus de cenſura non vera, ſed exiſtimata?

9 Reſpondeo † ità eſſe dicendum, & ob idem ferè principium; nam reſeruatio non dependet directè ex conſcientia peccantis, ſed à Superiore volente ſibi reſeruare facultatem abſoluẽdi, tollẽdo iuriſdictionem ab inferioribus, quoad abſolutionem talis peccati, aut cenſuræ: ſicuti è conuerſo etiã ſi peccator putet culpam aliquam non eſſe reſeruatam; ſi tamen verè eſt reſeruata, Confeſſor ordinarius non poterit abſoluere culpam illam, & hoc quia tum reſeruatio, tum eius negatio ſunt omninò independentes à cõſcientia ipſius peccatoris, ſed ſolùm à voluntate Superioris dependent, cum conſiſtant in conceſſione facultatis abſoluendi, vel in eius negatione.

§. II.

Si quis Titium Clericum verberet, ex errore tamen putans Sortem par ter Clericum ſe percutere, ſit ne excommunicatione aſtrictus?

SVMMARIVM.

1 *Tripliciter caſus contingit.*
2 *Si priori modo euenit, Reus in excommunicationem incidit.*
3 *Suarez non rectè citatur à Merolla.*
4 *Inſtantia, eiuſq; ſolutio proponitur.*
5 *Secundo modo caſus contingens reddit percutientem immunem à cenſura.*
6 *Neq; verberans afficitur excommunicatione, Si caſus accidat tertio modo.*
7 *Tria copulatiuè requiruntur ad hanc cenſuram incurrendam.*
8 *Obijcitur ad hominem probando paritatem inter primum, & vltimum caſum.*
9 *Soluitur per oſtenſionem diſparitatis.*

PRÆSENS quæſitũ diuerſis formari poſſet modis, atq; adeò va-
1 rias admittere ſolutiones: † primò enim poſſet inquiri, an verberans incidat in excommunicationem, ſi percutiẽs Titiũ, quem ex errore exiſtimat Sortem, agnoſcat clericatũ in eo, quem actu verberat. Secundò, Si volens Sortem percutere, ictus inculpabiliter cadat ſupra alium Clericum. Tertiò deniq; ſi tales occur-

occurrant circumſtantiæ, vt Clericatus in perſona, quæ cœditur, inuincibiliter ignoretur, quamuis ex iudicio erroneo, pro vt eſt in alia perſona, in quam directè percutientis intentio fertur, minimè ignoretur, vt mox declarabimus.

Dicendum eſt primò. Si caſus priori modo
2 formetur, † procul dubio verberans in excommunicationem incidit, ità *Henriquez lib. 13. cap. 23. num. 1. lit. M. Molina tom. 4. diſp. 53. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 27. Vgolinus de cenſuris par. 2. cap. 11. §. Propoſuimus, Corduba in quæſt. lib. 2. cap. 27. Ver. (ſecundò probatur) Sayrus de cenſ. lib. 1. cap. 18. num. 18. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 10. in 8. illat. Suarez diſp. 22. ſect. 1. num. 53.*
3 *Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 72.* † qui immeritò citat *Suarez num. 71.* pro oppoſita ſententia, cũ apertè ipſe Suarez diſtinguat quæſitum, & in hoc caſu, quem expendimus, doceat noſtram ſententiam, vt patet legenti. Probatur Concluſio: Percusſio illa eſt iniurioſa ſtatui clericali; ergo verberans in excommunicationem incidit: antecedens ſuadetur, quia ſtatus clericalis ſupponitur cognitus à verberante, qua cognitione non obſtante, fit iniuſta percusſio; proindè cum ſit in contemptum ſtatus, erit illi iniurioſa. probatur etiam conſequentia principalis. Cẽſura excõmunicationis *in cap. ſi quis ſuadente.* impoſita fuit in gratiam, & honorem ſtatus Eccleſiaſtici vt ſic; atq; adeò verberans meritò in excommunicationem incidit.

4 Inſtabis, † percutiens directè intẽdebat verberare Sortem Clericum, & non Titium, proindè clericatus, quatenus in tali ſubiecto reperitur, videlicet in Titio incluſus, non cenſebitur iniuriam paſſus, & ideò verberans immunis erit ab excommunicatione.

Reſpondeo, negando conſequentiam; licet enim directa, & primaria intentione percutiẽs noluerit iniuriam inferre clericatui, in quãtùm eſt in tali ſubiecto contractus; nihilominùs indirecta, & ſecũdaria intentione clericatum offendit; error enim non eſt de clericatu, vt ſic; ſed de clericatu, vt reſtricto in tali perſona; & cum cenſura, vt diximus, impoſita ſit ob circũſtantiam ſtatus Eccleſiaſtici vt ſic, idcircò percutiens illam minimè aufugiet; & apertè hoc colligitur *ex L. Eum, qui nocentem §. ſi iniuriæ ff. de iniurijs*: ibi enim ſtatuitur, iniuriam mihi fieri, ſi quis me ignorans, putet, me eſſe alium, & iniuriam mihi irroget.

5 Dicendum eſt ſecundò. † eſſe immunem à cenſura percutientem, ſi caſus poſteriori modo ponatur. Sic *Suarez, Alterius locis citatis, & Merolla, vt ſupra num. 73.* Probatur concluſio, quia actio illa externa, prout attingit alium Clericum, eſt omninò inuoluntaria, & inculpabilis; ſupponimus enim à percutiẽte adhibitam fuiſſe cautelam, ne alium percuteret, ideò reſpectu huius nõ erit volũtaria percuſſio, & per conſequens neq; peccaminoſa.

6 Dicendum eſt tertiò. percutientem † non incidere in excommunicationem, ſi caſus poſtremo modo eueniat, quem declaro, antequam illum probem. Ponamus quod percutiẽs ſit Caius, & priuſquam in actum percutiendi exeat; videat noctu Titium clericum veſtitu laicali incedentem, & putet eſſe Sortem, ſimul Clericum, quem verberare intendit, inuincibiliter tamen ignorans, Titium in eo habitu eſſe clericali nota inſignitum, ex ſuppoſitione quod nõ ſit Sortes, qui cõſueuerat tempore nocturno ſub ſimilibus veſtibus incedere; tunc Caius iudicio erroneo exiſtimãs illum, quem videt, eſſe Sortem, eum percutit; in tali autem caſu aio, Caium vinculo excommunicationis minimè ligari; hãc opinionem vt probabiliorem amplectitur *Molina diſp. cit. num. 3. Malderus in p. 2. S. Thomæ quæſt. 6. art. 8. ver. (Anceps eſt quæſtio) Alphonſus Curiel ibidem quæſt. 76. art. 4. dub. 2. §. 1. Merolla loco cit. num. 74.* Probatur Concluſio. Quoties percutiens inculpabiliter ignorat qualitatem, ob quam lata eſt cenſura, non incurrit excommunicationem: Sed Caius percutiens Titium in caſu poſito inculpabiliter ignorat talem qualitatem: ergo Caius percutiẽs nõ incurrit excommunicationem: patet maior; minor verò probatur; quia ex ſuppoſitione, quod homo percuſſus non ſit Sortes, poterit Caius inuincibiliter ignorare illum alium eſſe clericum; ergo percutiẽs Titium inculpabiliter ignorat talem qualitatem, nempè clericatum.

7 Ex his autem colligi poterit † ad incurrẽdam hanc excommunicationem, tria copulatiuè requiri. Primò, intentionem grauiter verberandi perſonam priuilegiatam. Secundò, externam percuſſionem. Tertiò, negationem inuincibilis ignorantiæ de qualitate illa, ob quam lata fuit cenſura, quæ in præſenti caſu eſt clericatus: in facto autem poſito habetur prima, & ſecunda conditio, quia Caius intentionem habet percutiendi Sortem Clericum: Rurſus eſt externa percuſſio Clerici, nempè Titij, qui putatur eſſe Sortes, deeſt tamen tertia, quia ex ſuppoſitione quod percuſſus non ſit Sortes, inuincibiliter ignoratur circumſtantia Clericatus, & ſic percuſſio externa, pro vt hic, & nunc fit, nõ eſt voluntaria in ordine ad Clericatum, & per cõſequens non eſt ſacrilega, neq; pro vt ex tali ignorantia exercetur, annexam habet excommunicationem.

8 Obijcies ad hominem. † inter primum, & vltimum caſum, paritatem inueniri, nam circumſtantia Clericatus in vtroq; latet; igitur Caius, vel erit excuſandus etiam in hoc vltimo facto, vel ſi in hoc excommunicationem contraxiſſe ponatur, idem in ſecundo caſu erit aſſerendum.

Reſpondeo, diſparitatem intentam primo aſpectu nõ ità facilè ſe offerre, verùm ſi attentè
9 vnum, & alterum examinabimus caſum, † leui negotio eam comperiemus: aduerte igitur in primo caſu, licet Caius ex errore Sortem ſe percutere exiſtimet, nihilominùs nulla cõcurrit circumſtãtia, per quam Caius ignoret clericatũ in percuſſo: Secùs in vltimo caſu, in quo talis ſe offert circumſtantia, vt ea ſuppoſita, Caius, vel iudicet poſitiuè percuſſum, nõ eſſe Clericũ, ſeu perſo-

perſonā priuilegiatam, iuxta *Canonem. Si quis ſuadente.* vel id inuincibiliter ignoret; circũſtãtia autẽ huius iudicij, aut inuincibilis ignorãtiæ eſt habitus laicalis, ſub quo, tempore nocturno Caius Sortem dũtaxat incedere conſueuiſſe deprehendit; proinde poterit iudicare, ſi perſona illa laicalibus veſtibus eo tempore Induta, non ſit Sortes, eſſe merè Laicũ, errandi occaſionem laicali illo veſtitu præbente; & ſic patet inter vnum, & alterum caſũ manifeſta diſparitas; idcircò ad obiectionem contrariam, negandum eſt antecedens.

CAPVT IX.

Ambiguitates conſcientiæ in materia iuſtitiæ ſoluuntur.

AMpla ſe offert materia, quæ licet fuſam poſtularet tractationem, nihilominùs reſtringenda à nobis eſt ad difficultates, quę conſcientiam titubantem reddunt.

§. I.

Dubitans rem, quam habet, eſſe alienam, an illam reſtituere teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Dubitantem aſtringi ad rem illam reſtituendam putauit Adrianus.*
2 *Alijs placet pro ratione dubij rem eſſe diuidenda.*
3 *Poſſe à dubitante titulo poſſeſſionis retineri, determinat Author.*

1 IN re hac ✠ *Adrianus de reſt. q. de præſcript. §. hoc ſuppoſito apud Breſſerum loco citando,* cenſuit totam integram eſſe reſtituendam; citat etiam *Breſſerus Sotum*, at hic non loquitur de dubio preſsè ſumpto, ſed de opinione, vt vide-
2 bimus. Alij dicunt † rem eſſe diuidendam pro ratione dubij, & ad hoc inclinat *Aragon 2. 2. quæſt. 62. de dominio circa finem in 3. aduertẽdo, reſpondens ad fundamentum Gloſſæ, Gaſpar Hurtado de conſc. diſp. 4. diff. 10. & apud ipſum Couar. Lorca, Monteſinus, Io: Medina, Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 5. art. vlt. verſus finem §. quando ergo. Martin. Ledeſma, & alij apud Sanch. lib. 2. de matr. d. 41. num. 11.*

3 Sed dicendum eſt, † dubium illud ſpeculatiuè, poſſe practicè deponi titulo poſſeſſionis; proinde tuta conſcientia poterit poſſidens rem illam ſibi integrè retinere: ſic *Sanch. loc. cit. & in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 9. Vaſquez p. 2. d. 66. cap. 7. num. 36. Salas tract. 8. quæſt. vnica ſect. 26. nu. 226. Molina tom 3. de iuſt. diſp. 721. num. 4. Breſſerus de conſc. lib. 4. cap. 3. num. 21. Merolla tom. 1. d. 3. cap. 3. dub. 1. num. 6. 7. Martinez in p. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 5. concl. 2. & alij;* fauet enim in pari dubio poſſeſſio ipſi poſſidenti; & pro eo in caſu poſito eſt iuris præſumptio, ſecundum quam pręſumitur poſſeſſor, qui rem detinet, eſſe in vero dominio. *ex Bart. conſ. 209. nu. 4. vol. 1. Panormitano cap. Nunc autem num. 2. de relig. domib. Menoch. lib. 3. præſum. 100. num. 5.*

§. II.

Quid dicendum ſi poſſeſſor illius rei, inclinat, eam potius eſſe alienam?

SVMMARIVM.

1 *Nonnulli exiſtimarunt rem eſſe diuidendam.*
2 *Inclinatio niſi aſſenſum generet, pro eo, qui non poſſidet, non eſt ſufficiens ad aſtringendum poſſidentem, vt re illa ſe priuet.*
3 *Si opinio probabilis hinc inde habeatur, poſſidenti eſt fauendum.*
4 *Idem aſſerendum, etiam ſi pro non poſſidente probabilior ſit opinio.*
5 *Nullo extante aſſenſu pro poſſidente, res eſt reſtituenda.*

1 CENSVIT ✠ *Thomas Sanch. lib. 2. de matrim. diſp. 41. nu. 19. & apud ipſum Ledeſma, Bañes, & Salonius* rem eſſe diuidẽdam; melius tamen aſſerimus cum
2 alijs, poſſe, † qui eam habet, integram illam ſibi retinere, ſi inclinatio non generet aſſenſum pro illo, qui non poſſidet. *ita Sanch. mutans ſententiam in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 9. Salas, Vaſquez, & alij, quos citat, & ſequitur Franſciſcus De lugo de cur. p. p. q. 5.* & hoc aſſerunt ratione poſſeſſionis pręponderantis tali inclinationi, quæ ſi aſſenſum non generat, erit adhuc intra limites dubij, ideòq; locum habet regula illa, *in pari cauſa, &c.* Dixi ſi aſſenſum nõ generet, quia ſi eſt talis, vt in poſſidente opinionem generet, qua credat rem illam eſſe alienam, tunc alia erit conſideratio; nam ſi ita ſit opinio pro non poſſidente, vt etiam ſit probabilis opinio pro ipſomet poſ-
3 ſidente, † tunc in fauorem ipſius poſſidentis eſt declinandum, quia ſumus in pari cauſſa, *ita San-*

Sanch. in ſum. & Salas loco cit. & idem puto eſſe dicendum: quamuis opinio contra poſſidentem, & in fauorem non poſſidentis videa-
4 tur probabilior; † quia poſſeſsio preponderat illi maiori probabilitati; ita vt verè dicere poſſemus, adhuc eſſe in pari cauſſa, cum pro vtraq; parte cauſſa non egrediatur limites opinionis; ſi verò nullus ſit aſſenſus pro poſsidente, ſed ſit
5 pro non poſsidente, tunc dico rem illam † cedendam eſſe non poſsidenti, vt rectè affirmat *Sanchez loco cit. & innuit Vaſquez p. 2. d. 66. cap. 7. num. 42. in fine.* & ratio hujus aſſertionis eſt, quia non ſumus in pari, &c. ſed tota præſumptio eſt pro parte contraria, & nulla pro illo, qui rem materialiter detinet, proinde iuxta noſtra principia ſuperius poſita, poſſeſſio iuris in tali caſu tota eſt pro eo, qui rem illam non habet. ideoq; hęc poſſeſsio adminiculata legis pręſumptionib' vincet poſſeſsionẽ materialem alterius, de qua in hoc caſu lex minimè curat.

§. III.

Stante prædicto dubio, an poſſit res illa à poſſidente alienari?

S V M M A R I V M.

1 *Ante adhibitam diligentiam poſſeſſor nequit rem illam alienare.*
2 *Hoc eſt intelligendum de rebus, quę vſu conſumũtur, aut deteriores fiunt, ſecus de alijs, pro quorum vſu ſatis eſt intentio ſoluendi ſtipendium.*
3 *Poſt diligentiam, ſi dubium maneat, poſſe à poſſidente alienari quadam poſita limitatione, autumant plures.*
4 *Sententia iſta recipitur ab Authore.*
5 *Elucescente veritate poſt conſumptionem rei, qui eam conſumpſit, tenetur reſarcire id, in quo ditior eſt factus.*

ANTEQVAM præmittatur diligentia ſufficiens ad veritatem
1 indagandam, † nequit poſſeſſor rem illam alienare; ſed tenetur eam in eius ſtatu conſeruare; & hoc eſt indubitatum apud Doctores; aliter diſtrahens ſe exponeret manifeſto periculo conſumendi rem alienam inuito domino; quod eſt contra iuſtitiam; at *Sanch. lib. 2. de matr. d. 41. nu. 21. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 1. difficult. 20. num. 4. Meroll. cap. illo 3. dub. 1. corol. 2. num. 10. Diana de conſc. dub. p. 4. reſol. 25. verſ. Notandum eſt, & alij* rectè ani-
2 maduertunt † hoc eſſe intelligendum de rebus, quę vſu conſumuntur, aut deteriores fiunt; nam ſi eſſet equus, ſeruus, & ſimilia, poterit dubitans illis vti eum intẽtione ſoluendi domino comparenti pretium illius vſus, deductis iuſtis expenſis; & de tali vſu non præſumitur dominum futurum fuiſſe inuitum; difficultas autem conſiſtit, an adhibita diligentia, & perſeuerante dubio prædicto, valeat poſſeſſor rem illam alienare, vel conſumere; & ad hanc difficultatem reſpon-
3 dent auctores † affirmando, cum hac autem limitatione, vt ſi res illa alienetur per contractum venditionis, aut permutationis, aut per alium contractum onerosum, debeat alienans admonere de dubio illo alium contrahentem, & idem dicunt ſi res diſtrahatur per donationem, ſi ex donatione illius rei aliquod damnum poſſet, compariente domino, ipſi donatario obuenire,
4 aliter eſſet vera deceptio. † Et hæc ſententia cum tali reſtitutione eſt admittenda.

Ducor ad illam recipiendam ſententiam, quia debita inquiſitione præſtita, ad veritatem obtinendam, num res illa ſit propria, an vero aliena, ſi adhuc perſiſtat ambiguitas, detentor veluti bonæ fidei poſſeſſor erit exiſtimandus, proindè dubium illud ſpeculatiuum erit practicè deponendum, & ad ſui libitum detentor ipſe re illa vti, eamdemq; alienare, aut conſumere poterit; non enim videtur rationi conſentaneum, huiuſmodi detentores adſtringere, vt perpetuo rem illam incolumem ſeruent; graue enim, & irrationabile onus illis imponeretur, & moleſta nimis animi ſollicitudo. † Et ſi poſt id tempus veritas eluceſcere incipiat, deprehẽdatq; poſſeſſor, rem illam fuiſſe determinatæ perſonæ, ad nihil aliud obligabitur, niſi ad id, quod ſecundum iura obſtringitur poſſeſſor bonæ fidei, ipſa bona fide ceſſante, vt infrà explanabimus.

§. IV.

Si nulla moraliter ſit ſpes, vt dominus compareat, an teneatur alienans admonere alium, cum quo contrahit?

S V M M A R I V M.

1 *Nulla exiſtente ſpe, vt dominus compareat non eſt obligatio admonendi emptorem.*
2 *Ratione confirmatur.*
3 *Admonitio pro alienantibus rem ſub dubio poſſeſſam.*

1 NEGATIVE eſt reſpondendum, & ita docet *Bañes 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 5. Sanch. de matr. vt ſupr. Io: Sanch. in ſelect. d. 43. num. 22. Caſtrop. de conſc. d. 3. p. 2. num. 23. Fachin. lib. 1. contr. cap. 65. Salas tract. illo 8. d. vnica ſect. 23. n. 227. Merolla corol. 3. eiuſdem cap. num. 14.* Et ratio
2 eſt, † quia ſublata omni ſpe, vt Dominus compareat,

Ee

reat, eſt moralis certitudo, quod ille alius, cui res alienatur, non ſit paſſurus damnum ex tali alienatione, & per conſequens in alienante ceſ-
3 ſabit obligatio; † ſed caueant ita alienantes ne propria paſſione decipiantur, fingentes abſq; ſufficienti fundamento, nullam eſſe ſpem, vt Dominus compareat.

§. V.

Si poſſeſſor poſt diligentiam præſtitam, in propriam vtilitatem, rem illam conſumit, an comparente Domino, teneatur pretium illius rei reſtituere?

SVMMARIVM.

1 *Teneri pretium reſtituere cenſent aliqui.*
2 *Non teneri alienantem, niſi ad reſtituendum id, in quo effectus eſt ditior.*
3 *Limitatur à Gaſpare Hurtado.*
4 *Limitatio non admittitur ab Authore.*

1 AFFIRMATIVAM partem ſequuntur *Bañes dub. 5. cit. concl. 5. Arag. ibidem n. 5. dub. 1. Salon. eod. art. controu. 4. in ratione 4. pro concluſione. Medina cap. de reſtit. quæſt. 10. verſ. Dico ſecundo. & alij*, quos laudat, & ſequitur *Sanchez l. 2. de matr. d. 41. num. 22.*

2 Sed potiùs cum alijs dicendū eſt, † eum, qui rem prædicto modo conſumpſit, ſolùm teneri domino comparēti reſtituere id, in quo factus eſt ditior inſtar poſſeſſoris bonæ fidei. ita *Leſſius lib. 2. de iuſt. ca. 14. d. 23. Vaſquez prima, 2. diſp. 66. cap. 7. nu. 38. Rebell. de oblig. iuſt. p. 1. lib. 2. q. 5. num. 51. Merolla corol. §. cit. nu. 15. & idem Sanchez ſeipſum tacitè retractans in ſum. lib. 2. cap. 23. num. 186. Franciſcus Delugo de cur. p. p. q. 7.* & ratio eſt manifeſta, quia poſt adhibitam diligentiam incœpit ipſe eſſe poſſeſſor bonæ fidei; ideoque in reſtitutione facienda Domino cōparēti nō eſt magis obligād⁹, quàm reliqui poſſeſſores bonæ fidei, quib⁹ nūquam occurrit dubitatio circa rem poſſeſſam.

3 Ceterum † *Gaſpar Hurtado diſp. 4. de conſc. diff. 10.* ſequitur hanc ſecundam ſententiam cum quadam limitatione, videlicet, quando ratio nabili neceſſitate res illa alienatur, aut conſum itur; & præciſa tali neceſſitate, cenſet alienantem teneri ad ſatiſfactionem pro re conſumpta, vel ſi totaliter conſumpta non fuerit, ſed deterior effecta, teneri pro tali defectu.

4 Hoc tamen non obſtante iudicio, † probabiliorem eſſe ſecundam ſententiam abſq; tali limitatione, quia præmiſſo examine ad veritatem aſſequendam, & ea non obtenta, res poſſideri poterit vt propria, quam poſſeſſio, cui adiungitur bona fides, tale habet emolumentum; aliter ſequeretur in multis caſibus reddi inutilem diligentiam, ſi poſſidens, facto examine debito, teneretur ſemper rem illa conſeruare, dum neceſſitate non premitur.

§. VI.

Si bona fide res aliena conſumetur, & ceſſante ipſa bona fide, conſumens dubitet an fuerit effectus ditior, ad quid obligetur?

SVMMARIVM.

1 *Præſumptionem eſſe pro diſtrahente*
2 *Contrarium alij exiſtimant.*

1 DICENDVM eſt præſumptionem eſſe † pro ipſo diſtrahente videlicet, nō eſſe locupletiorem effectum, ac proindè ad nihil eſſe obligādum. Sic *Sanch. in ſum. lib. 2. cap. 23. num. 36. & plures apud ipſum, quibus addo Bonacinam de reſtit. d. 1. quæſt. 2. puncto 1. num. 7.* præſumitur enim lautiùs vixiſſe, & ideò ditiorem factum non
2 fuiſſe: *vide alios apud eumdem Thom. Sanch.* † oppoſitum exiſtimantes.

§. VII.

Si fuerit indiligens in veritate indaganda an res ſit aliena; poſtea verò pœniteat, & fiat impotens ad veritatem inueniendam, teneatur ne aliquid vero Domino reſtituere?

SVMMARIVM.

1 *Eſſe aliquid reſtituendum docent nonnulli.*
2 *Alij eximunt hūc ab omni reſtitutionis onere.*
3 *Nō teneri integrā rem, aut pretium reſtituere.*
4 *Aſtringendus tamen eſt ad partem arbitrio prudentis determinandam.*
5 *Obijcitur in contrarium ex poſſeſſione, in qua eſt dubitans, & ſolutio.*
6 *Deducitur argumentum paritate irregularitatis, quæ non contrahetur, cum de delicto non conſtat, ſoluitur tamen argumentum.*

PRI-

PRIMA opinio aſſerit, eum, qui omiſſione diligẽtiæ factus eſt impotẽs ad veritatẽ habẽ-
1 dam, † teneri ad reſtituendum ei, de quo dubiũ eſt, rem illam eſſe; & reſtitutio faciẽda erit modo infra explicãdo; at ſi ille, de quo eſt dubiũ ignoretur, reſtitutio eſt faciẽda pauperibus; ita *Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 36. concl. 1. & to. 3. diſp. 721. n. 5. Sanch. in decal. lib. 2. c. 23. n. 183. & lib. 2. de matr. diſp. 41. n. 21. Rebell. de oblig. iuſt. p. 2. lib. 2. q. 5. n. 12. Salas de conſc. ſec. 23. n. 238.* Reſtitutio verò illa nõ eſt facienda de toto pretio, quo res æſtimatur, ſed iuxta æſtimationem illius ſpei, quæ erat inueniendi Dominum.
2 Secunda verò opinio † ſuſtinet oppoſitum, videlicet, ad nullam reſtitutionem aſtringi eũ, qui modo prædicto ſe reddidit impotentem; ſic *Bonas. de reſt. in genere diſp. 1. quæſt. 2. pun. 2. n. 8. Caſtropalaus to. 1. diſp. 3. pun. 2. nu. 9. Diana par. 4. tract. 3. reſol. 29.* & ratio eſt, quia licet omittendo diligẽtiã, peccauerit cõtra iuſtitiam ob periculũ, cui ſe expoſuit cõſumẽdi rem alienam, tamen quia certo nõ cõſtat de damno illato, melior eſt cõditio poſſidẽtis; & hanc ſententiam probabiliter defendi poſſe, cenſet *Rebell. loco citat.*

Dicendũ eſt primo, qui modo explicato ſua
3 culpa impotens eſt effectus, † non eſſe aſtringendum reſtituere integrè rem illam, vel integrum eius pretium. Concluſionem hanc nemo rationabiliter negare poterit, quia & ſi impotentia illa ſuborta fuerit ex culpabili ipſius dubitantis negligentia; nihilominùs incertitudine adhuc permanente, an res illa ſit nec ne aliena, non videtur rationi conſentaneum, vt ita dubitantem obligemus eo rigore, quo eumdem obligaremus, ſi de einſdem rei Domino certitudo haberetur.

Dicendum eſt ſecundò, non ſolùm tutiùs, verùm etiam lõgè probabilius exiſtimo, qui eo modo negligẽter ſe geſſit, eſſe aſtringẽdum, vt volũt Authores prioris ſentẽtiæ, ad aliqua-
4 lem reſtitutionem † faciendam, ſiue perſonæ, ad quam rem illam ſpectare ambigitur, ſiue pauperibus. Probatur cõcluſio, quia perſiſtẽte dubio illo, & omiſſa debita diligẽtia, reſultat actualis læſio cuiuſdam alieni iuris, quod in perſona illa, circa quam verſabatur dubitatio, rationabilem fundare poterat ſpem illius rei acquirẽdæ; ius autem illud per illam culpabilem omiſſionem extinctum fuit; igitur arbitrio prudẽtis eſt reſarciẽdum: ſicuti quãdo quis iniuſtè impedit, ne aliquis acquirat rem vtilem, deducẽdo per iniuſtũ impedimẽtum ſpem illam, communiter à Doctoribus obligatur ad reſtituendum quanti ſpes illa exiſtimabatur; ſic in caſu noſtro, ſi Caius hæſitet, an equus v. g. quem poſſidet, ſit Titij, & inueſtigationem veritatis reprehenſibili omiſſione cõtemnat, ſi poſtea fiat impotens ad veritatem hãc deprehẽdẽdam per omiſſionem illam totaliter extinxit ius illud, quod Titi' habebat ad ponẽdam diligẽtiam ab ipſo Caio dubitãte, in quo iure ſi illud cognoſceret, ſpem reponere poterat recuperandi equum illum; igitur cõcluſio iſta, in qua obligamus indiligentem ad reſtituendum id, quo prudentum arbitrio æſtimabile erat ius illud extinctum, eſt certa.

5 Sed obijcies primò, † pro ſecunda ſententia: dubitans eſt in poſſeſſione illius rei, ergo dum veritas non eluceſcit, ad nihil eſt obligandus.

Reſpõdeo, quamuis aliqualis poſſeſſio eſſe videatur ex parte ipſius dubitãtis, poſſeſſio tamẽ iſta cũ fundetur in illa culpabili omiſſione, nõ eſt legitima cẽſenda, quoniã cũ poſſeſſor dubitare incœpit, ei' poſſeſſio ſimul cœpit infirmari, & perturbari; proinde perſiſtente dubio, & omiſſione culpabiliter vigẽte, poſſidẽs incœpit eſſe malæ fidei poſſeſſor, proinde impotẽtia illa ſubſequẽs continuatur cum eodem defectu, ideoq; nequit omninò dubitanti ſuffragari, & ab omni reſtitutione illum eximere.

6 Obijcies ſecundò. † Dum ſupra ageremus de dubia cõſcientia circa irregularitatem, liberauimus hæſitãtem, homicidium patraſſe vi alicuius cauſæ, ab ipſo dubitãte applicatæ, & hoc nõ ob aliam rationem, niſi quia nõ cõſtãte delicto, nõ eſt pœna irregularitatis ipſe dubitãs afficiẽdus: igitur à pari, dum non conſtat, an ex vi illius omiſſionis damnum iniuſtum ſit illatum, dubitãns ad nihil obligandus.

Reſpondeo, negando paritatem, quia dubium circa homicidium patratum ſub hac præciſa ratione, vt trahens irregularitatem: non fundat ius rigoroſum iuſtitiæ in alio; proinde quamuis dubitans culpabiliter omittat diligentiam ad veritatem obtinendam, an ſua actione ſequuta ne fuerit mors, & omittendo, fiat progreſſu temporis impotens ad veritatem agnoſcendam, nullum lædit ius iuſtitiæ; ſecùs in dubio reſtitutionis; conſiderauimus homicidium ſub præciſa ratione vt trahens irregularitatem, quia ſi agatur de illo, quatenus occiſor in quibuſdam caſibus obligatur ad reſarciendum damnum heredibus, tunc eſſet alia ratio; quia de dubitãte, an ſua actione ſequutum nec ne fuerit homicidium, in ordine ad reſtitutionem, eſſet dubium dirimendum, vt in ſimilibus dicemus infra.

§. VIII.

Exiſtente dubio reſtitutionis circa determinatas perſonas, quarum nulla ſit in poſſeſſione, quid à dubitante ſit faciẽdum?

SVMMARIVM.

1 *Facta diligentia quis nam ſit dominus, manente adhuc dubio, res eſt diuidenda iuxta dubij proportionem.*

2 *Si res ſit indiuiſibilis, vni res ipſa, alteri vero pars æſtimationis applicanda erit, & hoc determinandum ſortibus.*

SI facta diligenti inquiſitione ad agnoſcendum quis nam ex illis, de quib' dubitatur, ſit verus dominus, & hac diligentia adhibita, ſi veritas ſciri nequeat, † res illa eſt diuidẽda inter eaſdem perſonas, de quibus eſt dubium, ſecundum proportionem dubij, nempe ſi dubium, penſatis omnibus, erit æquale, æqualis fiet diuiſio; † ſi autem res diuidi nequeat V. G. ſi ſit equus, Leo &c. tunc ex conſenſu partium vni eſt applicanda pars æſtimationis, alteri verò res ipſa, cui autem ſit applicanda res, ſorte eſt definiendum: ſi verò dubium ſit inæquale, iuxta proportionem dubij fiet diuiſio: ita docent quamplures de hoc puncto agentes *Molin. tom. 3. de iuſt. d. 723. num. 5. Pater Vaſquez p. 2. d. 66. cap. 7. num. 39. Ioannes Sanch. loco cit. de matr. num. 16. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 15. dub. 1. Bonacina de reſt. d. 1. qu. 2. pun. 2. nu. 1. & alij apud ipſos.* Hæc autem omnia vnica ratione confirmari poſſunt, videlicet applicationem hanc eſſe menſurandam ſecundum illud ius, quod quilibet ex illis habet in rem, proinde ſi æquale, aut inæquale erit ius, æqualis, aut inæqualis debet eſſe applicatio.

§. IX.

Si Titio prædium concedatur, vt eo mortuo ſuccedat eius Primogenitus, & duo ſimul naſcãtur, pro quo ſit iudicandum?

SVMMARIVM.

1 *Proponit controuerſiã Tiraquellus, eiuſq; ſententia refertur.*
2 *Similis caſus formatur.*
3 *Præmium diuidendum, & ſi eſt indiuiſible medietas pretij vni parti, alteri vero ipſum præmium eſt aſſignandum.*

1 CONTROVERSIAM hanc proponit *Andr. Tiraquel. de iur. primig. quæſt. 12.* & duodecim ſuper ea, nimium prolixè, examinat ſententias; at longum, moleſtumq; Doctoribus eſſet, eas referre: ipſe tandem eligit illam, quę aſſerit vtrumq; fratrem eſſe admittendum, cum hac tamen limitatione, vt alter, prius in poſſeſſionem rei cõceſſę non fuerit ingreſſus, alioqui hic eſſet præferendus, vſq: dum conſtet alterum fuiſſe primo loco natum; nam in æquali dubio maximè fauet poſſeſſio, eamdem ſententiam tuentur alij, quos laudat, & ſequitur *Franc. Merolla tom. 3. d. 6. cap. 8. dub. 29. num. 181.* Nonnulla alia, quę ad hunc caſum faciunt, videnda ſunt apud prædictos. Quæ diximus, adaptari 2 queunt ſimilibus euentibus, † vt ſi proponatur pręmium primo ad brauium peruenienti, & contingat duos ex omnibus peruenire, & dubi- 3 tetur quis nam fuerit primus? † tunc ſi præmium eſt diuiſibile, diuidi debet; ſi verò indiuiſibile, vni detur præmium, alteri verò medietas pretij, quo res ſub præmio poſita æſtimabitur, quæ quidem medietas eſt tradenda ab eo, cui totum integrum præmium adiudicatur, cui autem ex his debeatur res, ſorte eſt indagandum.

§. X.

Depoſitarius dubius an ſua amiſerit depoſitum, tenetne ad reſtituendum?

SVMMARIV[M.]

1 *Eximitur quia delictum non pra[...]*
2 *Quando notabiliter negligit il[...] obligandus eſt depoſitarius.*

1 NON teneri, [...] licto eſſet obli[...] ctum à iure no[...] circò liber erit [...] di, præſump[...] ſio ſiat pro ip[...] nio iſta videtur eſſe *S. Thom.* [...]
2 vbi obligat depoſitarium ad reſtitu[...] quando ex magna culpa depoſitũ amiſſum fuit. eſt etiam *Henriq. lib. 14. in ſumm. cap. 15. Sanchez lib. 2. de matrim. d. 41. n. 18. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 27. num. 13. Rebell. de oblig. Iuſt. p. 2. lib. 16. quæſt. vnica de depoſito Caſtrop. to. 1. d. 3 p. 4. num. 4. Salas p. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 23. num. 243. Villalobos tom. 1. tract. 1. diff. 20. num. 10. Io. Sanch. in ſelectis d. 43. num. 11. Metolla de conſc. dub. d. 3. cap. 3. dub. 1. corol. 7. num. 52. Delugo tom. 1. de Iuſt. d. 18. ſect. 1. num. 12.*

§. XI.

Quid de cõmodatario dicendum?

SVMMARIVM.

1 *Idem ſuſtinent plures Doctores de eo, qui commodatum amiſit.*
2 *Nonnulli ad aſtringendum commodatarium, ſolùm iuridicam requirunt culpam,*
3 *Prior opinio vt probabilior recipitur ab Authore.*
4 *Animaduerſio ipſius Authoris.*

1 IDEM eſſe dicendum † de commod itario, docet *Sanchez, Caſtrop. Io: Sancius, Salas, Delugo locis in præcedente paragrapho citatis, & Bonacina de reſtit. in gen. diſp. 1. q. 2. puncto 4. n. 4. contra Merollam to. 1. diſp. 3. cap. 3. corol. 7. nu. 51. & contra Gallett. in Margar. caſ. ver. commodatum, & verb. dubium,*
2 † qui obligant commodatariũ in tali dubio, ſi cõmodatum perijt ex culpa iuridica ipſius cõmodatarij, etiam ſi nullà theologica culpa præceſſerit, & hoc ex eo, quod damnum potiùs ſuſtineri debeat ab eo, qui beneficium accepit, quàm ab eo, qui cõtulit: ideoq; quia res commodata cedit in beneficium commodatarij, rationi conſentaneũ eſt, vt in tali dubio, damnum etiam redundet in ipſum commodatarium, ſed hoc non obſtante probabiliorem † puto primam opinionem,
3 nam Commodatarius nequit obligari alio titulo, niſi ratione contractus, non enim in caſu prædicto obligatur ratione rei acceptæ, quia, vt ſupponimus, res illa commodata non extat, neq; Commodatarius, vt etiam ſupponimus, ex illa factus eſt ditior, neq; obligatur ratione iniuſtæ acceptionis, quoniam dubium eſt, an ſua culpa res illa, nec ne, perierit, & titulus iſte nequit obligare, niſi ipſa culpa certò conſtet, & ſic poſſeſſio erit pro libertate, cum nemo præſumatur delictum patraſſe; & addit *Delugo ſeẽ cit. num. 15.* multò minùs teneri conductorem, quia cum pro re conducta pretium ſoluat locatori, minùs recipit beneficium, quàm Commodatarius.

4 Aduertõ tamen in his deciſionibus † à me non determinari quæſtionem illam. An Commodatarius, & Conductor ratione contractus obligentur ex culpa leuiſſima, aut leui, ſiue iuridica, ſiue etiam Theologica; nam huius quæſtionis deciſio pertinet *ad tract. de reſtit.* ſed ſolùm determinari, vtrum in dubio, an interuenerit ex parte Commodatarij culpa illa, quæ obliget ad reſtituendum, quæcumque ſit talis culpa, teneatur dubitans ad aliquam reſtitutionem.

§. XII.

Si Caius per fraudem in ludo lucratus ſit, dubium de alterius colluſoris victoria, ſi fraus nõ interueniſſet, obliget ne Caium, præter lucrum iniuſtè acceptum ad aliquid aliud reſtituendum?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio liberat fraudibus vtentem ab onere reſtituendi aliquid ſupra id, quod ludo acquiſiuit.*
2 *Alia opinio damnat fraudantem ad ſoluendũ etiam quanti valebat ſpes lucrandi, quam colluſor habebat.*
3 *Non rectè citatur Salas à Bonacina, & Filliuccio pro priori ſententia.*
4 *Suadetur ſecunda opinio.*
5 *Prior ſententia recipitur ab Authore.*
6 *Spes colluſoris periculo perdendi compenſatur*
7 *Diluitur ratio pro ſecunda opinione.*
8 *Si maior fuerit ſpes quàm periculum perdendi, aliquid arbitrio prudentis eſſe ſoluendum.*

1 DVAE extant ſententiæ: † Prima eſt eorũ, qui liberant Caium ab onere reſtituendi aliquid aliud præter illud, quod fraudauit, & ita ſentit *Bonac. de reſtitut. quæſt. 3. diſp. 2. p. 2. num. 7. Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 26. dub. 2. num. 5. Filliucc. tom. 2. tr. 37. num. 103.* Ratio autem, qua hi probant hanc ſententiam, eſt illud commune principiũ, in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis.
2 † Secũda autem opinio oppoſitum docet; vult enim fraudantem in ludo non ſolùm teneri, rem per fraudes acceptã reſtituere, ſed & quãtũ valebat arbitrio boni viri ſpes illa lucrãdi, quã colludens habebat: ita *Salas de Ludo dub. 7. num. 1. 5. Dico tamen;*
3 † quãuis non rectè pro priori ſententia citetur à *Bonac. & à Filliucc.* occaſionem autem erroris fuiſſe, vt ego puto, ex eo, quod initio illius numeri ipſe Salas refert ſentẽtiam Leſſij, quam primo loco recenſuimus ipſi vero
non aduertentes verba, quæ ab ipſo Authore ponuntur, in quibus ſuam explicat opinionem, eum eſſe in ſententia Leſſij, ſed vt patet ex textu, decepti ſunt. Hanc eamdem ſecũdam opinionem ſequuntur *Rebell. de iuſt. p. 2. lib. 12. quæſt. 3. Reginal. in praxi lib. 10. nume. 185. 5. Aduerte quoque, Nauarr. in man. cap. 20. num. 17.* loquentes de eodem ferè caſu.
4 † Et hęc ſententia ſuaderi poteſt, quia Caius actione

ne iniuſta impediuit alterum colludentem ab illo lucro, quod ille ſperare poterat, ſicuti ſiquis vi, aut fraude impediatur, ne concurrat ad aliquod beneficium, vel officium, ſiue ad quodcumq; aliud bonum ſibi vtile, ad quod conſequendũ dignus erat, tenebitur impediẽs compenſare, & reſarcire iniuriam illatam, & in ea quantitate, quę arbitrio boni viri, penſatis omnibus, ęquiualet æſtimationi illius ſpei, quam vi, & fraude impeditus habebat aſſequendi bonum illud, & hoc docet ipſemet *Leſſius lib. 2. c. 12. num. 125. in fine, & num. 126.* igitur ex hoc principio vniuerſali negari non poteſt id, quod aſſerit hęc ſecũda opinio, nempè, ſi fraude auferatur ſpes illa, quam alter habebat ad lucrũ, teneri fraudantem ratione iniurię aliquid reſarcire, habito reſpectu ad qualitatẽ ludi, ad quantitatem rei lucrãdæ, peritiam luſoris, & ad alias circumſtantias, quę omnia à peritis perpendẽda ſunt, ſed quid ego ſentiam, mox aperiam.

Dico igitur, quod quamuis hæc ſecũda ſententia ſit valdè probabilis, & graues habeat patronos, fulciaturq; rõne minimè contẽnenda, ob quam olim mihi placuit, † nihilominùs, om-
5 nibus benè perſpectis, proximam exiſtimo probabiliorem, quia Caius, qui fraudauit, non eſt certus victoriam in ludo futuram fuiſſe ex parte Titij colludentis, ſi ipſe Caius fraudibus non vſus fuiſſet, & ideo licet iniuſtè impedimentũ victoriæ poſuerit, non videtur tamen obligandus, cum non conſtet de effectu, ſeu damno ſe-
6 quuto, † & ſpes illa, quam habere poterat Titius, demptis fraudibus, compenſatur periculo perdendi, cui ipſe expoſitus erat; quapropter cũ ſit æquale dubium de damno, & de lucro ex parte Titij, non erit Caius fraudator obligãdus ad aliam reſtitutionem, niſi ad id, quod
7 fraudauit. † Exemplum autem illud de impediente aliquem, ne beneficium, aut officium, &c. conſequatur, habet manifeſtam diſparitatẽ quia ille, qui pretendebat beneficium, non erat expoſitus ad perdendum aliquid de ſuo, & ideo ſpes illa acquirendi non poterat compenſari periculo perdendi aliquid ex bonis ipſius, qui fuit impeditus; proinde impediens ad reſtitutionem aliquã arbitrio boni viri eſt obligãdus.

Verumtamen videtur in caſu illo de ludo in conſiderationem venire poſſe, ſi fingatur non eſſe dubium moraliter æquale de damno, & lucro, ſed penſatis omnibus ſpem lucrandi ex parte Titij maiorem fuiſſe, quàm periculũ perdẽdi; ſi, inquam, hoc
8 ponatur, † tũc cenſeo arbitrio boni viri exceſſum illum; ſi erit alicuius momenti, reſarciendum eſſe à Caio.

(✠)

§. XIII.

Hæſitans Titius, an vi Conſilij ab ipſo præſtiti ſequutum, nec ne, fuerit furtum à Sorte commiſſum, num ad reſtitutionem ſit obligandus?

SVMMARIVM

1 *Prima opinio eximit conſulentem ab onere reſtitutionis, tali dubio extante.*
2 *Alia ſententia obligat conſulentem ad integram reſtitutionem.*
3 *Non ita facilè eſt ſub dubio ponendum, an effectus ille ſequutus, necne, fuerit vi conſilij præſtiti.*
4 *Ex varijs inditijs veritas, ſeu moralis certitudo deprehendenda erit.*
5 *Expenſis omnibus, ſi dubium perſeuerat, non integrè, ſed ex parte, conſulens erit obligandus reſtituere, iuxta proportionem dubij.*
6 *Vtraque pars probatur.*
7 *Poſſeſſio ciuilis, ſeu moralis non ex parte conſulentis, ſed delicti ſe tenet.*
8 *Præſumptio, quo ad obligationem reſtituendi, minoris efficaciæ eſt, quàm ſit certitudo.*
9 *Ex l. meritò nihil contra Authorem deducitur.*
10 *Liberandus eſt conſulens, ſi dubium cadat ſupra exiſtentiam conſilij, aut exiſtentiam delicti.*

PLVRA, & varia circa rem hanc ab Authoribus diſcuſſa ſe offerunt, quæ verò principaliora ſunt, in medium afferemus, diuerſaa eorum ſententias adducendo.

1 Prima autem opinio ✠ eximit ab omni reſtitutionis onere, qui poſt debitam diligentiam ad veritatem apprehendendam adhuc dubius manet, num actio illa iniuſta, v. g. furtum, patratum, nec ne, fuerit vi conſilij, quod ipſemet dubitans latroni exhibuit, & ita loquẽs de cõſilio docet *Ioan. Medina Cod. de reſtit. quæſt. 7. ante verſum (Si autem conſilium) Petrus Nauarr. lib. 3. de reſtit. cap. 4. dub. 4. nu. 58. Syluest. ver. reſtit. 3. quæſt 6. dicto 2.* loquens de iubente, *Rebell. par. 2. de oblig. iuſt. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 2. concl. 3. Filliuccius tract. 32. cap. 3. num. 57. & alij,* quos affert *num. 39. De Caſtillo de iuſt. lib. 2. tract. 3. diſp. 4. dub. 2.* Vnicum pro hac ſententia fundamentum eſt, in dubijs meliorẽ eſſe poſſidentis conditionem, & præſertim in materia de iuſtitia; cum autem Titius dubitet, an re vera ſuo conſilio efficaciter in furtum à Sorte patratum influxerit, non videtur ad reſtitu-

ſtitutionem cogendus, & priuandus pecunia,
quam iuſtè poſſidet.
2 Secunda opinio è diametro eſt oppoſita, †
aſtringit enim ita dubitantem ad integrè reſti-
tuendum, ſi principalis non ſatisfaciat. Hanc
ſententiam plures, & graues Authores tu-
entur, tùm ex Canoniſtis, tùm ex Theologis,
vt *Couarr. in Clem. ſi furioſus, par. 2. § 2. num. 1.*
Farinac. in conſil. crim. tom. 1. conſil. 104. in
addit. ver. (Limitatur quarto) Alterius in can.
11. Bull. cœn. lib. 5. cap. 6. ver. (Sed petes) Leſſ.
lib. 2. de iuſt. cap. 17. dub. 3. in fine. Molina tom.
3. diſp. 736. num. 6. Salas in p. 2. tract. 8. diſput.
vnica ſect. 23. num. 242. Maſcardus de probat.
tom. 1. concl. 419. num. 9. Sanchez lib. 2. de mat.
diſp. 41. num. 17. & in decal. lib. 1. cap. 10. num.
44. in medio. Ioannes Sanchez in ſelect. diſput.
42. num. 14. Bonacina de reſt. diſp. 1. quæſt. 2. p.
4. num. 3. loquens de conſilio in ordine ad ho-
micidium. *Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub.*
1. coroll. 6. num. 41. & alij. Ratio cui innitun-
tur hi Authores, eſt, quia cum Titius ſufficientẽ
applicuerit cauſſam ad furtum patrãdum, & de
facto furtum ponatur iam exequutioni manda-
tum, præſumptio tota eſt contra ipſum Titium
conſulentem, cui onus incumberet probandi,
furtum non fuiſſe ſequutum vi ſui conſilij, ſed
vi alterius capitis. Neq; dicas, hoc eſſe pro fo-
ro externo; nam etiam in foro conſciẽtiæ, quã-
do latet veritas, recurrendum eſt ad præſump-
tionem fori externi, & illa erit habenda pro ve-
ritate, vt rectè adnotauit *Sanchez lib. 1. in de-
cal. cap. cit. num. 13. & alibi.* Et confirmatur;
nemo enim præſumitur malum facturus, ſeclu-
ſo conſilio, niſi intentio mali faciendi aliunde
conſtet *l. meritò ff. pro ſocio.*

Hæ ſunt ſententiæ, quæ circà difficultatem
hanc verſantur apud Doctores, ſed cenſeo me-
dia via eſſe incedendum, atque adeo.

Dicendum eſt primò, poſt datum conſilium,
& effectum ſequutum, † non ita facilè erit in du
3 biũ reuocandum, an effectus ille fuerit, nec ne,
vi conſilij cauſſatus, quia cum motio volunta-
tis illius, qui conſilium habuit, ſit interna, num-
quam poſſet conſulens eſſe moraliter certus de
influxu praui conſilij in effectum, quod tamen
aſſerere eſſet falſum; procedendum igitur eſt in
re hac magna circumſpectione; nam interdum
eſt certitudo moralis, & nullus remanet ambi-
gendi locus, effectum fuiſſe vi alicuius conſilij,
& præſertim, quando poſt conſilium ſtatim
ſequitur effectus ille, vt animaduertit *Salonius
in 2. 2. S. Tho. quæſt. 62. ar. 7. controu. 6. ver. (ſed
Quæres)* vbi nonnulla affert inditia ad digno-
ſcendum, quando conſilium influxerit in effec-
tum, & inter alia ponit repentinam exequutio-
nem poſt conſilium præſtitum; idem animad-
uertit *Filliucius, & Ioannes de Caſtillo, vt
4 ſupra.* † requiruntur ergo inditia talia, vt pru
denter homo in dubium reuocet influxum con-
ſilii, inter quæ eſt, ſi poſt aliquod tempus caſus
contigerit; proinde iuxta varietatem circũſtan
tiarum erit iudicandum, quando, vel in fauorẽ
conſulentis, vel contra, caſus decidi debet.

Dicendum eſt ſecundò, ſi expenſis omnibus,
prudenter intellectus titubet, an cõſilium datũ
fuerit cauſſa delicti, tũc neq; omninò aſſentior
5 vltimæ opinioni, neq; totaliter primæ, † ſed iu-
dico non integrè eſſe à Titio conſulente reſti-
tuendum, ſed ex parte iuxta qualitatem, & quã-
titatem dubij, ſi enim intellectus nõ magis in-
clinat in vnam, quàm in aliam partem; tũc pro
medietate damni illati reſtitutio à Titio conſu-
lente faciẽda erit; ſi verò magis inclinet in par-
tem negatiuam, nempè præponderet in eam
partem, quæ negat influxum, tũc minus medie-
tate erit reſtituendũ, & hoc minus arbitrio pru-
dentum erit taxãdum: Sicuti è conuerſo ſi ma-
gis in partem affirmantem inclinet, aliquid ſu-
pra medietatem erit ſoluendum. Hanc opinio-
nem, quam mediam inter duas illas extremas ap
pello, docuit noſter *Molina loc. cit. Diana in
fine illius reſolutionis,* & quamuis ipſi eam do-
ceant, & non probent, placet, non ſine ſufficiẽ-
ti ratione, eam ſuadere: aio igitur, fundamentũ
6 † cui innitor, eſſe, quia cum nulla ſit præſump-
tio pro Titio, & ſit pro lege obligante ad reſti-
tutionem, non debet ipſe Titius omninò libe-
rari, & cum ex alia parte Titius dumtaxat præ-
ſumptiuè veniat à nobis obligandus, non vide-
tur rectæ rationi conſentaneum, vt in totum
ac ſi influxus eſſet certus, eum damnare, ſed ſo-
lùm in partem: ea enim, quæ præſumptiuè pro-
cedunt, ſunt minoris efficaciæ ijs, quæ ex certi-
tudine oriuntur; & confirmatur à pari; nam Iu-
dices in foro externo non puniunt delinquen-
tes pœna ordinaria, quando delictum non eſt
plenè probatum, ſed ſolùm coniecturis, & præ-
ſumptionibus reguntur, ſed illud puniũt mino-
ri, & extraordinaria pœna. Rurſus ſi quis de-
ſtruat in perniciem alterius rem aliquam fruc-
tiferam; cuius fructus erant in ſola ſpe, damni-
ficans non aſtringetur ad reſarciendum totum
illud damnum, quod Dominus rei fructiferæ
fuiſſet percepturus, ſi fructus de facto actu ex-
titiſſent, ſed ad reſarciendam partem, nimirum
illud, quod arbitrio prudentum valebat ſpes il-
la, & ſic certum eſt, dubietatem in ordine ad
quantitatem reſtitutionis, non eſſe æqualiter
ſpectandam, ſicuti certitudinem.

Ex hac autem ſententia ita declarata ſolui
poſſunt argumenta, quæ fieri ſolent pro vtraq;
illa ſententia, quatenus contra nos faciunt.

Ad fundamentum igitur prioris ſententiæ, †
7 negandum eſt, poſſeſſionem in genere moris ſe
tenere ex parte Titij conſulentis; nam & ſi ipſe
materialiter, ſeu naturaliter ſit in poſſeſſione
ſuæ pecuniæ: nihilominùs ciuiliter, ſeu morali-
ter non ipſe, ſed delictũ videtur eſſe in poſſeſſi-
one; eo enim ipſo, quod cõſiliũ ſufficiens præ-
ſtitũ fuit, & effectus habitus pariter fuit, nulla
præſumptio fauet conſulenti; poſſeſſio autem
ciuilis ſemper ſe tenet ex parte illius, pro quo
eſt iuris præſumptio, vt aduertimus *in diſcep-
tatione 5. cap. 5.*

8 Ad argumentum verò † pro poſteriori opi-
nione, dico, quamuis præſumptio ſit ex parte
delicti contra Titium cõſulentem, cum tamen
ex ſua

ex ſua natura ſit minoris conſiderationis, & efficaciæ, quàm ſit certitudo, non cauſſat complętum effectū, & maximè in materia iuſtitiæ, quē
9 cauſſare poteſt ipſamet certitudo. † Neq; contra hoc aliquid deduci poterit ex *l. meritò cit.* concedimus enim preſumi hominem illum, furtum minimè patraturum fuiſſe, ſecluſo Titij conſilio, ſed dicimus, præſumptionem hanc non poſſe in ordine ad quantitatem reſtitutionis æqualiter ſe habere cum certitudine, & de hoc nihil habetur in contrarium in lege illa.

Dicendum eſt tertiò; ſi dubium cadat ſupra ipſum conſilium, vt ſic, nempè dubitetur, an cō-
10 ſilium reuera datum ne fuerit; † tunc Titius dubitans ad nihil tenebitur, quia poſſeſſio, & præſumptio eſt tota pro ipſo, & onus probandi, datum fuiſſe illud conſilium, ſe tenet ex parte illius, qui damnum paſſus eſt: idem etiam dicerem, ſi conſtaret conſilium ex ignorantia inculpabili datum fuiſſe, vt notat *Leſſius loco citato*, idemq; eſſet dicendum, ſi minimè conſtaret delictum patratum fuiſſe, vt inquit *Bonacina loco citato*, tunc enim preſumptio erit pro conſulente.

§. XIV.

Si milites dubitent de iuſtitia belli, an poſſint tuta conſciētia præliari in fauorem illius Principis, qui tale indixit bellum?

SVMMARIVM.

1 *Refertur Vaſquez, aliorumque opinio, quæ requirit iudicium determinatum de iuſtitia belli.*

2 *Alij indiſcriminatim loquuntur, tùm de ſubditis, tùm de extraneis.*

3 *Alij verò inter ſubditos, & alienigenas diſcrimen agnoſcunt.*

4 *Examinatur ſpeciale Caramuelis placitum negantis caſum hunc eſſe poſſibilem.*

5 *Eius ſententia reijcitur, & imbecillitas rationis, cui innititur, explicatur.*

6 *Proponitur, & ſoluitur quædam inſtantia.*

7 *Falſum eſt, quod aſſerit Caramuel, videlicet, ab Authoribus tolli caſum, quando illum reſoluunt.*

8 *Non rectè aſſerit Caramuel impoſſibiles putās eſſe ſimiles caſus, qui ab Authoribus, vt dubij proponuntur.*

9 *Subditi dubio negatiuo laborantes, non tenentur expendere rationes, quibus eorum Princeps mouetur ad bellandum.*

10 *Si dubio poſitiuo detineantur, poſſunt practicè opinioni, quæ Superiori fauet adhærere.*

11 *Hoc intelligitur, ſiue ſubditi rogentur, ſiue ſponte ſe offerant.*

12 *Quid nomine ſubditorum veniat in hac materia.*

13 *Alienigenæ nequeunt ſe offerre ad bellandum, durante dubio ſpeculatiuo.*

VARIÆ ſunt Doctorum opiniones, quas breuiter referam:
1 Prima autem opinio † ponitur à *Vaſquez p. 2. diſp. 66. c. 9. num. 13.* qui docet in dubio de iuſtitia belli non poſſe, neq; ſubditum bellare, niſi de iuſtitia prædicta per principia intrinſeca, aut ſaltem extrinſeca iudicium formet; iudicando bellū eſſe iuſtū ex parte illius, cuius militię vult ſuum nomen dare. in eadem ſententia videtur eſſe *Lorca in 2. 2. S. Thom. diſp. 53. ſect. 7. num. 7.* & pro eadem à *Ioanne Salas in tractatu illo 8. de conſc. ſect. 26. num. 266.* refertur *Adrianus quodl. 2. ar. 1. §. quoad ſecundum, & de reſtit. §. Aggredior caſus.*

2 Secūda ſententia † nullū agnoſcens diſcrimen inter ſubditos, & non ſubditos, vult, quod dū non conſtat de belli iniuſtitia, poſſe vnumquemq; præliari, quia pręſumi debet, quod Princeps, qui bellū indixit rationabiliter proceſſerit; ita *Salas loco citato, num. 272. Petr. Nauarr. de reſtit. lib. 2. cap. 3. p. 2. dub. 12. nu. 270. ver. Secundò dicimus, & num. 299. Suarez diſp. 13. de charit. ſect. 6. num. 11. & 12.*

3 Tertia deniq; opinio diſtinguit † inter non ſubditos, & ſubditos, & de illis ait non poſſe, ſtante illo dubio, præliari; ſecùs de iſtis; quia dum non conſtat de iniuſtitia, tenentur ſuo Superiori obedire, ad quem pertinet cauſſam belli examinare, non autem ad ſubditos: ſic *Molina tom. 1. de iuſtitia diſp. 113. Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 3. num. 15. & alij, apud Salas loco citato*, quibus ſubſcribūt *Syluius in 2. 2. S. Thom. quæſt. 40. art. 1. quæſt. 4. concluſ. 5. & 6. Grauado contr. 3. tr. 12. d. 4. ſect. 3. §. 4. num. 41.*

Sed antequàm ad reſolutionem quæſiti deueniamus, ſingularem † *Caramuelis* opinionem
4 de re hac in medium afferre mihi viſum eſt; ipſe enim *tract. de conſc. dict. diſp. 3. quęſt. 1.* oſtēdenda proponit multa, quę à Doctoribus communiter tamquam dubia accipiūtur, & vt talia expēdūtur, re vera eſſe extra dubij aleam, quia, vel certitudinem, vel ſaltem probabilitatem inuoluūt, ad hunc autem finem per viginti quinq; quæſtiones, plures, & in diuerſis materijs, in medium caſus adducit, & oſtendere conatur, impoſſibile eſſe in illis dubitationem cōtineri, & hoc vnica, & generali ratione nobis ſuadere ſtudet, qua tamen veritate, & probabilitate mox videbimus. Vnum igitur caſum prima quęſtione ab eodem poſitum, & ad preſens quæſitum ſpectantem ante oculos conſtituimus, ex cuius reſolutione via aperitur ad reliquos diluendos.

Numero igitur 1408. negat Author iſte

calum,

caſum hunc, de quo in titulo agimus, eſſe poſſibilem, nempè, militem dubitare de iuſtitia belli, & fusè id conatur ſuadere, eiuſq; argumenti robur in hoc continetur, videlicet Auctoritatem totius Reipublicæ, & Supremi Conſilij bellum indicentis, grauem eſſe, atq; adeo cū illa, nec dubium, nec timorem, aut ſcrupulum componi poſſe, ex hoc autem argumento colligit non eſſe poſſibilem caſum, immò addit Authores vniuerſos, etiam hoc ipſum ſentire, quāuis verbis laborare videantur. Vt autem hoc probet, proponit vtriuſq; ſententiæ fundamētum, & pro ea, quæ affirmat. non obſtante dubio, militem bellare poſſe (intellige deponendo conſcientiam, & practicè ſibi perſuadendo licitum id ſibi eſſe) tale refert fundamentum (dum de iuſtitia belli clarè non conſtat, præſumendum eſſe, quod Princeps bellū indicens iuſtè procedat) hoc autem poſito infert Caramuel, Authores huius ſententiæ ſic reſoluentes, caſum tollere, ſibiq; apertè illos ſubſcribere, quia prædicta præſumptio cum ſit grauis, & poſſit eſſe regula morum, dubium expellit, proinde tali poſito principio impoſſibile eſt dubium emergere. Pro alia verò ſententia oppoſita, quæ negat ſtante dubio illo de iuſtitia belli poſſe militem bellare, adducit hoc alterum principium, cui innituntur eiuſdem opinionis negatiuæ fautores, nempè, ſubditum dubitantem de honeſtate rei præceptæ, non poſſe obedire, niſi ſaltem per extrinſeca principia dubium deponat, huic propoſitioni, quam Caramuel accipit loco maioris, ſubnectit aliam, vt minorem, videlicet. At miles nequit dubium illud non deponere, & ex his infert, Ergo nequit dubium illud habere: minorem probat; quia poſſibile non eſt, vt miles ignoret bellum eſſe à Republica, ſeu Rege indictum, & poſſibile non eſt, vt ignoret reſolutiones Reipublicæ, &c. eſſe graues, ergo dubitatio in tali caſu eſſe nō põt

Hæc eſt ſumma totius diſcurſus, quem Author iſte contexuit, & ita eidem arriſit, vt ipſum à communi omnium ſenſu, non ita firmis rationibus, oīo dimouerit, vt mox videbimus in concluſionibus ponendis.

5 Dico igitur primò, † ſententiam hanc Caramuelis, quatenùs aſſerit caſum propoſitum poſſibilem non eſſe, nimirum, militem dubitare de Iuſtitia belli, reijciendū eſſe, primò, quia eſt ſingularis; nam Authores de hac materia agentes, controuerſiam hanc inſtituūt, & varias de illa pronunciant opiniones, vt retulimus. Secundò; quia fundamētum, cui Caramuel adhæret, aut nullas, aut valdè infirmas habet vires, ne nullas aſſeram; ex eo enim, quod Princeps, Magiſtratus, ſeu Conſiliarij Reipublicæ bellum indicūt, non video, qua ratione poſſit quis poſitiuum iudicium ferre, eos ad bellum denūciandum veris, & nō ineptis rationibus ductos fuiſſe, ſanè licet eligi ſoleant viri prudentes, & ſapientes; nihilominùs, quia homines ſumus, poſſunt interdum decipi; vel aliquo affectu, non ita recto, duci, cum maximè vehemēter inclinare ſoleat animum Conſiliariorum propēſa inclinatio Regis ad bellum indicendū, vt errare, aut decipi nequeāt, neq; ita Sācti, vt peccare nō valeāt, & cū nō rarò eueniat, vt Cōſiliarij in publicis comitijs, & in priuatis errēt; ſiue ex ignorātia, ſiue ex malitia moti ex paſſionib', vt Regi cōplaceāt; idcirco non poſſum' prudēter, nullo alio exiſtente motiuo, duci ad iudicandū determinatè ex ſola illa generali ratione officij Conſiliarij, Magiſtratus, &c. bellum iuſtis cauſis indictum fuiſſe, cum, nō obſtante tali publico officio, errores paſſim cōtingere experiamur

6 Dices: † quamuis acciderit, Reſpublicas, Conſiliarios, &c. quandoq; erraſſe, non rectè infertur errare in hac materia, nam ſtat, vt errēt in vno, & non in altero, proinde negari nequit eſſe probabile, non erraſſe hic, & nunc in bello promulgando.

Reſpondeo, ſicuti non rectè inferri errorem in hac materia particulari ex erroribus præteritis in alia, aut pluribus materijs, ita neq; rectè inferri non errare in hac determinata materia, & ſi quis hoc determinatè iudicaret ductus ex præciſa ratione Conſiliarij &c. imprudenter, & temerè iudicaret, quod verò additur de probabilitate iuſtitię in promulgatione belli, aio, nō eſſe ſemper veram, & poſitiuam probabilitatem ſed tātum meram poſſibilitatem, quatenùs poſſibile eſt Cōſiliarios ductos fuiſſe rectis rationibus, ſicuti etiam poſſibile eſt oppoſitū, nempè non validis rationibus motos fuiſſe: ex neutro autem capite deducere poſſumus determinatū iudicium, quo hæreamus vni parti determinatæ abſq; imprudentia, & temeritate, & ad ſūmum probabilitas iſta nō erit niſi remota inſufficiēs, probabilitas aūt neceſſaria ad iudicium ferēdū pro belli promulgatione eſſet, ſi præter rationē illam communem Reipublicæ, Cōſiliarij &c. haberet Cōſiliarios illos eſſe prudētes, pios, examinaſſe diligēter cauſas, & motiua bellādi, &c. tūc enim poſſet probabile iudicium ferri de iuſtitia belli, at his, & ſimilibus motiuis ablatis nō remanet fundamētum, ex quo prudēter iudicetur determinatè vnum, aut aliud extremum.

Illud verò, quod aſſerit Caramuel, nempè Au-
7 thores reſoluentes, tollere caſum, † eſt prorſus falſum, & falſum etiam eſt, dubium, de quo agitur, expelli, & Caramuel hoc aſſerens confūdit dubium practicum cum ſpeculatiuo, ſtatū quæſtionis mutans, nam concluſio illata ex fundamento vtriuſq; ſententiæ tollit, & impedit dubium practicum oppoſitum; non autem ſpeculatiuū, quod firmum, ſicut prius, perſiſtere poterit, declaratur, quod dico, controuerſia eſt an ſtante dubio de iuſtitia belli, poſſit miles aliqua ratione, ſaltem extrinſeca, formare ſibi cōſcientiam dictantem hic, & nunc licitum eſſe bellare, vigente illo dubio, & aliqui negāt, aliqui abſolutè affirmant, aliqui demum diſtinguunt, vt vidimus, diuerſas referendo ſententias; concluſio autem illata ab ijs, qui affirmant, certum eſt, quod expellat, & impediat dubium practicum, quod cum illa concluſione compati non poteſt, at cum eadem concluſione compoſſibile eſt dubium illud ſpecula-

culatiuum, vt patet ex ijs, quæ diximus cum ageremus de conſcientia dubia in communi, igitur dubium, quod expellitur, & impeditur, non deſtruit caſum præcedentem ex dubio ſpeculatiuo, & confirmatur hoc, quia, ſi ſtatus controuerſiæ, ſeu caſus procederet de dubio practico, inepta eſset quæſtio, cum manifeſtum ſit cum dubio practico operari nõ poſse, eſt enim intrinſecè malum; igitur Doctores proponentes caſum, & varia de illo decidentes, nequeunt agere, niſi de dubio ſpeculatiuo.

Ex his autem, quæ à nobis contra Caramuelem allata ſunt, colligimus, qua ratione
8 eidem reſpondendum ſit, † quando in alijs caſibus, in quibus communiter Doctores dubium de facto accidere agnoſcunt, ipſe abſolutè pronuntiat, poſſibiles non eſse, innititur enim ferè eidem fundamento. Caſus autem legi poſsunt apud eumdem, quos dubitationis capaces eſse, ex eorum ſimplici lectura fit manifeſtum, eoſdemq; iure omittimus, tùm vt breuitati conſulamus; tùm etiam ne ſimiliũ repetitione faſtidium afferamus.

9 Dico ſecundò, † ſubditi illius Principis, qui bellum indicit, dubitãtes dubio negatiuo, an bellũ ex parte ipſius Principis ſit iuſtũ, nõ tenẽtur inueſtigare rationes de iuſtitia belli, ſed poſſunt licitè conſcientiam deponere, credentes ſibi licere, non obſtante tali dubio ſpeculatiuo, pugnare in fauorem ſui Principis, & hoc quia in dubio ſubditi tenentur obedire Superiori habenti ius præcipiendi, ideoq; Miniſtri iuſtitiæ, dum iuſſu Principis ſuſpendunt malefactorem, non obligantur examinare cauſſam; hoc eſt, An malefactor ille iuſtè, an verò iniuſtè ad mortem damnatus ſit? Sed ſatis erit ipſis non conſtare iniuſtitiam interueniſſe: & ita praxis communiter docet.

Solet etiam concluſio efficaciter probari *ex Sancto Auguſtino* relato *in capite Quid culpatur 23. quæſt. prima*, vbi habetur, virum iuſtum ſub Rege etiam ſacrilego poſſe illo iubente, ſi certò non cõſtet, quod iubetur, eſſe contra Dei præceptũ, præſtare, quod iubetur.

10 Dico tertiò, † ſi dubium ſit poſitiuum, ſcilicet hinc inde ſint rationes practicè probabiles pro vtraq; parte, poterunt ſubditi ſe conformare opinioni, quæ fauet proprio Superiori, etiam ſi opinio contraria ſit probabilior; dixi, ſi practicè probabiles, quia ſi ſolùm ſint ſpeculatiuè probabiles ex parte Principis bellum mouentis, vt eueniret v.g. ſi tentaret ſpoliare contrarium Principem in poſſeſſione manentem illius rei, ob quam bellum indicitur, & rationes fauentes parti contrariæ non eſſent circa ius, ſed ſolùm circa factum, tunc non poſſent ſubditi præliari pro ſuo Principe, quia in pari dubio, cum melior ſit conditio poſſidentis, bellum indictum erit iniuſtum; ſed communiter hoc non accidit, quia milites ordinariè ignorant has rationes, & ideo cum ad ipſos non ſpectet examen cauſſæ, poſſunt licitè conſcientiam deponere, ſequentes dictamen ſui Superioris.

11 Dico quartò, † quod diximus de ſubditis intelligendum eſt, tùm in eo caſu, quo ipſi coguntur à proprio Principe ad pugnandum; tùm etiam in caſu, quo non coguntur, ſed ſponte illi ſe offerant. Concluſio iſta eſt contra *Cordub. in quæſt. libro primo, quæſt. 39. punct. 1.* Sed defenditur *à Caietano 2.2. quæſt. 169. artic. ſecundo, in ſolut. ad quartum in dubio ſecundo. à Sanch. in ſum. libro ſexto, capit. 3. numero 17. Merolla tomo primo, d. 3. cap. 3. de conſcient. dub. num. 331. à Sancto Fauſto in theſ. libro ſexto, quæſt. 62.* aiunt enim hi, non eſſe neceſſarium præceptum expreſſum, ſed ſatis eſſe tacitum, quale, vt ipſi inquiunt, cenſetur impoſitum eo ipſo, quod Princeps bellum indicit: ſed quamuis hoc ſit verum loquendo de ſubditis, qui antecedenter ad bellum indictum erant ſtipendiarij, tamen non placet, ſi ſermo ſit de ſubditis, qui non sũt ſtipendiarij; nam reſpectu talium promulgatio belli, vt ſic, nullum, neq; virtualiter, & implicitè continent præceptum, cum ſolùm inuoluat manifeſtationem volũtatis; quæ eſt in Principe, & quamdam inuitationem ad bellũ; idcirco meliùs explicatur hoc *à Breſſero libr. 4. de conſc. cap. 16. num. 168.* docet enim, quando bellum à Principe indicitur, poſſe ſubditos obedire, licet non teneantur, ſi ipſe Princeps nõ iubeat rigidè, ſed vt fieri conſuetum eſt, declaret ſe velle conſcribi milites neceſſarios, ſubditi autem non debent expectare præceptum à ſuo Superiore, in virtute obedientiæ, quia quælibet volũtas ſui Superioris etiam non imperans ſub præcepto, ſatis erit, vt ſubditi, non obſtante illo dubio ſpeculatiuo, deponant practicè conſcientiam, videlicet hic, & nũc poſſe licitè militare; aliter ſi ſubditi modo prædicto dubitantes tenerentur non militare, niſi poſitiuum haberẽt præceptum, ſequeretur debere à Rege imponi præceptum ad bellandum, quod eſt contra praxim; proinde ad dubium illud expellendum, & ad conſcientiam prudenter formandam, ſufficit ſubditis, ſibi non conſtare bellum indictum, eſſe iniuſtum ex parte Principis, qui eſt eorum Superior, & ideo poſſe ſequi ductum illius, dum exiſtimatur prudens, & cautæ conſcientiæ, & præſertim cum in hac materia ſit etiam Iudex, & ideo bellum indicens, veluti in actu exercito iuridicè declarat illud eſſe iuſtum, & huic ſententiæ poſſunt ſubditi tuta conſcientia ſe conformare.

13 Dico quintò, † nomine ſubditi in hac materia non ſolùm intelliguntur, qui ſunt indigenæ, verùm etiam alienigenæ, ſi antequam indiceretur bellum continuis ſtipendiis eiuſdem Principis obſequio erant addicti, ita *Caietan. in ſumm. ver. Bellum. Molina tom. primo, de iuſtitia diſputatione 113. nume. ſeptimo. Ioannes Sanchez capit. citato alijque apud ipſum Merollam numero citato.* Ratio autem eſt, quia milites hoc pacto ſtipendiarij ſe habent tamquam famuli, qui in dubijs debent Dominis obedire, &

com-

communi ratione famulatus, habent cauſſam rationabilem deponendi conſcientiam, non obſtante tali dubio. Concluſio iſta videtur cõtra *Syluest. verb. Bellum 1. quæſt. 9. dicto* 4. qui hos ſtipendiarios non excuſat, ſed fortiſſan loquutus eſt de alijs ſtipendiarijs, qui non erant antea conducti.

13 Dico ſextò. † Non ſubditi nequeũt ſe offerre ad bellandũ durãte dubio illo ſpeculatiuo, ſit bellum iuſtũ, nec ne, eſt contra *Suarez & alios Authores ſecundæ ſententiæ ſuperiùs relatæ* nullum agnoſcentes diſcrimen inter ſubditos, & non ſubditos in ordine ad hũc effectũ: ſed cõcluſio eſt longè probabilior, & ferè communiter recepta, & defenditur ab ijs, quos laudauimus pro tertia ſententia, & ab alijs quamplurimis. Probatur autem, quia ſtante iſto dubio ſpeculatiuo, nulla eſt ratio, ob quam non ſubditi excuſentur ad variandum iudicium practicum conſcientiæ, & ideo tenentur conformare ſe iudicio ſpeculatiuo, & ſi conſcientiam deponunt, temerè & non prudenter illam deponerent.

§. XV.

Quædam diluuntur obiecta.

SVMMARIVM.

1 *Quattuor ponuntur obiectiones, quibus contra Authoris ſententiam viget Suarez, & paritate ducta ex ijs, qui antecedenter erant ſtipendiarij, & qui poſtea aggregantur, cum bellum incipit.*

2 *In ſimili dubio licitum erit arma prælianitibus vendere.*

3 *Pariter licitum erit indifferenter Mercatori inſeruire.*

4 *Non ſubditus nemini iniuriam facere videtur, ſi ſtipendium accipiens alteri inſeruit bellando, ita ex Suarez.*

5 *Soluitur primum argumentum oſtendendo diſcrimen inter vtrumque militum genus.*

6 *Proponitur quædam contraria inſtantia, & ſoluitur.*

7 *Non eſt licitum indifferenter ſe obligare, ſiue ad bellum iuſtum, ſiue iniuſtum.*

8 *Vendere arma præliaturis eſt cauſſa remota, & indifferens.*

9 *Famuli Mercatoribus ſe obligantes, non obligantur primò, & per ſe ad inſeruiendum in contractibus dubijs.*

10 *Non ſubditus cur peccet ſe obligans durante dubio.*

11 *Miles ſubditus practicè etiam dubitans, non ſolùm peccat, ſed ad reſtitutionem aſtringitur à Victoria, ſi poſtea comperiat bellum illud iniuſtum fuiſſe.*

12 *Oppoſitum, vt probabilius ſuſtinet Auctor,*

CONTRA has concluſiones obijcere poſſumus aliquas difficultates, quæ proponũtur à *Suarez diſp. & ſect. cit. nu.* 11. quibus probatur nullam eſſe differentiam inter ſubditos, & nõ ſubditos quo ad hoc punctum.

Primò enim, ſic arguitur. Si ſtipendiarij per-
1 petui ante tempus belli †. potuerũt ſe obligare ad militandum etiam in caſu dubio, deponendo propriam conſcientiam ſupra conſcientiã Principis; cur non valeant id facere, qui ſtipendium accipiunt, quando incipit bellum? quia moraliter eiuſdem rationis eſt exercere actum, & ſe obligare ad illum exercendum. Et hoc confirmatur, nam ſicut non licet ire ad bellum iniuſtũ, ita nec obligare ſe ad militandum in tali bello, neq; ad militandum indifferenter in omni bello ſiue iuſto, ſiue iniuſto, & hoc, quia eſt contra iuſtitiam pugnare in bello iniuſto; igitur è conuerſo ſi licitum eſt ſe obligare in bello dubio, ergo abſq; vlla præcedenti obligatione licitum erit propter ſtipendiũ hic, & nũc id facere; neq; referre videtur, antea aliquem eſſe ſubditum ratione ſtipendij, quia idem dici poterit, ſi obligatio fiat bello inſtante, nam tũc milites ſe obligant ad parendum in omnibus, in quibus licitè poſſũt: hanc autem obligationem antè feciſſe, vel nunc eſſe, nihil refert ad iuſtitiam.

2 Secundò, † in dubio ſimili, licitum erit vendere arma Principi indicenti bellum, eiuſque militibus, & tamen eſt periculum ne venditio talium armorum ſit contra iuſtitiam.

3 Tertiò, † licitum eſt cuilibet inſeruire Mercatori ob ſtipendium, intentione cooperandi contractibus, qui ab ipſo Mercatore exercendi ſunt, de quibus non conſtat eſſe iniuſtos, neq; ita ſe obligantes tenentur examinare iuſtitiam horum contractuum: ergo idem dicendum erit in caſu noſtro.

4 Quartò, qui non eſt ſubditus nulli irrogat iniuriam, ſi alteri ſe ſubdat propter ſtipendiũ; vtitur enim iure ſuo, locando ſuam operam, & induſtriam.

Ex his argumentis colligit *Suarez num.* 12. nullam inueniri differentiam inter ſubditos, & non ſubditos.

5 † Cæterum prædicta omnia quatenùs faciũt cõtra noſtras concluſiones, facilè ſolui poſſunt, oſtendendo diſcrimen inter vtrumq; genus militum, nam milites, qui erant antecedenter ad bellum indictum, & perpetuò ſubiecti, habent cauſſam ſufficientem, qua excuſantur ab examinandis meritis ipſius belli, & talis cauſſa eſt ſubiectio illa antecedenter contracta, quam non tenentur derelinquere, & ideo Princeps reſpectu horum militum inuenitur in quadam veluti poſſeſſione, quam prius bona fide contraxit, hæc autem ratio non habet locum in militibus, qui de nouo volunt ſe obligare ad bellum, de cuius honeſtate ipſi dubitant, cum tali enim dubio ſe obligantes ingrederentur mala fide in obſequium Principis. Ad hanc

verò differentiam meliùs ſuadendam affero
quamdam paritatem in alio caſu; nam ſecun-
dum valdè probabilem ſententiam famuli lici-
tè poſſunt communicare cum Domino, qui eſt
excommunicatus non toleratus, ſi ipſorum
famulatus præceſſit excommunicationem: ſe-
cùs autem ſi ſubſequuturus eſt; quamuis aliqui
hos etiam famulos, qui obligantur ad inſerui-
endum poſt excommunicationem, excuſent;
attamen ſiſtendo in prima opinione, quæ eſt
longè probabilior, aio, quod ſicuti ratio fa-
mulatus præcedens excuſat famulos, non au-
tem famulatus ſubſequens, ita ſubiectio mi-
litum præcedens, non autem ſubiectio ſubſe-
quens militis excuſabit.

6 Dices; † pugnare in bello dubio, vel ex ſe
eſt malum, vel ex ſe eſt licitum, ſi dicatur
primum, ſubiectio quantùmuis antiqua ne-
quit actionem ipſam pugnandi cohoneſtare,
quia præciſa ratio temporis non poteſt talem
actionem variare ſecundum eſſe morale mali-
tiæ, aut honeſtatis: Si ſecundum eligatur,
tunc ſi erit licitum pugnare militibus antece-
denter ſubiectis, erit etiam licitum militibus,
qui de nouo ſubduntur.

Reſpondeo, malitia, quę inuenitur pu-
gnando in bello dubio, conſiſtit in eo, quod
milites cum tali dubio prælíantes, ſe exponunt
periculo errandi ſine cauſſa rationabili excu-
ſãte, & ideo, quando ſubiectio bona fide pręe-
cedit, milites non tenentur ſe eximere à ſubiec-
tione, idcirco nõ ſe exponũt moraliter pericu-
lo formaliter errandi, ſed ſolùm materialiter, &
poſſunt, non obſtante dubio illo ſpeculatiuo,
depònere practicè conſcientiam iudicãtes, hic,
& nũc licitum ſibi eſſe bellare abſq; alio exami-
ne cauſsæ, quæ ratio non valet, vt patet, in
ordine ad milites, qui de nouo obligantur pu-
gnare in tali bello, de cuius iuſtitia dubitant:
quapropter ne moraliter ſe exponant pericu-
lo præliandi contra iuſtitiam, teneantur cauſ-
ſam examinare, ad quam ſe obligent, vel ſal-
tèm deponere conſcientiam per principia ex-
trinſeca, videlicet, ſi de probitate, & pru-
dentia Principis bellum indicentis notitiam
habeant, vel ſi communiter ita exiſtimetur, &
ideo practicè iudicare poſſunt bellum ab illo
Principe inductum fuiſſe ob cauſſas rationabi-
les, & iuſtas. Ex his omnibus clariùs fit ma-
nifeſta ſolutio, quam diluendo primum argu-
mentum Suarez tradidimus, dicimus enim,
ſtipendiarios perpetuos non ſe obligare ad mi-
litandum in bello dubio, vt ſic, ſed ad mili-
tandum in eo bello, in quo rationabiliter poſ-
ſunt pugnare; & ideo poſita tali obligatione
ſufficienter excuſantur abſq; alio examine pu-
gnantes in bello dubio; ex his etiam patet reſ-
ponſio ad alia, quæ adduntur in hoc primo
argumento: concedo enim eiuſdem rationis
moraliter eſſe exercere actum, & ad illud
exercendum ſe obligare, ſed hoc nihil facit
contra nos, quia non dicimus milites perpe-
tuos antecedenter ſe obligare primo, & per ſe
ad bellũ in bello dubio, vt ſic; ſed in genere ad
inſeruiendum Principi in militia.

Ad confirmationem, reſpondeo concedẽdo
7 † non eſſe licitũ ſe obligare indifferenter in
hoc ſenſu, nempè, ad bellum, ſiue iuſtũ, ſiue in-
iuſtum; ſed licitũ eſſe indifferenter ſe obligare
ad inſeruiẽdũ in bello, in quo licitũ erit pugnare

8 Ad ſecũdum aio, vendere arma ijs, † qui ſunt
præliaturi, eſt cauſſa valdè remota, & actio ex
ſe indifferẽs, quæ varijs titulis poterit cohone-
ſtari, vt fusè oſtẽdimus in tractatu de cõſilio, at
pugnare eſt actio immediata, & requirit cauſſã
proportionatam ad hoc, vt milites excuſentur.

9 † Ad tertiũ eodem ferè modo reſpondeo, nam
famuli, qui ſe obligant inſeruire Mercatoribus,
id primo, & per ſe nõ faciũt in ordine ad aliquẽ
contractum, de quo dubitatur, an ſit licitus, ſed
ſe obligant ad inſeruiendũ illis in ordine ad cõ-
tractus, quibus licitè cooperari poſsũt, & ideo
talis obligatio excuſant ipſos famulos, ne tene-
antur in progreſſu famulatus examinare con-
tractus, qui à Mercatore ineuntur.

10 Ad quartũ dico, † non ſubditũ ideo pecca-
re ſe ſubijciendo in ordine ad bellũ dubiũ, quia
ſine cauſſa rationabili excuſante ſe exponit pe-
riculo præliandi contra iuſtitiam.

11 † Poſſet tamẽ quis poſtulare, ſi miles ſubditus
nõ ſolùm ſpeculatiuè, verùm etiam practicè du
bitet de iuſtitia belli, an ſtãte illo dubio ſpecu-
latiuo nõ depoſito per iudiciũ practicũ pugnet,
& poſt peractũ bellum comperiat bellum fuiſſe
ex parte ſui Principis iniuſtũ, an præter peccatũ
quod commiſit pugnans non deponendo con-
ſcientiam, teneatur reſarcire damna illata?

Reſpõdeo quæſitũ hoc fuiſſe propoſitũ *à Vi-
ctoria de iure belli n.33.* & ad illud reſpõdet in
tali caſu militem teneri ad reſtitutionem, quia
operatus eſt iniuſtè cõtra conſcientiam; & hæc
ſentẽtia cõfirmari meliùs poteſt hac ratione: nã
ex vna parte certũ eſt talem hominem ita præ-
liantem peccare cõtra iuſtitiam, quia acceſſit ad
pugnam cũ conſcientia practicè dubia: ex alia
verò parte actio illa nõ ſolùm ſecũdum cõſcien-
tiam militis, ſed in re erat iniuſta, vt ſupponim⁹
ergo nihil videtur deeſſe ad obligãdum militẽ
hũc, vt reſtituat, illæ.n. duę cõditiones videntur
ſufficiẽtes ad obligãdum, nempè, actio iniuſta
ſecũdũ conſciẽtiam, & iniuſta à parte rei, ſeu q
in idem recidit, actio formaliter, & materialiter
iniuſta.

Sed probabilius † cẽſeo in tali caſu militẽ illũ
12 licet ob conſciẽtiam formaliter erroneam pu-
gnãdo peccauerit; nihilominùs nõ eſſe obligã-
dum ad reſtitutionẽ, ita *Mol. to. 1. de iuſt. d. 113.
n. 9. in fine*; & ratio eſt, quia ille miles ſubditus à
parte rei ius habebat ad præliandũ, & ad inferẽ-
da prędicta damna, nã poterat licitè cõſciẽtiã,
& dubiũ ſpeculatiuũ deponere; quamuis tale ius
ab ipſo ignoratũ fuerit, & ideo actio illa pugnã-
di fuit iniuſta formaliter ob ſolã conſciẽtiã er-
roneam, & nõ ob defectũ iuris, neq; ſatis videt
fuiſse iniuſta formaliter, & materialiter, ad hoc
vt obliget ad recompenſanda damna illata, ſed
vlteriùs requiritur in re nullum fuiſse ius exer-
cendi talem actionem ex parte ipſius militis,

& ideo

& ideò rectè, ait *Molina loco citato*, quod iniuſtitia prouenies formaliter ex conſcientia erronea non affert ſecum obligationem reſtituendi ex capite iniuſtæ acceptionis; attamen poterit talis miles obligari ad reſtituendum ex capite rei acceptæ; nam ſi aliqua bona hoſtium extent apud ipſum, tenebitur illa Domino reſtituere, vel ſi non extent, & in aliquo ſit factus locupletior, obligabitur reſtituere id, in quo factus eſt ditior ex bonis captis in bello.

§. XVI.

Si Titius, facta diligentia, dubitet, an ſoluerit quod Sorti debebat, teneatur ne integrum debitum ſoluere?

SVMMARIVM.

1 *Communis ſententia Titium ad ſoluendum obligat.*
2 *Ad partem tantum obligari putant Layman, & Diana.*
3 *Tannerus liberat Titium debitorem, quando etiam creditor dubitat, an ſolutio facta nec ne fuerit.*
4 *Integre debitum eſſe ſoluendum cenſet Auctor.*
5 *Soluitur ratio, cui Layman innititur.*
6 *Falſo fundamento firmatur Tanneri opinio.*

1 RESPONDEO. ſatis communem ſententiam eſſe † teneri debitorem integrum debitum ſoluere, quia cum ex vna parte certus ſit de mutuo v. g: & ex alia parte non ſit certus de ſatisfactione, obligabitur ad ſatisfaciendum: nam ius certum non extinguitur iure incerto. & ſic docent *Sāchez in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 2. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 33. num. 7. Vaſquez in p. 2. diſp. 66. cap. 7. nu. 43. Caramuel de conſc. dicto corol. 30. & alij.*

2 † At *Paulus Layman in morali Theologia lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 42.* vult non eſſe debitorem in tali caſu obligandum ad integram ſolutionem, ſed ad partem iuxta quantitatem, & proportionē dubij; & probatur quia æquitas non patitur, vt debitor exponatur periculo bis ſoluendi, nam poſſet contingere, vt re vera ſatisfecerit; & hanc opinionem vt probabilem ſequitur *Diana par. 3. tr. 3. reſol. 32.* qui addit in hoc caſu, quod neq; condemnaret creditorem, ſi integram recipiat ſolutionē, neq; debitorem ſi nō integram ſoluerer; & hoc ob rationes pro vtraq; parte probabiles.

3 † Alij verò diſtinguūt, & aſſerunt quod ſi non ſolùm debitor, ſed etiam creditor eodem laborent dubio, tunc debitorem ad nihil teneri, ſecùs ſi ſolum debitor. ſic putat *Tannerus in p. 2. diſp. 2. quæſt. 6. dub. 4. nu. 49.* & mouetur ad aſſerēdum ex eo, quod putat in tali caſu poſſeſſionem ſe tenere ex parte debitoris, & per conſequens, meliorem eſſe eius conditionem.

4 Dicendum tamen eſt in caſu prædicto, Titium debitorem † teneri ad integrum debitum ſoluendum, quam opinionem nouiſſimè examinat *Cardinalis Delugo*, eamq; amplectitur *to. 1. de iuſt. diſp. 18. ſect. 1. à num. 7.* ratio autem fundamentalis eſt, quia creditor, dum conſtat de debito, & non probatur ſolutio, ſuam intentionem fundatam habet; ac proindè debitori incumbit onus probandi extinctionem debiti, & dum id non probat, melior eſt conditio creditoris, ex parte cuius cenſetur eſſe poſſeſſio.

5 Ad fundamentum autem opinionis *Pauli Layman* reſpondeo, † periculum damni eſſe ex vtraq; parte, videlicet, tùm ex parte debitoris, tum creditoris, quia ſicuti ſtante tali dubio debitor ſe exponit periculo bis ſoluendi debitum; ita creditor illud amittendi, vel ſaltem partem illius, & cum melior ſit conditio creditoris habentis fundatam ſuam intentionem, & per ſe præſumptionem iuris, idcirco tenetur debitor integrum ſoluere debitum.

6 Ad rationem pro ſententia Tanneri † reſpondeo falſo niti fundamento, nam poſſeſſio eſt ex parte creditoris, non debitoris, qui licet poſſideat ſuam pecuniam, poſſeſſio enim in hoc caſu non eſt attendenda circa pecuniam; ſed circa ius petendi debitum; neq; dubium ex parte creditoris tollit ius, quod ipſemet habet, quia etiam ſtante prædicto dubio, debitum eſt certū, ſolutio autem incerta; & ideò dicimus poſſeſſionem huius iuris eſſe ex parte creditoris, cui etiam valde fauet præſumptio iuris, quæ eſt in foro externo, in quo non obſtante tali dubio, pro ipſo creditore decideretur. vide *Delugo loc. cit.* multa circa rem hanc examinantem.

§. XVII.

Hæſitans moroſus debitor, an à Creditore monitus ſoluiſſet, teneatur ne damnum rependere, quod creditor pro dilatione eſt paſſus?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur controuerſia quædam.*
2 *Pars affirmatiua à quibuſdam defenditur circa quæſtionem ſuppoſitam.*
3 *Oppoſitum ſuſtinent alij.*

4 Fer-

4 *Formatur caſus, prout ad inſtitutum pertinet.*
5 *Moroſum debitorem teneri ad reſarciēda damna tali dubio extante, conſueuerunt nonnulli.*
6 *Mitiùs alij procedunt, ad partem, & non ad integrum damnum reſarciendum, obligantes debitorem.*
7 *Eſſe totaliter debitorem eximendum à prædicto onere docet Author.*
8 *Satisfit argumento pro prima ſententia.*
9 *Diluitur argumentum pro poſteriori opinione adductum.*

1 PRO huius quæſiti deciſione ſupponere oportet cōtrouerſiam illam, quam Doctores exagitāt, videlicet, an debitor moroſus vt aſtringatur ad reſarciendum damnū, quod ſuus creditor paſſus eſt, debeat ab eodem creditore præmoneri de prædicto damno obuenturo V.G. accipiendo pecunias ſub fœnore.

2 Aliqui partem affirmatiuam † tuentur; ita *Angelus Verb. Vſura 5 num. 20. Azor par. 3. lib. 5. de vſura cap. 4. in fine*; requirunt tamen hi Authores, vt creditor petens recompenſationem damni acceperit pecunias ſub vſuris, pro rebus neceſſarijs, & non merè voluntarijs, & in eamdem ſententiam abſq; tali limitatione inclinat *Cardinalis Delugo infra citandus*: Ratio autem, qua ducuntur, eſt, quia debitor ſi præmoneretur, vel ſolueret, vel alia via curaret ne creditor damnum ſuſtineret.

3 Alij verò † oppoſitum tuentur, ſcilicet, non eſſe neceſſariam præmonitionem hanc, vt debitor obligetur ad recompenſandum damnum, ſed ſatis eſſe moram culpabilem; nam dies, vt dici ſolet, interpellat pro homine; & ſic ſentiunt *Petrus Nauarra de reſtit. lib. 3. cap. 2. nu. 181. Sigiſmundus Scaccia tract. de commerc. §. 1. quæſt. 7. par. 2. amplia. 8. à num. 263. Bonacina de reſtit. diſp. 1. quæſt. 6. pun. vnico, n. 3. & diſp. 3. quæſt. 3. pun. 4. num. 4. Ver. (Ad hoc verum.)* Sed non eſt huius loci controuerſiam hanc dirimere.

4 Caſus autem eo modo formari debet, quo præſens tractatio poſtulat, ita vt in dubium veniat; ideoq; ſupponenda ſunt ea, quæ vel ſunt certa, vel ferè certa, & neceſſariò ſiſtendum erit in terminis primæ opinionis, nam dubium, quod expendere intendimus, locum non habet, ſi ſecundam opinionem amplectentes, eam ſupponamus; oportet igitur formare caſum ſupponentes primam ſententiam. Pro cuius intelligentia aduertendum erit, ab Authoribus eiuſdem opinionis præmonitionem requiri, quando debitor ignorat damnum, quod creditor patitur; aliter vel opinio iſta eſſet omninò falſa, atq; adeò non ſupponenda, neq; ſuper eam fundata dubitatio aliqua, vel inutile redderet quæſitum in ordine ad inſtitutum noſtrum. Declaro omnia; Si ponamus, debitorem non præmoneri, quia creditor timet eius auſteritatem, & aliquod malum ab ipſo debitore inferendum, ſi creditor vrgeat petendo ſolutionem, vel habeat timorem reuerentialem, ità vt omiſſio præmonitionis reddatur ipſi creditori inuoluntaria, tunc abſq; dubio aſtringendus eſſet debitor in foro conſcientiæ ad damna, quæ creditor paſſus eſt, reſarcienda, ſi fuerint ab ipſo debitore præuiſa, vel rationabiliter ex communiter accidentibus præuideri debuerint, & præmiſſum etiam fuerit, ob timorem omitti præmonitionem à creditore; neq; Authores huius primæ opinionis, poſtulantes præmonitionem ad obligandum debitorem, loqui poſſunt in hoc, aut ſimili caſu, ſed loquuntur quando damna ſequuta à debitore ignorantur.

Si verò creditor omittat præmonere non ex timore, ſed quia arctiſſimo amicitiæ, aut ſāguinis vinculo coniunctus ſit cū debitore, & ideo non curat, aut præſumatur nō curare proprium diſpendium in pecunijs, ne amico, aut cognato moleſtiam ipſa præmonitione inferat; quod ex coniecturis deprehendi poterit, tunc bona fide manens debitor, non erit ad damna compenſanda obligandus, quia in illis circumſtantijs creditor cenſetur cedere iuri ſuo, & remittere debitori vſuras, quas patitur; ſi, inquam, caſus ità formetur, vanum, & inutile foret quæſitum, neq; aliquid pertinens ad dubium conſcientiæ dictamen in eo fundare poſſemus. Proponēdus igitur eſt caſus ſub talibus terminis, vt ambiguam reddere valeat conſcientiam; quapropter in hunc modum erit formandus. Ignoret debitor damnū, quod ex dilata ſolutione ſuſtinuit creditor: innoteſcat tamen illi poſt factum, incipiatq; hæſitare, quid facturus fuiſſet, ſi præmonitio præceſſiſſet, ſoluiſſet nec ne, aut aliqua via damnis creditoris occurriſſet? His præſuppoſitis.

5 Prima ſententia ea eſſe poſſet, quæ vult, debitorem † omninò teneri ad reſarciendum integrum vſurarum damnum: ratio pro hac ſententia ità procedit; ex vna parte cauſſa damni contra creditorem fuit libere appoſita, nēpè omiſſio libera ſolutionis debitæ; ex alia verò parte cauſſa excuſans debitorem, ſtante ipſius ambiguitate de eo, quod fuiſſet facturus poſita præmonitione, eſt omninò incerta; igitur præſumptio erit contra ipſum, atq; adeo ad totum damnum integrè compenſandum erit aſtringendus.

6 Secunda opinio † mitiùs loquitur; non enim ad integrum, ſed ad ſolam damni partem pro ratione dubij compenſandam determinat; ſic docet *Cardinalis Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 18. ſect. 2. num. 33. in fine*; loquens cum dubitatur, an ex mora euitabiliter, aut ineuitabiliter, vbi cauēdus eſt error impreſſoris, aut copiſtæ; nam dicitur (ſi autem creditor) debuiſſet tamen dici (ſi autem debitor.) Fundamentum huius opinionis eſſe poteſt, quia cum non ſit certum ex omiſſione ſolutionis damnum creditori obueniſſe, neq; ſit certum oppoſitum, ſed animus anceps maneat, conſentaneum rationi videtur, vt pro dubij qualitate arbitrio prudentum fiat compenſatio.

Sed tertia ſententia non ſolùm mitiùs, ver-
ùm

7 rùm etiam † mitiſſimè procedit, omninò liberans ab hoc onere reſarciēdi vſuras debitorem, & hanc ſententiam libenter recipio, eamq; probo, quia eo modo, quo proponitur caſus, præſumptio fauet debitori, & non creditori, igitur debitor eſt eximendus &c. Patet conſequentia, quia in dubijs quando veritas haberi nequit, ad præſumptiones iuris eſt recurrendum, vt ſæpè in hoc tractatu inculcatum eſt: Antecedens verò probatur; nam poſita ignorantia, vt ſupponimus, ex parte debitoris de pecunia ſub vſuris capta à creditore, & ex ſuppoſitione admiſſa priori ſententia, omiſſio ſolutionis, licet libera in ratione omiſsionis, libera tamen non fuit, vt illatiua damni contra creditorem; quia ignorantia illa, & negatio monitionis, quam liberè, & voluntariè, vt ſupponimus, prætermiſit creditor, non conſtituebant ſolutionis omiſſionem in genere moris cauſſam integram culpabilem in ordine ad damna, quia debitor poſita negatione cognitionis de damno iuxta illam priorem ſententiam, in foro conſcientiæ non tenetur recompenſare damna; proinde cum monitio in caſu ignorantiæ ſe habeat veluti conditio prærequiſita ad aſtringendum debitorem, idcircò, ea deficiente, ceſſat obligatio ex parte debitoris, & præſumptio eſt pro ipſo, quia nemo præſumitur, in dubio delictum fuiſſe patraturum: proindeius præſumit, quod poſita monitione, debitor, niſi aliud in contrarium ſe offerat, quod faciat oppoſitum præſumere, fuiſſet impediturus damna illa obueniētia creditori, vel ſoluendo, vel alijs medijs occurrendo. Igitur verum eſt illud Antecedens, ſcilicet eo modo, quo caſus proponitur, præſumptionem fauere ipſi debitori, quod melius confirmabitur ſoluendo fundamenta aliarum ſententiarum.

8 †Ad illud, cui innititur ſententia primò loco relata, quæ damnat debitorem, &c. reſpondeo diſtinguendo de cauſſa damni, quæ ponitur in libera negatione ſolutionis debiti, poterit enim negatio, ſeu omiſſio iſta, phyſicè, & moraliter ſpectari in ordine ad damnum, quod creditor paſſus fuit, concedimus enim phyſicè, ſeu materialiter loquendo, omiſsionem illam fuiſſe cauſſam damni, eo modo, quo negationes appellari poſſunt cauſſæ damni illati, vt dici ſolet in tractatu de reſtitutione de cauſsis negatiuis, ſeu non impedientibus, cum poſſunt, & debent impedire, nempè, non obſtans, non manifeſtans &c. moraliter autem negamus omiſsionem prædictam fuiſſe cauſſam proximam damni; requirebatur enim præmonitio facienda à creditore, per quam debitor agnouiſſet damnum imminens creditoris, & conſtitutus fuiſſet in mala fide; proinde ad argumentum pro hac ſententia, diſtinguentes modo prædicto antecedens, negamus conſequentiam.

9 †Ad rationem verò ſecundæ ſententiæ, quam defendit Delugo, reſpondeo dubietatem illam de influxu omiſsionis, ſeu negationis ſolutionis, nihil in hoc caſu operari, quia etiam ſi daremus, omiſsionem fuiſſe adæquatam cauſſam damni, quod ſuſtinuit creditor, propter hoc nō eſſet obligandus debitor ad reſtitutionem ob rationem aſsignatam, videlicet ob defectum notitiæ, & præmonitionis de damno illo, idcircò locum nō habet partialis compenſatio, cum nulla ex parte debitoris interuenerit culpa. Et hæc probabiliter dicta ſint de hoc quæſito ex hypoteſi illius prioris ſententiæ requirentis præmonitionem faciendam à creditore modo explicato.

§. XVIII.

Occulta compenſatio facta à creditore, an in dubio cedat in extinctionem anterioris, ſeu magis priuilegiati, vel minus antiqui, ſeu minus crediti priuilegiati?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*

2 *Dubia exiſtente intentione creditoris, præſumitur extinguere voluiſſe creditum poſterius.*

3 *Debitor ſoluendo præſumitur ſoluiſſe debitum magis ſibi oneroſum.*

1 SIT exemplum. † Titius V. G. ſit creditor Sortis in duplici credito, quorum vnum ſit vel antiquius, vel magis priuilegiatum, & occulta compenſatione licitè ſit vſus, quæ non ſit ſuffectura ad extinguendum vtrumq; creditum, ſed tantum vnum, plus, aut minus; attamen dubium ſit, in cuius crediti ſatisfactionem voluerit compēſare, an ſtante tali dubio præſumi debeat compēſationem illam fuiſſe in ſatisfactionem illius crediti minus priuilegiati, & quod difficilius exigi poteſt, & conſequenter ipſe Titius poſsit petere creditum magis priuilegiatum, & anterius etiam in præiudicium aliorum creditorum Sortis.

2 Reſpondeo † In dubio de intentione creditoris præſumendum eſt voluiſſe mediante compenſatione extinguere creditum poſterius, & minus priuilegiatum. Sic docet *Cardinalis Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 16. ſect. 6. num. 129. & ſequentibus.* Et ratio eſt, quia in compenſatione prædicta attendenda eſt intentio creditoris, & non debitoris; nam à ſolo creditore pendet actio illa compenſatiua, in quam debitor nullum habet influxum; idcircò præſumitur creditorem voluiſſe mediante compenſatione extinguere creditum illud, cuius extinctio vtilior ſibi erit;

3 erit; † nam ſicuti in dubio præſumitur debitorem ſoluendo velle extinguere debitum, quod ſibi eſt magis graue, & cuius ſolutio commodior: ita etiam, & creditor dum occultè compenſationem facit, præſumitur velle id, quod ſibi vtilius eſt: multa alia dicere poſſemus circa dubium, quando ſolutio ſponte eſt facta à creditore, quæ omnia expendit *Molina tom. 2. de Iuſt. tract. 2. diſp. 565.* apud quem legi poſſunt.

§. XIX.

Si quis certus ſit ſe debitorem eſſe in decem tritici modijs, & dubius an tales modij, in quibus eſt debitor, ſint maioris vel minoris menſuræ, ad quid obligetur?

S V M M A R I V M.

1 *Ad modios minoris menſuræ erit obligandus.*
2 *Probatur ex vtroq; iure.*

1 DICO eſſe obligandum ✠ ad minores tantum, & non ad grandiores, ſic aſſerit *Rebellius lib. 2. de reſt. quæſt. 14. ſect. 2. num. 10. & Ioãnes de Dicaſtillo lib. 2. de reſt. tract. 2. diſp. 5. dub. 10.*
2 *num. 109.* † probatur ex *l. nummis. ff. de legatis 3.* vbi enim ſit ſermo de pecunijs, eo modo deciditur, ſicut dictum eſt; & de menſuris probatur *per textum in cap. Ex parte de cenſibus.* ratio autem eſt, quia in rebus dubijs, & obſcuris minimum ãplectendum eſt, vt habetur *in reg. iur. in 6.*

§. XX.

Mortuo viro, ſi vxor ſtatim cum alio nubat, & intra nouem menſes à die ſecundi matrimonij pariat, cuius viri cenſenda ſit proles?

S V M M A R I V M.

1 *Ponderandæ ſunt circumſtantiæ, ex quibus veritas deduci poteſt.*
2 *Omnibus perpenſis, ſi dubium maneat, aliqui volunt eſſe æſtimandum filium illius, in cuius domo naſcitur, vel ex vtriuſq; viri hæredicate alendus.*
3 *Eſſe æſtimandum filium ſecundi mariti poſſidentis.*

1 TALI exiſtente dubio eſſe prius diligenter ✠ inſpiciendas omnes illas circumſtantias, quæ in cognitionẽ veritatis duci poſſunt, & ſi inditia deſint, recurrendum erit ad alias coniecturas, de quibus agit *Syluest. Verb. Filij. quæſt. 17. Maſcardus de probat. concl. 788. num. 24. Caſtropalaus tom. 1 de conſc. dubia d. 3. p. 5. à num. 8. & alij*
2 *apud ipſum;* ſi autem † perpenſis omnibus nihil pro vna, aut altera parte probabiliter deduci poterit, Syluester aſſerit eſſe reputandum filium illius, in cuius domo naſcitur, vel ex vtraq; hæreditate ei prouidendum, nam ex vna parte cum filius non ſit priuandus debito ſubſidio, & ex alia parte nõ appareat maior obligatio in vna, quam in alia, ex vtraq; ſumenda erunt alimenta pro filio.

3 † Priorem ſententiam amplectitur *Vaſquez p. 2. d. 66. cap. 8. Salas tract. 8. diſp. vnica ſect. 24. num. 245. Caſtropalaus loc. cit. num. 7.* & eſt ſententia *Baldi L. ſi mater C. de ſuis, & legit;* ratio autem eſt, quia in dubio poſſeſſio actualis præualere debet, & ideò cum ſecundus maritus ſit in poſſeſſione actuali matrimonij, proles cenſetur eſſe ab ipſo, & hæc eſt communior ſententia, & recipienda.

§. XXI.

Duobus cum eadem muliere rem habentibus, ſi illa pariat, à quo ex illis duobus alenda ſit proles, quando de eius genitore minimè conſtat?

S V M M A R I V M.

1 *A neutro ex illis ex obligatione prolem eſſe alendam putarunt aliqui.*
2 *Communis opinio vtrumq; obligat.*
3 *Hæc ſententia recipitur ab Authore.*
4 *Quamuis fornicator obligetur ad alendam prolem, non vitãtur omnino pericula malæ educationis.*
5 *Non eſt par ratio de caſu dubio, ſcilicet, quis ex duobus homicidium patrauerit, & de caſu noſtro.*
6 *Oſtenditur diſparitas inter plures cognoſcentes publicam meretricem, & fornicarios in caſu noſtro.*
7 *Quando præſumptio iuris eſt pro creditore, li-*

cita

cita erit compenſatio iuxta proportionem dubij.

8 *In foro externo tunc eſt Reus abſoluendus, quando nulla contra ipſum eſt præſumptio.*

9 *Diſcurſus, & argumentum Caramuelis infringitur.*

NON defuerunt aliqui, quos tacito nomine refert *Vaſquez p. 2. diſp. 66. cap. 8. initio*, qui aſſe-
1 ruerunt in prædicto dubio † neutrum ex illis teneri ad prolem alendam, quia neuter eſt certus eſſe ſuam. proindè melior eſt conditio poſſidentis, & ſic neutrum eſſe obligandum; quam ſententiam fusè examinat *Cardinalis Delugo*, eamq; amplectitur *tom. 1. de iuſt. d. 13. ſect. 2. num. 29.* cuius rationes inferiùs expendemus.

2 † At oppoſitum communiter defenditur ab auctoribus aientibus in caſu prędicto, vtrumq; teneri in æquali dubio pro rata ad alimẽta proli ſubminiſtranda, & ita docent *Vaſquez cap. cit. num. 7. Martinez in p. 2. tom. 1. quæſt. 19. artic. 6. dub. 5. in 2. concluſione Turrianus in opuſculis Theologicis opuſc. 10. diſp. 5. dub. 3. Villalobos in ſumma tom. 1. tr. 1. diff. 20. num. 12. Diana par. 4. tr. 3. reſol. 31. & par. 7. tr. 11. reſol. 35. Ioannes de Dicaſtillo de Iuſt. lib. 2. tr. 2. d. 7. dub. 11. num. 161. & alij.*

3 Dicendum eſt † cum hac ſecunda ſententia, videlicet in æquali dubio ab vtroq; concubinario alimenta ſubminiſtranda eſſe. Probatur cõcluſio, quia cum vterq; rem habuerit cum illa muliere, dum non conſtat prolem eſſe vnius, & non alterius, præſumptio eſt contra vtrumq; & poſſeſſio iuris petendi alimenta eſt pro filio genito; quemadmodum ſi quis det conſilium, vel inſtrumentum ad furandum, ſi furtum ſequitur, tenebitur ad reſtitutionem; ſaltem ad partem, quia preſumptio iuris eſt contra conſulentem, aut adiuuantem: niſi certò conſtet furtum non fuiſſe ſequutum vi conſilij, aut inſtrumenti: ſic dum illi duo concubinarij rem habuerunt cum muliere, appoſuerunt ſufficientem cauſſam ad generationem, ideoq; niſi certò cõſtet oppoſitum, præſumptio erit contra illos, ac proindè tenebuntur alimenta præſtare.

Sed contra hanc opinionem, quę eſt communis, nonnulla argumẽta in contrarium proponit Delugo, quæ ſunt expendenda.

Obijcies enim primò à poſteriori, hoc pacto.
4 † Malitiam intrinſecam, quę eſt in ſimplici fornicatione, non aliundè colligunt Theologi, niſi ex eo quod proles exponitur periculo non habendi patrem certum, à quo educari, & ali debeat. Igitur ſupponunt ceſſare obligationem alendi, quando non eſt certitudo parentum, ſi enim in dubio tenerentur, qui mulierem agnouerunt, præſtare alimenta, periculum prędictum non vrgeret.

5 † Reſpondeo negando conſequentiam, quia non obſtante obligatione alendi prolem incertam in caſu explicato, non vitatur omnino periculum malę educationis, propter quam Authores moti ſunt ad oſtendendam malitiam intrinſecam, quæ reperitur in peccato ſimplicis fornicationis, nam incertitudo illa decreſcere facit amorem erga prolem, & pariter ſollicitudinem, ſeu paternam curam, qua parentes certi de prole conãtur illam tenero affectu educare, proindè falſum eſt ab Authoribus ſupponi ceſſare obligationem ad alimenta præſtanda proli incertæ, ea incertitudine, de qua loquimur.

Obijcies ſecundò. Si conſtet de homicidio commiſſo, & ſolum dubitetur, an commiſſum fuerit à Petro, an verò à Paulo, & adhibita diligentia dubium expelli nequeat; tunc non poſſet Iudex licitè vtrumq; punire, cum certum ſit alterum ex illis eſſe innocentem, vtrumq; enim puniendo, erit certum puniri innocentem: ita ſimiliter, ſi vterq; parens incertus obligaretur ad alendam prolem incertam, ſequeretur quod alter ex illis, qui non eſt pater, & conſequenter non eſt debitor, obligaretur ad ſoluendum id, quod non debet, quod eſt iniquum.

Reſpondeo † negando paritatem, quia in
6 caſu illo homicidij patrati, præſumptio iuris eſt pro Petro, & Paulo; cum de neutro determinatè conſtet commiſſio delicti, aut cauſæ homicidij applicatio. idcirco iniquum eſſet vtrumque punire; at in caſu noſtro præſumptio iuris eſt contra duos illos concubinarios, de quibus determinatè, & certò conſtat delictum patratum, & cauſſam prolis generandæ appoſitam fuiſſe; ideoque vterque eſt obligandus ad ſoluenda alimenta: paritas autem inter vnũ, & alterum caſum, eſſet, ſi in primo illo caſu ſupponeretur à Petro, & Paulo cauſſam ſufficientem ad homicidium fuiſſe appoſitam, vel conſilium datum fuiſſe, & dubium ſolum verſaretur an homicidium ſequutum fuerit vi cauſſę, aut conſilij vnius, aut alterius; & tunc vterque pro rata eſſet obligandus ad reſarcienda damna ſequuta ob homicidium, cum contra vtrumq; ſtaret præſumptio iuris; nam ius ſupponit occiſionem non fuiſſe ſequuturam, niſi cauſſa illa, aut conſilium datum fuiſſet, & ſic curreret paritas inter hunc caſum, & noſtrum.

Obijcies tertiò. Si eſſet vera iſta ſententia, ſequeretur, quod omnes, qui agnouerunt meretricem publicam, eſſent pro rata obligandi ad alendum filium illegitimum ex tali meretrice natum; at conſequens eſt falſum, & à nemine aſſeritur: ergo falſum eſt antecedens, in quo ponitur noſtra ſententia obligans duos illos concubinarios ad alendam prolem incertam.

Reſpondeo, non eſſe eamdem paritatem per ſe loquendo, primò quia non ſemper conſtat talem meretricem peperiſſe; ſæpe enim fraudibus, & mendacijs decipere ſolent ſuos amaſios. Secundò etiam ſi demus conſtare de prole, tamen non ſolent concurrere communiter tales circumſtantiæ facientes præſumptio-

 nem

nem contra fornicarios, quia ſæpè non conſtat de tempore partus, & conceptionis, & quod pluris eſt, an proles nata ſit ex illa meretrice, an ex alia; atq; adeò ſit ſuppoſita, & difficile eſt in partu publicæ meretricis, quæ omnibus eſt expoſita, haberi poſſe præſumptiones contra fornicarios: ita vt vi illarum obligentur, cùm ad hanc obligationem imponendam multa conſtare deberent, quæ ordinariè loquendo ſemper ſolent eſſe incerta. Sed ſi fingeremus omnes has circumſtantias interuenire; tunc ingenuè fatetemur omnes illos fornicarios, cōtra quos cōcurreret præſūptio, eſſe obligandos pro rata ad prolem illam alendam.

Obijcies quartò, compenſationem fieri non poſſe, vt communiter dicunt Theologi, quando debitum eſt incertum; nam in dubio nemo eſt ſpoliandus bonis, quæ poſſidet; ergo filius, modo explicato, incertus nequit occultè accipere ab altero ex fornicariis partem ſuorum alimentorum, quia reſpectu determinatæ perſonæ debitum eſt incertum; atq; adeò non poterit fornicarius iſte obligari ad partem illam alimentorum præſtandam.

7 Reſpondeo † ſi in aliquo caſu dubio præſumptio iuris eſſet pro creditore; tunc iuxta proportionem dubij eſſet iuſta occulta compenſatio; quando autem Theologi negant fieri poſſe occultam compenſationem pro debito incerto, loquuntur in eo caſu, in quo ex incertitudine reſultat præſumptio pro debitore, & ſic ad argumentum neganda eſt conſequentia, quia in caſu noſtro, vt oſtendimus, præſumptio iuris eſt pro filio nato.

Obiicies quintò, eadem eſt obligatio in foro interno, quæ eſt in foro externo, quando in foro illo interno non adeſt veritatis notitia, aut alia præſumptio; in foro autem externo reus eſt abſoluendus, dum actor non probat, ergo cum filius natus ſit actor petens alimenta, & non probet aliquem ex illis eſſe ſuum patrem, idcircò vterq; fornicarius eſt obligatione abſoluendus.

8 Reſpondeo negando conſequentiam, † quia tunc in foro externo, reus eſt totaliter abſoluendus, quando nulla contra ipſum eſt præſumptio; cum autem in caſu noſtro præſumptio ſit contra vtrumq; fornicarium, quamuis non ſit totaliter contra vtrumq; ſeorſim, idcircò vterq; non ad totum, ſed ad partem eſt obſtringēdus.

Contra noſtram ſententiam mouet *Caramuel de dictamine conſcien. coroll. 27. nu. 1369.* quamdam difficultatem, quam nolens definitiuè reſoluere, petit ab alijs eius ſolutionem, & ſupponit ex Medicis, & Phyſicis, ſemipatres, non dari, quamuis an ſolidè id dicatur, alijs remittit videndum, eo tamen poſito, poſſet Petrus v. g. qui eſt alter dubius parens ſic diſcurrere; non ſum huius paruuli ſemipater, ergo vel ſum Pater, vel non Pater, ſi Pater non mediam ſuſtentationem, ſed integram debeo; ſi non Pater, nihil debeo, ſed ante duos annos Pater non eram huius paruuli, atq; adeò eram in poſſeſſione carendi tali filio, igitur manebo in mea poſſeſſione, quamdiù contrarium non probabitur. Sic diſcurrit Caramuel probans exēptionem à debito alendi prolem pro dubiis parentibus; & argumentum viſum illi fuit adeò efficax, vt eius ſolutionem ab aliis expoſtularet.

9 Reſpondeo, † non eſſe difficile prædictum argumentum diluere, vt cenſuit Caramuel, negando poſſeſſionem ſtare pro Petro dubio parente, nam & ſi ante commercium fuerit non Pater illius paruuli, & veluti in poſſeſſione carendi tali filio; nihilominus cum cauſſam concipiendi prolem illam certò applicuerit, & ſecuta ſit proles, & ſolum dubium ſit an generata fuerit à tali homine, præſumptio erit cōtra ipſum Petrum, ipſiq; incumbet onus probandi ex vi cauſſæ ab ipſo applicatæ, minimè conceptam fuiſſe prolem illam, ſicuti in ſimilibus accidit, V. G. ſi quis conſilium dedit alicui ad furandū, vel occidendum hominem, effectu ſequuto, præſumptio eſt contra conſulentem, non ob aliam rationem, niſi quia dando conſilium ſufficientem cauſſam illius effectus præbuit, & excuſatio non eſt certa, nempe effectum non fuiſſe vi illius conſilij ſequutum. Præſumptio autem in caſu noſtro, quantum eſt de ſe, eſſet ſufficiens ad obligandum Petrum ad totam congruam ſuſtentationem prolis, niſi concurreret ſimilis præſumptio pro altero parente dubio, proinde diuidenda erit obligatio, & alimentorum ſolutio.

§. XXII.

Quando hæſitatio emergit, an Virgo fuerit per ſeductionem deflorata, quid præſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Per ſeductionem intelligitur fraus quædam, & non pura ſuaſio.*
2 *Seductor aſtringitur ad reſarciēdam iniuriam illatam.*
3 *Formatur caſus prout venire poteſt in praxim.*
4 *Virgo deflorata iuxta nonnullos præſumitur ſeducta.*
5 *Aperitur difficultas, quam patitur ſententia iſta.*
6 *Oppoſita ſententia à pari ſuadetur.*
7 *In decidenda hac vltima opinione ſuſpendit iudicium Author.*
8 *Explicatur lex in contrarium allata.*

PER ſeductionem, ne ſit æquiuocatio, non intelligimus ſimplicem ſuaſionem, ſeu excitationem ad peccandum, nam ſignificatum

catum verbo aliquid aliud importat, nempè deceptionem, & fraudem, quia ſi attendamus materialitatem vocis, ſeduco, ſignificat, id turba aliquem de ducere; tranſlatè autem ſi-
1 gnificat decipere, vt ex *Ambroſio Calepino* habemus. Et ſecundum hanc ſignificationem eſt in præſentia ſumẽdum verbum hoc, ſi enim ſumeretur pro excitare, ſuadere, &c. impropria foret loquutio, & eſto demus præſumi Virginem defloratam fuiſſe per ſeductionem in hoc ſenſu, videlicet, per excitationem à deflorante, quoniam ex communiter accidentibus, excitatio à viro in hac materia initium habere ſolet, licet interdum oppoſitum eueniat, nihilominus quæſitum non loquitur de tali ſeductione, contra quam non ſunt impoſitæ à iure pœnæ, quæ contra ſeductores ſtatuuntur. his pro declaratione præmiſſis.
2 Quæſitum procedit † ſupponendo obligationem, qua talis deflorator tenetur, vel dotare, vel alio modo damnum reſarcire, quando metu, deceptione, aut coactione Virginem ſeducẽs deflorauit, de qua re Doctores paſsim agunt in materia de iuſtitia; hac autem veritate præſuppoſita, inquirimus magis propriè ad noſtrũ inſtitutum, an quando, penſatis omnibus, emergit dubitatio de ſeductione, ſit præſumenda pars affimatiua, atq; adeò reſultet obligatio compenſandi damnum, ſi fortè ex defloratione illa obuenerit, an verò pars negatiua: & quia difficile in praxi contingere poterit talis dubitatio in ipſomet deflorante, nam ſibi ipſi conſtat, an ſeduxerit nec ne Virginem illam, & conſequenter non videtur moraliter poſsibile, vt caſus reſpectu ipſius defloratoris locum ha-
3 beat; † idcircò vt magis ad praxim reducatur, ponamus dubitationem emergere in hærede defloratoris, cui conſtet defloratio proueniens ab eo, cuius ipſe eſt hæres, & tales occurrant circumſtantiæ, vt prudenter dubitet de ſeductione; hoc autem poſito, quærimus quid præſumendum, vt poſtea determinemus, an aliqua obligatio reſarciẽdi damnum ex bonis hæreditarijs conſurgat.

Opinionem affirmatiuam docet *Molina to. 4. de iuſt. tract. 3. diſp. 104. num. 11. Delugo to. 2. diſp. 12. ſect. 1. num. 3. Maſcardus concl. 1253. num. 31.* quam ipſe colligit *ex l. 1. C. de rap.*
4 *Virg.* † videlicet Virginem defloratam præſumi ſeductam, niſi oppoſitum à ſtupratore probetur; ex hac autem opinione ſequitur obligatio in defloratore ad recompenſandum damnum illatum, & ſi ipſe mortuus ſit, reſtitutionem faciendam eſſe ab hærede. Hanc ſententiam, authoritate prædictorum, veneror, & præſertim cùm *Molina ibidem* eſſe communem affirmet. Sed cum ab ipſis nulla fulciatur ratione,
5 difficultatem pati videtur; † quia cum ex vna parte ſeductio ſit graue delictum, non eſt præſumendum, vt colligi poteſt *ex L. meritò. ff. pro Socio*, & approbat *Menochius lib. 1. præſumpt. 38. & lib. 5. præſumpt. 35. num. 8. & communiter Doctores*, ex alia verò parte defloratio cum euenire ſoleat etiam ex conſenſu Virginis, non debemus præſumere ſeductio-
6 nem ſequutam fuiſſe. † Et probatur à pari, nam vt aiunt Doctores, violentia niſi probetur, non præſumitur; ergo neque ſeductio: antecedens probat *Maſcardus*, & iuribus, & authoritate *vol. 3. de probat. concl. 1409. num. 2.* & hoc non alia ratione, niſi quia delictum non præſumitur, igitur à pari cum ſeductio ſit etiam delictum, & non ſit neceſſariò connexa cum defloratione, non video cur iſta potiùs, quàm illa, nempe violentia, ſit præſumenda. ita mihi videtur diſcurrendum contra opinionem affirmatiuam; ſed nolo oppoſitam ſententiam negatiuam determinatè loqui, niſi pro
7 illa Authores inueniam, † interim ſuſpendo iudicium, & deciſionem ſapientibus remitto.
8 Ad legem autem, quam pro ſe citat *Maſcardus*, reſpondeo † ibi non ſtatui in dubio deflorationem præſumi ſeductionem fuiſſe, ſed ſolùm præſcribi pœnas contra raptores virginum, aliarumq; honeſtarum mulierum; & circa finem proponi modos, quibus huiuſmodi raptus contingere ſoleant, videlicet, ſollicitationibus, & odioſis artibus, quas raptores parant ad raptum committendum, & ad conſenſum mulieris extorquendum. Ex his autem non video decretum, per quod ſtatuatur in dubio ſeductionem eſſe præſumendam; ſed vt dixi, nolo contrarium determinatè docere, quod volui tamen innuere, & ab alijs expendendum relinquere, vſq; dum aliud pro deciſione mihi ſe offerat.

§. XXIII.

Vtrum in dubio præſumatur virginitas fuiſſe in puella deflorata contra ſeductorem, id negantem?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Proponitur ratio dubitandi pro non præſumenda virginitate.*
3 *In caſu poſito præſumi debet.*
4 *Virginitas eſt qualitas humanam conſequens naturam.*
5 *Limitatur.*
6 *Satisfit rationi contrariæ.*
7 *Præſumptio fundata in qualitate naturam ſequente eſt fortior ea, quæ in voluntate ſeductoris fundatur.*

1 SOLET caſus occurrere, ✠ vt quis ſeducat puellam aliquam, & poſtea metu pœnarum neget illam virginem fuiſſe, & quia interdum penſatis omnibus, neq; pro parte affirmatiua, neq; pro negatiua concurrunt circumſtantiæ ad ferendum determinatum iudicium, quærimus quid in dubio ſit præſumendum; vt decernamus an deflorator ad aliquam pœnam, & reſtitutionem ſit condemnandus.

2 Videtur † non præſumi virginitatem, quia quando non poſſumus eximere hominem à delicto patrato, debemus in dubijs pręſumere potius minus, quàm maius delictum, vt ex *Baldo, Socin. Felino, Alciato, & alijs* firmat *Menochius lib. 5. præſump. 2. num. 24.* igitur defloratio virginitatis cum ſit grauius delictum, quàm ſimplex fornicatio, in dubio illa non eſt præſumenda.

3 Dicendum tamen eſt in caſu poſito † pręſumendum eſſe, virginitatem fuiſſe in puella deflorata, & ſi ſeductor neget, ipſi incumbet oppoſitum probare, ſic aſſerunt graues Doctores *Alexand. conſ. 229. num. 2. lib. 6. Alciatus de præſumpt. regul. 3. initio. Panormit. in capit. 1. num. 5. de adult. Iulius Clarus in practica criminali §. ſtuprum verſ. (Sed pene) Maſcardus de probat. concluſ. 1410. num. 1. Menochius lib. 6. præſumpt. 49. numer. 2. 3. Molina noſter tom. 4. de inſtit. diſput. 104. num. 14. Cardinalis Delugo diſput. 12. num. 3.*
4 *& alij.* ratio eſt, quia virginitas † cum ſit qualitas naturalis, & naturam ipſam humanam ſequatur, præſumitur adeſſe, niſi deperditam fuiſſe probetur, & ideò ſeductori, illam neganti, incumbit onus probandi puellam fuiſſe corruptam, & amiſiſſe virginitatem antequam à ſe fuiſſet carnaliter cognita, & dum non probat, erit condemnandus, ad recompenſationem.

5 Limitanda † tamen eſt concluſio, quando concurrunt coniecturæ, per quas præſumi debeat mulier virgo non fuiſſe, has coniecturas declarat *Menochius loco citato*, videlicet cum mulier incedit habitu meretricio, vel veſtitu, qui à nuptis geſtari ſolitus eſt, vel ſi mulier fuit cum amaſio, vel marito in locò abſcondito, vel demum quando obſtetrices fidem faciunt de illius mulieris corruptione, licet Menochius in fine illius præſumptionis dicat, hanc vltimam coniecturam de obſtetricibus eſſe fallacem: hæ, aut ſimilea coniecturæ occurrentes arbitrio boni viri iudicandę, euincunt præſumptionem oppoſitam, & ideò erit iudicandum in fauorem ſeductoris, illique non incumbet onus probandi negationem virginitatis, ſed tale onus transferretur in puellam aſſerentem ſe fuiſſe virginem, & ab eodem ſeductore defloratam.

6 † Ad rationem dubitandi in oppoſitum reſpondeo verum eſſe per ſe loquendo, potiùs minus, quàm grauius delictum eſſe præſumendum, & ex iſto capite, pro ſeductore negante puellam à ſe cognitam, fuiſſe virginem, eſſet decidendum, nihilominus, quando pręſumptio eſt pro graui delicto, illud erit præſumendum, in
7 caſu autem noſtro præſumptio, quæ fundatur † in qualitate ſequente naturam, fortior eſt, quàm ſit præſumptio fundata in voluntate ſeductoris nolentis deflorare virginem, & ideò non eſſe mirum, ſi hæc pręſumptio euincatur ab illa efficaciori, & potentiori.

§. XXIV.

Mutuatarius aliquid ſupra ſortem mutuanti ſoluens, vtrum in dubio præſúmatur exceſſum gratuitò donaſſe?

SVMMARIVM.

1 *In ſententia Caietani Donatio præſumenda videtur.*
2 *Oppoſitum docet Author.*
3 *Donare eſt aliquo modo perdere.*
4 *In dubio potiùs remuneratoria, quàm gratuita præſumitur donatio.*

1 IN tali dubio ✠ *Caietanus in opuſc. tract. 8. de vſura. q. 3. verſ. (aut neutrum credit)* videtur docere non eſſe obligationem reſtituendi acceptum. Sed *Couarruuias Reg. ad peccatum part. 2. num. 4. & Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 20 dub. 6. nu. 45.* cenſent non eſſe pręſumendam donationem, &
2 ideò eſſe obligationem reſtituendi acceptum. † Hæc opinio per ſe loquendo mihi placet, quia donatio non præſumitur, vt habetur *ex l. cum de indebito. ff. de prob.* idq; aſſerit *Tuſcus v. Donatio concl. 102. Nouarius in praxi miſerabi-*
3 *lium priuil. 30. & alij.* † Et probatur quia donare eſt perdere, nemo autem pręſumitur ſua bona prodigere. *Campanus. ff. de operibus libert.* ideòq; non pręſumitur aliquem voluiſſe donare, niſi ex coniecturis oppoſitum deduca-
4 tur: quapropter donatio in dubio † potiùs pręſumitur remuneratoria, quam gratuita. Dixi, per ſe loquendo, quia in fauorem miſerabilium perſonarum pręſumi donationem, ſuſtinet Nouarius, qui de hac re nonnulla exagitat.

§. XXV.

Duo contractus eodem die confecti, quibus Titius alijs ſe deuinxit, ſi bona ipſius non ſunt ſuffectura, vter ex illis contractibus in dubio præſumatur anterior?

SVMMARIVM.

1 *Magis priuilegiatum prafertur.*
2 *Aequaliter priuilegiata in ordine ad pralationem ſunt iudicanda iuxta ordinem ſcripturæ.*
3 *Limitat Nouarius, niſi alter creditor ſit miſerabilis.*

1 HVIC quæſtio tali pacto occurritur, † ſi vnum creditum erit magis altero priuilegiatũ, erit præferendum, vt colligitur ex regula *l. verum §. finis ff. de minor.* & ita docent *Cinus in Authent. Quas actiones C. de ſac. Ecc. Neguſant. tract. de pignor. par. 2. membro 4. & alij.* sed quando vnum creditum non eſt altero magis priuilegiatum, vel nullum, vel æquale habet priuilegiũ
2 tũc † attendendum eſſe ſcripturæ ordinem, ita vt ille creditor præferatur, cuius inſtrumentum priùs inuenitur ſcriptum in prothocollo Notarij, & ſic deciſum fuiſſe Neapoli *per Sacrum Conſilium die 7. Iulij 1618.* refert *Antonius de Marinis in reſolut. quotid lib. 1. cap. 72. nu 10.*
3 *& 11.* hanc ſententiã limitat † *Nouar. in praxi miſerabilium priuil. 54.* & ait in prædicto dubio, quando vnus ex creditoribus eſt perſona miſerabilis, in eius fauorem eſſe præſumendum, & pro hac opinione nonnullos laudat Authores.

§. XXVI.

Caius cuidam ſuo conſanguineo alimenta præſtitit, in dubio cenſeantur ne exhibita animo repetendi, an verò gratis donandi?

SVMMARIVM.

1 *Affectu beneuolentia eſſe praſtita determinat Tuſcus.*
2 *Melius cum alijs ex coniecturis id colligendum eſſe.*
3 *Nullis concurrentibus coniecturis, præſumitur alimenta præſtita animo repetendi.*

1 IN dubio præſtita ✠ eſſe affectu beneuolentiæ determinauit *Tuſcus v. alimenta. concl. 287. nu. 32.* ſed melius *Alex. concil. 110. vol. 7.* cum diſtinctione loquens
2 docet. q. ſi ex coniecturis † colligatur ex affectu filiali, aut paterno, fraterno, &c. alimenta illa exhibita fuiſſe, tunc in dubio præſumenda, præſtita fuiſſe abſq; animo repetendi, & pro hac ſententia citat *Caſtrum in l. ſi paterno C. de neg. geſt. Iaſon. l. 1. nu. 4. C. de legatis*, ſed ſi neq; ex verbis, neq; ex alijs ſignis indicatus fuerit affectus beneuolentiæ, tũc alimenta præſumuntur præſtita fuiſſe animo repetendi. ſic *Gloſſ. in l. ſi paterno citata*, loquendo de expenſis factis à Vitrico pro alimẽtis priuigni, & hæc opinio cum hac diſtinctione eſt admittenda, quia cum nulla ſit coniectura indicans affectum pietatis, & beneuolentiæ,
3 præſumitur alimenta data fuiſſe † animo repetendi, quoniam in dubio neminem præſumitur velle bona ſua prodigere, vt ſupra adnotauim'.

§. XXVII.

Quando eſt dubium, an citatio fuerit, nec ne, ex mandato Iudicis, eſt ne præſumendum pro parte negatiua, an verò affirmatiua?

SVMMARIVM.

1 *Per ſe loquendo ſine Iudicis mandato factam fuiſſe præſumitur.*
2 *Limitatur concluſio.*
3 *Non eſſe Nuntio credendum.*
4 *Standum tamen eſt conſuetudini Regionum.*

1 PER ſe loquendo eſſe præſumendam ✠ partem negatiuam, nimirum, non fuiſſe ex Iudicis mãdatò, ſic *Maſcardus de probat. concl. 390. num. 7. & ſequentibus. Fragoſus de Reg. Reipubl. par. 1. lib. 5. diſput. 12. num. 16.* & ratio eſt, quia quod in actis ſcriptum nõ inuenitur, præſumitur non factum, vt notauit *Flamin. de reſignat. benef. lib. 11. tom. 2. quæſt 14. num. 67.* Dixi, per ſe loquendo, nam cum dubium ſuboritur ex lõgitudine, & antiquitate temporis, tũc Ius præſumit iam factum, quod ad valorem actus re-
2 quirebatur, † & ideo in caſu noſtro præſumetur citationem illam factam fuiſſe cum debi-

debita ſollemnitate, nempè, ex mandato Iudicis, ſic limitat idem *Fragoſus nu.* 17. quamuis *Baldus in Authent. ſi quis in aliquo nu.* 21. *& alij apud eumdem Fragoſum*, oppoſitum ſentiant, non præſumi, videlicet, citationem dictam, etiam diuturno tempore tranſacto, factam fuiſſe Iudicis mandato.

3 Sed petes; an credendum † ſit Nuntio aſſerenti habuiſſe mandatum à Iudice? Reſpondet *idem Fragoſus* non eſſe ei fidem pręſtandã,

4 niſi id probet, † ſed puto ſtandum eſſe legibus & conſuetudinibus propriæ Regionis.

§. XXVIII.

In dubio præuentionis, citatio realis, an præferenda ſit verbali?

SVMMARIVM.

1 *Præſumptio eſt pro citatione reali.*

2 *Realis præventio ponit Iudicem in quadam poſſeſſione.*

1 PRÆSVMENDVM eſſe pro illo Iudice, ✠ qui realiter præuenit capiendo, & detinendo perſonam, ita docet *Fragoſus loc. cit. nu.* 33. nam per realem præuentionem Iudex eſt veluti in

2 quadam poſſeſſione, † quæ multum illi fauet; non ita, qui ſolùm verbaliter cœperit cauſſam.

§. XXIX.

Exiſtente dubio quis ex duobus Iudicibus præuenerit, Eccleſiaſticus ne, an Laicus in rebus mixti fori, pro quo eſt decidendum?

SVMMARIVM.

1 *Pro Iudice Laico in Luſitania decisum fuiſſe teſtantur aliqui.*

2 *Ratio pro hac concluſione aſſignatur ab Auctore.*

3 *Reus laicus in delictis mixti fori duplici titulo ſpectat ad Iudicem laicum, & vno tantùm ad Eccleſiaſticum.*

AD hunc caſum reſpondet *Fragoſus de Reg. Reipubl. par.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 12. *num.* 33.

1 † in Luſitania Anno Domini 1591. à Senatu fuiſſe pro Iudice laico deciſum. Idem teſtatur *Gregorius de Cabedo I. C. Hiſpanus par.* 1. *deciſ.* 88. *nume. vltimo.* Sed huius rei nullam aſſignant rationem; ipſe tamen conabor eam, quæ mihi veri-

2 ſimilior apparet, in medium afferre. † Aio igitur rationem eſſe, quia, vt ſupponimus, ille, contra quem agitur, eſt laicus; atq; adeo primò, & per ſe, pertinet ad forum Iudicis laici, proinde in dubio pro laico in tali caſu eſt iudicandũ;

3 † nam ad ipſum duplici titulo cauſſa ipſa pertinet, ratione nimirum perſonæ, & ratione delicti, ad Iudicem verò Eccleſiaſticum ſolùm vnico titulo, nempè, ratione ſolius delicti, cuius intuitu perſona illa indirectè veluti per accidens pertinet.

§. XXX.

Res à Domino directo conceſſa, an iudicetur in feudum, an vero in allodium?

SVMMARIVM.

1 *Præſumitur in allodium, & non in feudum conceſſa.*

2 *Qui aſſerit rem poſſeſſam eſſe allodialem, habet intentionem fundatam.*

3 *Feudum importat ſeruitutem.*

1 RESPONDEO ✠ præſumi conceſſam in allodium, & non in feudum: ita docent quamplures, quos laudat, & ſequitur *Maſcar. de prob. tom.* 1. *concl.* 79. *num.* 9. *Aleiatus de præſumpt. reg.* 2. *præſump.* 3. *nu.* 2. *Nouarius in praxi miſerab. priuil.* 31. *& alij.* Ratio autem eſt, quia res præſumitur allodialis, proinde, qui eam poſſidet, & affirmat eſſe talem, habet intentionem fundatam, & qui aſſerit eſſe feudalem, ipſi incũbet onus hoc probandi, nam omne prædium ab origine ſit liberum præſumitur à quacumque [illegible], vt habetur per tex. *in l. Altius C. de ſeruit. & aqua* § *fin.* & docet ex multis *Gabriel de feudis conſil.* 3. At eſſe in feudum eſt habere annexam ſeruitutem, idcirco hoc eſt probandum; præſumi autem rem eſſe allodialem, docet *Hoſtienſis in cap. Nimis de iure iur. Abbas ibi. Pariſius conſil.* 16. *nume.* 21. *vol.* 4. *& plures alij.*

§. XXXI.

§. XXXI.

In dubio verſans, an Petrus extrema laboret neceſſitate, teneatur ne ſtatim illi opem ferre?

SVMMARIVM.

1 *Tenetur ambigens veritatem indagare.*
2 *Facta diligentia ſi dubium adhuc perſeueret ambigens non tenetur iuxta ſententiam quorumdam.*
3 *Oppoſitum probat Caramuel.*
4 *Dubitans eximitur ab Authore.*

1 OBSTRICTVM eſſe ita dubitātem † ad veritatem indagandā nemo ambigere poteſt, & ita reſpondet ad hunc caſum *Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 43. num. 20. Diana par. 5. tract. 8. reſol. 39.* aliter omittens, euidenti periculo ſe exponeret frangendi eleemoſynæ præceptum, tūc maximè vrgens, & idem etiam aſſerit *Caramuel de conſc. dict. corol. 31.*

2 Sed quid ſi, facto examine, & diligētia adhibita, adhùc dubium perſeueret; † in tali caſu videtur dicendum non obligari dubitantem ad eleemoſynam erogandam, quia in tali dubio poſſeſſio eſt pro libertate ipſius ambigentis, & ita docent *Sanchez, & Diana loc. cit.*

3 At Caramuel inſurgit † contra, probans oppoſitum, & ſupponit ante bonorum diuiſionem, inſpecto ſolùm iure naturæ, bona omnia fuiſſe communia, & in diuiſione iure gentiūm introducta, caſum extremę neceſſitatis exceptū fuiſse; in quo diuiſio nequit locū habere, & cōſequēter neq; eſse in poſseſſione; idcirco in poſſeſſione erit cōmunio bonorū, quapropter cū dubitatur, an ſit ī tali homine extrema neceſſitas, diuiſio reſpectu einſdem hominis reuocatur in dubium, & cum certa ſit communio, & dubia diuiſio, poſseſſio non erit pro libertate diuitis, ſed pro paupere. Hæc eſt Caramuelis opinio, quæ mihi non placet.

4 Dico igitur, † ſi poſt diligentem inquiſitionem dubia adhùc erit extrema neceſſitas, nō tenebitur diues ſubuenire illi, de quo eſt ambiguitas, an prædicta laboret neceſſitate, probatur ea ratione, qua *Ioannes, & Diana* probarūt hanc eamdem ſententiam, videlicet, poſseſſionē eſse pro diuite; ſeu pro diuiſione, & non pro paupere, ſeu communione bonorum: quia caſus impediens diuiſionem eſt incertus, diuiſio aūt certa, ergo pro diuiſione, & nō pro communione erit præſumendum, & iudicandum, quod hac paritate confirmo, ſi Petrus ex cōuentione cōcedat Paulo, vt percipere poſſit partem fructuū vineę ipſius Petri, & viciſſim Paulus hoc ipſum concedat Petro de ſuo viridario, ſed reciprocū pactum fiat cum conditione excipiente caſū, in quo vterq; prolem legitimam obtineret, ſi Petrus volēs recedere à pacto, alleget prolem ſibi ortam fuiſse, ſanè quis non videat onus id probandi Petro incumbere, quando eius intentio fundari debet in conditione exiſtente, & dum eam non probat, non teneri Paulum ſe abſtinere à perceptione medietatis fructuum: ita cùm diuiti non conſtet extrema neceſſitas illius, qui eam aſſerit, non tenebitur ita ſe gerere ſubueniendo, ac ſi re vera ille pauper in extrema eſſet neceſſitate, & eam aſſerenti incumbit onus ipſam probandi, & dum non probatur præſumptio, & poſseſſio eſt pro bonorum diuiſione, & libertate.

§. XXXII.

Famulus nonnulla, ad quæ non tenebatur, Domino præſtitit obſequia, vtrum in dubio præſumendum ſit liberaliter, an verò intentione mercedis, exhibita fuiſſe?

SVMMARIVM.

1 *In dubio præſumptio eſt pro famulo.*
2 *Aliqui limitatè id concedunt.*
3 *Quando eſt dubium animo mercenario præſtita fuiſſe obſequia determinat Author.*

1 RESPONDEO ſi penſatis omnibus dubium extat † præſūptionem eſſe pro famulo, videlicet, obſequia illa exhibita eſſe animo habendi mercedem, quādo famulus inuitus in obſequijs & laboribus detentus fuerit, ita *Ioannes de Dicaſtillo lib. 2. de iuſt. tract. 14. dubit. 5. num. 121* hoc autem ipſe probat ex eo, quod condonatio libera eſſe debet, cum autem famulus in miniſterijs præſtandis, ad quæ non obligatur, inuitus detineatur, ſignum eſt noluiſſe gratis talia obſequia facere, at addendum iudico duas alias conditiones, videlicet, vt obſequia illa ſint pretio æſtimabilia, & ea famulus exhibeat iuſſu Domini, ſi enim vltrò abſq; mandato ſe illis immiſcet, puto non poſſe ex rigore iuſtitię recōpenſationem petere à Domino, in cuius gratiā operatus eſt, quamuis *Vaſquez in p. 2. d. 223. cap. 2. num. 20.* ſuſtineat ſufficere, vt Dominus videat à famulo opus exerceri in ſui vtilitatem ad hoc, vt ex iuſtitia teneatur recompenſare, nā videns, & non prohibens implicitè cenſetur conſentire, atq; adeo ex iuſtitia ſe obligare,

ſed

2 ſed quicquid ſit de hoc, † nam alijs placet cum
quibuſdam limitationibus illud admittere, ta-
men pro vt facit ad rem noſtram, dico in dubijs
præſumendum potiùs eſſe talia obſequia præ-
3 ſtari animo mercenario, & non gratuito, †
proinde ille, in cuius vtilitatem fiunt, obligabi-
tur ad congruam mercedem.

§. XXXIII.

Titius petit ab hærede Sempronij, cui vt famulus inſeruiuit, debitam ſibi mercedem, hæres dubitat, an fuerit, nec ne, ſatisfactus, quid in tali dubio ſit decidendum?

SVMMARIVM

1 *Declaratur caſus.*
2 *Onus probandi videtur in hæredem transfundi.*
3 *Supponuntur leges Prouinciarum.*
4 *Capitulum Regni Siciliæ aperitur.*
5 *Referuntur aliorum opiniones.*
6 *Ante elapſum tempus præſcriptionis onus probandi incumbit hæredi.*
7 *Poſt elapſum incumbit famulo petenti.*

VT caſus practicabilis fiat hoc pa-
1 cto † declarandus erit. Suppo-
namus cõſtare hæredi obſequia
à Titio præſtita Sempronio pa-
tri v. g. ipſius hæredis, ambigere
tamen, an Titius, viuente Sẽpro-
nio, receperit, nec ne, debitam mercedem; nam
ſi dubium verſetur de ipſiſmet obſequijs, quæ-
ſitum præſens locum non haberet, quia abſque
controuerſia in tali caſu hæres nihil ſoluere te-
neretur, incumberet enim Titio probare obſe-
quia, in quibus ſuam fundat intentionem, poſi-
ta autem notitia de ſeruitijs, quærimus, ad quem
ſpectet onus probandi, ad hæredem, vt oſten-
dat ſolutionem mercedis, an verò ad Titium, vt
probet ſatisfactum minimè fuiſſe, quod poſſet
teſtibus id comprobare, vel ex certis inditijs,
vel ex dicto ipſius Sempronij tempore mortis,
vel paulo ante. His pro ſtatu quæſtionis, &
quæſiti intelligentia præhabitis.
2 Videtur totum onus † transfundi in hæredẽ,
& Titiũ benè ſuam fundare intentionem, quia
certa ſunt obſequia merẽtia ſtipendium, & du-
bia eſt ſatisfactio, atq; adeo tenetur hæres oſtẽ-
dere ſolutionem à Sempronio factam fuiſſe. Et
confirmatur à pari, ſi quis v. g. vi alicuius pu-
blici inſtrumenti debitor eſſet Petro in mille
aureis, non poterit eximi à tali obligatione, ni-
ſi oſtendat ſolutionem, & vſq; dum illam non
probat, præſumptio erit in fauorem Petri cre-
ditoris in vtroq; foro.

3 Pro ſolutione huius dubij † ſupponere de-
bemus, leges, quę in quibuſdam Prouincijs vi-
gẽt, ſcilicet obſequia perſonalia, ſi intra deter-
minatum tempus non petũtur, cenſeri præſcrip-
ta, vt refert *Molina noſter tom. 1. de iuſt. diſp.
67.* loquens de Regno Luſitaniæ, & de Regno
Caſtellæ, ita vt famulis non detur actio, tranſ-
acto eo tempore, ad mercedem pro obſequijs
petendam, & in his Regnis ſancitum eſt intra
trienniũ à die, quo famulus deſiit ſeruire, peti
poſſe ſtipendium, & eo triennio elapſo, non da-
ri actionem ad illud petendum.
4 In hoc autem Siciliæ Regno habetur de hac
re *Capitulum 62. Ferdinãdi Regis*, quod ad pe-
titionem Regni prouiſum fuit, vt mercedes pro
ſeruitijs perſonalibus, ſi à famulis non petãtur
infra annum in vita Domini à die debiti con-
tracti, & poſt eius mortem infra quinquenniũ,
amplius peti nequeant, ſtatutum autem hoc ad-
5 mittit limitationes, † nam *Balthaſar Abbruz-
zo in comment. 2. eiuſdem capituli num. 24.* ait
Clericos non affici tali ſtatuto, *& in primo cõ-
ment. num. 66.* a. in diſpoſitione eiuſdem ſtatuti
excludit ſeruitia, quæ fiunt à militibus. Has au-
tem ordinationes non procedere, niſi in foro iu-
diciali, non autem in foro conſcientię determi-
nat *Gam. deciſ. 334. Fagundez lib. 2. de iuſt,
cap. 15. num. 11.* *Dicaſtillus* opinionem mutãs
de iuſt. lib. 2. diſp. 9. dub. 7. num. 168. & rectè id
dicũt, quia in foro poli pręſcriptio, & vſucapio
non dantur cum mala fide pręſcribentis, idcir-
co *Gam. deciſ. cit. num. 8. & Fagundez* conce-
dunt triennalem illam pręſcriptionem, quando
in familijs Magnatum famuli conducuntur per
Oeconomos domus, à quibus talia ſolent ſolui
ſtipendia, & ideo Magnates ignorare poſſunt
ſe remanere debitores; & in hoc caſu dicunt hi
Authores forſitan procedere triennalem pre-
ſcriptionem, quia ceſſat mala fides. Regre-
dientes autem ad quęſitum ſupponimus in hę-
rede bonam fidem, & rationabiliter ignorare
an Titius habuerit, nec ne, mercedem pro obſe-
quijs Sempronio pręſtitis? His pręhabitis.
6 Dicendum eſt primò, † ſi tempus pręſcrip-
tionis non eſt elapſum, tunc onus probandi in-
cumbit ipſi hęredi, atq; adeo niſi probet mer-
cedem Titio ſolutam fuiſſe, tenebitur in vtroq;
foro ad illam ſoluendam. Ducor ad hoc aſſerẽ-
dum, quia non elapſo tempore per ſtatutũ pręſ-
criptio, pſũptio eſt in fauorẽ Titij famuli, ide-
oq; poſita certitudine obſequiorum pręſtitorũ
intentionem fundatam habet.
7 Dicendum eſt ſecundò, † tempore illo trãſ-
acto onus probandi erit in Titio, proinde hęres
niſi conſtet negatio ſolutæ mercedis, non
erit obligandus: probatur, quia, tunc
pręſumptio eſt pro ipſo; & lex
ipſi aſſiſtit, igitur in vtro-
que foro veniet
liberan-
dus.

§. XXXIV.

Petrus rem ſuam decem vendendam aureis Paulo commiſit, qui eam vndecim vendidit, poſtea hæſitans, an proprio, an verò Petri nomine vendiderit, poſſit ne exceſſum pretij ſibi retinere?

SVMMARIVM.

1 *Præponitur fundamentum difficultatis.*

2 *Refertur ſententia Ioannis Delugo Cardinalis.*

3 *Prædicta ſententia quibuſdam adhibitis moderationibus eſt explicanda.*

4 *Venditionem nomine mediatoris factam fuiſſe eſt probandum efficaciſſimis præſumptionibus.*

5 *Vt venditio ſit in fauorem Mediatoris, nonnulla concurrere debent conditiones.*

1 PRIVSQVAM ad quęſiti reſolutionem deueniamus, † oportet ſupponere, vt fundamentum totius difficultatis, communem, & veram doctrinam ab Authoribus traditam de hac re agentibus. Suppono igitur non poſse à mediatore, cui venditio commiſsa fuit, per ſe loquendo, retineri aliquid de exceſsu pretij, ſed totum integrum Domino eſse conſignandum, vt rectè animaduertit *Leſſius ex Syluestro l. 2. de iuſtitia cap. 21. dub. 19.* per accidens tamen in quibuſdam euentibus licitè id fieri poſse, vt ſi ipſe mediator propter onus vendendi ſtipendium non habuerit, nec gratis officium hoc exercendum aſsumpſerit, nec gratis peragandum, expreſsè, aut tacitè cum Domino conuenerit, vel ſi valdè extraordinariam adhibuerit diligentiam, vt carius pretio taxato ab ipſo Domino, venderet rem illam ſibi commiſsam, quia tunc labor iſte extraordinarius eſset mercede dignus, proinde iuſtè ipſe mediator poſset aliquid ex exceſsu pretij ſibi applicare, videlicet; quanti æſtimaretur labor, aut diligentia illa extraordinaria. Deniq; ſi Paulus mediator ſibi emeret rem traditam à Petro pro pretio taxato, & poſtea ſua induſtria plus eandem rem alijs venderet, tunc abſq; dubio totum pretium ipſi Paulo acquireretur. Quia, vt ſuam, poſita tali emptione, & non Petri mercem, vendidiſſet rem illam. His autem, de quibus nulla apud Doctores eſt ambiguitas, præſuppoſitis; punctum difficultatis, pro vt ad nos ſpectat; conſiſtit; quando omnibus perpenſis, mediator, nempè, Paulus, dubitat, an rem illam ſuo, an potiùs Petri nomine maiori iſto pretio vendiderit.

Caſum hunc proponit *Cardinalis Delugo tomo ſecundo de iuſtitia, diſputatione vigeſi-*
2 *maſexta, ſect. nona, numero 151.* † Et ex coniecturis illum decidit. Primò enim tale adducit inditium, ſcilicet, ſi mediator animum habebat exceſſum illum ſibi retinere, ſignum eſt implicitè intentionem habuiſſe rem illam ſuo nomine vendere, quod tali diſcurſu videtur probari poſſe: eo ipſo, quod Paulus mediator voluntatem habuit lucrum illud ſibi applicare, habuit pariter, implicitè ſaltem, animum id facere meliori modo, quo poſſet, atque adeo intentionem ponendi omnia, quæ erant neceſſaria ad hunc finem, ad quem cum fuerit inter alia neceſſarium, ſuo proprio nomine rem illam vendere, præſumendum eſt totum hoc voluiſſe: præter hanc coniecturam, aliam proponit Delugo, cui adhærere videtur, & inquit, eam eſſe à poſteriori, nempè, ſi mediator, cui commiſſa fuit venditio, eo ſemper animo fuit, vt ſi antequam res ad alium tranſiiſſet emptorem, caſu periiſſet, non ſibi, ſed Petro, *tunc ſignum eſt non fuiſſe in Paulo mediatorem voluntatem ſibi emendi rem illam, alioquin periculum interitus debuiſſet eſſe ipſius Pauli, & non Petri: contra verò ſi ipſe Paulus erat in animo, vt res ipſi, & non Petro periiſſet, ſignum fuiſset intentionis emendi rem illam, vt iam alteri tamquam ſuam reuenderet, debet igitur mediator diligenter interrogari de animo, quem habuit, eum colligendo per has coniecturas petendo, an talis fuerit voluntatis, vt ſi res illa caſu, vel alio infortunio periiſset, pretium taxatum Petro ſoluiſset, & ſi hoc aſserat lucrum cenſendum erit ipſi acquiſitum, ſi verò neget, tunc ſignum eſt non habuiſſe intentionem ſibi emendi, ſed iniuſtè abſq; titulo retinendi exceſsum illum pretii de re aliena, & ideo deberet totum integrum pretium Petro ſoluere; tamquam vero Domino. Hęc, & ſimilia tradit Delugo, hanc ponderans difficultatem.

*perſeret

Ceterum mihi videtur hanc opinionem quibuſdam alijs † moderationibus eſse explican-
3 dam.

Dico igitur primò; venditionem peractam fuiſse nomine mediatoris, nempè, Pauli, & non Petri mandantis, cum ſit quid facti, & tendat in pręiudicium eiuſdem Petri, † debe-
4 re efficaciſſimis præſumptionibus probari; illæ autem duæ coniecturæ, quas Cardinalis adducit ita ſolemnè, vt ponuntur, cenſeo ſufficientes non eſse ad præſumendam emptionem ex parte Pauli mediatoris, nam prouenire poſsent ex aliis diuerſis capitibus (prima enim quæ ſita eſt in voluntate retinendi lucrum eſse poterit, vel ex malitiâ, & cupiditate, vel ignorantia) agnoui enim aliquos, qui putabant abſq; ſcrupulo exceſsum pretii retineri

poſse à mediatore, quoniam cenſebant eſſe ſemper fructum induſtriæ, Secunda autem coniectura fundata in voluntate patiendi, vel non patiendi damnum reſultans ex interitu rei, poterit coniùgi cum vtraque voluntate contraria, nam cum voluntate emendi, & proprio nomine vendendi, ſtat vt ex ignorantia mediator iudicet facultatem habere, non obſtante tali emptione, mutandi intentionem, antequam pretium ſoluat Petro mandanti, videlicet, ſi res pereat, periculum ſtare pro ipſo Petro: Rurſus cum voluntate non emendi, ex conſcientia erronea, poterit mediator exiſtimare rem ſibi traditam ſtare ad ſui periculum, ſi pereat, cum ergo coniecturę prædictæ ex varijs capitibus eſſe queant, idcirco dum adeſt dubium, non poſſumus determinatum judicium ferre, eas eſſe ex emptione facta à mediatore, an verò ex venditione facta nomine Petri mandantis; fateor tamen per prædictas coniecturas aliqualem generari præſumptionem pro emptione, & venditione mediatoris nomine facta, at præſumptionem efficacem, & ſulidam, quę cauſet iudicium moraliter certum de emptione, & venditione prędicta, oportet alijs adminiculis fulciri.

3 Dico ſecundò, † Ad hoc, vt pręſumatur contractus emptionis à mediatore Paulo initus, ac proinde ſubſequens contractus venditionis, nomine ipſius celebratus, nonnullæ concurrere debent conditiones ex parte mediatoris: Hę autem iſtæ ſunt; prima eſt rectitudo conſcientię, ſecundum quam præſumitur ab ipſu mediatore nolle alienum. Secunda eſt notitia, per quam ſciat hanc veritatem, ſcilicet, totum pretium, per ſe loquendo, ſoluendum eſſe mandanti, exceptis quibuſdam caſibus ſuperiùs expreſſatis, & ſi hoc ignoretur, non poſſumus in dubio determinatè pręſumere voluntatem retinendi pretium eſse ex voluntate emendi rem, eamq; nomine proprio vendendi, cum poſſit ex alia cauſa prouenire. Tertia valdè notanda, eſt, vt ipſe mediator, eo tempore, quo diſtrahit rem commiſſam ſit potens numerata pecunia eam ſibi emere, & pretium ſoluere mandanti, nam ſi tunc impotens fuerit, non debet præſumi volũtas emendi, quia eſset de actione moraliter impoſſibili: immò eſset voluntas exercendi actionem illicitam, & contra iuſtitiam in prejudicium mandantis, qui vendere rem ſuam voluit, vt ex illa pretium haberet: Neq; dicas mediatorem in tali caſu non poſſe non eſse potentem ad ſoluendum pretium, quia proprio nomine mercem illam alteri plus vendens, poterit ex pretio habito ſumere illum taxatum, & mandanti debitum; ne dicas, inquam, hoc, quia potentia, aut impotentia ad ſoluendum pretium eſt in ipſo Paulo mediatore attendenda pro eo momento, quo Petrus mandans Ius habet ad pretium ſuæ mercis recipiendum, hoc autem momentum tunc eſt, quando Paulus mediator contractum emptionis perficit inter ipſum, & Petrum, & hoc eſt manifeſtum, quoniam in eodem momento, quo merces tranſeunt in dominium emptoris, incipit venditor ius habere in pretium illarum mercium at ſi eo momento ſupponatur in Paulo emptore impotentia ad ſoluendum pretium, ficta erit emptio, & conſequenter ficta venditio, quæ dicitur fieri à Paulo ſuo proprio nomine, hæc enim fundatur in eo, quod merces ſint ſub dominio Pauli, quod tamen eſse non poteſt, ſi ficta erit emptio, & quamuis duratio huius impotentiæ ſit breuiſſima; cum ceſset per venditionem ab ipſo Paulo factam, atque adeo non videatur in conſiderationem venire poſse; nihilominùs ſi ſpectetur in ordine ad talem determinatum effectum, exiſtimanda erit magni ponderis, in quantùm ipſa poſita nullum valorem habere poſſunt ſubſequentes contractus emptionis, & venditionis, & pariter impeditur acquiſitio iuris acquirendi à Paulo lucrum, ſeu illud exceſsum pretij, videlicet, in vnum aureum ſupra decimum, ad quem ius habet Petrus, contra verò poſita potentia in Paulo ad ſoluendum, valorem habere poſsunt contractus illi, & nullum eſt impedimentum quin ipſe Paulus Ius acquirat ad lucrum illud, non erit igitur impotentia iſta ex parte Pauli, quamuis eſset momentanea, leuis conſiderationis; & ideo licet Petrus nullum paſſurus eſſet damnum, conſiderando breuiſſimam illam moram ad habendum pretium ſuarum mercium; ſpectando tamen illam in ordine ad prædictos effectus, erit cauſa damni notabilis, vt explicuimus, Et hæ ſunt circumſtantiæ, ſeu adminicula, quibus coniecturæ prædictæ à Cardinali poſitæ valeant ſufficientem generare præſumptionem, quod Paulus mediator voluerit ſibi emere merces illas, eaſque ſuo proprio nomine alteri vendere, & conſequenter licitè poſſet lucrum illud, ſcilicet decimumtertium aureum ſibi applicare, & reliquos decem Petro ſoluere, deficiente tamen hac vltima conditione, duę illę coniecturæ inſufficientes erunt cenſendæ. Et hæc omnia probabiliter, ni fallor, dici poſsũt pro hac ſententia.

†

§. XXXV.

Prælatus bona aliqua acquirens; poſtea ab inteſtato moritur, vtrum in dubio præſumantur ex redditibus Eccleſiæ, an verò proprij patrimonij acquiſita?

SVMMARIVM.

1 *Prælatus habens patrimonialia, & Eccleſiaſtica bona, ea, quæ acquiruntur, præſumuntur acquiſita ex redditibus vtriuſque generis, & ideo diuidenda.*

2 *Si facultas altera erit notabilior pinguior, diuiſio inæqualiter facienda.*

3 *In comparatione bonorum vnius generis cum bonis alterius generis, aliqua ſunt detrahenda.*

4 *In dubio, an bona fuerint in Prælato acquiſita ante, vel poſt promotionem, quid iudicandũ variè ſentiunt Doctores.*

5 *In dubio pro Eccleſia eſt decidendum.*

6 *Idem dicendum etiamſi hæres ſit in poſſeſſione, ſi nulla pro ipſo concurrat alia coniectura.*

7 *Si beneficium Eccleſiaſticum erat tenue, & patrimonialia pinguia, bona præſumuntur acquiſita ex redditibus patrimonialibus, ſecùs ſi patrimonium erat exiguum.*

CASVS iſte non rarò euenit, nam poterit Epiſcopus, ſiue alius Prælatus alicuius Eccleſiæ adminiſtrationem habens, nonnulla emere, ſeu lucrari bona, ſiue ſtabilia, ſiue mobilia, & poſtea abſque teſtamento ex hac vita decedere, dubium oritur, an bona illa fuerint empta ex redditibus proprijs, an Eccleſiaſticis, atq; adeo dubium ſit, an debeantur hæredi, an verò Succeſſori in Prælatura.

1 Dico primò, † ſi Prælatus habebat ſufficiẽtem facultatem tùm proprij patrimonij, tùm beneficij Eccleſiaſtici; in tali caſu bona acquiſita præſumuntur ex redditibus vtriuſq; generis proinde eſſe diuidenda, & vnam portionem aſſignandam hæredi, alteram verò Succeſſori in eadem dignitate: ſic determinat *Gloſſ. cap. ſi Manifeſtæ verſ. (probatur) 12. quæſt. 1. & cap. Nulli dubium ead. cauſ. quæſt. 5. in fine. Baldus in Authent. licentiam nu. 3. Roman. conſ. 346. num. 4. Socin. Senior conſ. 91. verſ. (confirmatur & tertio) lib. 3. Panorm. cap. Cum eſſes nu. 34. & ſequ. de teſtam. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 2. caſ. 195. num. 4. & de præſumpt. lib. 3. præſ. 53. num. 5. & alij apud ipſum.* Ratio aũt huius concluſionis eſt manifeſta, quia cum veriſimilitudo, & præſumptio ſit pro vtraq; parte æquitas poſtulat, vt fiat diuiſio prædicta in fauorem vtriuſq;

Dico ſecundò, ſi facultas altera ex prædictis
2 ſit notabiliter pinguior, † tunc diuiſio bonorum acquiſitorum debet eſſe inæqualis iuxta proportionem, ſecũdum quam vna facultas alteram excedit, ſic docet *Panorm. tum loco citato, tum cap. Vt vnus de pecul. cleric. nu. 3.* v. g. ponamus facultatem patrimonialem eſſe mille aureos quolibet anno, facultatem verò Eccleſiæ, detractis oneribus, expenſiſq; neceſſarijs, vt declarabimus, eſſe quingentos aureos, tũc portio adiudicanda hæredi debet eſſe duplò maior ea, quę adiudicanda eſt Succeſſori, vel è côuerſo, ſi duplò maior erit facultas beneficij, & ſic arbitrio Iudicis facienda erit diuiſio iuxta proportionem exceſſus maioris, aut minoris; Dixi, ſi notabiliter ſit pinguior, quia ſi differentia in exceſſu ſit parua, non erit de illa habenda ratio, & æqualem puto eſſe diuiſionem faciendam, exceſſum autem eſſe magni, aut parui momenti, arbitrio prudentis eſt determinandum omnibus penſatis, & præſertim quantitate, ſeu
3 valore bonorum acquiſitorum; † In comparatione autem facienda vnius facultatis cũ altera, detrahenda ſunt ex bonis Eccleſiæ alimenta pro congrua ſuſtentatione Prælati, vt monet *Panorm. locis citatis*, quantitas autem pro tali ſuſtentatione addi debet patrimonio, quia ad inſtar bonorum patrimonialium ſe habet, proinde quantitas patrimonij fiet maior; detrahẽdę etiam ſunt alię expenſæ, eleemoſynę, quę factę ſunt, aut veriſimiliter erant faciendæ ab ipſo Prælato; ſi enim oppoſitum non conſtat, præſumendum eſt factas fuiſſe, hæ autem detractę nõ ſunt patrimonio addendę, quia in alios erãt *vſus erogandæ, detractis autem modo explicato his omnibus, facienda eſt comparatio inter vtrũq;
4 genus redditũum, vt dictum eſt. † Maior autẽ dubitatio erit, ſi dubium ſit, an bona illa acquiſita fuerint ante, an verò poſt promotionem ad prælaturam: In hoc caſu varia dicunt Authores, nam aliqui recurrẽtes ad poſſeſſionem aiũt eſſe pręſumendum pro eo, qui actu poſſidet, proinde ſi hæres inuenitur in poſſeſſione taliũ bonorum, pro ipſo erit iudicandum, & ſucceſſori in eadem dignitate incũbet onus probandi bona illa fuiſſe acquiſita ex redditibus Eccleſiæ; contra verò ſi Succeſſor in eadem Prelatura poſſeſſionem habebit pro ipſo, ſeu pro Eccleſia erit decidendum, & onus probandi ex patrimonio Prelati defuncti fuiſſe acquiſita, incumberet hęredi. ſic *plures apud Menochium*, quibus *ipſe ſubſcribitur lib. 2. de arbitr. cent. 2. caſ. 195. in fine:* Et hoc probari poterit *per textum in cap. Nulli dubium*, in quo Pontifex decreuit non eſſe moleſtiam inferendam cuidam ancillę legatariæ in bonis ab ipſa poſſeſſis ratione legati relicti ab Epiſcopo defuncto, niſi priùs conſtet bona illa fuiſſe acquiſita intuitu Eccleſię, & idẽ etiam ibidem docet *Gloſſ.*

Sed alij oppoſitum cenſent, videlicet, pro Eccleſia eſſe præſumendum non obſtante, quod

hæres ſit in poſſeſſione actuali: ſic *plures apud Menochium de præſump. lib. 3. præſumpt. 53 nu. 10.* hanc autem opinionem fundant eius Sectatores in *Authent. licentiam C. de Epiſc. & Cleric. in illis verbis* (Epiſcopus quæcumq; ante Epiſcopatum probatus fuerit habuiſſe) quaſi dicat, niſi hoc probetur, præſumendum eſſe pro Eccleſia, quid autem ſit determinandum mox aperiam.

Dico tertiò, ſi penſatis omnibus, dubium perſeuerat, & hinc inde nulla ſe offert poſitiua coniectura, neq; pro vna, neq; prò altera parte, & neutra ſit in poſſeſſione, pro Eccleſia, ſeu
5 ſpolio † eſt decidendum, quia in tali dubio præſumptio Eccleſiæ fauet, ſic præter Authores à Menochio laudatos, tenet abſolutè hanc ſententiam *Couarr. de teſtam. cap. 1. num. 6. Redoanus de ſpolijs quæſt. 3. §. Quid dicendum à nu. 1. Azor tom. 2. inſtit. moral. lib. 8. cap. 3. quæſt. 4. & 12 Filliuccius de ſpolijs cap. 5. quæſito 3. & 4. Barb. de poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 154. numero 13.*

Probari poteſt primò *per textum cap. 1. de Teſtam.* vbi Pontifex decreuit, vt hæredi cuiuſdam Epiſcopi ſolùm relinquantur ea, quæ cōſtitit fuiſſe in patrimonio eiuſdem ante promotionem ad Epiſcopatum, reliqua dentur Eccleſiæ, pro qua eſt præſumptio. Probatur ſecūdò, quia cum manifeſtum ſit Epiſcopum ſubijci ſpolio, niſi ob aliquas cōditiones eximatur, nēpè caruiſſe beneficio, fuiſse valde tenue, vel poſitum fuiſse in diſtributionibus quotidianis, & ſimiles, vel habuiſse pingue patrimonium, officium lucroſum, &c. Hæ autem conditiones, cū ſint quid facti, & non ſoleant eſse notoriæ, non præſumuntur, ſed debent probari, vt ex Redoano aduertit *Filliuccius locis citatis*, idcircò præſumptio eſt pro Eccleſia.

6 Dico quartò, † quamuis hæres ſit in poſseſſione, & nulla alia concurrat coniectura pro ipſo, præſumptio ſtat pro Eccleſia, vt volunt Authores prædicti, quos citat *Menoch. præsūp. illa 53.* quia cauſa dubietatis oritur ex eo, quod Prælatus tempore promotionis inuentarium propriorum bonorum non confecerit, vt debebat iuxta ea, quæ decernuntur *in cap. Syracuſanæ diſt. 28* proinde recedēdo ab ijs, quæ ſecundū ius ipſi præſcribuntur, præſumitur fraus, ſic *Menoch. num. 11. Barboſa num. 15. & alij apud ipſos.* Hæc autem præſumptio fortior eſt ea, quæ conſurgit ex tali poſseſſione.

7 Dico quintò, † ſi conſtat beneficium fuiſse tenue, & conſtat Prælatum eſse diuitem ex ſuo patrimonio, tunc bona illa præſumuntur acquiſita ex proprio patrimonio, & non ex beneficio & ideo niſi Succeſsor oſtendat contrarium, hæredi adiudicabuntur. ſic *Barboſa allegat. cit. num. 14. & alij*, quos idem adducit; à contrario autem ſi nullum, aut exiguum conſtat fuiſſe ipſius Prælati patrimonium, & ipſum non fuiſſe induſtrioſum &c. beneficium autem fuiſſe ſufficiens ad acquirenda illa bona, tunc pro Eccleſia præſumetur, & bona ſucceſſori adiudicanda erunt, ſic *Abbas cap. illo tertio. de peccul. Cleric. num. tertio, & capit. cum eſſes de teſtamento num. 24.*

§. XXXVI.

An acquiſita per concubinam, durante concubinatu, præſumantur in dubio ex bonis amaſij?

SVMMARIVM.

1 *Præponitur diſpoſitio per legem Quintus Mutius.*
2 *Diſcrimen in Iure habetur inter concubinam, & meretricem.*
3 *Aliqui putant res illas præſumi acquiſitas ex bonis amaſij.*
4 *Alij oppoſitum tuentur.*
5 *Hæc ſecunda opinio recipitur ab Authore.*
6 *Inſtantia in contrarium.*
7 *Soluitur inſtantia prædicta.*
8 *Diluuntur argumenta pro priori ſententia adducta.*

DIFFICVLTATEM hanc proponunt Doctores, ſupponendo
1 † *l. Quintus Mutius ff. de donat. inter virum, & vxorem*, ibi enim Ius diſponit bona per vxorem acquiſita, cōſtante matrimonio, præſumi ex bonis mariti, & hoc ad vitandum turpis quæſtus ſuſpicionem, quamuis lex iſta plures admittat exceptiones, & cōtrarias præſumptiones, per quas bona præſumuntur ab vxore acquiſita, & non per turpem quæſtum, ſupponendo autem legem hanc, inquirunt Doctores, an in caſibus, in quibus acquiſita præſumuntur ex bonis viri, eodem iure hoc ipſum præſumi debet de bonis per concubinam acquiſitis. Vt autem nominis æquiuocationem tollamus, aduertendum eſt in Iure ciuili diſcrimen haberi inter concubinā, & meretricem; per concubinam enim eam intelligūt Iuriſtæ, quæ in eadem domo Amaſij retinetur affectu veluti maritali, vt notat *Bart. in l. concubinam ff. de concub. & alij ſcribentes in l. Si qua illuſtris C. ad Orphitianum*, & ideo ſecūdum Ius ciuile habetur talis mulier, vt honeſta, ita aduertit *Menoch. de præſump. lib. 3. præſump. 31. num. 8.* Meretrix dicitur illa, quæ cum alijs indifferenter coit. ſic idem *Menoch. n. 13.* Hoc autem poſito, inſurgit difficultas, quid in dubio eſt præſumendum, & iudicandum, quando veritas minimè conſtat, an acquiſita, durante concubinatu, iudicanda ſint ex bonis Amaſij nec ne?

2 † Sunt duæ ſententiæ, quarum primam defendit *Menochius ibidem. Maſcardus de probat.*

concl.

concl. 30. num. 3. ampliat. 8. aſſerentes, res illas 3 præſumi acquiſitas † ex bonis amaſij, idq; probant eodem argumento, quo hoc ipſum de bonis ab vxore acquiſitis probari ſolet; & intendunt *l. illam Quintus Mutius*, extendi ad hunc caſum, quia eadem videtur ratio de vxore, & concubina in re hac, præſumit enim, ius quantum fieri poteſt, honeſtatem, ideoq; præſumendo acquiſita per concubinam eſſe acquiſita ex bonis amaſij, vitat ſuſpicionem, qua aliquis iudicare poſſet, concubinam ſui corporis copiam alijs feciſſe; proinde vitando ſuſpicionem hãc, vitat conſequenter ſuſpicionem turpioris quæſtus. Hanc eandem ſententiam confirmant prædicti Authores ex *Baldo* id ipſum ſentiente *in l. pi. C. de nat. lib. & in l. Cum oportet num. 12. C. de Bonis, quæ lib. & alijs Iuris conſultis*, quos ipſi pro hac ſententia adducunt. Secundo confirmat *Menochius ex l. illa 1. §. ipſas.* vbi ſtatuitur, quod ſi bona aliqua ſint quæſita mulieri; quæ non vxor, ſed concubina Senatoris ſit, reddantur viro, & ſi mulier neget ea quæſiuiſſe ab Amaſio, tormentis ſubijciatur. Ex iſto loco colligit Menochius præſumi debere res illas eſſe ex bonis viri.

4 Secunda autem ſententia † eſt oppoſita, negat enim eandem eſſe rationem vxoris, & cõcubinæ, proinde caſum præſentem non comprehendi *ſub lege Quinto &c.* Sic *Alciatus tra. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 26. Pariſius conſ. 80. n. 23. lib. 8.* quibus ſubſcribit *Aegidius Luſitanus tract. de iure & priuilegijs honeſtatis ar. 15. num. 8. §. Nec ſanè, & deinceps.* Authores autem huius ſecũdæ opinionis varijs argumentis conantur ſuam ſuadere ſententiam, reſpondentes ad contraria, vt videbimus.

Dicendum igitur eſt. Quamuis prima ſentẽtia auctoritate eorum, qui eam defendunt, ſit 5 probabilis, † probabiliorem cenſeo ſecundam, & ducor ad illam ſuſtinendam eadem ratione, quam Iuris conſulti attendunt *in l. illa, Quintus.* in tantum enim lex præſumit bona ab vxore acquiſita tempore matrimonij eſſe à viro, in quantum prætendit vitare ſuſpicionem turpis lucri in vxore, at in caſu noſtro ſi præſumeret bona acquiſita à concubina tempore concubinatus eſſe à concubinario, non ſolum non vitaret malam illam ſuſpicionem, ſed eam potius introduceret, & foueret, proinde enim eſt præſumere bona illa eſſe à concubinario, ac eſſe ex turpi quæſtu, donatio enim facta à concubinario ipſi concubinæ eſt turpis, igitur cum lex iſta tendat ad fugiendam ſuſpicionem turpis lucri, non poterit præſumere bona acquiſita eſſe ab illo, à quo turpiter acquiruntur; nam pro honeſtate potius, quàm pro inhoneſtate, dum non conſtat veritas, præſumendum erit, vt communiter notãt Doctores, & traditur *à Maſcardo de probat. concl. 1066. num. 3. & 1800. num. 41. & Menoch. lib. 2. de arbitr. cent. 1. caſ. 89. nu. 23. & alijs apud eoſdem.*

6 Dices: niſi † præſumantur bona illa eſſe donata à concubinario, deberemus præſumere eſſe ab alijs amaſijs, ac proinde erit præſumptio turpioris quæſtus eo, qui interuenit in donatione facta à concubinario, idcircò cum nequeat lex vitare præſumptionem turpis lucri, præſumit illud, quod eſt minus turpe; igitur falſum eſt, quod à nobis aſſertum fuit, videlicet, ſi dicamus caſum hunc comprehendi ſub lege *Quintus Mutius, &c.* cauſſari ſuſpicionẽ turpis quæſtus, falſum, inquã, hoc eſt, quia non introducimus talem ſuſpicionem, ſed vitamus ſuſpicionem maioris turpitudinis.

7 Reſpondeo, † negando aſſumptum, nõ rectè enim infertur vna præſumptio ex negatione alterius, quia lex non oportet, vt ſemper præſumat, cum poterit nihil præſumere, & ideò dico quod non præſumendo bona eſſe donata à concubinario, propter hoc non præſumit eſſe ab aliis amaſiis; coniectura autem iſta nõn eſt à lege, ſed ab homine; neq; ex hoc præciſo capite cogitur concubina ad oſtendendum titulum, quo bona illa poſſidet, quia nemo cogitur ad aperiendum titulum ſuæ poſſeſſionis, niſi in petitione hæreditatis, vt ſtatuitur *per textum in l. Cogi C. de petitione hæreditatis §. 1.*

8 † Ad primam rationem in contrariũ reſpondeo, verum eſſe à iure præſumi, quantum fieri permittitur, honeſtatem, & non præſumendo bona illa concubinæ eſſe ab aliis amaſiis, vitare ſuſpicionem turpiſſimi quæſtus; at ex hoc non rectè infertur, quod debeat præſumere eſſe ex bonis concubinarii, cum poſſit nihil ab ipſomet iure præſumi.

Ad ſecundam ex *l. 1. C. de nat. lib.* rectè reſpondet *Aegidius, num. 10.* ex illo textu potius aliquid in fauorem noſtræ ſententiæ colligi, quàm in fauorem oppoſitæ, quia ſi text' diſponit concubinam negantem eſſe torquendam, manifeſtè per hoc oſtendit, non interuenire præſumptionem Iuris, quæ eſt de iute, quæ cum plenam faciat probationem, non etat opus tormentis ad veritatem indagandam. Addo quod inter alios effectus præsũptionis Iuris eſt trãſferre onus probandi oppoſitũ in aduerſarium, releuando à tali onere illum, pro quo ſtat præſumptio, & ideò *Menoch. lib. 1. præſumpt. quæſt. 36. num. 8.* ex communi, inquit; per Iuris præſumptionem fieri probationem claram, & euidentẽ, proinde ſi concubina negans ab amaſiis bona illa acquiſita fuiſſe, tormentis ſubiicitur, vt veritas fiat manifeſta; igitur diſpoſitio illius legis non procedit ex præſumptione iuris, ſed hominis, quæ potuit eſſe talis, vt moueret intellectum Iudicis ad torquendam concubinam illam.

§. XXXVII.

In publicis Comitijs ſi quis ex ſuffragatoribus ambigat, an ſuffragium ſuum, antè, vel poſt aliorum iniurioſè cócludentium puncta, latum fuerit, ſit ne ad reſtitutionem aliquam aſtringendus?

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt de ſuffragijs ſecretò ferendis.*
2 *Ita dubitantem eximi ab obligatione reſtituendi, autumant aliqui.*
3 *Oppoſitum docent alij putantes, teneri integrè reſtituere.*
4 *Ad partem pro ratione dubij hæſitantem obligari, cenſent nonnulli.*
5 *Hanc ſententiam recipit Author.*
6 *Soluitur quædam emergens difficultas.*

QVAESITVM procedit, quando in Comitiis ſuffragia ſecretò deferuntur, ſi enim publicè darentur, ratio dubitandi omninò ceſſaret, quia vnuſquiſq; eorum in vnum conuenientium, numerum vocum, atq; definitiuam ſententiam mani-
1 feſtè deprehenderet: ✠ loquimur ergo quando per ſecretum ſcrutinium ſingulorum vota accipiuntur; caſus autem ſic formari poteſt; proponatur E. G. impoſitio alicuius tributi, & tales concurrant circumſtantiæ, vt prudenter iniuſtum iudicari debeat, ſuffragatores verò ſint quinquaginta, quorum vota ad concludendum, ſupra medietatem eſſe oporteat, nempè ſex ſupra viginti, Titius ſit vnus ex iis, qui ſuffragium tulit, & dubitet, an ſuum ſuffragium latum fuerit ante, vel poſt numerum requiſitum ad tributum illud ſtabiliendum, videlicet, abſoluto nec ne vigeſimo ſexto puncto. iſte eſt caſus, in quo quærimus, quodnam iudicium ſit ferendum, ſtante dubio illo dictamine Titii.

2 Prima ſententia † eximit Titium ab onere reſtituendi, quia cum non ſit certitudo, an ſuffragium ab ipſo latum fuerit efficax, nec ne, in dubiis melior erit conditio poſſidentis; ità *Ferdinandus Rebellius de oblig. iuſt. lib. 2. quæſt. 14. ſec. 5. in fine. Iacobus Gordonus in Theol. Moral. tom. 1. lib. 5. quæſt. 6. cap. 2. num. 13. Diana par. 4. tract. 3. reſol. 63.* Nolo hìc prætermittere *Caramuelis* ſententiam, *qui lib. 3. de dict. conſc. diſp. 3. quæſt. 24. num.* 1476. caſum proponens, illum non admittit, & addit, putare ſe in errorem incidere, ſi illum admittens, recederet ab opinione Dianæ, & hoc, quia dubitans eſt in poſſeſſione ſuæ pecuniæ, & reſtituere non cogitur, niſi obligatio ſit luce clarior: Cæterum poſtea videtur omnes ſuffragatores ſimul condemnare ad reſtituendum, & ſic eius ſententia, facta illa hypotheſi, mihi eſt obſcura.

3 Secunda autem ſententia † oppoſitum docet, videlicet in caſu prædicto ſic hęſitantem eſſe aſtringendum ad reſtitutionem, ità docet *Petrus a Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 4. nu. 35. Ver. (Tum enim poſtremus)* licet *num.* 58. videatur contrarium docere, vt adnotauit *Rebellius*, qui non rectè *loc. cit.* ait, hanc opinionem, quam ſequitur ipſe Petrus à Nauarra, contradicere communi opinioni, cùm plures ſint Authores pro hac, quàm pro alia ſententia, quam ipſe Rebellius tuetur. eam enim docent *Salonius in 2. 2. quæſt. 62. art. 7. controu. 1. §. de conſentiente concl. vltima Sayrus in Claui Regia lib. 10. cap. 9. concl. 2. Azor par. 3. lib. 4. cap. 12. ver. (Hoc totum) Barthol. à S. Fauſto in ſpecul. confeſ. diſp. 4. quæſt. 83. nu. 6. Bonacina de reſtitut. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 8. num. 5. Franciſcus Amicus de iuſt. diſp. 39. ſect. 1. num. 14. Trullench. lib. 7. in decal. c. 13. dub. 2. §. 2. n. 3.* Et in eadem ſententia debent eſſe omnes, qui volunt, etiam ſi numerus ſuffragiorum ſit completus, & conſequenter iniuſtum tributum ſit iam decretum, poſteriores, qui iniquæ diſpoſitioni cóſentiunt, teneri etiam ad reſtitutionem, quia conſtant vnam adęquatam cauſſam, cuius nomine ſit executio: Sic *Medina Cod. de reſtit. 7. ad 8. Corduba in ſumma quæſt.* 191. *Aragonius de iuſt. in quæſt. 62. S. Thom. art. 7. poſt primum Corollarium, & alij*: quamuis non deſint, qui talem excuſent ſuffragatorem, quando vota publicè dantur, & priora ſunt ſufficientia ad concludendum; poſteriores verò ſuffragatores, ſi nihil proficere valeant, licet peccent conſentientes; nihilominus non cenſentur cauſſæ iniquę ſententię; ſed quicquid ſit de hoc, ſatis erit quamplures pro hac ſententia haberi Authores; proindè non rectè Rebellius dixit eſſe contra communem.

Tertia ſententia referri poterit, quam defendit *Cardinalis De Lugo tom. 1. de iuſt. diſput. 19. ſect. 1. num.* 22. poſtquam enim propoſuit caſum *num.* 20. & dedit diſparitatem *num.* 21. inter conſilium, & ſuffragium, aſſerit in dubio prædicto † non eſſe poſſeſſionem, aut præſumptionem aliquam pro efficacia ſuffragii, & ad hoc ſuadendum ſupponit, aliqua ſuffragia ex illis nihil damni intuliſſe; fuerunt enim ſuperflua, proindè non eſſe maiorem rationem adiudicandum de his, quàm de illis, ex quibus colligit, eum, qui ſuffragium tulit, videri in poſſeſſione, atq; adeo vt ſic procedere primam opinionem, quę excuſat ſuffragatorem hunc; quod confirmat à pari, ex iis, quę dixerat ex Patre dubio, quando duo cum vna, eademq; muliere rem habuerunt, de quo *nos ſupra §.* 21. Tandem concludit cum *Molina tom. 3. diſp. 736. num. 6.* videlicet, ſi dubium extat, an ſuo ſuffragio quis cauſſa fuerit damni ſeu iniquę diſpoſitionis, eſſe obligandum ad partem reſtituendam pro ratione, & menſura dubii.

Di-

Dicendum eſt hanc tertiam ſententiam rectè explicatam mihi ſatis probabilem videri, videlicet, iniuſtè ſuffragantem, cum anceps manet, an ſuo ſuffragio concurrerit, nec ne, ad complendum numerum requiſitum pro imponendo iniuſto tributo contra communitatem, non debere omninò liberari, neq; totaliter damnari, ſed obſtringi ad ſoluendam partem iniuſti damni pro menſura dubij arbitrio prudentũ taxandam. Prima autem pars probatur. Titius v. g. dubius ſuffragator ſufficientem dedit cauſam, vt vna cum alijs iniuſtum concluderet tributum, quod de facto concluſum fuit, & quamuis dubitatio ſit, num compleuerit, nec ne, requiſitum numerum; nihilominùs cum contra ſe præſumptionem habeat, onus probandi oppoſitum ipſi incumbit: & dum id non probat præſumptio contraria non ſinit eum omninò liberari. Probatur etiam paritate quadam; ſi, n. ponatur conſtare aliquem ex tribus, quorũ quilibet cauſam ſufficientem dederit damnum iniuſtum intuliſſe contra Sortem, & vnuſquiſque illorum ambigeret, an damnum illud verè ſequutũ fuerit vi cauſſæ ab ipſo dubitante applicatæ, omnes tres ſic hæſitantes tenerentur pro dubij quantitate reſarcire damnum, quod Sortes paſſus fuit; diſſentaneum enim videtur rectæ rationi illos omninò eximere ab onere reſtituendi, læſo remanente iure, quod Sortes innocens habebat, cum certum ſit, ab vno ex illis tribus læſum fuiſſe, & ſingulos culpabilem fuiſſe cauſſam talis incertitudinis, delictum committentes.

Secunda verò pars facilè ſuadetur, quia cum in delicto omnes tres ſint partes; & nulla extet maior ratio, cur potiùs vni, quàm alteri integrum reſtitutionis onus imponatur, rationabile erit, vt ſinguli pro rata grauentur. Pars autẽ iſta intelligi debet, quando ſinguli non concurrerint ex condicto ad cauſſam damnificantem applicandam, ſed quiſq; ſine vlla mutua ſuaſione aut cooperatione, ſi enim inuicem ſe excitauerint, & ad hoc ſimul conſpirauerint, in ſolidũ obligarentur, ad reſarciendum damnum illatũ.

Noſtram hãc ſententiam ex alio capite probat Cardinalis Delugo, cuius diſcurſum placet hic referre,
7 † & aliquantulum expendere. docet enim ipſe *ſect. cit. poſt num. 12. ver. (Adhuc tamen)* quod licet dubium ſit, an tuo ſuffragio damnum principale impleris, nihilominùs certum eſt alicuius damni cauſſam fuiſſe ei, contra quem dediſti ſuffragium; ſaltem enim læſiſti ius, quod ille habebat ad exigendam recompenſationem à certo damnificatore, quoniam ſi fuiſſent ſola ſuffragia neceſſaria ad dãnum inferendum, haberetur certus debitor; omnes enim iniuſtè ſuffragantes obligarentur ad illud integrè reſarciendum, quia manifeſtũ eſſet damni cauſſam fuiſſe; ſed cum ſuffragia affirmatiua plura fuerint ſuper ea, quæ erant neceſſaria, incertitudo reſultauit, num priores ſuffragantes fuerint, nec ne, cauſſa damni; ſtante igitur tali incertitudine, ad certam reſtitutionem minimè obligari poſſunt; ideoq; poſterior, qui etiam dedit contrarium, nempe, affirmatiuum ſuffragium, cum huius incertitudinis fuerit cauſſa, erit obligãdus ad reſarciendum quantùm valet incertitudo iſta, ſeu quantùm priores ſuffragantes minus reddũt: Sic ferè diſcurrit Delugo; vt autem eius diſcurſus clarior appareat, appono exemplum, quod ipſimet Authori fauet.

Sint v. g. quinquaginta, qui ius ſuffragij habeant, & agatur de tributo contra communitatem iniuſtè imponendo, ad quod concludendum numerus ſuffragiorum, medietatem excedens requiratur, qui in exemplo poſito erũt ad minùs ſex ſupra viginti, & ponamus id, quod veriſimiliùs euenire ſolet in huiuſmodi comitijs, numerum ſuffragiorum concurrentium, non procedere ſemper iuxta ordinem conſidentium; ſed ſparſim, partim in prioribus conſidentibus, partim in medijs, partim deniq; in vltimis, v. g. in poſito quinquagenario quinquies contineatur numerus denarius, & ex his ſex pro ſingulis primis quattuor denarijs; tres verò in vltimo denario affirmet, atq; adeo vota affirmatiũa ſint viginti ſeptem, & conſequenter cum exceſſum ſupra medietatem habeamus, concluſum erit tributum, & præterea vigeſimum ſeptimum ſuffragium ſit à Titio, qui in quadrageſimo tertio loco conſideat. His præſuppoſitis, in Titio duo conſideramus, primò, ambiguitatem illam, quæ eſt fundamentum huius quæſiti; ipſe enim poterit dubitare, an ſuo ſuffragio compleuerit numerũ vigeſimum ſextũ, an verò completum ſuppoſuerit, & ſic conceditur locus quæſito à nobis poſito: Secũdò conſideramus, à Titio, cuius ſuffragium eſt vigeſimum ſeptimum, cauſſatam fuiſſe incertitudinem in alijs; nam omnes, qui ſunt in quarto, & quinto denarijo, & partim in tertio, qui affirmatiuum dederũt ſuffragium poſſũt ſinguli dubitare, num ſuo ſuffragio cõpleuerint, an verò ſuppoſuerint numerum neceſſarium ad concludendum tributum, quia cum in primo, & ſecũdo denario ſint viginti conſidentes, quibus ſi addantur ſex ex tertio denario, habebitur numerus ſufficiens; idcirco reliqui in tertio, & omnes in quarto, & quinto, qui affirmatiuè ſuffragati ſũt, meritò hæſitare poſſunt de ipſorũ influxu, ſeu an compleuerint, an verò ſuppoſuerint completũ numerum neceſſarium; & ſic læſum, & diminutum contra eoſdem dubitantes manebit ius communitatis; cauſſa aũt huius incertitudinis ſanè fuit illud vigeſimumſeptimũ ſuffragium Titij, ſi. n. ipſe affirmatiuum nõ dediſſet, remanſiſſent ſolùm viginti ſex concurrentes, qui certi fuiſſent de damno ab ipſis illato, atq; adeo de inſolidũ obligatione, ad reſtituendum. Tali igitur, aut ſimili exemplo dilucidare poſſumus diſcurſum, & rationem huius Authoris, quæ tamẽ optima foret, ſed cum in alijs caſibus eam deficientem
8 inueniam, † nequaquam mihi placere poterit: Vt autem hoc oſtendam, formo hũc alium caſum. Ponamus vigintiſex illa ſuffragia affirmatiua lata fuiſſe à primis vigintiſex

con-

conſidentibus, tunc ſuperueniente alio ſimili ſuffragio, quod eſt vigeſimum ſeptimum, in prioribus ſuffragantibus minimè cauſſari poterit incertitudo aliqua de eorum voto, & influxu in damnum communitatis; cum enim ipſis conſtet proprium ſuffragium, & ſciant eſſe priores, & numerum illum ſufficientem, nempè vigeſimum ſextum, in caſu iſto, quem poſuimus, non potuiſſe primò cauſſari, niſi ab ipſis, qui in comitijs ſunt primi confidentes, nequeunt incertitudinem habere de influxu ad complendam cauſſam adæquatam damni, & de propria ipſorum in ſolidum obligatione, & conſequenter manente in ipſis obligatione, illæſum remanebit ius in communitate contra eoſdem: In tali igitur caſu, aut in alio ſimili, qui non eſt impoſſibilis, quid Author reſpondere poſſet, ignoro; Peto enim; eſt ne Titius omninò eximendus, vel iuxta ipſius Authoris ſententiam, ad partem damni obligandus? Si Author primum eligat membrum, eius concluſio vniuerſalis falſificabitur, quia, non obſtante dubio de influxu ſuffragij, liberat dubitantem: Si verò cupiens vitare Charybdim, eligat ſecundum membrum, in Scyllam incidet, quia non poterit iuxta ſua principia, vi huius rationis Titium hæſitantem ad partem obligare, cum rationem illam deficientem inueniat, quæ in caſu expoſito incertitudinem illam cauſſare nequit, non ſolùm in primis viginti ſex confidentibus, verum etiam in quolibet ex illis; nam dato, quod numerus neceſſarius non compleatur ex primis, ſed etiam ex vltimis; nihilominus quilibet ex prioribus ante vigeſimum ſeptimum, neceſſariò concurrit ad complendum numerum requiſitum, quo impleto, nequit dubitare de ſuo influxu, & quod fuerit ex illis, qui primò cauſam damni complerint, proindè in his omnibus, & etiam in ſingulis eorum à nullo ſequente ſuffragio incertitudo cauſſari poterit.

Neq; dicas, quod licet in caſu à nobis poſito, priores illi ſuffragantes ſint diſtributiuè certi de propria obligatione, ignorat tamen vnuſquiſq; ſuffragium alterius; notitia enim iſta eſt impertinẽs ad obligationẽ hanc aſtruẽdam; quemadmodum ſi quatuor concurrant ad comburendas alienas ſegetes, ita tamen, vt ſinguli actionem alterius ignorent, ſanè propter hoc, non tollitur, quia omnes in ſolidum obſtricti ad reſarciendum damnum maneãt; nihil igitur iuuat notitia iſta mutua, vt omnes in caſu noſtro, reipublicæ maneant obſtricti.

Neq; recurras ad dubiũ, quod poterat emergere in vnoquoq; ex primis ſuffragantibus, videlicet, poſſet vnuſquiſq; dubitare, an numerus ſufficiens completus nec ne fuerit ex poſterioribus; ne recurras, inquam, ad hoc, quia vt communiter docent Authores, qui primò damnum iniuſtum ponit, obligabitur ad totum, quamuis ponendum fuiſſe ſciat ab alio poſtea ſuperueniente, quod etiam aſſerit *ipſe Delugo diſp. cit. ſect. 1. num. 16.* Ex quo principio aſſerunt Doctores hoc aliud, nempè eos, qui in publicis comitijs ſunt priores, & concludunt aliquod iniuſtum, obſtringi ad integram reſtitutionem, quamuis ſciat, à poſterioribus illud ipſum fore concludendum, ſecus autem de poſterioribus, nam licet concurrentes peccent, non obligantur tamen ad reſtitutionem, quia inueniũt iam concluſam iniuſtam impoſitionem, niſi alia via eam impedire poſſent; Sic *idem Delugo ibidem nu. 17. & ſeq. plures laudans.*

Demũ ne recurras ad incertitudinem in foro externo, tum quia nos agimus de foro interno, tum etiam quia quocumque caſu poſito, quando ſuffragia ſecretò dantur, ſemper in foro externo eſt incertitudo in ordine ad omnes ſuffragantes diſtributiuè ſumptos, tum deniq; quia communitas, quoad forum externum, non videtur actionem habere contra ſuffragantes, à quibus validè vt ſupponimus, licet iniuſtè, tributum impoſitum fuit, & quia ſæpe ſæpius in tali foro nequeunt dilucida eſſe motiua iniuſti oneris, & manent ſolùm pro foro conſcientiæ.

Ex his igitur patet, non poſſe à nobis cõcluſionem principalem hac ratione cõfirmari, cum cadat ab vniuerſalitate, & ſit defectibilis; fatis ergo erunt rationes à nobis allatæ ad eam probandam.

Vna tamen mihi ſe offert dubitatio, an Titius dubitans de influxu proprij ſuffragij ſit obligandus ad integram reſtitutionem, caſu quo alij ſimiliter dubitantes, impotentes eſſent ad ſoluendum.

Reſpondeo, probabiliorem cenſendo partem negatiuam, quia cum contra Titium dubitantem neq; ſit, neq; vnquam fuerit certa obligatio, ſed ſolùm præſumptiua, non debet ità hæſitans integrum ſubire onus, ac ſi eſſet, aut fuiſſet certus eius iniuſtus influxus, ad tributum iniuſtè imponendum.

§. XXXVIII.

Ex officio ſuffragium ferens de Nouitio ad profeſſionem admittendo, ſi dubitet, an Monaſterio expediat, debeat ne illum reprobare?

SVMMARIVM.

1 *Ex officio ſuffragantem, ſi dubitet de habilitate nouitij, teneri illum reprobare putauit Caramuel.*
2 *Reijcitur opinio iſta ab Authore.*
3 *Ex communibus principijs ſuadetur.*
4 *Aſtringitur dubitans ad veritatem inquirendam, antequam ſuffragium ferat.*
5 *Diluitur ratio Caramuelis.*

6 So-

6 *Soluitur obiectio ex Tridentino.*

1 QVI ex officio fert ſuffragium, & de habilitate Nouitij anceps ſit, † teneri ad illum reprobandum exiſtimauit *Caramuel in regula S. Benedicti cap. 69. nu. 470. concl. 18.* & hoc probat, quia maior eſt obligatio, quam Religioſus habet erga ſuam Religionem, quàm erga Nouitium illum; proinde ne tota communitas religioſa exponatur periculo retinendi perſonam inhabilem; in hoc dubio erit præferenda, & ſi Religioſus approbaret Nouitium húc, eſſet filius degener ſui Monaſterij; tandem cóncludit, ſi poſt annum Nouitiatus non conſtet habilitas Nouitij, vel debet remanere adhùc Nouitius vſq; dum ambiguitas illa expellatur, vel eſt dimittendus. Hæc eſt Caramuelis opinio, quam apud alios exagitatam non reperio.

2 Dicendum eſt primò, † non poſſe abſq; iniuſtitia à Religioſo ſolùm dubitante de habilitate Nouitij ferri ſuffragium, per quod poſitiuè reprobet Nouitium illum, ne ad profeſſionem admittatur; concluſionem hãc quamuis ſub his terminis apud Doctores inuenire minimè potuerim, quia neminem hactenus vidi de hoc pũcto in particulari agentem præter Caramuelẽ;
3 nihilominùs eius veritatem oſtendam † ex communibus Principijs, & maximè illi fauet doctrina, quam tradit *Pater Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 14.* tractans de inquiſitione facienda pro receptione Religioſi ad habitum, & profeſſionem iuxta Conſtitutionem Sixti V. & omninò eſt legendus. Probatur aũt concluſio tali pacto. Suffragiũ continens mendacium grauiter pernicioſũ cõtra eum, de quo agitur, abſq; iniuſtitia ferri non poteſt: at tale eſt ſuffragiũ, per quod Religioſus dubitans de habilitate Nouitij, illum à profeſſione poſitiuè reprobat; ergo abſq; iniuſtitia ferri non poteſt: ſola minor probatione indiget, maior.n. & conſequentia ſunt ex ſe manifeſta; probatur autem minor. Suffragium reprobatiuũ, ne quis obtineat dignitatem aliquam, gradum &c. importat in eo, qui ipſum ſuffragium dat, indiciũ, per quod indicetur in perſona reprobata reperiri defectum, ſeu impedimentum prohibens promotionem ad dignitatem, gradum &c. Et hoc patet ex terminis. At in caſu noſtro ſuffragium illud contineret tale mendacium, ergo &c. patet maior, minor autem huius vltimi argumenti oſtenditur, quia, vt ſupponimus, Religioſus ferens ſuffragium, non habet tale iudicium, cum ſupponatur ſolùm dubitare de habilitate Nouitij; igitur ſi fert ſuffragium reprobatiuum contra Nouitium, de cuius idoneitate ambigit, ferret ſuffragium continens mendacium grauiter pernicioſum contra Nouitiũ illum, de quo agitur.

Dicendum eſt ſecũdò. In caſu prædicto Religioſus ita anceps, antequam proprium ſuf-
4 fragium ferat, † debet diligenter inueſtigare conditiones, & qualitates illius Nouitij, quæ ſunt materia, de qua dandum eſt ſuffragium, & ſuſpendere interim ſententiam, ne temerè proferatur, vel denique ſi tempus id non permittat, debet Religioſus ſub dubio ſiuè in ſcriptis, ſiuè in voce proprium ſenſum alijs, qui ſuffragantur, aut Superiori cum ſinceritate manifeſtare.

Ad rationem autem, cui innititur Cara-
5 muel, † reſpondeo, quod quamuis maior ſit obligatio, qua Religioſus erga propriam Religionem obſtringatur, quàm erga Nouitium, hoc autem eſſe intelligendum, quando reliqua ſunt paria, & res eſt omninò integra, ideòque ſi ageretur de Nouitio recipiendo ad Nouitiatum, in dubio non deberent Superiores, aut illi, ad quos ſpectat eum admittere, niſi prius de eius habilitate eo modo, quo eſt poſſibilis, certiores fierent, & in hoc attendenda erit ſententia *Patris Suarez loco ſuperius citato.* Sed cum Nouitius fuerit admiſſus, & ipſe Nouitiatum peregerit, ius acquiſiuit, vt ad profeſſionem promoueatur, niſi per ipſum ſtet, vel in ipſo impedimentum inueniatur, incumbit autem Religioni probare defectum, qui promotionem hanc impediat; & dum de eo non conſtat, non poterit abſq; iniuſtitia Nouitius ille reprobari, ſed ad ſummum differre promotionem ad tempus rationabile, vt idoneitas illius meliùs innoteſcat.

6 Sed poſſet † quis obijcere decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularibus* vbi præcipitur Superioribus, vt peracto Nouitiatu, admittant ad profeſſionem Nouitios, qui habiles inueniuntur, aut è Monaſterio eiiciant. igitur ſtante tali diſpoſitione nequit ſuſpendi profeſſio, per quam ſuſpenſionem Nouitius neq; admittitur, neq; expellitur.

Reſpondeo Profeſſionem ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert *Rodriqu. in quæſtione regul. tom. 3. quæſt. 17. artic. 10.* differri poſſe ob aliquam rationabilem cauſſam, vt ſi obſtaret infirmitas ipſius Nouitij, vel ſi in probatione minus ſatiſfecerit, &c. vide *Pellizzarium in manual. regul. tom. 1. tract. 2. capit. 1. quæſt. 12. & alibi.*

CAPVT X

Conſcientia circa vltimas voluntates obſcura, illuſtratur.

DE vltimis voluntatibus, ſeu diſpoſitionibus, quæ fiunt cauſſa mortis, multa eſſent dicenda, quæ tamen omnia non pertinent ad noſtrum inſtitutum; Cum intentio noſtra ſolùm in præſentia verſetur circa ea, quæ ſpectant ad conſcientiam dubiam, ex quibus, quæ magis in praxi contingunt, & ancipitem reddunt conſcientiam, ſelectiora nonnulla eligemus.

§. I.

Si teſtamentum careat debita ſolemnitate, & dubitetur, an teſtator voluerit conficere teſtamentum clauſum, an verò apertum, vtrum teſtamentum illud valeat, vt nuncupatiuum?

SVMMARIVM.

1 *Si conſtat Teſtatoris intentio, ea eſt ſeruanda.*
2 *In dubio de mente illius, vt nuncupatiuum teſtamentum habebitur.*

SI conſtet voluntas teſtatoris, nempè voluiſſe in ſcriptis, ſeu per teſtamentum clauſum teſtari, tunc teſtamentum illud carens ſolemnitate, † non valebit vt nuncu-
1 patiuum: difficultas autem eſt, quando de intentione teſtatoris nihil habetur; dico igitur. in dubio teſtamentum illud vale-
2 bit, † vt nuncupatiuum, & hanc præſumitur fuiſſe voluntatem teſtatoris, ne actus omninò corrueret: Sic docent *plures*, quos laudat, & ſequitur *Sanch. lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 10. Card. Delugo tom. 2. de iuſt. diſput. 24. ſect. 1. num. 13.*

§. II.

Diſpoſitio aliqua, quando non conſtat, an præſumatur modalis, an verò conditionalis?

SVMMARIVM.

1 *Quando res eſt dubia, diſpoſitio modalis præſumitur, & non conditionalis.*
2 *Maior vtilitas reſultat ex modali in ordine ad donatarium.*
3 *Obligatio reſtituendi quando reſultat, modo non adimpleto, remiſſiue declaratur.*

SI animus, perpenſis omnibus, in dubio maneat, † eſſe
1 præſumendam modalem, quia vtilior eſt ei, in cuius gratiam fit: Sic *Molina de primog. lib. 2. cap. 12. num. 9. Peregrinus de fid. commiſ. art. 11. num. 14. Mantica de coniecturis vlt. vol. lib. 10. tit. 5. num. 12.* & apud ipſos *Bart. Bald. Alexand. & alij in l. cum mota C. de tranſact.* licet alii oppoſitum ſentiant apud eundem *Manticam num. 13. 14.*

2 Maior † autem vtilitas deſumitur ex diſcrimine, quod ponunt Doctores inter vtramq; diſpoſitionem, nam & ſi vtraq; futurum reſpiciat; nihilominus, quando eſt conditionalis ſtrictè accepta, exequutio ſuſpenditur, vſq; dum conditio purificetur; contra verò ſi eſt modalis, tunc enim antequam modus adimpleatur, diſpoſitio exequutioni mandanda eſt V. G. Titius per ſuum teſtamentum leget Sorti centum aureos ſingulis annis ſoluendos, vt fiat Sacerdos, diſpoſitio iſta, vt pote modalis, non præ-requirit actuale Sacerdotium, ſed Sortes poterit legatum petere, antequam modus iſte adimpleatur, ſecus autem ſi diſpoſitio ſit conditionalis, vt ſi in legato relicto dicatur, lego Sorti tot redditus, ſi vxorem ducat; tunc ante actualem vxoris ductionem, non poterit Sortes legatum conſequi. Diſcrimen autem illud circa ſuſpenſionem exequutionis, aut non ſuſpenſionem ponit *Gloſſa capit. verum de condit. appoſ. §. (Conditione donatur) verſ. vnde nota. & noſter Molina tom. 1. de iuſtit. diſput. 208. num. 2. Molina lib. 1. de primogen. capit. 12. num. 4. & capit. 15. à num. 28. & alij.*

3 Quando autem, modo non adimpleto, † conſurgat nec ne obligatio reſtituendi legatum acceptum, vide *Molinam ea diſput. 208. à nu. 7. & ſequentib.*

§. III.

§. III.

Legatum pro Miſſis celebrandis, ſi nihil exprimatur de applicatione, in dubio an præſumatur relictum ad ſolum Dei cultum, an verò applicandum pro anima legantis?

SVMMARIVM.

1 *Debet prius voluntas diſponentis inquiri.*
2 *Prior opinio libertati Sacerdotis id committit, quando res eſt dubia.*
3 *Oppoſitum aſſeritur ab Authore.*
4 *Diſpoſitio in fine vitæ præſumitur in fauorem animæ.*

1 RESPONDEO expendi prius diligenter debent verba diſpoſitionis factę à Teſtatore, vt quantum fieri poterit, eius mens colligatur; ſi autem non obſtante tali diligentia remaneat dubia intentio, ſunt duæ ſententiæ: prima vult eſſe
2 in libertate † Sacerdotis applicare Miſſam, pro quo voluerit, & ſatisfacere ſuę obligationi, voluntatiq; teſtatoris, ſi celebret in eodem loco, quem deſignauit Teſtator, & hanc ſententiam defendit *Marchinus de Sacr. Ordin. tract. 3. capit. 27. num. 7.* & mouetur, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, proinde dum in legato non eſt expreſſum onus, non debet legatario imponi, & licèt pro hac eadem ſententia ab ipſo citentur *Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. de ſuffrag. quæſt. 18. & Ludouicus à Cruce in Bullam Cruciatæ diſp. 3. dub. 19. num. 21.* Non loquuntur tamen expreſsè de caſu noſtro, ſed ſolùm inquirunt, an quando Sacerdos tenetur celebrare diebus feſtiuis, vel pro cultu Eccleſiæ, vel pro commoditate eius, qui dat eleemoſinam, aut vt populi audiant Miſſam; ita vt obligatio ſit pro ſola præſentia; poſſit aliud ſtipendium accipere pro ſacri applicatione, & partem æſtimatiuam ſequuntur: ſed quicquid ſit de hac opinione, quam examinare non pertinet ad noſtrum inſtitutum; tractari enim ſolet, dum agitur de celebratione Miſſarum iuxta *Bullam Vrbani VIII.* Quod autem quærimus eſt, an in dubio, cum in legato relicto non fuit expreſſum onus applicandi, præſumatur id fuiſſe intentum à teſtatore, qui legatum reliquit.

3 Cæterum oppoſitam ſententiam † cenſeò eſſe amplectendam, videlicet, in tali dubio præſumendum eſſe à Teſtatore onus applicationis, pro ſua anima, intentum fuiſſe, & hanc opinionem docet *Barboſa de officio Parochi cap. 21. num. 11.* qui citat *Alphonſum de Leone, Fraxinellum, & Homobonum* aduertentes, vt ipſe ait, in dubio legatum non præſumi datum, vel relictum pro cultu Eccleſiæ, ſed pro applicatione ſacrificij, niſi oppoſitum ex verbis teſtatoris, vel aliundè clarè conſtet, ratio pro hac ſententia deſumitur ex communiter accidentibus, quę eſt efficax, & fortis præſumptio, vt teſtatur *Menochius lib. 1. de præſumpt. quæſt. 18. num. 1.* Communiter autem & præſertim in fine vitæ præſumitur, quod vnuſquiſque in
4 diſponendis pijs legatis † intendat, id quod magis prodeſt propriæ ſaluti, proinde dum teſtator relinquit legatum pro Miſſis celebrandis, etiam ſi non explicet velle pro ſatiſfactione ſuorum peccatorum Applicationem, tamen hoc implicitè pręſumitur voluiſſe; & quod ob ignorantiam, vel inaduertentiam id non expreſſit; idcircò poſſeſſio videtur ſtare pro hoc onere, quod præſumitur, & communiter imponi ſolet, vt fauorabile ipſi teſtatori; in dubio autem legatum cenſetur factum pro cauſa fauorabili ipſi teſtatori leganti, vt rectè notat *Nouarius in praxi miſer. Perſ. priuil. 20. num. 6.*

§. IV.

1 Legatum, quod Epiſcopo relinquitur, an præſumatur in dubio relictum intuitu Eccleſiæ, an verò contemplatione ipſius Epiſcopi?

SVMMARIVM.

1 *Intuitu Eccleſiæ præſumitur relictum.*
2 *Legatum præſumitur factum non affectu beneuolentiæ in Epiſcopum, ſed in eleemoſynam.*
3 *Interdum fallit deciſio iſta.*

1 RESPONDEO præſumi relictum intuitu Eccleſiæ, ſi ab extraneo ſit relictum; & non à conſanguineo, ſeu propinquo; ita expreſsè diſponitur *in cap. Requiſiſti de teſtam.* & textus ibi ex pręsūptione procedit, ſic etiam docet *Mātica de coniect. vlt. vol. lib. 6. tit. 12. num. 4. Nouarius in praxi priuil. miſer. Perſ. priuil. 20. num. 3. Maſcardus de prob. concl. 968. num. 2. & alij apud ipſos.* præſumptio autem in tali dubio oritur ex eo, quod legatum cenſetur relictum non affectu
2 beneuolentiæ in Epiſcopum, † ſed eleemoſinæ, proinde intuitu Eccleſiæ, & non perſonæ. at ſi teſtator eſt conſanguineus, legatum cenſebitur relictum intuitu Epiſcopi.
3 Fallit autem † deciſio iſta, quando ex qualitate rei legatæ aliud colligitur, & ideò ſi lega-

tum ſit calix, patena, vel quid ſimile, tunc etiam ſi teſtator ſit conſanguineus ratione materiæ legatæ, præſumitur legatum fuiſſe intuitu Eccleſię; contra verò ſi legatum erunt canes, falcones, &c. tunc pręſumitur intuitu perſonę factum, etiam ſi teſtator ſit extraneus, ſic aſſerit *Mantica loc. cit.* & idem *quamplures Doctores* aſſerunt de legato relicto Canonicis, quos citat, & ſequitur *Nouarius ibidem num. 4.* licet *alij*, inter quos *Mantica lib. 8. tit. 12. à num. 21.* velint præſumi relictum intuitu ipſorum Canonicorum.

§. V.

Teſtator cuidã determinato pauperi decem legauit aureos, ſi pauper ille obeat, teneatur ne hæres legatum alteri pauperi erogare?

SVMMARIVM.

1 *Si legatum eſt pium fauore animæ præſumitur factum, & ſoluendum ab hærede.*
2 *Si contrarium colligitur ex coniecturis, liberabitur hæres.*

1 SI legatum illud erit pium ✠ præſumi relictum pro anima, & per conſequens hęres tenebitur alteri pauperi illud ſoluere: ſic docet *Sanchez ex Baldo, Panorm. & alijs lib. 4. in decal. cap. 11. nu. 35. & Molina tom. 1. de iuſt. art. 249. nu. 10.* nam hoc eſt fauorabilius ipſi teſtatori; neque obſtat electio illius pauperis in indiuiduo, quia potuit id contingere ex eo, quod teſtatori notus fuerit talis pauper, vel ob aliam cauſſam. Et ratio eſt, quia legatum pium præſumitur factum in beneficium animæ ipſius teſtatoris, proinde deſignatio talis pauperis demonſtratiuè, & non taxatiuè præſumitur. Si verò ex circum-
2 ſtantijs † colligitur relictum fuiſſe in vtilitatem talis pauperis, legatum minimè debere. at ſi dubium ſit de intentione, prior voluntas erit pręſumenda. Sic *Molina, & Sanchez.*

§. VI.

Titius tempore, quo condidit ſuum teſtamentum, legauit 100. aureos Eccleſiæ Parochiali, nomen Eccleſiæ minime exprimendo; poſtea verò mortuus eſt in alia Parochia, ſi dubium inſurgat, quænam fuerit legataria, vtri dandum ſit legatum?

SVMMARIVM.

1 *Aliqui tempus conditi teſtamenti putant eſſe attendendum.*
2 *Biſariam à Mantica limitatur.*
3 *Per Domicilij mutationem legatum priùs factum videtur transferri in Eccleſiam noui domicilij.*

1 RESPONDEO ✠ eſſe attendendum tempus teſtamenti, proinde legatum deberi priori Eccleſiæ, in cuius Parochia teſtator habitabat tempore, quo teſtamentum condidit: Sic aſſerit *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 11. num. 3.* & citat *Rom. in Auth. Similiter num. 93. de lege falcid. & lib. 8. tit. 6. num. 13.* idem *Mantica* ait, hanc ſententiam eſſe rationabilem, ſed ſta-
2 tim eam modificat † duplicem apponendo limitationem. Primò quando legatum eſt modicæ quantitatis, tunc enim voluit intelligi relictum pro onere ſepulturæ; atq; adeò aſſignandum eſſe Eccleſiæ, in qua teſtator ſepelitur, ſiuè ſit Eccleſia in ea Parochia, in qua ipſe Teſtator habitabat tempore mortis, ſiuè alibi. Secundò, Si legatum ſit magnæ quantitatis, excedatq; onus ſepulturæ, ſi teſtator ante mortem poſt initum teſtamentum totaliter mutauit domicilium, & non expreſſit titulum, ſeu nomen Eccleſiæ, cui voluit legatum relinquere, tunc deberi Eccleſię, in cuius Parochia Teſtator ipſe moritur, atq; adeò ſpectandum eſt tempus mortis, & non teſtamenti, & pro hac ſententia affert *Petrum de Anchar. Franc. in capit. Cum quis §. Cum ab eo de ſepult. in 6.* & deſumit argumentum, ex quibuſdam iuribus ciuilibus: hanc eandem opinionem, vtiuri conformiorem, & æquiorem admittit *Borrius deciſione 176. num. 3. 5.* quando aliud non colligitur ex mente Teſtatoris, ra-
3 tio autem huius concluſionis eſt; † quia per mutationem illam domicilij videtur etiam quodammodo translatum legatum, quod

in-

intuitu domicilij relictum fuit, proinde ſi teſtator ea coniecturis non videtur voluiſſe legatũ relinquere priori Eccleſiæ, vt tali determinatæ Eccleſiæ, præſumendum eſt illud voluiſſe relinquere cõtemplatione domicilij, quia communiter loquendo teſtatorem præſumitur velle gratificari loco; in quo verſatur, & in quo recipit Sacramenta, & audit diuina officia, niſi aliud aliud de eius mente conſtet: ſic habetur ea §. *Si quis in Nomine Magni Dei Auth. de Eccl.* ideo mutando domiciliũ, mutare etiam videtur voluiſſe legatariũ, & ſic legatum debebitur poſteriori Eccleſiæ, in cuius Parochia teſtator mortuus eſt.

§. VII.

Si legatum relinquatur exprimẽdo nomen Eccleſiæ, v. g. Sancti Petri, & in ea Ciuitate eiuſdem nominis plures ſint Eccleſiæ, penſatiſque omnibus dubia maneat adhùc intẽtio Teſtatoris, quid ſit determinandum?

SVMMARIVM.

1 *Dubio exiſtente, Eccleſiæ pauperiori præſumitur relictum.*

2 *Limitatur conclusio.*

1 PRÆSVMI legatum † relictum fuiſſe Eccleſiæ eiuſdem nominis pauperiori; ſic ſtatuitur §. *eit. Si quis in nomine Magni Dei*, & docet *Gloſ. in cap. Indicante §. Monaſterio de teſtam. Panorm. ibidem. Socinus ſen. in l. Qua conditio §. cum ita num. 2. de cond. & demonſtr. Iaſon in repet. l. 1. num. 6. de Sacroſ. Eccl. & in l. ſi ita ſit ſcriptum num. 36. de leg. 1. Armilla, Tabiena, Angelus*, quos laudat, & ſequitur *Sanch. libr. 4.*
2 *conſ. 12. dub. 8. & alij apud ipſos.* † Limitari tamen debet reſolutio iſta, quando inter Eccleſias eiuſdem nominis erit Parochia teſtatoris, tũc enim non attendi debet paupertas Eccleſiarũ, ſed Parochiæ legatum aſſignandũ eſt, licet nõ ſit pauperior, quia in dubio præſumptio eſt pro Parochia teſtatoris; ſi verò Eccleſia parochialis eo nomine nequaquã vocetur, & plures Eccleſiæ ſub eodẽ nomine ſint pares, quo ad paupertatẽ: tũc erit in libertate Epiſcopi, vel diſtribuere legatũ inter illas Eccleſias, vel vni ex illis gratificari, vt aſſerit *Abbas lo. cit.* quod intelligi debet, quando coniecturæ non sũt tales, vt indicent volũtatem teſtatoris fuiſſe relinquere legatum alicui Eccleſiæ particulari, vel ſi ratione alicuius qualitatis adiũctę, potiùs vni, quam alteri Eccleſiæ cenſeatur relictũ, v. g. ſi in Ciuitate Eccleſiæ duæ, vel plures ſint ſub eodem titulo, vna tamen parochialis, licet nõ pauperior, huic Eccleſiæ eſt aſſignandum legatum, quia in dubio pręſũptio eſt pro Parochia; præſumit enim Ius de Eccleſia parochiali teſtatorem magis ſenſiſſe, quam de alijs. Rurſus ſi in vna ex his Eccleſiis teſtator voluit ſepeliri, tũc tali Eccleſiæ eſt legatũ concedendum, quia cũ ſuſtineat onus ſepulturæ, conueniens eſt, vt habeat commodum, legati, & hoc confirmat ordinaria conſuetudo, videlicet, vt legatũ relinquatur illi Eccleſię, in qua eligitur ſepultura, proinde volũtas teſtatoris, quando eſt obſcura & dubia debet exponi iuxta communiter accidentia in ea Regione.

§. VIII.

Si Teſtator legauit aliquos annuos redditus, vt ſingulis diebus Sacrum pro ſua anima celebretur, & non declarauit, quo loco voluerit Miſſas illas celebrari, in dubio quænam Eccleſia ſit eligenda?

SVMMARIVM.

1 *Intelligi de Eccleſia, in qua Teſtator eſt ſepultus, cenſuerunt aliqui.*

2 *Author ad praxim ſe remittit, quæ contraria videtur.*

1 RESPONDEO in tali caſu † *Iaſon l. non vtique §. ſi quis Inſulam in fine ff. de eo, quod certo loco. Abbas conſ. 99. num. 4. Mantica de coniect. lib. 8. tit. 6. num. 6. in fine* putarunt diſpoſitionem intelligi debere de Eccleſia, in qua ſepultus eſt, quia præſumitur Teſtatorem voluiſſe titulo remunerationis pro onere ſepulturæ inſtituere legatũ illud, ſed ignoro, an in praxi id ſeruetur, † ad quam me re-
2 mitto, in hoc enim Regno abſq; dubio eſt contraria; experimur enim ab hærede, ſeu fideicommiſſario pecuniam abſq; determinatione loci, aut perſonæ relictam prò Miſſis celebrandis, diſtribui pro eorum arbitrio.

§. IX.

§. IX.

Eligens ſepulturam in aliena Eccleſia, & relinquens legatum propriæ Eccleſiæ Parochiali æquiualens quartæ funerali, vtrum in dubio præſumatur legare animo compenſandi cũ quarta ipſi Eccleſiæ Parochiali debita?

SVMMARIVM.

1 *Nonnulli cenſuerunt cum quarta eſſe computandum.*
2 *Oppoſitum ſuſtinent alij.*
3 *Vtraque opinio ab Authore exiſtimatur probabilis; ad praxim tandem ſe remittit.*

1 DVÆ hac de re extant ſententiæ. Prima vult † tale legatum computandum eſſe cum quarta, ſic docent *quamplures*, inter quos eſt *Emmanuel Rodriquez in qq. regul. tom. 1. quæſt. 39. art. 6.* & *apud ipſum Federicus de Senis conſil 3.* qui id aſſerit etiã in caſu, quo legatũ eſt minus, quàm ſit quarta. *Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 48. art. 11. concluſ. 2. Portell. in dubio reg. verb. Canonica portio num. 7. Hieron. Rodericus in compend. quæſt. regul. reſolut. 18. nũ. 8. & alij.*

2 Secunda ſententia † eſt oppoſita, ſitq; tàm legatum, quàm Canonicam portionem integrè deberi Eccleſiæ parochiali. ſic *Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 24. num. 18.* idq; probat ex nõnullis iuribus Canonicis, & idem aſſerit *Gloſſ. in Clem. 2. §. Verum Cardin. ibidem num. 10. Couarr. in cap. Officij num. 6. de teſtam.* Hanc opinionem communiorem, quamuis primam veriorem eſſe affirmet. Probatur opinio iſta à pari ex *cap. Requiſiſti verſ. ſecùs autem, de teſtam.* vbi ſtatuitur, quod quando aliquid legatur Epiſcopo, & aliud Cappellis, Monaſterijs, ſeu alijs pijs locis, ſoluendũ eſſe Epiſcopo legatum ſimul cũ Canonica portione debita ex legatis, quæ fiunt alis Eccleſijs inferioribus; igitur Eccleſiæ parochiali debebitur, & legatũ, & Canonica portio: par enim videtur in hoc ratio inter Epiſcopum, & Parochiam. Vtraq;
3 opinio † eſt probabilis; in praxi autem ſeruanda erit Regionis conſuetudo.

†

§. X.

Legatum relictum creditori, cauſa non expreſſa, vtrum in dubio cenſeatur relictum animo compenſandi cum credito?

SVMMARIVM.

1 *Intentio Teſtatoris eſt ſeruanda, ſi ex coniecturis deducatur.*
2 *Debitum aliud neceſſarium, aliud voluntariũ & declaratur.*
3 *Si debitum eſt neceſſarium, in dubio non præſumitur compenſatio.*
4 *Author ratione id probat.*
5 *Cum debito neceſſario præſumitur compenſatio.*
6 *Vtraque concluſio limitationes admittit.*

1 QVANDO ex coniecturis deduci poteſt intentio Teſtatoris, tunc omninò ita eſt exequendum, videlicet, vel eſt facienda compenſatio, ſi colligatur talem fuiſſe eius mentem, vel vtrumq; ſoluendum eſſe creditori, coniecturæ aũt iſtæ ſunt plures, & variæ, quas ponit *Aymon conſ. 149.* At quæſitum præſens procedit, quandò, omnibus circumſtantijs perpenſis, dubia manet adhùc volũtas Teſtatoris, in tali enim dubio inquirimus quid præſumi, & quid fieri debeat?

2 Pro ſolutione supponendum eſt duplex, prout ad ſubiectam pertinet materiam, debiti genus à Iuriſtis agnoſci, nempè neceſſariũ, & voluntarium; illud oritur ex legis diſpoſitione independenter à volũtate debitoris, & tale eſt debitum, quo Pater tenetur dotem, & legitimam ex proprijs bonis filijs aſſignare, vel illud, quo Maritus aſtringitur ſoluere vxori iuxta iuris diſpoſitionem *in Authen. præterea C. vnde vir & vxor, & ſimilia.*

Debitum autem volũtarium deſcendit à voluntate debitoris, vel ratione contractus, vt vẽditio, locatio, emphiteuſis, vel quaſi contractus, vt eſt obligatio, qua Tutor tenetur pupillis, Geſtor negotiorum ei, cuius negotia gerit &c. & quamuis debita iſta iam contracta ſint neceſſaria, nuncupantur tamen volũtaria ex ſui origine, in quãtum obligatio immediatè emanat ex facto, & voluntate debitoris. His poſitis

3 Dicendum eſt primò, † quando debitum eſt volũtarium, in dubio non præſumi factum eſſe legatum animo compenſandi, proinde creditori, & legatum, & debitum per ſe loquendo ſoluendum erit; eſt communis Doctorum ſententia. ita colligitur *ex l. vnica §. ſciendum C. de rei vxoriæ, & l. creditor C. de legat. l. ſi compenſandi C. de hæred. inſtit. & l. creditorem ff. de legat. 2. Bart. in præd. iur. Imola, Bald. & alij*

apud

apud Mant, de coniect. lib. 10. tit. 2. num. 1. Couarr. in c. officij de teſtam. num. 2. Nauarr. in ſumm. cap. 17. num. 160. Menoch. lib. 4. præſumpt. 110. num. 7. & ex Theologis Sylu. v. legatum 3. quæſt. 12. Armilla eodem verbo num. 21. Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 200. nu. 15. vſque ad finem. Sanch. lib. 4. conſ. cap. 2. dub. 15. num. 3. & alij apud ipſum, qui hanc concluſionem ſola authoritate confirmant; & non addunt rationem aliquam poſitiuam, qua opinio iſta ſuadetur.
4 † Mihi autem videtur probari poſſe ex eo, quia cum vtrumq; nempè, debitum, & legatum dependeat à volũtate ipſius debitoris, niſi conſtet voluiſſe vnum pro alio ſubrogare, præſumitur voluiſſe diſtinctis obligationibus ad vtrumq; ſoluendum ſe obligare. Concluſio iſta locum habet ſecũdum aliquos etiam in herede grauato per fideicommiſſum, reſtituere aliquid, tũc ſi legatum faciat eidem, cui debet, non præſumitur legaſſe animo compenſandi, quia debitum non eſt legale, ſed cenſetur volũtarium ex prima volũtate Teſtatoris, ſic aliqui, licet negent alij. vide *Sanchez nu. 4.* Dixi, per ſe loquendo, quia concluſio aliquas admittit limitationes, & exceptiones, vt videbimus.

5 Dicendum eſt ſecũdò, † ſi debitum eſt neceſſarium; tũc prçſumptio eſt pro debitore, videlicet legatum inſtituiſſe animo compenſandi, niſi ex coniecturis de oppoſito conſtet. Cõcluſio eſt communiter recepta, eaq; ponitur *ab Authorib. cit. & à Menoch. prçſump. 109.* probatur ex *Auth. Præterea C. vnde vir, & vx.* vbi ſtatuitur legatum relictum vxori Marito eſſe compenſandũ cũ illis, quæ debentur ipſi vxori ex bonis Mariti iuxta diſpoſitionem legis. Ruſus id confirmatur *ex l. Si cum dotem. §. Si Pater ff. ſoluto matrimonio:* vbi diſponitur, q legatum relictũ filiæ à patre, qui à Marito filiæ dotem exegerat, compẽſetur cum dote exacta ab ipſo patre. Probatur etiam concluſio, nam cum obligatio iſta neceſſaria ſit à Iure inducta, inuito ipſo debitore, voluit ipſum Ius in debitoris leuamen ſtatuere, vt legatum factum ab eodem debitore creditori, dum non conſtat de volũtate debitoris, computetur cum debito; & hæc ratio etiam confirmat prçcedentem concluſionem, nam quando debitum eſt voluntarium, ceſſat præſumptio Iuris pro debitore, & vtraq; obligatio remanet pro creditore.

Cæterum vtraq; concluſio aliquas exceptio-
6 nes admittit, † ideo prima concluſio non habet locum, quando Teſtator, qui legatum reliquit, ſolùm in foro conſcientiæ tenetur ſoluere debitum, & non poteſt in foro externo condẽnari ad ſoluendum, tũc enim fieri poteſt compenſatio, ſic *ex Couar. & ex antiquioribus* notat *Mol. loc. cit. num. 16. in fine, & Sanch. etiã loco cit. num. 5.* quia dum Teſtator nihil exprimit de eo, quod debet in foro conſcientiæ præſumitur legatum fuiſſe pro ſuæ cõſcientiæ exoneratione, atq; adeo compenſatio fieri poterit. Prçterea limitanda eſt ſecũda concluſio, quãdo Teſtator in legato declarat cauſam diuerſam à debito neceſſario; tũc enim ceſſat præſumptio volũtatis compenſandi. Secũdò, limitatur etiã concluſio, cum legatum, & debitum neceſſariũ ſunt diuerſę ſpeciei, vt ſi debitum eſt pecuniarũ & legatum eſt animalium, ſupellectilũ, &c. ſic *Sanch. num. 11. ex multis Iuriſtis*, licet aliqui ab eodem cit. oppoſitum ſentiant. Tertiò, limitant aliqui, quando Teſtator dicit (lego de bonis meis) tũc volunt nonnulli non eſſe faciẽdam compenſationem; quia bona dicũtur, deducto ære alieno; proinde legatum videtur relictum ſuper bonis Teſtatoris, quę remanent ſoluto debito neceſſario, at hæc limitatio aliquibus non placet, quos citat *Sanchez nume. 15.* Quartò; limitatur concluſio, ſi fiat donatio inter viuos, tunc enim non præſumitur fieri animo compenſandi, niſi exprimatur, ſecùs de donatione cauſa mortis ita *Mol. & Sanch. nume. 17.* in fine prędicti dubij ex multis docent. Alię coniecturę videndæ ſunt *apud Menoch. loc. cit.* Nonnullas verò obiectiones, quę in contrariũ fieri poſſent, earumq; ſolutiones vide *apud eumdem Molinam.*

§. XI.

Teſtator legans domum, in qua inhabitat, an intelligitur comprehendere domum, quam habet rure?

SVMMARIVM.

1 *Teſtator rarò domum ruralem habitans non præſumitur illam voluiſſe includere in legato.*
2 *Ad denominandam ſimpliciter habitationem requiritur frequens commoratio.*

RESPONDEO, ſi Teſtator rarò domum illam ruralem habitauit;
1 † non intelligitur comprehenſa in legato, ita *Baldus in l. 1. nu. 8. ff. de ſtatu homin. & cap. Quoniam num. 2. in fine de off. ordin. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 9. tit. 2. nu. 40. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 23. num. 18.* reſpondens ad confirmationem contrariorum argumentorum. Et ratio eſſe poteſt, quia rara illa commoratio non eſt talis, vt poſſit ex ipſa cõſurgere iſta denominatio ſimpliciter, (ſcilicet, Teſtator inhabitauit domum illam,) ad quam
2 denominationem † requiritur frequens commoratio. Si autem ruri ſępe etiam habitauerit, videretur comprehendi ſub legato. Sed ſi legatum erit de domo in ſingulari, puto legatum intelligi de domo vrbana, nam nomine domus communiter intelligi ſolet domus vrbana.

§.XII.

§. XII.

Domus legata poſt mortem Teſtatoris, ſi per partes reficiatur de nouo, ita vt nihil prioris maneat, & mens Teſtatoris non conſtet, an legatum reddatur caducum?

SVMMARIVM.

1 *Legatum minimè fit caducum.*
2 *Aquæ luſtrali, ſi addatur alia aqua, tota euadit benedicta; idem de veſtibus Miſſæ, ſi paulatim reficiantur.*
3 *Si tota domus reficitur, ceßat legatum.*

SI mens Teſtatoris colligi nequeat
1 & res ſit dubia, † legatum remanere, & non eſſe caducum, ſecùs ſi deſtructa domo alia à Teſtatore in eodem loco ædificetur, tunc enim extingueretur legatum. ita *Mant. de coniect. lib. 9. tit. 2. nume. 42. 43.* Probatur *ex l. ſi ita legatũ §. vlt. de leg. 1.* Prima pars, quæ dicit, legatum non eſſe caducum, ſuadetur, quia dum domus reficitur per partes, antequam deſtruatur, ſemper pars, quæ additur de nouo, cum ſit parua, vt ſuppono, trahitur à reliquis partibus, quæ remaneat, ac proinde legatum cenſebitur afficere etiam has nouas partes, & ſic ſucceſſiuè. Simile quidpiam habemus in alijs rebus; nam iuxta communem
2 ſententiam, † ſi aquæ luſtrali addantur aliquę particulæ alterius aquæ non benedictę, hę particulæ trahũtur ad participandam eamdem benedictionem, & idem communiter dicunt Authores de veſtibus, quibus induitur Sacerdos ad celebrandam Miſſam, dum illis additur aliqua pars non benedicta, ſi priùs veſtes illæ non amiſerint formam, in qua ſeruabatur benedictio: & ſic in alijs ſimilibus. Secunda verò pars quę vult legatum corruere, ſi domus illa deſtru-
3 atur, & alia in eodẽ etiam † loco ædificetur, ꝓbari poterit contraria ratione: nam cum tota deſtruitur ſine additione partis, quæ cum reliquis partibus faciat vnam domũ, non cenſetur eadem domus, quę prior, neq; phyſicè, neque moraliter, proinde cũ ceſſet res legata, ceſſare debet etiam legatum.

§. XIII.

Si penſatis omnibus eſt dubium, an legatum ſit relictum dignitati, aut perſonæ, pro qua ſit præſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Præſumitur dignitati relictum.*
2 *Limitatur.*

1 RESPONDEO exiſtimari † relictum dignitati. ſic definit *Bart. l. quod Principi ff. de legat. 2. Iaſõn. l. qui liberis §. hac verba ff. de vulg. & pupill. ſubſt. Mantica de coniect. vlt. vol. libr. 8. tit. 17. à num. 10* Et ratio eſt, quia Teſtator ſolam dignitatem nominans, videtur motus fuiſſe ex affectu ipſius dignitatis, & nõ ſubiecti determinati, & ſic relictum Principi, aut Epiſcopo ſub nomine Principis, aut Epiſcopi tacito ꝓprio nomine videtur eſſe intuitu dignitatis, ac proinde legatum tranſit ad ſucceſſorem in ea-
2 dem dignitate. † Limitatur tamen ab eodem Authore ſententia iſta *ex Bart. Caſtro. Baldo*, quando legatum fit dignitati ſubalternę, nimirum illi perſonæ, quæ non à ſeipſa, ſed ab alio habet dignitatem, & non habet ſucceſſorem, & ideo legatum relictum Vicario ſub nomine Vicarij; nõ tranſit ad Vicarium ſucceſſorem, quia de iure Vicarius non habet ſucceſſorem neceſſarium, ſed ab Epiſcopo creatur, Similiter legatum relictum Auguſtæ, ipſa mortua, ceſſat legatum.

§. XIV.

Teſtator aliquos legauit aureos Fratri cuiuſdam Prælati Regularis, vtrum in dubio iudicandum ſit relictum Fratri carnali, an Fratri Religioſo?

SVMMARIVM.

1 *Præſumitur conſanguineo relictum.*
2 *Nomen Fratris vulgariter ſumitur pro conſanguineo, & non pro Regulari.*

1 PRæſumi relictum ✠ Fratri conſanguineo, non Religioſo docet *Baldus in cap. licet in fine de off. legat. Abbas ibidem numero 2. Felin.*

Felinus in prima: Gloſſ. Decret. num. 7. Iaſon in l. Si (et) fratres num. 7. ff. de pactis: Mantica loc. cit. num. 6. Et ratio eſt; quia nomen illud
2 abſolutè prolatum † ſumi ſolet ſecundum vulgarem vſum pro fratre conſanguineo; & non pro illo, qui dicitur frater ratione Religioſæ profeſſionis.

§. XV.

Legatum in dubio cenſeri ne debeat intuitu legatarij, an verò alicuius qualitatis, qua legatarius afficitur?

S V M M A R I V M.

1 *Præſumitur relictum in gratiam Legatarij omni qualitate præciſa.*
2 *Limitatur à Nouario.*

1 PER ſe loquendo † præſumi relictum fuiſſe in gratiam ipſius legatarij, præſcindendo ab omni alia qualitate: ſic *Bart. in l. penult. ff. quibus ad libert. proclam. non licet in 6. Mantic. de coniect. lib. 8. tit. 16. nu. 2. Nouar. in praxi mi-*
2 *ſerab. perſon. priuil. 20. nu. 1.* † qui limitat hãc opinionem caſu, quo legatarius ſit perſona miſerabilis; tunc enim legatum præſumitur relictum fuiſſe intuitu miſerabilitatis abſtrahendo à perſona; & pro hac limitatione plures Authores adducit. Ratio autem fundamentalis eſt, quia in dubio legatum præſumitur relictum intuitu animæ, & non alterius cauſæ. Nonnullas alias limitationes vide apud *Manticam loc. cit.*

§. XVI.

An legatum relictum Eccleſiæ, in dubio, cenſeatur perpetuum an verò prima vice extinguatur?

S V M M A R I V M.

1 *Verba diſpoſitionis intelliguntur regulariter de primo actu.*
2 *Prima ſententia cẽſet legatum eſſe perpetuum.*
3 *Oppoſitum iudicant alij.*
4 *Contrarium ſuſtinet Bartolus in legato fauorabili.*
5 *Tollitur contradictio in ſententiam Bartoli à Soccino.*
6 *Vtraque ſententia, vt probabilis admittitur ab Authore.*

1 SVppono doctrinam communiter receptam à Iuriſtis, nimirũ verba regulariter eſſe explicãda de primo actu, quando agitur de diſpoſitione hominis, vt habetur *ex l. Boues. §. hoc ſerm. ff. de verb. ſignif. & ex ſcribentibus ibi*: attamẽ doctrina iſta exceptionem admittit, & ideo directè reſpõdeo ad quæſitum, & aio duas eſſe ſen-
2 tentias: † prima enim vult legatũ Eccleſiæ cẽſeri perpetuum, Sic *Genuenſ. in praxi Eccleſ. triten. 8. quæſt. 226.* & addit ita fuiſſe decilum *in Rota Rom. Socc. Senior conſil. 48. vol. 3. Nouar. in praxi priuil. 4. num. 7. in fin. & alij*, & confirmatur hæc opinio ex doctrina *Bart. in l. Eum, qui Calendis ff. de verb. oblig.* aſſerentis promiſſionem, quæ fit pauperibus in decem, intelligi cauſa alimentorũ, proinde ſingulis annis deberi: vide *Surdum de alim. priuil. 25.* Secunda
3 verò ſententia † contrariũ exiſtimat, videlicet, non cenſeri perpetuũ, ſic docet *Bart. in ſimili, nam in l. Cũ quidam ff. de annuis leg.* ait, quod legatũ relictum Fratribus Minoribus de vna pitantia in feſto S. Franc. deberetur ſolũ pro prima vice: attamen ipſemet *Bart. in l. leg. de an-*
4 *nuis leg.* † oppoſitũ docet, dum ſuſtinet legatũ in cauſa fauorabili annuũ præſumi; atque adeo non extingui prima vice; & ſic videtur eſſe ſibi
5 ipſi cõtrarius, ſed *Socc. vbi ſuprà* conatur † cõciliare ipſum Bartolum, dicens *in l. cum quidam* ſermonem eſſe de legato, quod ſimpliciter fit, at *in l. leg.* loqui de legato, quod fit ad tempus adiunctis quibuſdam dictionibus repetitiuis, vt ſi dicatur, donec, quouſq; & ſimilibus, & tũc ſubdiſtingui debet: ſi enim legatum continet cauſã ſucceſſiuam, præſumitur factũ pro ſingulis annis. Si verò continet cauſam momentaneam, tunc non cenſetur facta repetitio, ſed præſumitur tempus eſſe appoſitũ in gratiam debitoris.
Hæ ſunt ſententiæ, quæ hac de re circumfe-
6 runtur, quas cenſeo † probabiles, quando deſunt coniecturæ, ex quibus voluntas Teſtatoris colligi valeat, & remanet dubium de ipſius Teſtatoris mente.

§. XVII.

Legata ad piam cauſam, ſi forte inueniantur deleta in teſtamẽto, & non conſtet de intentione Teſtatoris, an præſumantur caſu adempta?

S V M M A R I V M.

1 *Legatum pium in tali dubio eſt ſoluendum ab harede.*

2 *Ius præſumit legatum in fauorem piæ cauſſæ, aut miſerabilium perſonarum.*

QVæſitum proponitur ad determinandum, an heres in eo caſu teneatur legata illa ſoluere, &
1 reſpondeo ✠ eſſe ſoluenda. ſic Doctores determinãt *in l. prox. ff. de his, quę in teſtam. delen.* & preſertim *Bart. in l. Si onus C. de teſtam. & alij*, quos adducit *Nouar. in praxi priuil. 69.* & ra-
2 tio eſt ipſum Ius, † quod in dubio, quando legatum eſt pium; vel factum miſerabilibus perſonis, in earum fauorem præſumit non cancellatum fuiſſe de mandato, ſeu voluntate Teſtatoris, ſed fortuitò, & caſualiter.

§. XVIII.

Caius reliquit legatum ſub conditione, ſi ipſe legatarius Religionem ingrederetur, in dubio, an legatum præſumatur pro ſolo ingreſſu, an verò pro profeſſione?

SVMMARIVM.

1 *Prima ſententia cenſet conditionem adimpletam fuiſſe.*
2 *Intelligenda eſt cum quadam limitatione.*
3 *Secunda ſententia oppoſitum docet.*
4 *Hæc vltima magis placet Authori.*
5 *Satisfit contrarijs argumentis.*

DVAS inuenio ſententias: prima
1 enim vult ✠ conditionem cenſeri adimpletam, ſtatim ac legatarius Religionem ingreditur inchoando nouitiatum, etiamſi poſtea egrediatur. ſic aſſerunt plures, vt *Iaſ. in l. Si quis hæredem nu. 13. C. de inſtitut. & ſubſtit. Ludou. Rom. in l. Permiſceri 52, S. ſpecies n. 4. ff. de acquir. poſſeſſ. Sanch. lib. 1, de matr. diſp. 34. n. 17. Meroll. in diſp. moral. t. 3. diſp. 6. cap. 8. dub. 10. n. 51. & alij apud ipſos.*
2 † hæc autem opinio intelligi debet cum ea limitatione, quã animaduertit Sanchez, videlicet, dũmodo ingreſſus in Nouitiatũ bona fide fiat, nẽpè, intentione experiẽdi onera, & exercitia Religionis, & egreſſus ſit iuſta de cauſa; aliter ſi legatarius ingrediatur animo obtinendi legatũ, & poſtea egrediatur, nõ poſſet legatum illud tuta cõſcientia cõſequi, quia mens Teſtatoris legatum nõ inſtituit ad actum vanũ, qualis eſſet ingreſſus ex animo ſolũ acquirẽdi legatum; eius .n. intentio fuit de ingreſſu in Religionem ſecundũ formã iuris, nimirũ vt ingrediatur legatarius bona fide. Hoc aũt modo declarata hæc ſentẽtia probari põt. Primò, *ex l. illa ſiquis hæredẽ ſuperius cit.* per quã ſtatuitur ſatis eſſe vt cõditio legato appoſita, ſemel vnico tẽporis momẽto adimpleatur. Secũdò, probatur, quia duo iſta, ingreſſus in Religionẽ, & Profeſſio ſe habẽt, vt duo diuerſa in iure Canonico, vt patet *ex cap. Benef. & cap. Qui poſt votũ de Reg. in 6.* igitur cũ Teſtator legãdo nõ fecerit mentionem, niſi de ſolo ingreſſu, & nihil dixerit de profeſſione, idcircò, poſito ingreſſu, adimpleta cẽſebitur cõditio, & ſic debetur legatũ; & cõfirmatur, quia in dubio preſumi debet, nõ aliã fuiſſe Teſtatoris mentẽ, niſi eã, quę p verba ſignificatur *ex l. labeo § idẽ iubero ff. de ſuppellec. legat.* Tertiò, probatur, paritate deſũpta ex voto, nã ſi quis voueat ingredi Religionẽ aliq̃, ſi de facto ingreditur, quãuis poſtea egrediatur, cẽſetur ſatisfeciſſe voto, ſi bona fide fuerit ingreſſus, & ratio eſt, quia iuxta formã iuris cõmunis niſi de intẽtione vouẽtis aliud conſtet, votũ de ingreſſu intelligitur de tempore Nouitiatus, q̃ cõceditur ad experiendũ modũ viuendi, cæteraſq; auſteritates in tali Religione; ergo à pari cõditio illa ingreſſus, quã Teſtator appoſuit, cũ legatum cõſtituit, interpretari debet iuxta diſpoſitionem iuris cõmunis; nam in dubio nunq̃ cenſendũ eſt Teſtatoris verba eſſe ita interpretanda, vt inducant exorbitans aliquod à iure. His argumentis confirmat Pater Sanchez hanc ſententiam, quam ipſe defendit.

3 At ſecũda ſentẽtia † oppoſitũ tuetur, videlicet, legatũ non deberi, ſi ille tẽpore Nouitiatus Religionẽ deſerat, quia cõditio prædicta à Teſtatore adducta intelligi debet cũ effectu, ac proinde vt legatũ iure optimo obtineatur, deberet legatarius profeſſionẽ emittere. Hanc ſententiam ſuſtinent *quãplures*, inter quos *Beroius cõſ. 28, lib. 1. Surdus lib. 1. deciſ. 303. Calder. tra. de Regul. conſ. 9. Pau. de Caſtro cõſ. 211. num. 1. vol. 2. Clarus in §. Teſtam. q. 78. n. 9. Imola in l. ſubſt. ff. de de vulg. Iaſ. ibi n. 11. Bart. in Auth. Si qua mulier n. 20. C. de Sacr. Eccl.* & vidẽdi ſunt alij *Doctores in Auth. ingreſſ. eod. Cod.* Probari verò poterit hæc ſentẽtia vltra rõnem tactã de cõditione cũ effectu adimplẽda, à pari; nã ſi fuerit legatũ relictũ vxori à viro ſuo cũ conditione, ſi vxor ipſa aſſumpſerit habitũ D. Franc. tertij ordinis, ſi verò vxor habitũ aſſumat, & poſtea illũ dimittat, legatũ minimè cõſequetur, igitur legatum factum ob ingreſſum in Religionẽ, ſi legatarius Religionem ingrediatur, poſtea verò eam deſerat, non conſequetur legatum, vt docet *Bald. in l. ſi quis hæredem n. 6. C. de inſtitut. & ſubſt. Salic. ibi n. 5.*

Ex his duabus ſententijs ſecũda † mihi magis
4 placet, & ad illã ducor; quia licet illa duo, ingreſſus, videlicet, & profeſſio ſint diuerſa; & ſiſtendo in ſolis verbis ex vno non deberet inferri aliud; attamen attendendo illa in ordine ad intentionẽ proferẽtis, & moraliter in ſubiecta materia, non ſẽper ſunt iudicãda diuerſa, & ideo dũ Teſtator relinquit alicui legatũ, ſi ipſe legatarius vel alius Religionem ingreditur, recta & ordinata teſtatoris intẽtio præſumitur eſſe ea, p q̃ exclu-

excludatur fraus; nã iudicandũ eſt, vt velit legatũ relinquere tali modo, vt fraus vitetur; ſi aũt cõditio adiecta explicetur de ſolo ingreſſu, actio ipſa eſſet fraudibꝰ expoſita, quia ſæpe euenire poſſet, vt aliq; ad lucrandũ legatũ Religionẽ ingrederẽt, & inea paucis diebꝰ immorãtes egrederẽtur, & licet dicatur in tali caſu nõ poſſe legatũ tuta cõſci étia obtineri ab eo, qui tali animo ingreditur, hoc tñ nõ videtur ſufficere, quia non euitarẽtur fraudes; nã aliqui parũ cautæ cõſcientiæ non curarent legatũ iniuſtè cõſequi; & ſaltẽ negari nõ poterit legatũ ſub cõditione ſolius ingreſſus, eſſe fraudibus ſubiectũ; & nõ præſumitur, q teſtator voluerit inſtituere legatũ obtinendũ per actionẽ fraudibꝰ expoſitã: idcirco cõcluditur cõditionẽ adiectã, eſſe ita interpretãdã, vt legatũ ſit obtinendũ per actionẽ fraudes excludentẽ, & cũ hæc ſit rationabilis, & ordinata mẽs legãtis, ita erit pſumẽdũ

5 Ex hac doctrina faciliime † ſoluũtur argumẽta cõtrariæ ſentẽtiæ. Et ad primũ deſumptũ *ex l. ſi quis hæredẽ*, reſpõdeo in ea lege ſolũ ſtatutũ fuiſſe, vt quãdocumq; cõditio adiecta fideicõmiſſo, aut legato poſita fuerit, cenſenda ſit cõpleta; hoc aũt à nobis nõ negatur, ſed dicimꝰ in caſu noſtro per ſolũ ingreſsũ nõ cenſeri poſitã, & cõpletã cõditionẽ, q̃ teſtator adiecit legato, quia præſumitũ voluiſſe, ita apponere cõditionẽ, vt excluderet periculũ fraudis. Ad ſecundũ cõcedo illa duo, vt dicta ſumi in Sacris Iuribꝰ, & in Iure Ciuili, ſed addo in caſu nr̃o, & moraliter, in ordine ad mẽtẽ teſtatoris pro eodẽ eſſe ſumẽda ob rõnem aſſignatã. Ad confirmationẽ dico in dubio mentẽ teſtatoris eſſe explicandã per verba ab ipſo teſtatore plata, at non quomodocũq; ſed moraliter, & pẽſatis omnibus ſeu in ordine ad rectã, & prudentẽ diſpoſitionẽ, quæ intẽta præſumitur ab ipſo teſtatore. Ad tertiũ, q procedit ex ſimilitudine voti, nego paritatẽ, & diſparitas colligitur ex doctrina tradita; nã vouẽs ingreſſũ Religionis præſumitur promittere ingreſſũ illũ; qui ordinariè exercetur, nẽpè ad experiẽdas Religionis auſteritates; idcirco ſi quis bona fide ad votũ adimplendũ ingrediatur, & poſtea progreſſu tẽporis agnoſcat non poſſe miniſterijs Religionis ſe accõmodare, ſi exeat, cẽſebitur ſatisfeciſſe voto, & præſertim, quia obligatio iſta eſt ſtricti iuris, atq; adeo reſtringenda; proinde de ſimplici, & puro ingreſſu exiſtimandũ eſſe votũ; & addo in voto adimplẽdo nõ eſſe periculum fraudis, ſicuti eſt in legato acquirendo, idcirco erit longè diſpar ratio.

§. XIX.

Si Eccleſia, in qua eſt Cappellania, violeẽ, aut deſtruaẽ, in dubio de mẽte fũdatoris, an alibi ſit celebrãdũ?

S V M M A R I V M.

Caſus contingit ſequuta morte Teſtatoris.

In dubio applicandum eſt pro anima Teſtatoris

CAſus cõtingere poterit † ſequuta Teſtatoris morte, & quando, omnibus perſpectis, dubia eſt eius mens, an .ſ. in inſtitutione illa intenderit per ſe cultum Dei, an verò fructum ſacrificij applicandum pro anima ipſius Teſtatoris.

2 Ad hoc quæſitũ reſpondeo. † In dubijs præſumẽdum eſſe principalius voluiſſe fructũ ſacrificij pro ſua anima, vel ſuorũ defunctorũ, q̃ illius loci particularis venerationẽ; ideoq; debet alibi celebrari à Cappellano ſacrificiũ pro anima Teſtatoris, vel ad eius intentionẽ ſic determinat *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 24. qu. 4. Fraxinell. de oblig. Sacer. ſec. 4. con. 4. §. 11. Barb. de poteſt. Epiſ. p. 2. alleg. 24. n. 35. Dicaſt. in tr. de Sacr. diſ. 21. ſec. 2. n. 42*

§. XX.

Si ambigatur, an Qualitas legato adiecta, ſtet demonſtratiuè, an potius taxatiuè quid iudicandũ?

S V M M A R I V M

1 *Supponuntur ea, quæ apud Iuriſtas habẽtur de ſigno, q diſpoſitioni adijcitur, & vim retinet demonſtrãdi, vel reſtringendi diſpoſitionẽ ipſã.*

2 *Præmittitur terminorum declaratio.*

3 *Signũ diſpoſitioni adiectũ, ſi ſtat ſolũ demonſtratiuè nõ officit Valori diſpoſitionis: Si verò taxatiuè ſumatur, & res, de qua eſt diſpoſitio nõ extat, inualidam reddit diſpoſitionem.*

4 *Proponitur communis regula à Doctoribus tradita, ad agnoſcendum, quando legatũ demonſtratiuè, quãdo verò eſt taxatiuè interpretandũ*

5 *Refertur quorumdã opinio, exiſtimantiũ regulam prædictam eſſe fallacem, & iuri repugnantẽ*

6 *Ius Regulæ non contradicit.*

7 *Quãdo cõſtat mẽs diſponẽtis nõ eſt de Regula curandum,*

8 *Rectus eiuſdẽ regulæ ſẽſus ab Authore aperitur.*

9 *Num in legatis pijs regula locum habeat?*

10 *Narratur cauſa Neapoli exagitata, & indeciſa de valore regulæ in legatis pijs.*

11 *Sententia Authoris explicatur.*

1 SVpponenda ſunt in præſẽtia ea oĩa † quæ à Iuriſtis expẽduntur, de ſigno q diſpoſitioni adijcitur, & præcipue in materia legatorũ. Num demonſtrationẽ, an potiùs reſtrictionem inducat? ſeu, vt dici ſolet, ſumendũ ne ſit demonſtratiuè an taxatiuè? Vterq; n. modus apertè habetur in iure ciuili, & præcipuẽ *in rubrica de legatis*, & *in l. Demonſtratio falſa; de condit. & demonſtr. & alibi*; iura iſta diſtinctè referuntur *à Franc. Merlino in contr. forenſ. cent. 2. cap. 82. num. 1.*

2 Pro intelligẽtia verò terminorũ; † declarationẽ præmittimus. Per demonſtrationẽ aũt, in hac materia, intelligunt Authores, appoſitionẽ cuiuſdã ſigni, q diſpoſitioni adhibetur, & affigitur, & exprimit corpꝰ; ex quo, diſpoſitio v. g. legatũ, adimpleri debeat: nomine aũt corporis in præſẽtia, intelligitur locus, in quo eſt repoſita res legata, aut prædiũ, ex cuius fructibus legatũ eſt ſoluendũ, aut

3 deniq; perſona, à qua fieri debet ſolutio, vt exẽplis mox adducendis manifeſtũ fiet. v. g. Si quis dicat; lego Ioãni centũ aureos, quos habeo in arca; vel quos mihi Paulus debet; vel ex fructibus meæ vineæ: &c. Tunc deſignatio loci, in quo reperitũ pecunia, aut deſignatio perſonæ, à qua pecunia eſt ſoluẽda, aut demũ deſignatio fructuũ, ex vinea

appellatur demõſtratio, ſeu ſignũ, per ꝙ legatariꝰ ſibi ſatisfacere poſſit, & res ipſa, à qua fieri debet ſolutio appellatur corpus. Quando aũt tale, aut ſimilẽ ſignũ legato, ſeu alteri diſpoſitioni, minimè apponitur legatũ dicitur purũ, & abſolutum.

Rurſus ſupponendũ eſt, ꝙ Iuriſtę cõmuniter do
3 cẽt, .ſ. quãdo ſignũ adiectũ † ſtat ſolũ demõſtratiuè, tũc ſi res, de qua eſt legatũ, nõ extet, legatum nõ corruit, ſed Hæres tenebit illud aliũde ſoluere, ex alijs nimirũ bonis hæreditarijs, quia ſignũ illud nõ fuit appoſitũ reſtringẽdi cauſſa legati, ſed oſtendẽdi, & ſubminiſtrãdi gratia modũ, quo legatum ſit ſoluendũ: cõtra verò ſi ſignũ adiectũ ſtat taxatiuè, ſeu cõditionaliter, re illa, de qua eſt diſpoſitio, nõ exiſtẽte, peribit legatũ; quia ſupponit affixũ tali rei, ſeu tali corpori, & cõſequẽter hæres nõ erit aſtringẽdus aliũde recõpenſare: & de hac re fere nulla eſt difficultas. Labor aũt cõſiſtit in declarãdo, qua rõne procedere debemꝰ, in caſibus particularibus, ad determinandũ; num legatũ ſtet demõſtratiuè, an verò reſtrictiuè, ſeu taxatiuè, vt videre eſt apud DD. qui de hac materia pertractãt,
4 tũ antiqui, tũ recẽtiores. † Cõmunis aũt regula ea eſt; nimirũ, quãdo in vna oratione præcedit diſpoſitio, v.g. ſubſtãtia legati, poſtea verò in alia oratione, apponitur corpus, ſupra ꝙ, vel ex quo legatũ ſolui debet; tũc ſignũ explicãs corpꝰ ſtabit ſolũ demõſtratiuè, ſeu exẽplificatiuè, & nõ limitat legatũ; at ſi diſpoſitio, vnica eadẽq; oratione comprehendit, & ſubſtãtiã legati, & ſignũ; ſeu id vnde ſolui debeat; tũc legatũ erit taxatiuè, & reſtrictè ſumendũ. Sic paſſim DD. & præter veteres; vt ſunt *Barth. Dec. Caſtr. Io. Garçias, Surd. & alij*: habemus quoq; recẽtiores, ſũt .n. ex noſtris *Mol. de iuſt. tr. 2. diſp. 211. Sanch. in conſ. lib. 4. c. 2. dub. 17. ex alijs Io. de Caſt. Sotomaior in cõtr. iur. lib. 4. c. 54. Andr. Tiraq. de Priuil. piæ cauſſæ, priu. 267. Scipio. Rouitꝰ in dec. Sup. Trib. Neap. dec. 57. Franciſc. Merl. in cõtr. for. cent. 2. cap. 84. Chriſtoph. de Suelues in conſil. deciſ. conſil. 17. & alij.*

5 Regulã, ſuperius dictã; quærũt aliqui † eneruare, conãtes ꝓbare fallacẽ eſſe; vt *Io. del Caſt. Garz. & Merl.* aiunt .n. inueniri aliqua iura, in quibus ſub vnica oratione legatũ, & ſignũ apponitur, & tñ legatũ dicitur demõſtratiuũ, & nõ taxatiuũ, ſic *in l. Quidã teſtam. de leg. 1. L. Firmio ff. Quã dies leg. ced.* Cõtra verò alia inueniũtur iura, in quibꝰ ſub duplici oratione habetur legatũ, & ſignũ, & tñ taxatiuum fuit à Iuriſcõſulto exiſtimatum, ita in *L. Paulo Callimaco §. fin. de leg. 3.*

6 Sed hi Authores nõ rectè id aſſerere poſſunt, qa in iuribus allatis nihil cõtra regulã habetur; nã in *l. Quidã teſtam.* Legatũ, & ſignũ; nõ in vna, ſed in duplici ponuntur oratione; ſic .n. ait Teſtator: *aureos quadrigẽtos Pãphiliæ dari volo*; en tibi vnã orationẽ, in qua eſt ſubſtãtia legati: poſtea ſubdit teſtator, *vt infra ſcriptũ eſt à Iulio actore tot aureos, & in caſtris quos habeo, tot, & in numerato quot habeo*, ecce tibi ſecundam orationem, in qua ponitur corpus.

Ad L. Firmio. aio, legatos fuiſſe quingẽtos aureos ſoluẽdos, ex redditibus prædiorũ futuri anni, quæ verba nõ fuerant addita, vt cõditio; ſed vt deſignatio tẽporis, vt *Gloſ. aduertit*, ideoq; demonſtratiuum, & non taxatiuum fuit legatum.

Demũ *ad L. Paulo Callimaco.* Reſpõdeo in ea lege ſolũ referri, ſubſtãtiã legati ſoluẽdi à Colono expẽſionibus fũdi, nõ aũt referri verba, ſub quibus legatũ, fuit relictũ: proinde cũ forma ſit incerta; nõ potuit *Merl.* determinatè aſſerere ſub duplici oratione fuiſſe diſpoſitũ. Ex his igitur patet nihil in iure contra communem regulam inueniri, vt autem regulam dilucidemus.

Animaduertendũ eſt, ꝙ cũ regula vnius, aut duplicis orationis, ab Authoribus proponitur ad cognoſcendũ; vtrum diſpoſitio demõſtratiuè, an taxatiuè ſit interpretãda; id nõ debet nudè, & ſimpliciter intelligi ſumẽdo vnitatẽ, & dualitatẽ orationis, iuxta præcepta grãmaticæ, aut logicæ; ſed iuxta ſẽſũ intẽtũ à iure, & à primis Authoribꝰ, qui
7 regulã inuenerunt, nobiſq; tradiderũt, † quæ regula locũ habet, quãdo nõ cõſtat volũtas diſponẽtis ea tñ cõſtãte nõ eſt recurrẽdum ad regulã, ſed adimplẽda mẽs teſtatoris; quãdo aũt intẽtio teſtatoris eſt ãbigua, tũc vtimur regula. Hoc aũt præmiſ-
8 ſo. Aio, † eſſe notãdũ: an ſubſtãtia diſpoſitionis; videl. legati, & corpꝰ, ex quo, vel ſupra ꝙ legatum ipsũ expleri debet; ſtẽt ſeorſim, ꝑ ſe, an verò ita ſit alligata, & inuicẽ affixa, vt ſeparatim, nequeãt habere cõpletã ſignificationẽ: v.g. dicat teſtator; lego Ioãni cẽtũ aureos ex fructibꝰ vineæ, vel ex pecunia, ꝙ̃ Petrꝰ mihi debet; tunc et ſi grãmaticaliter duæ videãtur orationes, vt de ſe patet; nihilominùs ſecundũ iura vna exiſtimatur oratio: quia illa in qua deſignatur corpus, nẽpè pecunia, nõ ſtat ꝑ ſe, & ſeparata ab alia, in qua ponit legatũ, nõ hoc ſensũ ꝑfectum; atq; adeo legatũ ſumit reſtrictiuè, ſeu taxatiuè, & ſic pereunte corpore corruit legatum, ꝙ erat tali determinato corpori affixũ: cõtra verò ſi teſtator dicat, lego Ioãni centũ aureos, & volo vt ſoluãt ex pecunia ꝙ̃ debet mihi Petrꝰ; vel ex fructibꝰ vineę, in hac diſpoſitione, legatũ, & corpus cõtinẽtur in duplici oratione, & quælibet ſtat per ſe, vt patet cõſiderãti; ideoq; deficiẽte corpore, nõ perit legatũ qa eiꝰ ſubſtãtia in diſpoſitione ponit cõpleta, & à corpore, ꝙ ſubſequit eſt independẽs, & ſolũ corpꝰ exprimit, quoad exequutionẽ tñ ipſiꝰ legati, & nõ, vt eiuſdẽ legati ſubſtãtiã afficiat. Hæc mihi vident dicẽda ꝓ cõfirmatione regulę ꝑdictę, q̃ cum fere ab oĩbus antiquis, & recẽtioribꝰ recepte fuerit, debuimꝰ eã ita declarare, vt plauſibilis, & rõnabilis videretur; modo aũt ꝑdicto explicata, argumẽtum eã deijciẽs nõ apparet.

9 Quæres, † vtrũ legata pia tale habeãt priuilegiũ vt qualitas q̃ reddit legatũ taxatiuũ, ſi res, ſupra q̃ eſt cõplendum, nõ extat, hoc nõ obſtãte, debeatur ab Hærede, & quoad effectũ ſe habeat vt demonſtratiuũ? Aliqui partẽ affirmantẽ tuẽtur, & citari ſolet *Rom. in ſing. 435. & quidã alij apud Rouitũ dec. 57. cit. n. 2.* Sed oppoſitũ ſuſtinet; *Io. Del Caſt. 74. cit. n. 11. ver. cat. aduocati. Tiraq. de priuil. piarũ cauſſarũ. priu. 267. ver. (tñ qa clare.)* Rouitꝰ
10 verò ait cauſã hãc † exagitatã fuiſſe Neapoli inter hæredẽ cuiꝰdã Pitri; & Domũ Profeſſã Soc. Ieſu eiuſdẽ Vrbis, & cũ fuerit paritas votorum; idcirco
11 cauſſa indeciſa remãſit. Ad reſpõſionẽ † verò huiꝰ quæſiti, aio, mihi videri ꝓbabiliꝰ, regulã ꝑdictam militare ẽt in legatis pijs, tũ qa in iure talis diſtinctio inter piũ, & nõ piũ, quoad hoc punctũ, nõ inuenitur, tũ ẽt qa regula iſta eſt ſecundũ ꝓſumptã teſtatoris voluntatẽ, q̃ eſt ſeruãda, & ꝓtercuda ẽt piæ diſpoſitioni; & hęc ꝓ ꝓ ñti q̃ſitu dicta ſufficiant.

§. XXI.

§. XXI.

Hæres prudenter ambigens, an ſacrificia pro anima Teſtatoris debita à Sacerdote, peracta, aut applicata fuerint, tenetur ne iterum ea celebranda curare?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur exemplum.*
2 *Ratio, quæ videtur hæredem obligare, aperitur.*
3 *Eximitur hæres ab Authore.*
4 *Prima ratio negans obligationem deſumitur ex bona fide.*
5 *Vt argumentis ſatisfiat, duo ab Authore præſupponuntur.*
6 *Secunda ratio deducitur ex adimpleta Teſtatoris voluntate.*
7 *Reſpondetur ad rationem dubitandi pro contraria ſententia.*

1 SORTES quamdam Titij hæreditatem adijt, cum onere tot erogandi eleemoſynas, quot ſuffecturæ fuiſſent, vt vnoquoq; die pro anima ipſius Titij Sacrificium Deo cõficeretur; proindè ſuæ obligationi ſatisfacere volens, aſſignauit Caio Sacerdoti triginta aureos, ſingulis annis ſoluendos, iuxta conſuetum, & legitimum ſtipendium, vt Sacra in teſtamento à Titio preſcripta peragerentur; & ſic per tres circiter annos ſeruatum fuit: accidit, vt Caius Sacerdos apud Sanctę Inquiſitionis Tribunal in crimen hæreſis vocaretur, negabat enim animæ humanæ immortalitatẽ, tandem vt hęreticus formalis per definitiuam ſententiam declaratur, & condemnatus fuit. Ex tali autem euentu Sortes hæres in vehementem incidit ſuſpicionem, Sacra illa à Caio minimè celebrata, aut ſaltem applicata nequaquam fuiſſe, veriſimile enim ſibi non videtur hæreticum illum voluiſſe Miſſas offerre pro anima, quam vna cum corpore deſijſſe cenſebat; perindè enim fuiſſet, ſecundum huius praui hominis errorem, ac ſacrum miniſterium offerre pro anima equi. Quærit ergo Sortes, an tali exiſtẽte dubio, obſtringatur iteratis eleemoſynis curare, vt alia Sacrificia, loco prædictorũ, de quibus omiſſa fuiſſe grauiter ambigit, pro anima Titij teſtatoris conficiantur.

Caſum hunc his diebus præteritis eueniſſe teſtificatus mihi eſt quidam Eccleſiaſticus in dignitate conſtitutus, inquirens à me, quid de
2 re hac ſentirem: Ratio autem, † ob quam Sortes hæres videri alicui poſſit obligandus, deducitur ex principijs cõmunibus, ſæpè in hoc tractu repetitis, & ab Authoribus communiter receptis, videlicet obligationem ex parte Sortis eſſe certam, & fundari in contractu, nempè in adita hæreditate, ſatisfactionem verò ad minus eſſe dubiam, ergo obligatio illa non cenſebitur extincta, proindè Sortes erit obligandus.

3 His tamen minimè refragantibus, † dicendum eſt, Sortem à tali obligatione eſſe omninò liberandum, atq; adeò ſuo muneri ſatisfeciſſe: ita nonnulli viri docti de re hac conſulti: nihilominus variant in aſſignandis rationibus, pro hac ſententia firmanda; eas verò placet referre, & expendere, vt ad extremum, quæ efficacius concluſionem probat, eligatur.

4 Prima ratio eſt, † bona fides ſecundum quam Sortes ſe geſſit in diſtribuenda eleemoſyna; proindè non videtur obſtringendus, ad iteratam ſolutionem, ſed ratio illa, niſi aliud addatur, non placet, quia videtur potius fauendum creditori, quam debitori: in pari enim cauſſa potior illius, quàm iſtius eſt conditio.

Secunda ratio parùm à prædicta differens fundatur in opinione quorumdam, aſſerentium, debitorem ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi per probum Cõfeſſarium, aut Parochum tranſmittat pecuniam debitam ad creditorem, quamuis Confeſſarius de facto illam non ſoluat, ſed ſibi eam applicet; quam ſententiam ſuſtinuit *Cenedus apud Dianam par. 2. tract. 17. reſol. 2.* & probabilem exiſtimat *Trullench in decal. lib. 7. cap. 14. dub. 11. nu. 13.* & nouiſſimè tuetur poſt longum examen contrariarum opinionum *Ioan Eſcobar de vtroq; foro tract. 1. art 3 §. 7. n. 215.* Si igitur Sortes huic opinioni adhærere voluerit, poſſet à prædicta obligatione ſe eximere, cum omninò ſimilis ſit caſus, vel diſſimilis, ſi ſit, magis pro noſtro, quàm pro illo militat ratio.

Verumtamen licet pauci ſententiam hanc recipiant; nihilominus alii communiter eam reiiciunt, quando res, quę reſtitutioni eſt obnoxia non in ſpecie, vt loquuntur Iuriſtę, ſed in genere eſt reſtituenda, & philoſophicè loquendo, non eadem numero, ſed alia, aut alia, qualis pręſertim eſt pecunia, vt docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 16. dub. 6. ex S. Antonino, Petro Nauarro,* & hoc cenſeo manifeſtum ex illo principio, quod res ſi perit, domino pereat, ideoq; pecunia alicui nuntio aſſignata, quem ipſe debitor, & non creditor elegit, ſi pereat apud Nũtium, antequam à creditore acceptetur; nulla prorſus apparet ratio, cur perire debeat in damnum creditoris, & non debitoris, cùm potior debeat eſſe conditio illius, quàm iſtius, ſub cuius dominio perſiſtit pecunia. Hac ratione autẽ omiſſa.

Tertia ratio tali diſcurſu procedit: Quamuis Caius Sacerdos negauerit immortalitatẽ animæ; atq; adeò non videatur potuiſſe directè applicare Sacrificiũ pro anima Titij Teſtatoris, poſito tamen, quod verè, & validè ſacrum peregerit, credibile eſt illud obtuliſſe in genere, ſecundum intentionem hæredis, à quo ſtipendiũ accepit, & hoc ſatis, ſuperq; eſſe videtur; ità Eccleſiaſticus ille, in cuius gratiam confirmo eius argumentum; nam fiat, vt quis exerceat actionem

aliquam, quæ ſuum valorem ſortiatur, quamuis ipſe agens vanam exiſtimet illam, nulliuſq; valoris; quod poſſumus oſtendere ex facto illo S. *Geneſij Scenici*, qui volẽs in ludibrium Sacra Eccleſiæ miniſteria cum irriſione adſtantium repræſentare, ſinit more Chriſtianorum ſe ab alio baptizari, & quia Baptizans intentionem habuit, actionem illam, ſecundum intentionem Eccleſię Chriſtianæ, exercere, quamuis tali miniſterio fidem non habuerit, nihilominus validus fuit Baptiſmus ille: ità in caſu noſtro contingere potuit, ſcilicet ab hæretico Sacerdote, minimè credente, animam illam, pro qua erant ſacrificia applicanda, in rerum natura exiſtere; nihilominùs quamdam in eodem credi poteſt fuiſſe generalem intentionem faciendi ſacrum iuxta intentionem Sortis, atq; adeò nihil impediente errore intellectus, vtiliter pro anima Titij Sacram Hoſtiam oblatam fuiſſe.

Cæterum hęc, quæ dicuntur, non ſunt efficacia, quia ſolùm coniecturæ ſunt, & valdè incertæ, ideoq; certę obligationi ſatisfacere nequeũt, proindè animus ſuſpenſus manet. Quapropter his omnibus argumentis omiſſis, rationem, quę validius, ni fallor, probat intentum, in medium
5 afferam: † ſed prius duo ſunt mihi ſupponenda. Primò, Caium Sacerdotem à Sorte fidelem, rectæq; conſcientiæ exiſtimatum fuiſſe, aliàs ſi de eius improbitate aliquid ſciuiſſet, aut dubitaſſet, ceſſaret controuerſia: in tali enim caſu Sortes eſſet obligandus ad Miſſas illas reſarciẽdas, quia minus prudenter ſe geſſiſſet. Secundò, Supponendum eſt, in re præſenti duas eſſe conſiderãdas actiones, immediatã vnam, mediatam alteram, illam eſſe erogationem eleemoſynæ Sacerdoti faciẽdam; iſtam verò, nempè mediatam, eſſe ipſam Miſſarum celebrationem à Sacerdote exequendam. Hoc præhabito, ſic probo concluſionem.

6 Sortes erogando † legitimam eleemoſynam Caio Sacerdoti eo fine, vt Miſſæ celebrarentur, ſufficienter impleuit voluntatem Titii Teſtatoris; ergo eſt omninò ſoluẽdus ab onere, &c. patet conſequentia. Antecedens verò ſic oſtenditur. Diſpoſitio teſtatoris in ordine ad Sortem hæredem terminabatur tantùm ad primam illam actionem, & non ad ſecundam, quamuis vtramq; ab ipſo Titio Teſtatore intentam; igitur Sortes erogando eleemoſynam, &c. ſufficiẽter voluntatem Titii Teſtatoris impleuit: difficultas tota conſiſtit in hoc vltimo antecedente; Si enim probauero per diſpoſitionem illam, vt præciſè terminatam ad Sortem, non fuiſſe intentam, niſi primam illam actionem, omnia clara, & manifeſta remanebunt, probo igitur illud antecedens: Non poterat Titius vi prædictæ diſpoſitionis aliud exigere onus à Sorte, præter fidelem eleemoſynæ diſtributionem eo fine, vt Sacra peragerentur, cùm enim Sortes non fuerit Sacerdos, & hoc Titio diſponẽti innotuerit, non poterat vi huius diſpoſitionis aliam actionem exigere à Sorte. Igitur Sortes erogando eleemoſynam, ſufficienter voluntatem Titii Teſtatoris impleuit. quod erat antecedens probandum. Et confirmatur exemplo: Si quis diſponat, vt hæres à ſe inſtitutus, ſoluat centum alicui perſonæ talis nationis, aut generis, cum onere, vt ipſa perſona, cui facienda eſt ſolutio, aliquam in vtilitatem diſponentis exerceat actionem V.G. ieiunet, oret &c. ſanè hęres iſte ſuo muneri ſatiſfacit ſoluendo centum perſonę habenti conditionẽ, & qualitatem illam à teſtatore pręſcriptam, & ad ipſum minimè pertinet exequutio, nempè, curare, vt alia perſona ieiunet, preces fundat, &c. & hoc quia exequutio illarum actionum non fuit impoſita hęredi, ſed perſonæ ab ipſo eligendæ: Sic dum Titius diſponẽs cõmiſit Sorti hęredi, vt eleemoſynam daret tali perſonarum generi, videlicet Sacerdotibus, neminem in particulari determinãs, exequutio, ſeu actio intuitu eleemoſynę fuit impoſita Sacerdoti electo; igitur Sortes fideliter diſtribuens, ad nihil aliud renetur, quia actionem ſibi impoſitam plenè perfecit; celebratio autem fuit onus impoſitũ Sacerdoti eligendo: & ex his patet diſparitas inter caſum noſtrum, & illum de debitore conſignante pecuniam Confeſſario ſoluendam creditori; nam in caſu iſto nulla præceſſit neq; explicita, neq; implicita volũtas creditoris, vt pecunia ſibi debita aſſignaretur Confeſſario, & periculum amiſſionis ſtaret pro ipſo creditore; ſecùs in caſu noſtro, in quo, vt oſtendimus, implicitè ſaltem fuit voluntas Titii Teſtatoris, vt Sortes hęres conſignaret eleemoſynam alteri, nempè Sacerdoti per ipſum hæredem eligendo; & ſic nulla inter vtrumq; caſum eſt paritas.

Ad fundamentum autem initio poſitum; pro ratione dubitandi in contrarium ex doctrina
7 tradita facilis eſt ſolutio, † concedimus enim obligationem Sortis hæredis fuiſſe certam, negamus tamen ſatiſfactionem fuiſſe incertam, quoniam, vt oſtendimus, ſatisfactio ponenda à Sorte nõ erat alia, niſi fidelis diſtributio eleemoſynæ, nempè erogatio facienda Sacerdoti, qui ſecundũ prudentem exiſtimationem bonæ cõſcientię iudicaretur; hanc autem ſatiſfactionem à Sorte poſitam fuiſſe ſupponitur, & exequutionem non ab ipſo, ſed à Sacerdote fuiſſe requirendam. Et hæc eſt mea ſententia.

§. XXII.

Legata ſtrictam ne, an vero latam poſtulent interpretationem?

SVMMARIVM.

1 *Varia legum, & Doctorum placita difficilem reddunt quæſtionem hanc.*
2 *Prima opinio ſtrictam legatis explicationem concedit.*
3 *Aliqui id limitant ad legata pia.*

4 Se-

4 *Secunda opinio amplam omnibus legatis concedit interpretationem.*
5 *In hac materia certam dare nequimus regulam.*
6 *Legata prophana ſtrictè eſſe declaranda ſentit Author.*
7 *In dubijs magis dilectus heres, quàm legatarij cenſentur.*
8 *Legata pia amplam habent expoſitionem.*
9 *Rectè lex Titia explicatur.*
10 *In eius explicatione diuerſa Codicum lectio decepit aduerſarios.*
11 *Inſtantia paritatem ſuadens proponitur.*
12 *Oſtenditur diſparitas.*

1 DIFFICILEM, & valdè implicitam aggredimur quæſtionem, tum ob varietatem iurium, quæ nunc pro vna, nunc pro alia parte controuerſiæ loqui videntur; tum etiam quia Authores inter ſe contrarias tuentes ſententias, & plures ſunt, & magni nominis. Cæterum quid mihi probabilius videatur, in medium afferam, opiniones prius adducendo.

2 Prima autem ſententia cenſet legata eſſe † preſsè explicanda, quia non fauorabilia, ſed odioſa exiſtimari debent, cum in damnum hæredis cedant. Sic *Decius in regulis iuris, reg. In teſtam. num. 3. Alciatus conſ. 44. num. 14. in fine. Natta conſil. 402. num. 59. Rolandus à Valle conſil. 16.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 198. num. 9. &* ibi dicens in dubio minimum eſſe cogendum, *Menochius de arbitr. lib. 1. quæſt. 99.*
3 *num. 14.* † cum aliqua limitatione. *Trullench. in decal. lib. 7. cap. 18. dub. 32. num. 4.* loquens de legatis pijs; & alij apud ipſos.

4 Secunda ſententia † oppoſitum ſuſtinet, vult enim legata non ſolum pia, verum etiam prophana eſſe amplè declaranda, quia fauorabilia. Citatur *Bartho: in L. Si tutelæ: in §. (hoc autem legatum) ff. de leg. 1. & in L. Si quis ita ff. de auro, & argento legato. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 19. num. 24 Mantica lib. 7. de Coniect. vlt. vol. tit. 1. per totum. Merolla tom. 3. diſput. 6. cap. 6 dub. 3. corol. 5. num. 208. & alij.*

5 Pro ſolutione huius difficultatis ſupponendum eſt, certam, † & vniuerſalem regulam de re hac minimè dari poſſe, quia omnes Doctores conueniunt in hoc, videlicet, legatum aliquando amplè, aliquando verò ſtrictè eſſe interpretandum, & quando eſt obſcurum, eſſe recurrendum ad coniecturas, vt mens legantis deprehendatur, quales ſunt conſuetudo patriæ ipſius Teſtatoris, nempè quo pacto verba illa, ſub quibus fit legatum in ea regione ſolent explicari; Rurſus attendenda eſt conditio, & dignitas ipſius legatarij, dilectio legantis erga legatarium, coniunctio ſanguinis, & demum conſideranda ſunt antecedentia, & conſequentia, vt ex ipſis colligatur, quantum fieri poterit, Teſtatoris intentio, & ſemper interpretatio talis eſſe debeat, ne legatum inutile efficiatur, hæ, & ſimiles coniecturæ, quas fusè declarat *Menochius lib. 4. præſumpt. 106. per totam, & Gomez var. reſol. tom. 1. cap. 12. num. 29.* ſunt diligenter inſpiciendæ, vt dubium verſans circa ipſum legatum euincatur; & de hoc non procedit noſtra difficultas; locum enim habet, quando omnibus accuratè perpenſis mens dubia manet, ità vt nequeat iudicium ferri.

Dico igitur primò. Si legata ſunt propha-
6 na, † ſtrictè in dubio, ſunt explicanda, & in hoc conuenio cum Authoribus primæ opinionis, quę probari poteſt ex *iure Ciuili L. nummis 75. ff. de leg. 3.* vbi deciditur, quod ſi quis nummos indiſtinctè legauerit, legatum eſſe perſoluendum nummis minoribus, niſi aliundè conſtet oppoſitum de mente Teſtatoris, & ſic legatum ſtrictè fuit explicatum; & ratio eſt, quia præſumi debet, quod Teſtator, quàm minus fieri poteſt, grauare voluerit hęredem, & in dubijs
7 pręſumitur ipſe hęres legatarijs † magis dilectus, proindè exiſtente vndiq; ambiguitate de mente Teſtatoris, legatum, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, cenſendum erit odioſum, atq; adeò iudicandum erit potius in fauorem hęredis, quam legatarij.

Dico ſecundo. Quando legata ſunt pia, & redundant in Dei obſequium, & in vtilitatem ſpiritualem Teſtatoris, cenſeri debent fauora-
8 bilia, proindè in dubio † amplam admittunt interpretationem. Hęc eſt ſententia valde recepta, & præter Authores pro ſecunda opinione ſuperius laudatos, eidem adhęret *Menochius præſumpt. cit.* qui licet velit legata ſtrictè eſſe explicanda, quibuſdam exceptis caſibus, excipit *num. 33.* legata pia in fauorem animæ, & Religionis. probatur autem concluſio *ex L. Titia Teſtamento §. Seia. ff. de auro, & argento legato*, & quamuis nonnulli adducant textum hunc pro contraria ſententia, ob rationem mox dicendam, nihilominus non eſt ita; verum
9 vt hoc explanetur, † aduertendum eſt in eo textu referri diſpoſitum fuiſſe à Seia per ſuum teſtamentum, ſi ipſa ſuperuiueret, ſe facturam fuiſſe ſignum Dei, id eſt, imaginem ex libris centum, quę erant in Sacra æde, ſi vero ex hac vita migraret, onus id faciendi ſuo hęredi impoſitum fuiſſe, ſed ipſa Seia moriens non declarauit, an imago erat ex auro, argento, vel ære cōſtruenda, idcircò meritò dubium reſultauit, ex qua materia erat facienda; deciſum vero fuit ex argento eſſe ſtruendam ab hęrede ipſius Seiæ: vis autem argumenti ex hoc textu colligēda eſt, quia cum in templo illo non fuerint reperta niſi dona ærea, argentea, diſpoſitio iudicata fuit fauorabilis, atq; adeò ex materia pretioſiori, qualis eſt argentum reſpectu æris.

Sed dices, oppoſitum ibi ſtatutum fuiſſe colligi ex *eadem lege*, nam dubitatio fuerat, an ſignum, ſeu imago fieri debuiſſet ex auro, aut argento, vt expreſsè habetur ab ipſo textu, & quia hoc non obſtante, arbitratum fuerit ex argēto, quod comparatione auri eſt minus pretioſum; idcircò videtur legatum non fuiſſe exiſtimatū fauorabile, ac proindè preſsè declaratū.

Rei-

Reſpondeo, negādo in ea lege deciſum fuiſſe oppoſitū ſententiæ, quam ſuſtinemus: ſi enim attētè conſiderentur, quæ ibi referūtur, veritas deprehendetur: dicimus itaq; quod quamuis in *quæſito illius paragraphi* tres illę materiæ fuerint propoſitæ, nempè aurum, argentum, & æs; nihilominus Iuriſconſultus non potuit decidere imaginem ex auro eſſe faciendam, quia hoc non erat iuxta mentem Seiæ Teſtatricis, ipſa enim deſignauit materiam illam, quæ in Sacra æde reperiebatur, hæc autem duplex erat, videlicet, argentea, & ærea; proindè hæredes Seiæ non erant compellendi ad eligēdam aliam materiam diuerſam ab vtraq; ſignata: Quo poſito, in fauorem piæ cauſſæ determinatum fuit id, quod maius erat; ſcilicet materia pretioſior ex illis duabus, nempè argentum; & per conſequēs fauorabile exiſtimatum fuit legatum; hunc eſſe

30 verum eiuſdem textus ſenſum, patet legenti: † deceptio autem ſuborta fuit, ex eo, quod *in quibuſdam Codicibus*, loco illorum verborū (*Cum in eo templo non niſi, aut area, aut argētea tantum ſint dona*) *pro ærea* dicitur *aurea*, *&c.* & ideò *in codicibus Lugduni editis anno 1563. & 1575. in margine* notatur ſigno Crucis ✠ ærea; & ſimili ſigno reſpondenti in corpore, notatur verbum (*aurea*) vt error aduertatur; in alijs vero codicibus benè correctis, in ipſomet textu *ærea*, *&* *nō aurea* legitur. Sic *in exemplaribus Venetijs editis ann. 1569.* prædictum errorem notat *Menochius præſumpt. cit. num. 23. vers.* (*Cæterum,*) & ideo *Molina l.* & *Sanchez lib. 4. in decal. cap. 12. num. 8.* hoc non aduertētes, & legentes (*aurea,*) non debet eſſe mirum, ſi aſſeruerint legata pia eſſe in dubio explicanda, ſecundum id, quod minus eſt.

31 Dices, † votum de aliqua re indeterminata, V. G. de quibuſdam menſuris dandis Eccleſiæ in eleemoſynam, ſtrictè explicatur; atq; adeò intelligi debet de menſuris minoribus, non maioribus, vt ſupra oſtendimus, loquendo de dubijs circa vota. ergò etiam & legatum pium expreſsè eſt exponendum, & de re minoris, & non maioris valoris, par enim videtur ratio, cum agatur in vtroq; caſu de donatione rei, quę Eccleſiæ fieri debet.

32 Reſpondeo, † negando paritatem; diuerſa enim eſt ratio, vt rectę docet *Panormitanus cap. ex parte de cenſib. nu. 4.* aſſignando inter vtrumq; caſum diſparitatem; ait enim in legato interpretationem fieri potiùs contra hæredem, quā contra ipſum donatorem; Præſumptio enim eſt à Teſtatore intentū fuiſſe id, quod piæ cauſſæ magis faueat; at in voto fieri contra ipſū volentem, qui negat in emiſſione voti ſe intellexiſſe de maioribus: proindè non eſt par ratio, neq; eadem præſumptio; idcircò *cap. ex parte citato* declaratum fuit votum ſoluendi menſuram vnam tritici S. Iacobo, intelligi de minima.

CAPVT XI.

Conſcientiæ hæſitationes de Sacramentorum valore, & effectu, enodantur, & primo circa Baptiſmum.

SED quia ambiguæ cōſcientiæ quęſita de Sacramētis nouæ legis in hoc capite enodāda, non ſolùm plura, verùm etiā inter ſe valde diſſideant, cum in illa tantùm vniuerſaliſſima Sacramenti ratione concordent, de reliquo tamen diſparem inuoluant conditionem; proinde ne longitudo moleſtiam lectoribus ingerat, & ne tractatio methodo, & debita ſibi diſtinctione careat, operæ pretium duximus præſens caput in tot ſtringere partes, quot ſunt Sacramētorum naturę, circa quas dubia conſcientia verſari poterit, & quia non intendimus huius conſcientiæ limites egredi; proinde mirum non erit, ſi pars aliqua nimia perſtringatur breuitate, quoniam vt conſideranti manifeſtum fiet, ad id nos impellit defectus difficultatū, quæ dubiam conſcientiam reddere queunt.

PRIMA HVIVS Capitis Pars.

EXordium ſumitur ab eo Sacramento, quod reliquorum eſt baſis, & fundamentum, nempè Baptiſmus, de quo ſelectiora quęſita dilucidabimus in varios diſtincta paragraphos.

§. I.

Qui in infantia abrepti ſunt ab Infidelibus, & dubitatur, an fuerint capti, antequām receperint Baptiſmum, ſint ne baptizandi?

SVMMARIVM.

2 *Sub conditione baptizandi ſunt.*
3 *Efficaci ratione id ſuadetur.*

DI-

1 DICENDVM eſt † eſſe baptizan-
dos ſub conditione. ita *Bonaci-
na de. Sacramentis in genere
diſput. 1. quæſt. 2. pun. 1. num. 39.*
2 cum enim † Baptiſmus ſit Sacra-
mentum tanti momenti, & cete-
rorum Sacramentorum ianua, non debet ho-
mo ſe exponere periculo nullitatis reliquorum
Sacramentorum; proinde his ita abreptis con-
ferendus eſt Baptiſmus conditionatè, quando
adeſt prædictum dubium, & aliunde veritas
ſciri non poterit.

§. II.

Nati à parentibus Catholicis, & inter Chriſtianos educati, ſi poſtea dubitetur, an fuerint baptizati, debent ne baptizari, ſaltem ſub conditione?

SVMMARIVM.

1 *Neq; conditionatè baptizandi, ſi inter Chri-
ſtianos ſunt nati.*
2 *Soluitur inſtantia.*
3 *Grauis irreuerentia eſt reiterare Sacramen-
tum non iterabile, quando leue concurrit
inditium.*

1 DICO † neq; ſub conditione
eſſe baptizādos, ſi inter Chri-
ſtianos manſerint vſq; ad eam
ætatem, in qua communiter
conferri ſolet Baptiſmus, &
non ſunt inditia in contra-
rium. ita *Suarez tom. 3. in 3. p.
diſput. 22. ſect. 6. in fine. Bonacina p. cit. nu. 38.
& alij apud ipſum.* & ratio eſt in promptu,
quia cum pro negatione Baptiſmi nulla ſit pro-
babilis coniectura, & ex parte Baptiſmi collati
vrgeant grauiſſimæ coniecturæ abſq; vlla hæſi-
tatione præſūptio eſt ex parte ipſius Baptiſmi.
Dices: Sacramentum Baptiſmi, vt ſupra dixi-
mus, eſt magni momenti, à quo pēdet reliquo-
rum valor, ideoq; quælibet dubitatio videtur
ſufficiens ad hoc vt prudenter ſub conditione
2 conferatur. † Reſpondeo, dubitationē ſufficien-
tem debere eſſe rationabilem, & cū aliquo fun-
damento in re, aliter ſi quælibet dubitatio obli-
garet nos ad Baptiſmum ſub conditione cōfe-
rendum, aut nullus, aut ferè nullus fidelis inue-
niretur, qui non deberet conditionatè baptiza-
ri, quia nemo eſt certus certitudine phyſica de
Baptiſmo recepto, nam ſemper poſſet quis du-
bitare, ſaltem de intentione Miniſtri, vel de ali-
3 quo alio defectu ſubſtantiali, & hoc quia † gra-
uis irreuerentia eſt iterare Sacramentum, ex ſe
non iterabile, ſolùm leui dubio exiſtēte; vt com-
muniter Doctores affirmant. *Val. tom. 4.
diſput. 4. quæſt. 1. pun. 4. verſ. Quod ſi dubium;
& alij apud Bonacinam.*

§. III.

An infantes in loco publico expoſiti præſumi debeant non baptizati, atque adeò ſub conditione baptizandi?

SVMMARIVM.

1 *Nullo exiſtente teſte, qui affirmet baptizatos
fuiſſe, conditionatè ſunt baptizandi.*
2 *Ita teſtans non debet eſſe de mēdacio ſuſpectus.*

1 SI nullum ſit † teſtimonium in-
dicans eſſe baptizatos, debent
ſub conditione baptizari. te-
ſtimoniū autē ſufficiens habe-
retur, ſi ipſi infantes eſſent ex-
poſiti, cum ſcripto, per quod
affirmetur eos recepiſſe Bap-
2 tiſmum, vel ſi aliquis, de quo nulla † habetur
ſuſpicio de mendacio, teſtaretur infantem il-
lum expoſitum, fuiſſe baptizatum. *Sic Suarez
to. cit. diſp. 22. ſect. 2. Bonacina p. cit. n. 4. & alij.*

§. IV.

Si dubitetur filios infidelium habere nec ne vſū rationis, an ſint baptizandi, inuitis parentibus?

SVMMARIVM.

1 *Si renuant parentes, & nullum ſit mortis peri-
culum, non debent baptizari.*
2 *In dubio de vſu rationis, baptizandos eſſe, au-
tumant aliqui.*
3 *Oppoſitum cenſent alij.*
4 *Vtramq; ſententiam, diſtinctione adhibita, am-
plectitur Author.*

QVæſitū ſuppponit id, quod Doc-
tores communiter docēt, nempe
filios infideliū ante vſum ratio-
nis, non vrgente periculo mor-
1 tis, † non poſſe licitè baptizari,
ſaltem ſine conſenſu vnius ex
parentibus, nam poſt adeptum rationis vſum,
in hoc quilibet eſt ſui iuris. qua doctrina poſita
inſurgit difficultas, quando eſt dubium, an ali-
quis filius infidelium habeat nec ne rationis
vſum; ſi enim conſtaret de vſu rationis, tunc nō
requireretur voluntas parentum, ſed ſufficeret
volun-

voluntas ipſius pueri baptizandi; at ſi conſtaret oppoſitum, videlicet, non habere vſum rationis, tunc quæſtio propoſita locum non haberet, quia inuitis parentibus, non imminente periculo mortis, non debet baptizari: difficultas autem inſurgit, quando eſt dubium de vſu rationis, & ideò duas reperio ſententias.

2 † Prima eſt ea, quam ſequitur *Sotus in 4. diſt. 5. q. vnic. ar. 10. §. Sed alterum dubium. & diſt. 39. ar. 3. in fine reſponſionis ad ſecundum. Layman in ſum. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4 nu. 41. & apud ipſum Suarez, & Vaſquez*, videlicet, in tali dubio infantibus illis eſſe Baptiſmum conferendum, quia in fauorem fidei eſt iudicandum.

3 Secũda opinio † eſt oppoſita; vult enim baptizandos non eſſe, quia ſtante dubio, an infantes habeant vſum rationis, præſumendum eſt pro parentibus, qui ſunt in poſſeſſione. ita *Henriquez in ſumma lib. 2. cap. 25. nu. 3. Camerotta de Baptiſmo cap. 5. & alij*.

4 Sed cum diſtinctione amplector † vtramq; ſententiam, & ideò aio, quod ſi infantes compleuerint ſeptennium, tunc ſecundum iura, præſumitur vſus rationis; idcircò debent baptizari. ſi verò non compleuerint ſeptennium, niſi conſtet, non præſumitur vſus rationis, proinde iudicandum eſt in fauorem parentum: idcircò illis inuitis non debent baptizari. Sic *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. quæſt. 2. pun. 6. Emmanuel Sà in Aphoriſmis Verbo Baptiſmus num. 11. & alij apud eumdem Bonacinam. vide Dianam par. 7. tract. 11. reſol. 40.*

§. V.

Si parentes offerant puerum, vt baptizetur, ipſe verò renuat, & ſit dubium, an habeat ſufficientem vſum rationis, an poſſit baptizari?

SVMMARIVM.

1 *Non eſſe baptizandum iudicat Suarez.*
2 *Contrarium docet Sotus.*
3 *Hanc opinionem cum limitatione recipiunt aliqui.*
4 *Hæc vltima ſententia ab Authore admittitur.*

1 QVÆ ſunt opiniones. ✠ primam enim amplectitur *Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 25. ſect. 3. in fine* aſſerens in tali caſu puerum ita reluctantem non eſſe baptizandum, ob reuerentiam Sacramenti, ne fortè inualidè conferatur. Ceterum aliam opinionem contrariam, quę affirmat puerum, non

2 obſtante tali dubio, † eſſe baptizandum, ſuſtinet *Sotus in 4. diſt. 5. art. 10. verſ. Sed alterum dubium. at Layman in ſumma lib. 1. tract. 1. cap. 5. nu. 41. verſ. Similis difficultas*, admittit

3 opinionem Soti, † quando periculum eſt in mora, & ſic videtur velle, quod cum nullum immineat periculum mortis, non poſſit puer baptizari, ſtante prædicto dubio; & hoc etiam docet *Vaſquez in 3. p. tom. 2. diſp. 155. cap. 3. num. 38.* aiunt enim quando ex parte infantis non vrget mortis periculum, differendum Baptiſmum, & expectandum eſſe magis opportunum tempus, in quo clariùs appareat, an in puero illo renuente, ſit, nec ne, rationis vſus; & hæc ſen-

4 tentia † mihi verior videtur; nam ex vna parte cum nulla ſit neceſſitas tunc baptizandi puerum, & ex alia parte eſt periculum irritandi Sacramentum, immò periculum apoſtaſiæ in ipſo puero, quando ad vſum perfectum rationis peruenerit, & ex dilatione nullum ſequaquatur incommodum, videtur maximè conſentaneum prudentiæ differre Baptiſmi collationem, vſque dum innoteſcat, an puer ille habeat vſum rationis: Si verò inſtet periculum mortis, debet ſub conditione baptizari.

§. VI.

Dubio extante, an partus ſit homo, an verò brutum, vtrum ſit baptizandus?

SVMMARIVM.

1 *Principalia membra ſunt ſpectanda.*
2 *Si exhibeat humanam formam, eſt baptizandus, ſecùs ſi ferinam.*

1 IN tali dubio conſideranda ſunt † principalia membra, nempè caput, & pectus, ſub quo reſidet cor, & ſi formam hominis ex-

2 hibeant, † tunc partus ille eſt baptizandus; ſi verò formam beſtiæ, non eſt baptizandus. ita *Layman de Sacramento Baptiſmi tract. 2. cap. 6. quæſt. 6.*

§. VII.

Si partus præſeferat caput humanum, reliquum verò corporis ferinum, an præſumendus ſit homo, ideoque Baptiſmo vngendus?

SVMMARIVM.

1 *Negat Comitolus.*
2 *Dubitat Nauarrus, an cenſendum ſit Brutum.*
3 *Aliqui putant caput, & nō cor eſſe præcipuum membrum.*
4 *Differendus erit Baptiſmus, tali exiſtente dubio.*

1 RESPONDET ✠ negatiuè *Comitolus in reſponſionibus moralibus lib. 1. quæſt. 8.* & ducitur ex eo, quod præcipuum hominis membrum ſit cor reſidens in reliqua parte, quæ ferina apparet.
2 † at *Nauar. in conſ. lib. 3. de Baptiſ. 2. edit.* dubitat, an reuera talis partus cenſeri debeat brutum, quia non eſt omninò certum cor eſſe
3 membrum ceteris præcipuum, † nam aliqui putant eſſe caput, quoniam in cerebro principales operationes ſenſitiuæ vigent, proinde quod attinet ad praxim in tali dubio rectè aduertit
4 *Layman loco cit.* Baptiſmum † eſſe differendum, donec certius conſtet, an partus ille ſit humanus, ſi autem immineat mors ſub conditione baptizandus eſt.

§. VIII.

Si monſtrum naſcatur, & ambigatur an ſit vnus homo, vel duo, ſit ne baptizandum vno, vel duplici Baptiſmo?

SVMMARIVM.

1 *Ex operationibus erit colligendum.*
2 *Si periculum mortis immineat, & tempus non permittit, ſub plurali numero, vnica forma eſt adhibenda.*
3 *Si nihil ex operationibus colligatur, differendus erit Baptiſmus, niſi mors immineat.*
4 *Vnum membrum principale abſolutè, aliud verò conditionatè eſt baptizandum.*

1 EX † operationibus id colligi poſſe, ſi enim deprehendatur vnum dormire, alterum verò vigilare, cenſendi ſunt duo homines, & diſtinctis formis, & ablutionibus ſunt baptizandi, & ſi periculum
2 ſit in mora, quia ſcilicet imminet mors, † forma in plurali eſt proferenda, nempè: Ego vos Baptizo, &c. & vtrumq; eſt abluendum. Vide *Comitolum lib. cit. quæſt. 4.* Si autem ex operationibus diſcerni nequeat, an ſit vnus tantum homo, an duo, quia v. g. ſunt duo capita,
3 vnum verò pectus, &c. vel è contra; † Baptiſmus eſt aliquamulum differendus, vt veritas melius appareat: at ſi imminet mora, vel eſt periculum; tunc vnum caput, vel pectus, eſt
4 abſolutè baptizandum; † aliud verò ſub conditione. ita *Viualdus de Baptiſ. capit. vlt. num. 24. Layman cap. cit. in fine. & apud ipſum Maior in 4. diſt. 6. quæſt. 1.* & nouiſſimè *Caſtropalaus in oper. moral. par. 4. tract. 19. diſp. vnica de Baptiſ. p. 6. num. 4.*

§. IX.

In dubio iuris, aut facti an Baptiſmus fuerit collatus, ſit ne ſemper iterandus?

SVMMARIVM.

1 *Eſt examinandum dubium, vt ſacrilegium, adhibendo Baptiſmum, vitetur.*
2 *Quocumq; poſito dubio, ſi erit rationabile, eſt baptizandus.*
3 *Regula ad dignoſcendam dubij qualitatem, traditur à Caſtropalao.*

1 DIFFICVLTAS oritur, quia Baptiſmus eſt Sacramentum non iterabile, idcirco eſt examinandum dubium, ✠ ne ſacrilegè reiteretur, dubium autem poterit eſſe in duplici differentia, aut videlicet Iuris, aut facti; dubium iuris eſt quando conſtat collatum fuiſſe, ſed ſub tali forma, v. g. ſi quis baptizans dixerit: Baptizo te in nomine Genitoris, vel in nomine Trinitatis, aut Chriſti, &c. poteſt etiam oriri dubitatio ex parte materiæ, ſeu ſubiecti, &c. v. g. Si quis baptizatus fuerit in digito, aut in capillis, vel ſi ablutio facta fuerit minima gutta aquæ, aut materia aliqua, de qua eſt controuerſia apud Doctores, an ſufficiat ad valorem talis Sacramenti, vt aqua ex herbis expreſſa, aqua roſacea, vel alio ſimili liquore: dubium facti euenit, cum nihil conſtat de eius collatione. Hoc po-

ſito; Reſpondeo. quocumq; modo naſcatur dubium, ſi eſt rationabile, Baptiſmus eſt ſub conditione iterandus. ita communiter *Doctores*, *quos citat Caſtropalaus part. 4. diſp. cit. pun. 13. num. 4 qui num. 5. ſequenti* addit, regulam, qua cognoſci debeat, quando dubium iuris ſit rationabile, eſſe, quãdo hinc inde ſunt rationes probabiles pro vtraq; parte; at ſubiungit, de dubio facti firmam regulam non poſſe dari, quia tale dubium dependet ex varijs coniecturis, & circumſtantijs hic & nunc contingentibus. ratio autem concluſionis eſt manifeſta, quia cum hoc Sacramentum ſit ſummæ neceſſitatis, ne homo periculo æternæ damnationis exponatur, ſub conditione eſt baptizandus, neq; hoc redundat in aliqualem irreuerentiam contra Sacramentum ipſum, quia verè, & formaliter, cum datur ſub conditione, non reiteratur, vt habetur ex *cap. Solemnitatis 1. diſt. 5. de conſecr. & cap. veniens de preſbyt. non bapt.*

PARS SECVNDA.

De ijs, quæ ancipitem detinent conſcientiam circa Sacramentum Confirmationis.

§. I.

Num hæſitans fuerit nec ne confirmatus, poſſit Sacramentum hoc recipere?

SVMMARIVM.

1 *Deciſio quæſiti ex doctrina Authorum colligenda eſt.*
2 *Confirmari poſſe determinat Author.*
3 *Sub conditione eſt conferendum.*
4 *Maius dubium requiritur ad repetendum hoc Sacramentum, quàm illud Baptiſmi.*

1 QVAMVIS ex doctoribus de Sacramẽtorum materia tractantribus, paucos inueniam, qui præſens quæſitum exagitent, † nihilominus ex eorum doctrinis deciſionem facilè deducere poſſumus.

Dico igitur primò. Qui penſatis omnibus debitam adhibuerit inueſtigationem ad veritatẽ acquirendam, & hoc non obſtante, anceps fuerit, ita vt pro neutra parte determinatum, &
2 probabile iudiciũ ferre valuerit † Sacro Chriſmate vngi poteſt. Sic docet *Nuñus in 3. part. S. Thom. quæſt. 72. art. 5. poſt tertiam concl. ver. (Notandum eſt) Bonacina de Sacr. diſp. 3. q. 2. p. 4. num. 10. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 23. ver. (ſed quia) & apud ipſum Io. La Cruz in direct. conſc. par. 52. de Sacrament. Confir. quæſt. 72. dub. 2. concl. 1. citatur etiam à Bonacina Suarez diſput. 35. ſect. 1.* ſed cum diligenter eo loco, & etiam alibi eum peruoluerim, nihil de hoc puncto, ſaltem expreſsè agentem reperire potuerim, licet ex doctrina, quam habet *diſput. 33. ſect. 1. reſpondens ad primum argumentum ex cap. 1. de Sacram. non iter.* id ſatis apertè colligatur; pro hac concluſione nullam apud Authores laudatos reperio rationem, probari tamen poterit ex doctrina eiuſdem Suarez, hoc pacto. Vi huius Sacramenti confertur gratiæ plenitudo, & robur ad fidem contra Tyrannos tuendam, ergo quando quis dubitat, an illud receperit nec ne? non erit tanto fructu priuandus, & maximè quia id fieri poterit abſq; periculo ſacrilegij, vt concluſione ſequente videbimus, antecedens in præſentia à nobis ſupponitur ex communi Theologorum placito, vide *S. Thom. quæſt. cit. art. 11.*

3 Dico ſecundò. Quando tale exiſtit dubium † Sacramentum dari debet ſub conditione, ita Authores citati. Et ratio eſt in promptu, quia ſi abſolute, omni ſecluſa conditione, conferatur, exponeretur tum miniſter, tum recipiens periculo manifeſto reiterandi Sacramentum ex ſua inſtitutione non iterabile, proinde graue erit peccatum, tale autem periculum per conditionẽ, ſub qua confertur, vitatur conditio .n. vt dici ſolet, nil ponit in eſſe, Epiſcopus enim ſciens dubitationem illius confirmandi, ſi conditionatè Sacramentum conferat, non reiterat illud, quia ſi reuera confirmandus illud receperit, Epiſcopus intentionem habet illud non conferendi, & ſic vitat reiterationem, & conſequenter omne periculum.

4 Dico tertiò. Maius dubium † requiri ad conferendum, etiam ſub conditione, hoc Sacramentum, quàm illud Baptiſmi; ita notat *Nuñus loco ſuperiùs citato*, & ratio eſt quia hoc Sacramentum cum ex vna parte ſit initerabile, ſicuti Baptiſmus; & ex alia parte ſit minoris neceſſitatis; idcirco non omne dubium ſufficiens ad baptizandum ſub conditione, erit ſatis ad licitè dandum hoc Sacramentum, nam ſine iſto Sacramento homo ſaluari poterit, & etiam recipere omnes effectus aliorum Sacramentorum, at non ſine Baptiſmo, qui eſt omnium Sacramentorum ianua, cum igitur ſit tantæ neceſſitatis, inde eſt vt ſatis ſit ad illud conferendum quodcumq; leue dubium, ſi tamen ſit rationabile.

§. II.

§. II.

Perſiſtente dubio, an Balſamum oleo permiſtum fuerit, poſſit hoc Sacramentum iterum conferri?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur diuerſitas opinionum, vt baſis huius quæſiti.*
2 *Affirmatiuam ſententiam amplectitur Author.*
3 *Obijcitur in contrarium.*
4 *Satisfit obiectioni.*

1 SVpponimus in hoc quæſito controuerſiam illam inter Doctores exagitatam, videlicet, an miſtio balſami ſit ſolùm ex pręcepto, & accidẽtalis quædam cœremonia; an verò ſit de ſubſtantia, & eſſentiali huius Sacramenti ratione: hinc indè vtraque ſententia plures, & graues habet patronos, vt viderè eſt *apud Suarez diſp. 33. ſect. 1.* in relatione ſecũdæ opinionis, & in quarta concluſione, & etiam apud recentiores de re hac pertractantes, ſupponimus, inquam, diſceptationem hãc, eius enim deciſio nihil ad noſtrum inſtitutum facit; ea igitur pręſuppoſita, inquirimus, vtrũ ſi quis ambigat, an quando confirmatus fuit, vnctio fuerit, nec ne, ex oleo, & balſamo, an potiùs ex oleo tantùm; ſtante tali dubio, quod expelli nequeat licitum ne ſit iterum confirmari.

2 Dicendum eſt, † eſſe licitum. Concluſionẽ hanc *apud ſolum Suarez adinuenio loco citato*, idq; probat ex eo, quod cum etiam valdè probabile ſit initum fuiſſe Sacramentum, quia valdè probabile eſt, imò in eius ſententia probabiliùs, miſtionem ex balſamo eſſe de ſubſtantia Confirmationis, nõ debet homo fidelis baptizatus periculo ſe exponere carendi fructu hujus Sacramenti.

3 Sed obijcies, quamuis demus probabiliùs eſſe miſtionem balſami eſſe de eſſentia Cõfirmationis, probabile tamen eſt oppoſitum, atque adeo vtriuſq; ſententiæ probabilitate poſita, fugit dubium, igitur non poterit abſq; graui culpa reiterare Sacramentum, quod non eſt iterabile, talis autem reiteratio, conceditur ſolùm quando dubium adeſt.

4 Reſpondeo, non fugere † dubium illud, ex cujus fuga vitatur periculum damni ſpiritualis, quod pateremur, ſi re vera Sacramentum priùs receptum irritum fuiſſet, & hoc, quia, vt ſupra alia occaſione adnotauimus, cum ageremus de EpijKia *diſcept. 6. cap. 3. paragrapho nono, à numero 10.* valor Sacramenti, eiuſque effectus à noſtro etiam prudenti judicio eſt omnino independens; ideoq; ſiue dubitemus, ſiue certò credamus validum fuiſſe, & cum fructu, ſi ita ponitur non fuiſſe, damnum de eius inualiditate pateremur; proinde vt periculum huiuſmodi damni vitemus, licitè poſſumus iterum Sacramentum hoc recipere. Ad argumentum autem neganda eſt conſequentia.

§. III.

Vtrum caſu prædicto occurrente, Chriſma ſit ſub conditione, & non abſolutè conferendum?

SVMMARIVM.

1 *Arguitur probando neceſſitatem conditionis apponendæ.*
2 *Abſolutè in eo caſu Sacramentum conferre nullum eſſe peccatum, putauit Suarez.*
3 *Addit tamen ipſe Suarez adhiberi poſſe conditionem.*
4 *Probabilius eſſe apponi debere conditionem.*
5 *Ratione id ſuadetur.*

VIdetur omninò dicendum, à Miniſtro, quando caſus ille occur-
1 rerit, ſub conditione † neceſſa-
riò eſſe conferendum, & ſi abſo
lutè illud adminiſtret, grauiter
delinquere; & hoc, quia ſecluſa
conditione, Miniſter periculo iterationis exponeretur.

2 Contrariam ſententiam † docuit *Suarez diſp. illa 33. ſect. 1. ad primum argumentum*, imò nonnullos tacito nomine, laudat, qui ſuſtinent non eſſe adhibendam conditionem, ipſe verò ait abſq; vllo peccato omitti poſſe conditionem, quia putat ſentẽtiam, quæ aſſerit miſtionem balſami eſſe de ſubſtantia huius Sa-
cramenti, eſſe adeo certam, vt nulla ſit, vt cõdi- * neceſſitas,
3 tio adhibeatur, addit tamen † poni poſſe con-
ditionem dicendo (ſi non eſt confirmatus &c. ſiue hoc exteriùs exprimatur, ſiue interiùs tãtùm in intentione concipiatur, & hoc additum fuit ab ipſo Suarez; quia contraria ſententia eſt probabilis, & appoſitio cõditionis nihil obſtare videtur Sacramento poſteriori.

Ex his duabus ſententijs mihi magis placet
4 † hæc ſecunda, quæ requirit conditionem. Ducor ad hoc ex principio tacto ab ipſomet Suarez, cum enim ex vna parte concędatur, vt probabilis opinio negans miſtionem balſami eſſe de eſſentia, & conſequenter probabile erit, Sacramentum collatum cum oleo ſine balſamo fuiſſe validum, rationabile videtur, ne iteretur hoc Sacramentum, vt poſteritts ſub conditione adminiſtretur.

Neque probabilitas alterius opinionis eſt
5 talis, † vt excludat probabilitatem contrariæ
opi-

opinionis; atqueadeo prudentia dictat, vt ad tollendum omne periculum Sacrilegij ſub conditione detur Sacramentum, & maximè, quia per appoſitionem conditionis neq; Miniſtro conferenti, neq; recipienti aliquod damnum, aut incommodum obuenit.

PARS TERTIA.

Animi hæſitationes ad Euchariſtiæ Sacramentum attingentes, dilucidantur.

§. I.

Ambigens, an aliquid cibi, ſeu potus, poſt mediam noctem deglutierit, poſſit ne mane Euchariſtiam ſumere?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio negat.*
2 *Alia ſententia contrarium tuetur.*
3 *Et cum his vltimis ſentit Author.*

1 PRima ſententia docet, ſtante tali dubio, † non poſſe die ſequēti communicare, quia poſſeſſio eſt pro præcepto, ſeu pro Euchariſtia; & non pro libertate, ita *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 41. qu. 3. num. 40. Fagundez de præcept. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 18. Salas in p. 2. tract. 8. diſp. vnica sect. 25. num. 263. Bonac. de contron. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 2. paragrapho incidenter Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 3. & de conſc. dubia coroll. 11. nu. 238. & alij.*

2 Secunda ſententia † contrarium aſſerit, nempè poſſeſſionem eſſe pro libertate, proinde non obſtante tali dubio, licitè poſſe die ſequenti Euchariſtiam ſumi, & hanc opinionem ſequitur *Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 36. Ioannes Sanchez in ſelectis diſput. 42. num. 9. Paſqualigus in deciſ. moral. deciſ. 340. Cardinalis Delugo de Sacramento Euchariſt. diſputat. decimaquinta sect. 2. n. 42.* & cum his

3 ipſe † ſentio; nam hæc opinio videtur probabilior, puto enim poſſeſſionem potiùs ſe tenere ex parte illius iuris, quod habet quilibet fidelis baptizatus ad percipiendam Euchariſtiam, quàm ex parte præcepti non ſumendi illam, niſi ieiunis, nam cum comeſtio ſit quid facti, non præſumitur, ideoq; eſt probanda, & dum de illa non conſtat, homo fidelis non eſt ſuo iure priuandus circa Euchariſtiæ ſumptionem.

§. II.

Stante certitudine de comeſtione ſeu potione, ſi dubium ſit de tempore, an ſcilicet fuerit ante, vel poſt mediam noctem, vtrum ieiunium naturale præſumi debeat adhùc perſeuerare pro Euchariſtia ſumenda?

SVMMARIVM.

1 *Docent aliqui ieiunium naturale non perſeuerare.*
2 *Oppoſitum cum alijs ſuſtinet Author.*
3 *Proponuntur tria argumenta, quibus Delugo nos vrget, probans à pari.*
4 *Soluuntur prædicta argumenta oſtendendo diſparitatem.*
5 *Qui eſt certus de voto, non poſſidet ſuam libertatem, ſi dubitat an adimpleuerit.*
6 *Terminos in ſecundo argumento non eſſe rectè diſpoſitos, & ſi diſponantur, fauent Authori.*
7 *Petens Euchariſtiam in caſu noſtro, fundatam habet intentionem.*
8 *Inſtantia proponitur, & diluitur.*
9 *Si quis hodie communicauit, debet ſuam intentionem fundare in ſequentis diei inceptione, vt ius habeat communionem petendi.*
10 *Validum contra Authorem ſit argumentum, quo paritas ſuadetur inter dubitantem de comeſtione, & de voto emiſſo ante, vel poſt ſeptennium.*
11 *Diuerſa eſt habitudo, quam habet tempus ad votum, & ad comeſtionem.*
12 *Oſtenditur diſparitas ex principijs iuris.*
13 *Vrgetur, probando vniformiter ſe habere poſſeſſionem, ſiue eius negationem, tùm pro voto, tùm pro impedimento.*
14 *Inſtantia contraria valde difficilis proponitur.*
15 *Sufficienter diluitur.*
16 *Diſcurſus Authoris ad vitandam contradictionem, & nimiam conſcientiæ diſſolutionem.*
17 *Obiectio proponitur, & ſoluitur.*
18 *Nullum ex eiuſdem Authoris ſententia infertur inconueniens.*

1 PRæſumendum eſſe ✠ non per-
ſeuerare ieiunium, atq;adeo nõ
poſſe ita dubitãtem ad Eucha-
riſtiam recipiendam accedere
docet *Sanchez*, *& reliqui, quos*
præcedẽte paragrapho pro pri-
ma opinione laudanimus, quibus etiam ſubſcri
2 bitur *Delugo ſect. cit.* Sed oppoſitum † cum
alijs aſſero, quos itidem pro ſecunda ſententia
paragrapho præcedente, quibus *Caramuelem*
addo *in illo ſuo tractatu de conſc. corol.* 19. &
pariter *Spinolam in opuſc. de lib. & prud. elec.*
agibil. diſp. vlt. ſect. 7. in reſp. ad tertium dub.
fol. 352. qui omnes vniformiter in vtroq; du-
bio loquuntur; nam comeſtio, ſeu potio, Eu-
chariſtiæ ſumptionem pro die ſequenti, nõ ab-
ſolutè impedit, ſed quatenùs fit tali tempore
determinato, nempè, tranſacta media nocte
diei illius immediatè ſequentis, quo ſumi Eu-
chariſtia debet; hoc autem eſt quid facti, con-
iunctio, videlicet, comeſtionis cum tali tẽpore,
ideoq; probandum, & non præſumendum eſt;
atq;adeo, quando non conſtat, neq; probatur,
in ſuo iure manet homo accipiendi Euchariſtiã
& à tali iure non eſt ſpoliandus, & per conſe-
quens, neq; ab Euchariſtiæ ſumptione.
Argumenta autem, quibus *Delugo* opinionẽ
hanc impugnat, à nobis dilui debent pro firmi-
tate noſtræ ſententiæ. Pro qua re aduertimus,
quod ipſe ad ſuam opinionem corroborandam
docet onus probandi comeſtionem fuiſſe ante
mediam noctem, incumbere volenti Euchari-
ſtiam ſumere, & hoc varijs confirmat exemplis.
3 Primò exemplificat † in voto emiſſo ab eo,
qui poſtea dubitat, an emiſſio fuerit ante, vel
poſt ſeptennium; onus autem probandi emiſſũ
fuiſſe ante ſeptennium, & ante vſum rationis
ſpectat ad vouentem; & dum hoc non probat,
tenetur votum adimplere, quia præſumitur ſuf-
ficientem rationis vſum habuiſſe.
Secundò, ſi debeo tibi ſingulis diebus vnum
ſoluere aureum, & hodie illud ſolui, ſi tu petis
alterum aureum, quando eſt dubium, an ſit in-
cœpta altera dies, tu debes probare eſſe iam in-
cœptam.
Tertiò, vnuſquiſq; habet ius communicandi
ſemel ſingulis diebus, & hodie communicauit; ſi
poſtea dubitet, an ſit media nox, vt poſſit pro
ſequenti die iterum communicare, ipſi petenti
communionem incumbit onus probandi; nam
conſtat de communione facta, & nõ de incœp-
tione ſequẽtis diei, ex qua petens habet ius ite-
rum communicandi: ſic qui eſt de comeſtione
certus, & dubitet an comederit inchoato
ſequenti die, nequit communicare, tali perma-
nente dubio, quia ſicuti ſolutio ſemel facta tol-
lit ius ad eam iterum eadem die exigendam: ita
qui eſt de comeſtione certus, & dubitet an fue-
rit poſt mediam ſequentis diei noctem, non
poterit communicare ſequenti die, niſi probet
comeſtionem illam ante mediam noctem fuiſ-
ſe. Hæc obijcit *Cardinalis Delugo*.
Sed inter exempla adducta, & caſum noſtrũ
4 † eſſe diſparitatem, facilè oſtẽdam, imò exem-
pla ipſa potiùs noſtræ, quàm oppoſitæ opinio-
ni fauere; ideoq; ad primum aio, quod qui eſt
5 certus de voto emiſſo, † non poſſidet ſuã liber-
tatem, ſed poſſeſſio eſt pro voto, quia obligatio
eſt certa; exceptio autem ſeptennij eſt dubia,
quæ ab ipſo excipiente eſt probanda.
Ad ſecundum nego paritatem, & addo ter-
6 minos † comparationis inter vtrumq; caſum
non eſſe rectè diſpoſitos ad paritatem ſuaden-
dam; & ſi congruè diſponantur, potiùs nobis,
quàm arguenti fauet exemplum, diſparitatem
autem oſtendo, nam in exemplo, inchoatio ſe-
quentis diei eſt fundamentum, ex quo reſultare
debet ius actuale in creditore illius aurei, quia,
ſupponitur, die non incœpto, nullũ habere ius
petendi ſolutionem, & ideo ſi in dubium reuo-
catur incœptio diei ſequentis, reuocatur etiam
in dubium res illa, quæ eſt fundamentum iuris,
atq;adeo onus illam probandi ſe tenebit ex par
te ipſius creditoris, vt enim docent Authores,
ad illum pertinet probatio rei, qui ſupra rem
illam ſe fundat. ſic *Mandoſius in reg.* 19. *Can-*
cel. qu. 6. num. 2. ex Bart. & alys, & dum illam
non probat, non habet ius petendi.
Cæterum in caſu noſtro id, ſupra quod ſe
7 fundat petens Euchariſtiam, † eſt certum, &
non dubium, nempè diem ſequẽtem eſſe incho-
atum, in quo vnuſquiſq; fidelis baptizatus ius
habet petendi, & recipiendi Sacram Synaxim,
dubietas autem eſt de impedimento, ſcilicet, de
comeſtione poſt mediam noctem, quæ ab exci-
piente illam eſt probanda, quemadmodum in
exemplo allato, ſi conſtaret ſequentem diem
eſſe incœptum, creditor nummi intentionem
haberet fũdatam, & debitor ſi aliquod excipe-
ret impedimentum ad nummi ſolutionem, te-
neretur illud oſtendere, ideoq; ſi caſus ita pro-
poneretur, paritas comparationis non corrue-
ret, quatenus dubium in vtroq; caſu vniformi-
ter procederet, caderet enim ſupra impedimẽ-
tum, & non ſupra rem, in qua fundatur petendi
ius, ideoq; onus probandi in eum transferretur,
qui excipit impedimentum, non verò in eum
qui petit, & ſe habet vt creditor ipoſſumus pari-
tatem retorquere, in hunc aut ferè ſimilem mo-
dum formando caſum: Titius ſit creditor, cui à
Sorte debitore, ſingulis diebus ſit ſoluẽdus nũ-
mus aureus, cum hac tamen conditione, vt Ti-
tius nihil comedat, vel bibat ineũte autem die,
in quo facienda eſt ſolutio, ſi Sortes debitor
contra Titium excipiat non ſeruaſſe ieiunium,
& comediſſe media tranſacta nocte, à nemine
negari poterit onus probandi comeſtionem il-
lam ſe tenere ex parte Sortis debitoris: ſic mu-
tata dumtaxat ſolutione in receptionem Eu-
chariſtiæ, ſi Titius poſt inchoatum diem com-
munionem petat, & exiſtat dubium, an come-
ſtio fuerit poſt mediam noctem, onus hoc pro-
bandi nõ in ipſum Titium, ſed in alium, qui co-
meſtionem talem allegat, transferendum erit.
Maneat igitur ex dictis nihil nobis officere exẽ-
plum poſitum, imò nobis fauere, poſita recta
terminorum diſpoſitione.
8 Neq; valet, ſi dicas † conſtare de come-
ſtione

ſtione, ac proinde onus probandi, eam fuiſſe ante mediam noctem, ipſi communionem petenti incumbere; non valet, inquam, quia ſubſtantia comeſtionis, vt ſic, non eſt impedimẽtum, ſed eſt comeſtio pro tali differentia determinati temporis exercita, quæ certa eſſe debet; ſicuti ſi fingamus v.g. cœnam, & non prandiũ eſſe impedimentum ad præmium aliquod à Titio obtinendum, ſi quis excipiat Titium comediſſe, nihil illi obeſſet; quia excipiens non deberet probare comeſtionem, vt ſic, ſed talem, nempè, veſpertinam, quæ ſola, ex ſuppoſitione, præmii impedit conſecutionem.

Ad tertium ex dictis, reſpõdeo, ſi Titius hodie communicauit ad hoc, vt ius habeat iterum
9 communicandi, debet † ſuam intentionem fundare in incœptione ſequentis diei, aliter hoc, non probando, poſſeſſio eſt pro Euchariſtia; contra verò ſi cõſtaret incœptio ſequentis diei, iam Titius fundatam haberet intentionem, & ſi alter excipiat impedimentum comeſtionis, deberet illud probare &c.

Ex his igitur patet, argumenta prædicta nihil noſtræ ſententiæ detrahere, cum exempla allata contra nos nullam vim habeant.

10 Sed contra poſſet quis † validè vrgere, in vtroq; caſu paritatem ſic oſtendens, ſicuti cum habemus certam comeſtionem, & dubietas eſt tantùm de tempore, damus poſſeſſionem petenti Euchariſtiam, & onus probandi comeſtionẽ exercitam poſt tranſactam mediam noctem, & incœptum diem, in quo quis vult communicare, transferimus in ipſum excipientem; ita qui certam habet emiſſionẽ voti, & dubitatio verſatur circa tempus emiſſionis eiuſdem voti, nẽpè, fuerit, nec ne, ante ſeptennium, & ſine completo vſu rationis, vel poſt ſeptennium, perfecto iam rationis vſu, poſſeſſio ſtare debet pro ipſo vouente, & non pro voto obligante, & ſi aſſeratur eſſe pro voto, idem videtur aſſerendũ in primo caſu, ſcilicet, poſſeſſionem eſſe pro præcepto non communicandi, ſtãte dubio fractionis ieiunij naturalis poſt mediam noctem; par enim eſt vtrobiq; ratio, quia in vtroq; caſu dubium circa tempus verſatur. Et confirmatur, tunc præſumptio poni debet pro libertate vouentis, & non pro obligatione voti, quando aliquod ex conſtituentibus votum in dubium reuocatur, vt euenit in iſto caſu, nam de tempore ſeptennij ambigitur, & per conſequens de vſu rationis, qui pertinet ad voti obligationem cõſtituendam, & hæc confirmatio eſt potiſſima inter alias rationes, quas affert *Caſtrop. tom. 1. tract. 1. diſp. 3. par. 11. num. 4.* ad probabilitatẽ huius opinionis aſtruẽdam de inualiditate voti, quamuis ipſe oppoſitam vt probabiliorem amplectatur.

Hoc argumentum, quod primo intuitu omnimodam inter vtrumq; caſum præſeferr paritatem, eſt mihi ex firmis principijs ſoluendum.

11 Pro qua re eſt valdè attendenda † differentia habitudinis, quam tempus inuoluit ad votũ, & quam dicit ad comeſtionem, vt impedimentum ad Euchariſtiam accipiendam, in ordine autem ad votum tempus non ſe habet, vt quid eſſentialiter pertinens ad vim obligandi, quia illa ſuapte natura, & ex ſuis intrinſecis includitur à voto, atq; adeo non vt conſtitutiuum, ſicuti putauit *Caſtropalaus*; ſed ſe habet valdè remotè, & per accidens, in quantùm in aliquo caſu conſtituit fundamentũ alicuius præſumptionis; per quam vouens eximatur à voti obligatione, videlicet, quando contingit dubitatio de vſu rationis, & ambigitur, num vouens in emiſſione voti habuerit ne rationis vſum, an verò eius carentiam, tunc ex Iuris diſpoſitione ante ſeptennium præſumitur carentia illa: abſtrahẽdo autem à tali dubio, tempus ante ſeptennium nihil operatur ad validitatem, ſeu inualiditatem voti; ideoq; remoto dubio de vſu rationis ſi vouens illum habuerit, non obſtante tempore ante ſeptennium, votum obligabit, & ſic patet quo modo tempus poſſit pertinere ad valorem voti, ſcilicet, per accidens, & remotè, & in caſu de dubietate vſus rationis tantum.

Cæterum in ordine ad comeſtionem illam non ita, quia ſe habet, vt connotatum maximè per ſe, & eſſentialiter requiſitum ad cõſtitutionem impedimenti, quoniam non comeſtio, vt ſic, ſed tali tempori affixa, arcet Fideles à perceptione Euchariſtiæ, proinde loquẽdo de primo caſu, non ſtatim, ac dubitatur de ſeptennio incompleto, ſequitur, quod eo ipſo dubitetur de aliquo per ſe requiſito ad valorem voti; quia etiamſi vouens hæſitauerit, An votum emiſerit ante, vel poſt ſeptẽnium, cum tali hæſitatione poteſt ſtare, vt non dubitet de vſu rationis, poterat enim vouere in ſexennio, in quo certus fuerit de vſu rationis ſufficiente, ideoq; valebit votum, non obſtante temporis defectu. Et ſic paritas fundata in tempore nõ valet ob diuerſam habitudinem, quam habet tempus ad votũ, & ad comeſtionem, vt impedientem, &c.

12 Probo etiam efficaciſſimè diſparitatem † ex principijs Iuris Ciuilis, in quibus vt tritum, & frequens axioma habetur, fundamentum intentionis eſſe probandum ſiue ab Actore, ſiue à Reo, vt ex multis oſtendit *Maſcardus de probat. tom. 2. concl. 1247. num. 5. & alibi*; proinde ſi quis fundat intentionem ſuam in tempore, debet tẽpus probare, aliter nihil efficiet, vt idẽ Author rectè aſſerit ex *Bart. Alex. & alijs Iuriſperitis.* Similiter *apud eoſdem* habetur, ætatem eſſe probandam, cum quis in illa fundat intentionem, vt diſponitur *in l. de ætate ff. de minor. & in Iure Canonico cap. in præſentia verſ. (Sed & ſi teneret) de probat. & ibi Canoniſtæ, Felin. num. 28. Ancbar. cap. Acceſſit, initio, de deſponſ. impub. Dec. conſ. 642. num. 16. Mandoſ. in Reg. Cancell. reg. 18. quæſt. 3. num. 3. & alij* communiter. Ex his autem principijs manifeſtè colligimus diſparitatem à nobis intentã, nam qui excipit votum deficere ex defectu ætatis, in ea fundat ſuam intentionem, & defectum illum probare debet, & ſi non probat, remanebit in ſuo vigore obligatio voti, neque ſufficit probare minorem illam ætatem ante ſeptenniũ niſi etiam probet carẽtiam vſus rationis. Verũ

ſi de

ſi de hoc dubitetur, præſumptio ex Iuris diſpoſitione erit ꝓ ipſo excipiente, ad cũ ferè modum, quo practicatur in iudicijs forenſibus, ſi enim Titius v.g. coram legitimo Iudice pręſentet inſtrumentum, quo Sortes ipſi promiſit ſoluere centum, ſi Sortes, ad infirmandam promiſſionem, excipiat minorem ſuam ætatem, procul dubio id non ſufficeret, niſi ætatem illam probaret, nam Titius vi ſolius Inſtrumenti, fundatam habet intentionem ſuam, & transfert onus probandi defectum inſtrumenti in ipſum Sortem, hoc, quod habetur in Tribunali forenſi, & in promiſſionibus humanis, militat etiam in Tribunali conſcientiæ, & in promiſſionibus diuinis, ſine vllo prorſus diſcrimine, quantùm ad hoc; tali igitur pacto diſcurro in ſubiecta materia: vnuſquiſq; fidelis vi Sacramenti Baptiſmi acquirit ius percipiendi Euchariſtiam, ſi quis autem contra ipſum excipiat impedimentum, illud ſanè probare oportet, aliter poſſeſſio erit pro petente, qui fundatam habet intentionem in receptione Baptiſmi; & ideo ſi in caſu noſtro excipiatur comeſtio ſerotina, nihil probabitur, niſi probetur comeſtio talis, nempè, poſt mediam noctem, & hoc, quia cum in iure repellendi à communione, quæ dubio illo exiſtente, petitur, fundare debeat intentionem ſuam in comeſtione tali tempori affixa, ipſiq; incumbit illam probare, vt ex communi DD. conſenſu habemus; quemadmodum ſi eſſet lex, aut alia diſpoſitio, per quam ſtatuta fuerit ſolutio vniꝰ aurei omnibus ex tali natione prouenientibus, cum hac conditione, vt poſt duodecimã horam domi ſe contineant, ſi quis vellet repellere aliquem de eadem natione, contra illum objciẽs egreſſum poſt duodecimã, quis nõ videat incũbere huic excipienti onus probandi egreſſum, & non quemcumq; ſed egreſſum tali tempore exercitũ, quia non in egreſſu vt ſic ſuam fundat intentionem, ſed in egreſſũ, qui tali tempore extitit.

13 Sed vrgebis. † Votum vt pręſumptiuè poſſideat, debet ſupponere certum ſeptennium, & non dubium: igitur dum de ſeptẽnio dubitamus votum neq; præſumptiuè poſſidet, atq; adeo nõ obligabit; & ſi obligabit, vt aſſerimus, curret etiam paritas de impedimento communionis præſumpto.

Reſpondeo, negando antecedẽs; quia ad votum præſumẽdum, non requiritur eſſe completum ſeptennium tempore emiſſionis eiuſdem voti, niſi in caſu per accidens; nam præſcindendo à ſeptennio completo, poſſunt eſſe præſũptiones de validitate voti, in tãtùm enim requiritur ſeptennium, in quantùm requiritur vſus rationis ſufficiens in vouẽte; ergo ſi eſſent aliæ præſumptiones pro vſu rationis ante ſeptẽniũ, non eſſet neceſſarium habere certitudinem de ſeptẽnio completo, imò etiam ſi certò ſciremus ſeptennium non fuiſſe completum, nihil obſtaret ad pręſumendum pro voto, concurrentibus præſumptionibus pro ſufficienti rationis vſu; quas poſſe concurrere, eſt compertum, multi.n. vt experientia docet, taliter ſe gerunt, taleſque exercent actiones, vt ex illis vſus rationis in ipſis manifeſtè deprehendatur. Rurſus fauent et huic doctrinæ pręſumptiones, quę ex parte voti ſe tenent; quoniam actum ipſum promiſſionis Deo exhibitum, præſumitur, emiſſum fuiſſe deliberatè, & modo humano, quando oppoſitum non conſtat, conſtante enim promiſſione, onus probandi eius inualiditatem, ob aliquem defectum extrinſecum, incũbit excipienti talem defectũ in promittente, & ideo votum in dubio de ætate præſumitur validũ, cũ pro ipſo tot cõconcurrant præſumptiones: cõtra verò de impedimento illo ad Euchariſtiam ſumẽdam, tales non habeamus pręſumptiones, igitur non procedit paritas.

14 Inſtabis † vlteriùs aliquod rationi diſſentaneum ex noſtra ſententia deducens, in hũc modum formando caſũ. Titius v.g. cubitũ eat, ſõnoq; capiatur, & quibuſdam elapſis horis excitetur, ſitiq; laborans, ad illam explendam bibat de medię noctis exiſtentia nihil agnoſcens, & conſiderans; manè autẽ volens Diuini cibi particeps fieri, ambigat, An potum illum ante, vel poſt mediam noctem guſtauerit, in tali euentu nemo prudens Titio ſuaderet acceſsũ ad Sacrã menſam, ne morali periculo ſumendi Euchariſtiam, ieiunio fracto, eum exponeret, ſed iuxta ſententiam, quam tuemur, infertur id licitè fieri poſse, cum ſuſtineamus, quodcumq; dubiũ, ſiue quoad ſubſtantiam ſumptionis, ſiue quoad tempus nihil obſtare, quin dubitans Sacratiſſimum Chriſti Corpus recipere valeat.

15 Reſpondeo, † negãdo in caſu poſito Titium poſse ad communionem accedere; & ſi contra vrgeas reſpõſione iſta deſtrui doctrinam à nobis traditam, conſtanter negabimus, ob magnã diſparitatem, quę inter vnum, & alium caſum
16 reperitur. Cæterum † ne videamur, vel nimiũ in re hac habenas laxare, aut nobis ipſis cõtradicere, propono conſideranda ſequentia.

Animaduertendum igitur eſt, omnem pręſumptionem, cuiuſcumq; ſit generis, ferri in rẽ obſcuram, & incertam; nam ſi veritas rei innoteſceret, ſtatim omnis exularet pręſumptio, veritati locum cedens.

Incertitudo autem iſta in duplici eſt differẽtia. Prima procedit ſupponendo præceſſiſse examen, & inſpectionem eorum, quę ad veritatem capeſsendam adiuuare poterãt, & ſi hoc non obſtante veritas à nobis fugiat, ad præſũptiones recurrimus, quæ in prędictorum notitia ſuſtentari debet. Secunda autem incertitudo rei præſumendæ non procedit ſupponens præceſſiſſe talem notitiam ex prædicto examine prouenientem, vel quia noluimus, vel quia non aduertimus, vel deniq; quia ex aliquo accidente prohibemur applicare conſiderationem ad prædicta; & tunc nequimus prudenter pręſumere aliquid de re apud nos ambigua, & incerta; quoniam in dubium reuocatur non ſolùm res ipſa, circa quam, veritate latente verſari debuiſſet pręſumptio, ſed etiam fundamentum prudentis pręſumptionis conſiſtens in notitia illorum, quæ ad expellendam in-

certitudinem conducebant. Ponamus exempla. Titius dubitet, an Sortes ſit Ciuis Romanus, & ſcire hoc illius interſit, dubitatio poterit exiſtere, vel ante adhibitam diligentiam ád habendam notitiam eorum; quæ veritatem, aut veriſimilitudinem eiuſdem veritatis manifeſtare poterant, vel poſt illam. Si priori modo contingeret, nullam probabilem Titius pro ſe præſumptionem haberet, & temerè iudicaret ſiue affirmans, ſiue negans originariam Sortis Ciuitatem; ſi autem eueniret poſteriori modo, & deprehendat ipſe Titius Sortem Romæ educatum fuiſſe, tunc in ambiguo, poterit pro ſe præſumere, nam ex educatione in dubijs originem præſumimus, vt *ex Bartolo, & alijs* oſtendit *Menochius lib. 6. præſumpt. 30.* Aliud exemplum erit, ſi idem Titius hæſitet, An aliquis legitimè, & Canonicè ſit Parochus, quia dubitat, an fuerit, nec ne, præſentatus, ſi Titius nihil aliud ſciret, temerè præſumeret quocumque modo, ſiue pro Parocho, ſiue contra illum; at ſi inquirendo deprehendat vacationem beneficij curati, & inſtitutionem factam ab Epiſcopo, quæ ſunt extrema, ex horum cognitione reſultat prudens præſumptio de præſentatione, quæ eſt media, & de qua eſt incertitudo, & ita determinat *Felinus cap. poſt ceſſionem num. 13. de probat. & alij.*

His poſitis, incipit eluceſcere diſparitas inter vtrumque caſum, & declaratur in hunc modum. Res de qua debet eſſe præſumptio, vel pro Titio petente Communionem, vel pro præcepto illam prohibente, ſit punctum mediæ noctis, ſeu potio illa, quoad diſtantiam, vel indiſtantiam à media nocte; fundamentum, in quo præſumptio iſta fundari oportet, eſt notitia illius temporis intermedij ab occaſu ſolis vſque ad potum, ex conſideratione enim temporis decurrentis plus, minuſue deprehendere poſſumus prædictam diſtantiam, aut indiſtantiam. Hoc præhabito in caſu illo, quem arguens, format contra nos; Titius nihil prudenter præſumere valet in ſui fauorem, quia nihil de tempore illo intermedio agnoſcere potuit, ſomno impediente, nam vt *ex Philoſopho* habemus *quarto phyſic. tom. 98.* licet tempus non ſit motus, eſſe tamen, & cognoſci nequit ſine motu, ex quo *idem Philoſophus* refert, à dormientibus, cum motus minimè percipiatur, tempus non erit perceptibile, ſed ſolùm ab ipſis coniungitur primum inſtans, in quo ſomnus incipit, cum vltimo, in quo ceſſat; cum igitur à Titij cognitione remotum ſit tempus, conſequenter remouebitur fundamentum, in quo præſumptio probabilis aliqua firmari poſſit, atqueadeo quicquid de diſtantia, aut indiſtantia potus à media nocte enúnciaret, temerè coniectaret, & diuinaret.

Secùs autem in noſtra ſententia, ſecundum quam volumus, vt comedens, aut bibens totum illud tempus medium decurrens agnoſcat, & conſideret pariter actiones ab ipſomet eo tempore exercitas, ex quarum omnium cognitione perſpectum habeat illud, quod ſufficit ad prudenter iudicandum, incertum fuiſſe punctum mediæ noctis tempore potionis. taleque dubium præſupponere notitiam eorum, quę iuuare poterant ad veritatem acquirendam, quamuis per talem notitiam non potuerit Titius pertingere ad aſſequendam veritatem, idcircò cum pro vtraque parte tam pro ipſo Titio, vt petente communionem, quàm pro præcepto eam prohibente ſit prudens ambiguitas, inquirendum remanet pro quo ſtat præſumptio, & nos dicimus ſe tenere ex parte Titij ob rationes ſuperiùs allatas.

17 Dices, ſiue incertitudo, † priori, ſiue poſteriori modo reſultare ponatur, eadem currere videtur paritas; nam ex doctrina ſępe à nobis tradita Titius baptizatus ius habet ad petendam Euchariſtiam, à qua repelli nequit ob impedimentum incertum: at quocumque modo, ex enumeratis, ponatur caſus, habetur incertitudo impedimenti: ergo ſiue priori, ſiue poſteriori modo caſus formetur, currit paritas.

Reſpondeo, Ius illud, quod in receptione Baptiſmi ad recipiendam Euchariſtiam radicatur, licet in actu primo ſemper maneat, poterit tamen impediri in ordine ad exercitium, ſeu actum ſecundum, vt autem ſit expeditũ, quando petens incertitudi impedimenti laborat, debet præcedere diligens examen, vt veritas deprehendatur, & ſi id omittatur, pręſumptio pro ipſo iure erit imprudens, & temeraria; contra verò adhibito ſufficienti examine, ſi adhùc dubium, ſeu incertitudo perſeueret; tunc erit ſpeculatiuum dubium, & poſſeſſio incipit fauere ipſi petenti, ſicuti ſi quis poſſidens rem aliquã, incipiat dubitare, an ſit aliena, tenebitur diligentiam adhibere ad veritatem acquirendam, & ſi ea non adhibita, rem illam conſumat, peccabit ob periculum, cui ſe exponit contrectandi alienũ, at ſi id faciat poſt diligens illud examen, non peccabit conſumendo: ſic in caſu noſtro, ſi facto examine ad dignoſcendum; an pũctum mediæ noctis tranſactum, nec ne, fuerit tempore potus, incertitudo iſta remanebit ſpeculatiua, & præualebit ius, quod Titius habet ad Euchariſtiam, oppoſitum autem erit dicendum, ſi examen non adhibeatur. Quando igitur præcedit ſomnus, tunc determinatione illa remouentur obiecta omnia, circa quæ ferri debuiſſet examen; atq; adeo Titius expergefactus manè temerè accederet ad Euchariſtiam; quoniam incertitudo, ſeu dubium de impedimento non ſupponens examen illud perturbat Ius, illudq; impedit, ne exeat in actum: obiecta autem examinis prædicti ſunt actiones illæ, quę in vigilia exercentur, ex quarum conſideratione, poſſet Titius expellere incertitudinem, aut ſaltem tollere moralem perturbationem proprii Iuris: In vigilia autem non ita poſſet, quia Titius examinando ſuas actiones præteritas ab occaſu ſolis, vſq; ad tempus, in quo

in quo fuit potus plùs minuſue coniectare diſtantiam, aut indiſtantiam, quam habuit potus à media nocte, & quamuis dubium medio examine remouere nequeat; nihilominùs cum fecerit quantùm in ſe fuit ad veritatem aſſequendam, dubium remanens erit ſpeculatiuum, & nō prohibet, quin ipſe Titius poſſideat imperturbatum ſuum ius, & quin formet conſcientiam poſſe ſibi licitè ad Euchariſtiam accedere.

18 Ad inſtantiam † autem obiectam negandū eſt ex noſtra ſententia aliquod minus conueniens, & diſſonum inferri, & ſimul negamus paritatem, quam arguens aſtruere conabatur inter caſum ab ipſo propoſitum, & caſum, quem nos defendimus.

PARS QVARTA

Ambigua conſcientia circa caſus ad Sacramentum pœnitentiæ ſpectantes, expeditur.

§. I.

Dubitans, an aliquod lethale commiſerit peccatum, poſſitne conſcientiam deponere, illudque in confeſſione Sacramentali reticere?

SVMMARIVM.

1 *Quæſitum procedit de dubio negatiuo, & rigorosè ſumpto.*
2 *Prima opinio videtur eſſe Coninck, & aliorum.*
3 *Caramuel abſolutè affirmat, nullam extare obligationem fatendi talia dubia.*
4 *Secunda opinio communis docet eſſe obligationem aperiendi talia dubia, & probatur authoritate.*
5 *Suadetur efficaci ratione ex traditione, & fidelium praxi.*
6 *Reſponſio Caramuelis affertur.*
7 *Efficaciter impugnatur, retorquendo eius argumentum.*
8 *Probatur concluſio ex Tridentino.*
9 *Explicatio Caramuelis circa verba Concilij aperitur.*
10 *Vt friuola reijcitur.*
11 *Inſtat vlteriùs Caramuel argumentando paritate quadam.*
12 *Nihil valet eius paritas.*
13 *Fit quadam inſtantia, & ſoluitur.*
14 *Obiectio prima Caramuelis deducta ex Tribunali forenſi.*
15 *Varia diſcrimina inter Tribunal forenſe, & Tribunal Sacramentale.*
16 *Obiectio ſecunda procedit ex eo, quod ſupra peccatum dubium nequit cadere abſolutio.*
17 *Soluitur obiectio.*
18 *Proponitur inſtantia.*
19 *Impugnatur.*
20 *Obiectio ex Concil. Trid.*
21 *Ex Concilio potiùs aliquid in fauorem Authoris colligitur.*
22 *Argumentum à pari proponitur.*
23 *Oſtenditur diſparitas.*
24 *Arguitur a paritate ex iudicio externo.*
25 *Aperitur diſcrimen inter Iudicem in foro externo, & Iudicem in foro Sacramentali.*

1 QVæſitum ✠ maximè procedit de dubio rigorosè accepto, quod negatiuum *initio huius diſceptationis* nuncupauimus, & nihil eſt aliud, niſi quædam animi ſuſpenſio quoad ſpecificationem actus, *vt ibi* declarauimus, ob defectum, aut inſufficientiam medij ad determinatè iudicandum, an aliquid patratum fuerit, nec ne. His præſuppoſitis refero Authorum ſententias.

Prima opinio ſit illa, quam ſuſtinet *Aegid. ConincK de pœnit. diſp. 7. dub. 8.* poſtquā enim varias dubij acceptiones præmiſerit, tertio loco ponit dubium negatiuum, de quo loquimur, quando, videlicet pro neutra parte ſe offerunt rationes tales, quibus intellectus moueri poſſit ad probabiliter ſaltem iudicandum de re ipſa
2 *num. 16. concl. 2.* determinat † ita dubitantem non teneri ad tale dubium ſacramentaliter aperiendum, & huius concluſionis rationem aſſignat dicens ad obligandum pœnitentē, vt prædicta dubia manifeſtet, requiri, vt ſaltem probabiliter iudicare poſſet ſe peccaſſe. Eamdem difficultatem expendit *Ioannes Præpoſitus*, & rationibus hinc inde perpenſis, ait hāc opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, cōcludit tamen in praxi non eſſe à communi opinione recedendum, quæ vult dubia iſta fatēda eſſe; hoc ipſum punctum examinat *Layman lib. 1. trac. 1. cap. 5. §. 4. num. 37.* & nihil determinare voluit. His addo *Franciſcum de Amico tom. 8. diſp. 13. ſect. 3. num. 55.* qui hanc ſententiam, quam tuetur ConincK, probabilem appellat, contrariam verò probabiliorem, quam ipſe ſequitur. Cæterum nouiſſimè quæſtionem hanc proponit *Ioannes Caramuel in ſua morali Theologia lib. 3. diſp. 4. art. 1. num. 1481. concl.*
3 2. & abſolutè † concludit, nullam dari obligationem ad fatenda prædicta dubia; & hoc rōne & authoritate probare nititur, cuius argumenta à nobis inferius ſunt ponderanda.

Secunda ſententia vniuerſaliter recepta do-

4 cet dubia iſta † eſſe neceſſariò fatenda, & ita nos conſtanter aſſerimus. Probari ſolet hæc opinio quibuſdam argumentis, quæ cum facilè admittant ſolutionem, omittenda mihi videntur. Efficacius autem probatur primò authoritate, quam illi præſtat multitudo Authorum magni nominis, qui illam defendunt, & inter alios *Sanctus Thomas in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. ad 3. S. Anton. par. 3. tit. 14. capit. 19. §. 8. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. poſt tertiam concluſionem. Verſ. Sed arguet. Azor par. 1. lib. 11. cap. 4. quæſito 3. Suar. in tertia parte, tom. 4. diſput. 22. ſect. 9. num. 7. Cardin. Delugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 2. §. 3. per totum. Merolla tom. 1. diſput 3. cap. 3. coroll. 23. nu. 353. & omnes Summiſtæ* de hac re agentes, *aliique communiter.*

5 Probatur etiam ſecundò efficaciter † in hunc modum. Vniuerſalis omnium fidelium praxis cuius initium in lege noua ignoramus, nobis ſuadet, peccata iſta dubia eo modo, quo in conſcientia habentur, eſſe neceſſariò in confeſſione Sacramentali manifeſtanda. Ergo nequimus prudenter conſcientiam deponentes, ita in confeſſione reticere. Antecedens eſt notum, ſi aduertatur paucis ab hinc annis ab vno, aut altero tantùm Authore punctum hoc in controuerſiā reuocatum fuiſſe, ab antiquis verò tamquam certum ſuppoſitum, & abſolutè prolatum fuiſſe. Conſequentia autem oſtenditur, quia cum de actione aliqua pertinente ad animarum noſtrarum ſalutem, & præſertim in materijs, & formis Sacramentorum principium à nobis ignoratur, & in Sacris litteris apertè non inuenitur, præſumitur id ab Apoſtolis deriuaſſe, & per traditionem ad nos perueniſſe, igitur nequimus dubia iſta in confeſſione Sacramentali reticere. Antecedens autem huius vltimi argumenti, nempè actionem aliquam, prędictis affectam cōditionibus, præſumi ab Apoſtolis emanaſſe, probatur inductione, diſcurrendo per alia ſimilia, v.g. oleum, quo Eccleſia vtitur in Sacramento extremæ vnctionis, eſſe ab Epiſcopo benedicendum, colligimus deriuaſſe per traditionem ab Apoſtolis, vt aſſerit *Trid. ſeſſ. 14.* loquens de hoc Sacramento *cap. 1.* Rurſus Chriſma eſſe liquorem ex oleo, & balſamo confectum declarat *Florentinum in decreto Eugenij*, & vt notat *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 33. ſect. 1. concl. 1. & 3.* ex Apoſtolica traditione id haberi, quod probat *ex Patribus, & ex Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales* edita *à Fabiano Papa*; quicquid ſit de reliquo, an mixtio balſami ſit, nec ne, de eſſentia huius Sacramenti, an verò ſolùm ſit de pręcepto; hoc autem ad nos minimè pertinet. Prætereà Miſſæ ſacrificium vtiliter offerri pro defunctis, ait *Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. in fine*, eſſe iuxta Apoſtolicam traditionem, quemadmodum etiam varios ritus, & cæremonias, quibus in eodem ſacrificio vtitur Eccleſia, aſſerit *idem Trid. eadem ſeſſ. cap. 5.* & ſic de aliis ſimilibus, quæ fatemur eſſe ex Apoſtolica traditione, quando eorum principium ignoramus; cum igitur in Eccleſia ſemper praxis fuerit aperiendi in confeſſione peccata dubia, & viri ſapientes exiſtimauerint, ea omittere abſq; cauſſa, eſſe culpam grauem, ſatis ſufficienter deducimus ab Apoſtolis hoc emanaſſe.

6 Reſpondet bifariam † *Caramuel* ad hoc argumentum *articulo citato num. 1508.* Primò non conſtare de tali vſu: Secundò, etiamſi cōſtaret, proceſſiſſe ex eo, quod Authores ita docuerint, & paucis ab hinc annis aliqui in dubium id poſuerint. Addit etiam *ipſe Caramuel* argumentum prædictum eſſe à nobis ſoluendum, ſi fiat contra immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem, quam nos defendimus, nam poſſet quis ſic argumentari. Fuit praxis, & vſus Eccleſię non celebrare feſtum Conceptionis Immaculatæ, cuius praxis initium non habetur, igitur credendum eſt ab Apoſtolis promanaſſe &c. ſic *Caramuel* arguit retorquendo in nos noſtrum argumentum

7 † ſed ſuomet diſcurſu ſeipſum iugulat, nam duo aſſerit, Primò non conſtare de praxi, Secundò ab Authoribus opinionem, quę obligationem aſtruit, fuiſſe receptam, & contrariam, quę non obligat, & quam ipſe tuetur, nuper excogitatam. Ex his autem clarè colligitur qualis de hac re fuerit praxis, videlicet ea, quę communiter à Doctoribus pręſcripta fuerit, cum autem res iſta dependeat ex facto hominum, & non ſit poſſibile ſingulos interrogare, quid ſentiant, optimum erit remedium recurrere ad doctrinam, & opinionem, quam ſapientes amplexi ſunt, nam certa eſt pręſumptio, viros doctos in praxi ſe geſſiſſe iuxta doctrinam à ſe ipſis traditam, homines verò indoctos ſequutos fuiſſe dictamen ſapientum, atqueadeo manifeſtè ex hoc colligimus praxim vniuerſalem, eam ſemper fuiſſe, quam nos aſſeruimus, & ideò pœnitentes teneri ad aperienda talia dubia; nulla autem eſſe poteſt præſumptio de oppoſito, quia temerè, & abſque fundamento. Iudicaretur à viris Doctis practicè diuerſum ſeruatum fuiſſe ab eo, quod ipſimet docuerint, & maximè in rebus, quæ ad ſalutem animæ pertinent. Illud verò, quod addit *Caramuel* retorquendo argumentum contra nos in alia materia, eſt prorſus infirmum, quia ſi diſtinguamus antecedens, debilitas argumenti ſtatim innoteſcet; nam aliud eſt praxim antiquitùs fuiſſe non celebrandi feſtum; aliud verò fuiſſe præceptum antiquitus de non celebrando, primum enim concedimus, ſecundum verò negamus; falſum enim eſt fuiſſe præceptum ex traditione Apoſtolica præſcriptum de non celebrando ſolemniter feſto Sanctiſſimæ Conceptionis, & ideo vt patet argumentum non probat fuiſſe poſitiue præceptam negationem talis ſolemnitatis ab ipſiſmet Apoſtolis, hæc enim duo ſunt valdè diuerſa, ſcilicet, fuiſſe negationem ſolēnitatis ab initio, & eſſe poſitiuè præceptam talē negationem, quia hæc duo sūt cōpoſſibilia, nēpè, neq; poſitiuam actionem, neq; eius negationem eſſe præceptam, aliter ſequeretur hodie non poſſe

nouum

nouum feſtum inſtitui, quia cum numquam fuerit ab initio Eccleſiæ celebratum, inferretur id tamquam ab Apoſtolis præſcriptum, & ſic de alijs ſimilibus, vt de ieiunijs, ritibus, quod aſſerere eſſet ridiculū, nedū manifeſtè falſum.

8 Probatur tertiò noſtra concluſio † *ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 1.* cuius doctrina, quamuis perperam pro ſe adducat *Caramuel*, vt videbimus, benè autem perſpecta, ſuadet nobis huius ſententiæ veritatem, & ad hoc melius percipiēdum nonnulla ponderabimus, præmittendo prius tamquam baſim verba ipſius Concilij, ait enim ſic [*oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorū poſt diligentē ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint*] & poſt pauca, ſubdit; *nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamuis vtiliter in confeſſione dicantur, taceri tamen citra culpam, multiſq; alijs remedijs expiari poſſunt.* &c. His præmiſſis,

Primò ponderandum venit in excluſione eorum, quæ non ſunt neceſſariò fatenda à Concilio ſolùm excludi peccata venialia, & ea, quæ poſt diligentem diſcuſſionem memoriæ non occurrunt; ergo peccata mortalia dubia, quæ memoriæ ſubueniunt, iuxta doctrinam Cōcilij, ſunt neceſſariò aperienda. Excluſio enim vnius eſt alterius incluſio, vt *Iuriſtæ* affirmant, loquēdo de ijs rebus, quę poſſunt includi, & excludi.

9 Reſpondet *Caramuel in ſolutione decimæ obiectionis num. 1536.* † ex diſcurſu iſto nihil concludi, & hoc probat ex ipſomet Concilio, nam ideò vult mortalia eſſe aperienda, quia reddunt homines filios iræ, & Dei inimicos. ratio autem iſta non militat pro mortalibus dubijs, quoniam dum manent ſub dubio, non eſt pro ipſis poſſeſſio, ſed pro libertate ipſius pœnitentis.

10 Ceterum reſponſio, & ſolutio iſta † vt valdè friuola ex ipſis terminis ſui falſitatem manifeſtat, non enim video quid faciat ad amicitiam, aut inimicitiam cum Deo, dubietas præſens de actione preterita, an fuerit nec ne. nam ſicuti ex eo quod dubitem, imò certo credam, me peccaſſe, ſi reuera non peccaui, dubietas, ſeu credulitas de peccato commiſſo non conſtituit me Dei inimicum; ita ex eo quod ego dubitem, imò credam non deliquiſſe, ſi reuera deliqui lethaliter peccando, dubietas, & credulitas de negatione peccati non facit, quin ego ſim filius iræ, & Dei inimicus, quia iudicium præſens nullum influxum habere poteſt in actionem præteritam; atq; adeò neq; ab illa tollere, aut in illa ponere malitiam, ſeu bonitatem, proinde inanis erit interpretatio, quam *Caramuel* dat verbis Concilij, & ſic firmum manere debet, ea peccata excludi ab ipſo Concilio in ordine ad neceſſitatem confeſſionis, quę hominem Dei inimicum minimè conſtituunt, vt ſunt ſola peccata venialia. quapropter homo dubitans ſe peccatum mortale commiſiſſe, debet ſe gerere in ordine ad confeſſionem ſacramentalem, ac ſi eſſet certus de illo, cum hoc tamen diſcrimine, vt eo modo, quo illud in conſcientia habet, aperiat in confeſſione, nempè vt dubium.

11 Sed vlterius † inſtat Caramuel arguens hac paritate. Concilium non magis meminit peccati dubij, quàm circumſtantiarum aggrauantium intra eandem ſpeciem; igitur quemadmodum ex eo, quod de his circumſtantijs nulla ſit facta mentio, valdè probabiliter quamplures Doctores inferunt, nō eſſe neceſſariò fatendas. ita à pari, ex eo, quod nulla ſit facta mentio de peccatis dubijs, valdè probabiliter poſſumus inferre non eſſe neceſſario fatenda. Ad hoc autem melius confirmandum petit à nobis *ipſe Caramuel* defectum ſequentis argumenti, quod ab ipſomet in hunc ferè modum formatur. Eccleſia rectè nobis tradidit confeſſionis materiā, ſed ex eo quod non dixit circumſtantias intra eandem ſpeciem aggrauantes, eſſe de neceſſitate aperiendas, probabilius iudicamus omitti poſſe, ergo ex eo, quod nō dixit, peccata dubia eſſe aparičda, probabilius omitti poſſe, iudicare debemus, par enim vtrobiq; ratio eſſe videtur.

12 Sed paritas iſta prorſus † nihil valet. Ea igitur ſic primò impugnatur, non omnes admittunt ſententiam illam, quæ affirmat circumſtantias aggrauantes non eſſe neceſſariò confitendas; & ſi hanc opinionem nos in præſentia admitteremus, corrueret totum Caramuelis argumentum; ſed quia ego cenſeo probabiliorem eſſe oppoſitam ſententiam, reſpondeo ſecundò, negando paritatem, & diſparitatem colligo ex ipſomet Concilio, quia de circumſtantijs nullum reperitur verbum, ex quo deducatur fuiſſe, ſaltem implicitè, ab ipſo Concilio comprehenſas circumſtantias tantùm aggrauantes, quando aſſignat materiam neceſſariam confeſſionis, cum ſolùm decernat pręter peccata mortalia, quæ animum grauiter ſauciant, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, & hoc eſt adeò verum, vt ipſimet aduerſarij cenſentes circumſtantias ſolùm agrauantes eſſe aperiendas, id non probant ex Concilio; imò dum contra ipſos arguitur ex doctrina eiuſdem Concilij, ſe defendunt, eius doctrinam explicantes. at non ita de peccatis mortalibus dubijs, vt enim vidimus ex ijs, quæ à Concilio dicuntur, infertur obligatio fatendi peccata dubia, cum ſolùm venialia excludantur. Et ſic patet defectus argumenti, quem à nobis diſcere optabat Caramuel, nam Doctores non ex ſolo ſilentio de circumſtantijs aggrauantibus inferunt eas non comprehendi ſub obligatione. Sed quia Concilium faciens mentionem de circumſtantijs, nominat tantùm pro materia neceſſaria, eas, quæ ſpeciem mutant; proinde, vt dicunt Iuriſtæ, exceptio firmat regulam pro oppoſito, alioquin Concilium mutilam traderet doctrinam, cum iam inſtituerit docere de circumſtantijs; contrarium tamen eſt aſſerendum de peccatis mortalibus dubiix; nam ſola excluſio peccatotum venialium, includit omnia reliqua, quæ ſunt peccata, & non venialia, qualia ſunt peccata mortalia ſiue certa, ſiue dubia.

13 Dices t Ex[illegible] ſio,& incluſio, † quæ habentur in Concilio [illegible] materiam, exponendæ ſunt de peccatis certis, non autem de dubiis, igitur quæ dicta ſunt de excluſione, & incluſione nihil probant.

Contra eſt primo quia gratis hoc aſſeritur, vt meliùs videbimus ſoluentes argumenta contraria. Secundò, obiectum huius incluſionis sũt ea peccata, quibus homo redditur filius iræ, & inimicus Dei; obiectum verò excluſionis ſunt ea, quæ tales effectus minimè cauſſant, & quæ poſſunt aliis remediis expiari, vt ſunt venialia, peccata autem mortalia dubia poſſunt eſſe talia, vt conſtituant filium iræ, inimicum Dei, &c. Contra verò venialia, numquam poſſunt eſſe talia, vt conſtituant hominem filium iræ, &c. ergo per excluſionem venialium dumtaxat nõ excluduntur mortalia dubia; cum ratio excluſionis non militet pro dubijs, ſicut militat pro venialibus.

14 Obiicies primò fundamentalem rationem, † cui Caramuel innititur, quæ paucis comprehenſa, ſic procedit. In Tribunali forenſi non admittuntur delicta dubia, ergo in tribunali ſacramentali pœnitentię non ſunt ſub obligatione admittenda, eadem enim in vtroq; tribunali, quantum ad hoc, videtur ratio. iſtud eſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ, illudq; poſſumus nos ita confirmare. Nemo in dubiis prę-ſumitur deliquiſſe, vt habetur *in L. merito. ff. Pro ſocio*, & communiter affirmant Iuriſtæ, ergo cum non conſtat, an Titius v. g. peccatum mortale commiſerit, & poſt requiſitam diligentiam res manet dubia, præſumptio eſſe debet in fauorem Titii, cum pro eodem ſtet poſſeſſio, vt enim *initio huius Diſceptationis* aſſerimus, pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio, & dum veritas acquiri nequit, ipſa præſumptio iuris pro veritate eſt habenda, vt communiter ſuſtinent Doctores, igitur ſi Titius nequit eſſe certus, an peccauerit necne, poterit practicè conſciẽtiam deponere, & peccatum dubium in confeſſione omittere. Ratio iſta ſic explicata, & confirmata primo aſpectu videtur probabilis, cui ſuccubuerũt aduerſarii, rem non ita accuratè perpendentes, ſed reuera nihil concludit, & ideò.

15 Reſpondeo, † plura inueniri diſcrimina inter Tribunal forenſe, & Tribunal ſacramentale, vt omnes fatentur, vnum aũt aut alterum conſidero, quod ad rem noſtram facit, reliquis omiſſis, aio igitur Tribunal forenſe primò, & per ſe eſſe inſtitutum ad puniendum Reum, qui delictum patrauit, & hoc in bonum commune totius Reipublicæ, vel etiam priuatæ perſonæ vindictam petentis de offenſa recepta. at Tribunal Sacramentale non eſſe inſtitutum ad puniendum, ſed ad liberandum Reum, ſi delicta commiſſa fateatur; proinde hoc Tribunal potius eſt inſtitutum in fauorem perſonæ offendentis, quam offenſę. Ex hoc autem diſcrimine aliud notabile oritur circa præſumptionem, nam in Tribunali fori externi, illa præſumptio pręualet, quæ eſt pro negatione delicti, quoniã iſta magis fauet Reo, cum ex vi illius libertatem obtineat, in iſto autem tribunali totum oppoſitum euenit, quia pręſumptio Reo fauorabilis eſt illa, quæ delictum ſupponit, quod ſi manifeſtetur, libarationem conſequitur, & ideò ex cõfeſſione delicti in foro externo punitur Reus, eximitur tamen in foro pœnitentiæ. Et hanc doctrinam approbant quamplures Canoniſtæ, nam docentes, quod cum cogimur pręſumere delictum, debemus illud, quod minus eſt, & non quod maius pręſumere, addunt oppoſitum eſſe aſſerendum in fauorem animæ, nimirum quod maius, & non quod minus pręſumendum. Sic *Felinus in cap. Ad audiendam num. 1. de homic. Ancharanus conſ. 175. quod incipit Prima facie. Menoch. lib. 5. præſupt. 2. num. 24. & quamplures alij apud ipſum*. & ſic loquendo de Tribunali huius Sacramenti dico in dubio pręſumendum eſſe pro delicto commiſſo, atque adeò eſſe aperiendum in confeſsione, quia totum hoc redundat in bonum ipſius Rei, nempè pœnitentis.

Ad argumẽtum autem concedo antecedens, & nego conſequentiam ob manifeſtam diſparitatem inter vtrumq; Tribunal. Ad confirmationem adductam reſpõdeo ex principiis iactis cum diſtinctione. Nemo in dubiis præſumitur deliquiſſe, quando ex tali pręſumptione ſequitur damnum contra delinquentem, concedo; quando verò oritur fauor in bonum ipſius delinquentis, nego antecedens. Ad illud verò quod additur de poſſeſsione, reſpondeo, poſſeſsionẽ ſtare pro eo, pro quo ſtat præſumptio; in caſu autem noſtro præſumprio ſtar pro ipſo Sacramento inſtituto in gratiam delinquentis, & pro eodem etiam ſtat poſſeſsio. *Ad textum ex L. meritò* aio ibi ſermonem eſſe, vt legenti patet, de foro externo, & de eodem loqui Authores, quapropter ad argumentum principale neganda eſt conſequentia, per quam inferebatur poſſe à Titio omitti peccata dubia, practicè deponendo conſcientiam.

16 † Obijcies ſecundò. Supra peccatum dubium cadere nequit abſolutio Sacramentalis, ergo dubitans ſe mortaliter peccaſſe, non tenetur tale peccatum dubium fateri; conſequentia eſt manifeſta, quia nemo eſt obligandus ad aperiendum in confeſſione id, ſupra quod abſolutio cadere non poteſt; quia omne tale non videtur materia apta huius Sacramenti, cũ nequeat vniri cum forma ad conſtituendum vnum Sacramentum. Antecedens probatur hoc pacto. Abſolutio neceſſariò requirit materiam certam, & abſolutam, peccatum autem dubium nõ eſt tale, ergo ſupra illud cadere nequit abſolutio. Sic etiam argumentatur Caramuel, & ad argumentum duas dat ſolutiones, quas poſtea ipſe impugnat, primò enim reſpondet, cum peccato dubio eſſe ſimul miſcendum aliquod peccatum certum, & ſic ſupra vtrumq; cadere poterit abſolutio. Secundò, abſolutionem dari poſſe ſub conditione, & ita cadere poterit ſupra peccatum dubium, primam autem ſolutionem impugnat ex eo quod nemo tenetur addere peccatis dubijs

dubijs peccatum veniale certum, quia veniale non eſt materia neceſſaria, & idem dicendum de peccato mortali ſemel conſeſſo, & ritè abſoluto, nec valet, ſi dicas per accidens eſſe, vt quis in tali caſu teneatur confiteri venialia, aut mortalia iam ritè abſoluta, non valet, inquam, quia Concilium vniuerſaliter, & abſolutè abſq; reſtrictione decreuit peccata venialia taceri poſſe, quoniam aliis remedijs expiantur: hæc autem, & ſimilia affert Author ille impugnando primam hanc reſponſionem. Secunda verò reſponſio impugnatur ex eo, quod vi abſolutionis conditionatæ, non eſt certum confici Sacramentum, quia poterit conditio non purificari. Sed quid contra nos, nam ſi abſolutio, quando materia eſt dubia, ſub conditione confertur, nulla fit iniuria Sacramento, quę omninò vitatur per conditionem poſitam.

17 Pro ſolutione autem argumenti principalis † admittenda eſt vtraq; reſponſio, contra quam, impugnationes Caramuelis non vrgent, & hoc oſtendo, nam cum ipſe aſſumit neminem teneri ad confeſſionem venialium, &c. conceditur ſimpliciter, & abſolutè, at ex ſuppoſitione aliqua, ne ſcilicet periculo irritandi Sacramentum exponamur, negari id debet, neq; eſt nouum obligari aliquem ex ſuppoſitione ad fatenda venialia, vt euenire poterit in multis aliis caſibus, v. g. Si quis ex pura deuotione votum emittat confiteri ſemel ſingulis menſibus, ille vouens, quamuis mortalibus careat, tenebitur tamen venialia fateri.

18 Et ſi quis in contrarium † inſtet aliud eſſe loqui de lege vniuerſali circa materiam neceſſariam Sacramenti Pœnitentiæ; aliud verò de lege priuata, quam homo, mediante voto, ſibi imponit, impugnando autem ſolutionem prædictam, quod intenditur, eſt, non dari caſum, in quo vi legis vniuerſalis pœnitens obligetur ad fatenda venialia, (idem dico de mortalibus aliàs confeſſis, & abſolutis,) quamuis vi alicuius legis particularis poſſit homo obligari ad illorum confeſſionem, vt etiam accideret, ſi in aliquo inſtituto regulari, Religioſi vi regulę obligarentur ad confeſſionem ſingulis hebdomadis, aut menſibus, vel ſi ipſemet homo per votum, aut iuramentum obligaretur, ad confeſſionem, eo tempore peragendam, & ſic ſuppoſitio illa proueniens ex voto emiſſo non eneruat vim argumenti, quod pro ſe adducit Caramuel.

19 Contra eſt, † quia licet lex vniuerſalis, quæ nobis præſcribit materiam neceſſariam huius Sacramenti, abſolutè, & ſimpliciter excludat peccata venialia abſq; reſtrictione vlla, nihilominùs vi alterius legis etiam vniuerſalis diuinæ, & naturalis, dari poterit caſus, in quo homo obligetur ad confeſſionem venialium, lex autem iſta eſt illa, quæ pręcipit ne iniuriam irrogemus Sacramentis, ea periculo nullitatis exponendo, & ideò ſi quis velit confiteri peccata dubia, eiſdemque abſolui, ad vitandum periculum irritationis, teneretur venialia aliqua miſcere, proinde non coarctamus obligationem hanc ad ſolam ſuppoſitionem voti, quam gratia exempli attulimus. Et hæc ſatis pro inſtantia allata: ad præcedens argumentum, dicimus nihil referre, quod Concilium abſolutè dixerit, peccata venialia non eſſe neceſſariò fatenda, quia illa conſiderauit ſecundum ſe ſpectata, vt talia ſunt, non autem, quando eorum confeſſio concurrere debet, vt medium ad vitandum peccatum, ſicuti euenit ex ſuppoſitione voti, vel ex confeſſione peccatorum mortalium, quæ ſũt ſub dubio, idcircò ſi quis aperiendo dubia, petat abſolutionem, nulla appoſita conditione, debet addere venialia, vel mortalia aliàs cõfeſſa, aliter exponendo Sacramẽtum periculo inualiditatis, grauiter peccaret.

Ad ſecũdam autem impugnationem circa abſolutionem ſub conditione collatam, reſpõdeo, concedendo per formam conditionalem non haberi certitudinem de efficientia Sacramẽti, cum incerti ſimus de eiuſdem cõditionis purificatione, nam ſi pœnitens commiſit peccatũ illud, de quo dubitat, conficitur Sacramentum; ſecùs autem ſi illud minimè commiſit; neq; eſt inuſitatum dari formam ſub conditione, vt in multis caſibus admittitur à Doctoribus, & loquendo de confeſſione dubij, eam ponit *Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 18. ſect. 1. in fine, & alij cõmuniter.* Ex hac autem impugnatione deſũpta ex incertitudine Sacramenti, non percipio quid pro Caramuele contra nos colligi poterit.

20 Obijcies tertiò, † verba quædam Concilij circa medium illius quinti capitis, ſic enim dicitur (conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquam quiſq; diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata cõfiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit &c.) Hæc Concilium, in quibus verbis põderat Caramuel periodum illam (conſtat nihil aliud) videlicet nihil à pœnitentibus exigi, niſi cõfeſſionem peccatorum, quibus meminerit Deum offendiſſe, ſub his autem verbis non continentur peccata dubia, quia dubitare non eſt meminiſſe, quod ſcire ſignificat, proinde, qui exiſtimant aliquid aliud exigi, contradicunt Concilio, hæc enim duo, Nihil aliud, & Aliquid aliud, ſunt contradictoria.

Reſpondeo, tantùm abeſſe, vt ex verbis illis aliquid contra communem ſenſum fideliũ deducatur, † vt potiùs in eius fauorem aliquid 21 non obſcurè colligatur, licet enim de peccatis dubijs non ſit formaliter iudicium, nam dubiũ propriè dictum excludit aſſenſum, nihilominùs dici poterit de illis aliqua eſſe memoria, vt notauit *Cardinalis Delugo diſp. illa 16. ſect. 2. nu. 72.* & quamuis pœnitens de illis, ſi rigoroſè loquamur, ſcientiam non habeat, ea tamen retinet in ſua conſcientia, quæ remorſus appellatur, & ideo ſiſtendo in communi, & vſitato loquendi modo, dicuntur etiam eſſe in conſcientia pœnitentis; non vt certa, ſed dubia, proinde cum veritate dubitans, de ſe

ipſo

ipſo dicere non poterit, nihil mihi conſcius ſum, cum remorſum habeat. Addo à Concilio neminem ſuum declarari, cum per ſubſequentia verba excludit ſolum intra genus peccati lethalis, ea, quæ ſunt obligata.

12 Obiicies quartò. Si quis dubitet † an rem aliquam reſtituere teneatur, vel emiſerit nec ne votum, neq; ad reſtitutionem, neq; ad votum teneri poſt diligentem diſcuſſionem, vt ſupra firmauimus. ergo à pari, ſi dubitet peccaſſe, nõ tenetur tale dubium in confeſsione aperire.

13 Reſpondeo, negando paritatem, quia in caſibus adductis, poſſeſsio eſt pro dubitãte, ideoq; quamuis votum dici poſſet in aliquo ſenſu eſſe in cõſcientia ipſius dubitantis, hoc tamen non obſtante, non obligabitur ſic ambigens, ob rationem tactam, quam fuſè ſupra examinauimus; ſecùs in caſu noſtro, vt enim ſupra oſtẽdimus, lex diuina præcipit confeſsionem Sacramentalem omnium peccatorum, excluſis ſolum venialibus; proinde manente dubio de peccato mortali commiſſo, lex locum habet, & poſsidet, vſq; dum pœnitens dubium expellat, & agnoſcat in peccatum illud nequaquam ſe lapſum fuiſſe.

14 Obiicies quintò. Nemo † debet Iudici ſe ſubmittere ob delictum dubium, niſi de ipſo delicto conſtet: ergo pœnitens non tenetur in foro ſacramentali ſe ſubmittere confeſſario ob peccatum dubium; par enim eſt ratio in hoc inter Iudicem forenſem, & ſpiritualem; qualis eſt confeſſarius.

15 Reſpondeo, ob delictum dubium † nemo debet Iudici vt punienti ſe ſubmittere, concedo: Iudici vt liberanti, nego; caſu quo peccauerit, & pœnam æternam meruerit. Addo quod debet ſe ſubmittere, vt ſalutarem medicinam recipiat; igitur latum eſt diſcrimen inter vnum, & alterum Iudicem, & inter vnum, & alterum iudicium.

§. II.

Ambigens, an peccatum lethale à ſe patratum ſacramentaliter aperuerit, teneatur ne illud fateri?

SVMMARIVM.

1 *Opinio Caramuelis, eiuſq; diſcurſus probans caſum non eſſe poſſibilem diſtinctè proponitur.*

2 *Ex hypotheſi impoſſibili examinat caſum, & probat, in tali dubio, confeſſionem illius peccati non eſſe ante mortem, ſed ſolùm in fine vitæ.*

3 *Referunt quorumdam opinio aſſerens eſſe fatendum, quamuis qui illud commiſit probabiles rationes habeat, illud in confeſſione aperuiſſe.*

4 *Eſſe in confeſſione aperiendum, dubio vero exiſtente, ſecùs quando eſt iudicium probabile explicatum fuiſſe, cenſent plures.*

5 *Caſum non eſſe impoſſibilem decidit Author.*

6 *Si eſt dubium ſtrictè ſumptum aſtringi dubitantem ad illud fatendum.*

7 *Non placet Authori ſententia, quæ obligat ad confeſſionem peccati, de quo eſt iudicium probabile in cõfeſſione manifeſtatum fuiſſe.*

8 *Soluitur ratio fundamentalis, cui innititur Caramuel, & oſtenditur eius falſitas.*

9 *Poſt examen, ſi perſiſtat dubium, aſtringitur pœnitens ad peccatum fatendum.*

10 *Nequit Ambigens an debitum ſoluerit nec ne, ſolutionem vſq; ad finem vitæ differre.*

11 *Cauſſa, quæ excuſat dubitantem ad aperiendum peccatum, dum viuit, ſi perſeuerat, excuſat etiam in fine vitæ.*

12 *Eſt diſcrimen inter dubium de ſolutione crediti, & de confeſſione peccati commiſſi.*

13 *Reſpondetur ad argumentum pro ſecunda ſententia allatum.*

1 CIRCA præſens quæſitum primo loco ſe offert † ſententia *Caramuelis lib. 3. de dictam. conſc. diſput. 4. articulo 3. num. 1517.* vbi reſpondẽs ad primam obiectionem, aſſerit caſum hunc vix poſſibilem eſſe, videlicet dubitare an peccatum certò commiſſum in confeſſione fuit, nec ne, explicatum? nam qui ſcit in culpam aliquam incidiſſe, neceſſariò debet etiam ſcire certò, aut probabiliter, an illud explicuerit in confeſſione; hoc autem ſic ab ipſo Authore probatur. Conſcientia ambigua, & anceps ea eſt, quæ pro neutra contradictionis parte rationem habet, vel ſaltem pro neutra habet grauem; ſed talis conſcientia taliter anceps in præſentia non eſt poſſibilis, ergo neque poſſibilis caſus; minor, in qua conſiſtit difficultas, ſic oſtenditur. Dubitans, aut eſt perſona, quæ ſoleat, aut non ſoleat rectè confiteri: Si primum dicatur, probabiliter iudicandum erit, adhibitam fuiſſe diligẽtiam, animiq; diſcuſsionem, qua poſita vix contingit peccata grauia memoriæ non occurrere, niſi affectata negligentia non impediatur; proindè certò cenſendum erit, peccatum illud, de quo eſt dubitatio, an explicatum fuerit, 2 omiſſum minimè fuiſſe; vita enim præcedens grauem nobis ſubminiſtrat rationem, & vbi grauis ſe offert ratio, omne dubium, & negatiuum, & poſitiuũ recedere oportet: Si verò ſecundum eligatur, nempè ita titubantem non conſueuiſſe ritè confeſſiones peragere, ſiue id prouenerit defectu examinis, ſiue affectata ignorantia, iam haberetur ratio grauis credẽdi peccatum illud nequaquam declaratum fuiſſe, & cum ratio in contrarium non habeatur, moralis cõſurgit certitudo de omiſsione illius peccati; & ſic non eſſet dubium, atq; adeò non eſt poſsibilis conſcientia, quæ ſub tali dubio reperiatur:

riatur: Cæterum ſi pro neutra parte experimẽtum daretur, videlicet, tum de confeſſionibus ritè, tum non ritè peractis, vt in puero incipiente confeſsiones frequentare, tunc ſi puer iſte habuerit propoſitum benè confitendi, exiſtimandum erit, diligentiam adhibuiſſe ad examen cõſcientiæ, & per conſequens peccatum illud mẽti occurriſſe, & in confeſſione expoſitum fuiſſe, & contrarium non erit veriſimile. Sic ferè ratiocinatur *Caramuel* circa hoc punctum, ſuſtinens caſum non eſſe poſsibilem.

Sed tandem proponens illum, facta ſuppoſi-
2 tione impoſsibili, † remittit ſe ad ea, quæ infra ſoluens ſeptimam obiectionem erat dicturus; ibi enim eadem hypotheſi facta, docet, quando tale dubium inſurgit, non eſſe ſtatim admittẽdam obligationem illud cõfitendi, & hoc confirmat exemplo; ſi enim quis ſit certus ſe recepiſſe mille aureos à Petro nomine mutui, & temporis progreſſu dubitet, an illos reſtituerit, non erit ſtatim obligandus ad ſoluendum, ſed erit aſtringendus ad indagandam veritatem, ne periculo exponatur ſoluendi quod non debet; ideoq; poterit ſolutionem in mortis articulum differre; ſic in caſu noſtro durum videtur obligare dubitantem, an tale peccatum confeſſus ne fuerit, ad certam eiuſdem peccati confeſſionem, proinde quamuis rationes ſuadeant obligationem confitendi, nihilominus nõ oſtendũt obligationẽ hanc eſſe ante mortis articulũ. Hęc, & alia ſimilia profert *Caramuel* ad ſuam firmandam ſententiã, de cuius veritate, aut falſitate iudiciũ infra à nobis erit ferendum.

3 Secũdo loco proponenda † eſt opinio, quam tuetur *Aegidius Coninck diſput. 7. de pœnit. dub. 8. nu. 68. Ver. (Si autem loquamur)* & cum quadam limitatione inferius explicanda. *Ioa: Salas in p. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 5. in fine ſoluendo quartam confirmat. in ſolutione*, & nouiſsimè *Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. nu. 116. & 117.* aſſerit enim hæc ſententia, quod cum certò conſtat peccatum lethale patratũ fuiſſe; & hinc inde ſunt rationes probabiles, & probabilis opinio de confeſsione, aut non confeſſione illius peccati, qui talẽ opinionem habet, teneri ad peccatum illud in confeſsione aperiẽdum; quia opinio illa, quæ dictat peccatum explicatum fuiſſe, quamuis ſpeculatiuè ſit probabilis, practicè tamen non erit ita, quia re vera, cum pro vtraq; parte ſint probabiles rationes haberetur dubium poſitiuum, explicatione ſacramentali illius peccati. In pari autem cauſſa, vt ſtatuitur *in regul. iuris in 6. Melior eſt conditio poſſidentis*; & ideò cum ſit certum peccatum commiſſum fuiſſe, & per conſequens contractum fuiſſe debitum, illud in confeſsione aperiendi, & non ſit certa explicatio, poſſeſsio erit pro ipſo peccato, & pro debito illud confitendi; ſicuti ſi quis certo ſciat debitum aliquod contraxiſſe, licet pro vtraq; parte probabilem habeat opinionem, an ſatisfecerit nec ne, obligandus erit ad ſolutionem, cum poſſeſsio ſit pro debito prius cõtracto: limitat autem *Salas vt ſupra*, hanc opinionem, dicẽs, obligandũ eſſe pœnitentem ad fatendum peccatum illud, ſi abſq; graui ſui incommodo valeat id facere, ſecus ſi cum graui incommodo.

4 † Tertia ſententia duo aſſerit, videlicet, quãdo eſt verum dubium, an peccatũ commiſsum, in confeſsione ſit explicatũ, ita vt nullus ſit probabilis aſſenſus de confeſsione, obligandũ eſſe pœnitẽtem ad eius explicationem: at nõ teneri, ſi, iudiciũ probabile habeat de eius confeſsione. ità ex *Nauar.* expreſsè colligitur *Cap. 4. ſi quis autem diſt. 7. de pœnit. num. 77.* & manifeſtè in terminis id docet *Suarez to. 4. in 3. p. diſp. 22. ſec. 9. nu. 5. & 6. Sanchez in decal. lib. 1. ca. 10. nu. 76. Bonacina de Sacram. pœnit. diſp. 4. qu. 5. ſec. 2. diff. 4. nu. 3. & 4. Layman lib. 1. tr. 1. ca. 5. §. 4. num. 37. Bauny de hoc Sacram. tr. 4. qu. 16. concl. 2. in fine, De Lugo diſp. 16. de pœnit. ſec. 2. nu. 58. 59. & alij.* Fundamentũ huius ſententiæ quoad primam partem eſt, quia cum delictum ſit certũ, & nulla eſt probabilitas de eius confeſsione; vrget diuinũ pręceptũ, quo obligamur ad fatenda omnia mortalia poſt Baptiſmũ cõmiſſa, & poſſeſsio eſt pro ipſo præcepto, ſeu obligatione: Ratio autem pro ſecũda parte huius ſententiæ eſt, quia iudicium illud ex probabilibus rationibus deductum, poterit eſſe regula humanorũ actuũ, & vnicuiq; licitũ eſt ſequi probabilem opinionem, vt *diſceptatione præcedente* ſtatuimus; & ſi contra inſtetur, hoc verum eſſe de opinione practicè probabili, nõ autem de ea, quę tãtum eſt ſpeculatiuè probabilis, qualis videtur eſſe iſta, quãdo nõ cõſtat certò, ſaltem moraliter, peccatũ explicatũ fuiſſe in cõfeſſione, huic autem inſtantiæ *infra* erit ſatisfaciendum *in ſolutione argumentorum contrariorum.* His omnibus præmiſſis.

Dico primò. Opinio illa Caramuelis, qua vult
5 caſũ hunc eſſe inpoſſibilẽ, eſt omninò † reijciẽda, nam frequẽter experimur in nobis inſurgere dubium, an peccatũ aliquod, ſeu circumſtantiam aliquam cõfeſſi ſimus nec ne, & hoc non ſolùm in perſonis ſcrupuloſis, ſed etiã in aliis nõ ita timidis ſecundum conſcientiam, neq; vlla ratio cogit nos ad hanc poſsibilitatem negandam, vt melius infra videbimus eneruando fundamentalem rationem ipſius Caramuelis.

Dico ſecundò. Peccata mortalia cõmiſſa, de quibus vero dubio pœnitẽs ambigit, an in con-
6 feſsione Sacramẽtali explicuerit, † omninò tenetur illa aperire. Cõcluſio iſta, quæ communis eſt apud omnes, probatur eo argumento, quo Coninck, & Merolla conãtur ſuã ſententiã ſuadere, videlicet certũ eſſe, cõtractã fuiſſe obligationẽ cõfitẽdi peccatũ cõmiſſũ, & nõ cõſtat, cũ adeſt dubium de ſatisfactione huius debiti, atq; adeò poſſeſsio ſtat pro lege pcipiẽte horũ peccatorũ cõfeſsionẽ, & pro debito cõtracto; neq; ipſemet Caramuel hoc negabit, negat enim ipſe dubium iſtud contingere poſſe, non autem obligationem fatendi ex ſuppoſitione dubij.

7 † Dico tertiò. Opinio illa Coninck, & Meroll. quaten' dicit nõ ſufficere iudiciũ probabile, quo quis cẽſet ſe faſsũ fuiſſe peccatũ commiſsũ, non placet, tum quia cõmuniter Authores cõtrariũ

N n docent,

docent, tum quia ratio, cui opinio illa innititur, non eſt adeo efficax, vt cogat nos à ſententia communiter recepta diſcedere, vt manifeſtum fiet reſpondendo ad obiecta: Probatur autem concluſio argumento communi deducto ex principijs iactis de ſequenda opinione probabili, videlicet, talem opinionem ſufficientem eſſe ad regulandas humanas actiones, & non videri ſuauitati diuinæ legis conſentaneum in rebus moralibus requiri certitudinem, quæ rarò, & difficillimè in moralibus haberi à nobis poteſt. Supereſt nunc, vt ad contraria reſponſum demus.

Ad fundamentum autem, in quo Caramuel ſuam fundat opinionem, reſpondeo, quicquid ſit de maiore illa, nempè, conſcientiam dubiam eſſe tantum eam, quæ ibi deſcribitur, & velle videtur Caramuel; nam poterit etiam eſſe anceps alio modo ab enumeratis; ſed quicquid
8 ſit de hoc, ea tamen admiſſa, † neganda eſt minor, videlicet, conſcientiam, quæ pro neutra contradictionis parte grauem, aut ſaltem leuem habet rationem, ſub dubietate perſiſtere non poſſe; & addo diſcurſum illum, quo Author iſte hoc nobis nititur ſuadere, eſſe valdè deficientem ex vtroq; capite, quod inuoluit, & præſertim ex primo, quatenus dicit, eum, qui ſolitus fuit proprias culpas ritè cõfiteri, ſemper grauem habere rationem ad iudicandum peccatum illud, de quo dubitatio emerſit, explicatum fuiſſe; nam & ſi in perſonis, quæ cautæ, & timidæ conſcientię eſſe conſueuerunt, & hoc Sacramentum frequentant ſingulis hebdomadis, & interdum ſæpius, difficilimè accidere, vt obliuiſcantur aliquod graue peccatum, quamuis non erit id omninò impoſſibile ex eorum animo quandoque excidere aliquam circumſtantiam, nihilominus in perſonis, quæ multis, & diuerſis ſunt peccatis irretitæ, & rarò confitentur, ſępè id contingit, quantumuis diligenter proprias diſcuſſerint conſcientias; nam progreſſu temporis ambigere poſſunt, omiſerint, nec ne, tale peccatum, aut circumſtantiam, quod ex infinitis penè capitibus euenire ſolet, aut ex ignorantia, aut ex inaduertentia, ſiue in examine ipſo, ſiue in enarratione peccatorum, poterit enim mens ad aliqua nimium attẽdens, memoriã illius peccati, aut circumſtantię amittere, & perinde eſt hoc negare, aut de illo ambigere, quod negare hominem eſſe hominem, aut de hoc dubitare, modus enim, & naturæ humanæ conditio, vt experientia nos docet, talis eſt, vt homo valdè circa aliqua intentus, obliuiſcatur alia, & hoc non ſolùm experimur in hac materia, verum etiam in omnibus alijs humanis commercijs, nam diligentiſſimi in ſuis negotijs expendendis, interdum illis peractis, incipiunt dubitare, an aliquid ad eiuſdem negotij expeditionem faciens omiſerint; & multò facilius id accidit in cogitationibus mentis, à quibus nullo labore diſtrahimur; & ſi dicas per vitam præcedentem nobis grauem ſuppeditari rationem: reſpondeo ita eſſe per ſe loquendo, niſi hic, & nunc ex aliquo accidente, quod conditio humanæ naturæ ſæpè ſubminiſtrat, cogamur oppoſitũ iudicare, non obſtante modo illo cõſueto vitę præcedẽtis. Rurſus neq; diſcurſus huius Authoris ex alio capite erit omnino cõcedẽdus, ſcilicet, ſi nõ fuit homo ſolitus confeſſiones ritè peragere, graue habere argumentũ ad ſibi perſuadendũ omiſſum fuiſſe peccatum illud, nam licet quis oſcitanter cõſueuerit examen conſciẽtiæ, & explicationem ſuorum criminũ efficere, nihilominus nulla apparet repugnãtia, aut nimia difficultas, quin habeat ſufficiẽtem, & probabilem rationem ad credẽdum peccatũ, aut circumſtantiã aliquam declaratam fuiſſe, quia poterit circa tale determinatũ peccatũ valdè exactam diſcuſsionẽ effeciſſe, & ſic inſurgente dubio de eius confeſsione, rationabiliter illud deponat. Maneat igitur ex dictis poſſibilem eſſe cõſcientiam, quę nullam, vel leuem habeat pro vtraq; parte cõtradictionis rationem, & hoc non obſtante, ancipitem eſſe, & per conſequens caſum, quem propoſuimus, falsò exiſtimari impoſsibilem.

Ad doctrinam autem, ab eodem Authore adductam pro ſua firmanda ſentẽtia, & ab eodem ſuppoſitione tacta de poſsibilitate caſus, nempè poſsibile eſſe, dubiũ aliquãdo emergere, an peccatũ aliquod in cõfeſsione ſit nec ne explicatũ;
9 reſpondeo, † doctrinam illam eſſe omninò repellẽdam, & declaratione indigere, quatenꝰ ibi aſſeritur, emergẽte dubio, nõ eſſe ſtatim admittẽdã obligationẽ aperiẽdi peccatũ illud in cõfeſsione; ſi enim intelligatur ante diſcuſsionem proprię cõſcientię ad veritatẽ inquirẽdã, fateor, nõ eſſe dubitantem aſtringendũ, ſi verò intelligatur poſt diſcuſsionẽ, eſt prorſus negandũ, & addo teneri ex præcepto diuino ità dubitãtẽ, vel antequam Euchariſtiã recipiat, vel quãdo iterũ vult ad Sacramentũ pœnitẽtiæ accedere, examen prædictũ facere, & eo peracto, ſi reperiat, peccatũ illud minimè explicatum fuiſſe, vel adhuc perſiſtere dubiũ, teneri illud ſub dubio Sacramẽtaliter fateri, ob rationes à nobis ſuperius aſſignatas, & omittẽs, grauiter peccabit, ſumẽs Sacram Euchariſtiam cum tali dubio, aut ſe exponens periculo dimidiandi Sacramentalem confeſsionem.

Præterea falſum eſt, quod dicitur de eo, qui mille aureos mutuos à Petro accepit, & poſtea de ſolutione dubitat; nam debitori in tali caſu nõ cõceditur alia dilatio, niſi quantũ ſufficit ad moralẽ, & prudẽtem diligentiam, vt veritas innoteſcat, & ſi diligẽtia adhibita, nõ poterit veritatẽ ipsã exploratã habere, dubio adhuc permanente, tenebitur ſtatim ſoluere, vel totũ, vel ſaltem partem debiti, de qua re nihil in præſẽtia determino: reijciendũ verò eſt conſiliũ illud, nẽpè poſſe debitorẽ etiam poſt diligẽs examen,
10 † differre ſolutionem in articulum mortis; horrent aures hoc ſentientes. Et ſi vrgeas ad debitorem ſubleuandum, à nobis illum exponi periculo bis ſoluendi, & interdum ſine ſpe recuperandi bis ſolutum, reſpondeo poſſe cautum ſe reddere ſolutionem faciens ſub conditione, vt creditor ſe obliget ad reſtituendum

ſecun-

ſecundò acceptum, ſi fortè ſolutio temporis progreſſu reperiatur.

Deniq; quod docet idem Author, eximens pro vitæ tempore dubitantem ab obligatione aperiendi peccatum, de quo ambigit, an illud explicuerit nec ne, illumq; obſtringens ad illud
11 fatendum in articulo mortis, † nullo modo placet, quia ſi pœnitens prudenter liberatur, dum viuit, à Confeſſione talis dubij, liberādus etiam veniet in mortis articulo ſine vlla prorſus diſparitate; nam ſi explicationem illius dubij ritè omiſit, fatendo alia, & de eiſdem Sacramentalem obtinens abſolutionem, etiam ſi peccatum illud dubium verè omiſſum fuerit, delebitur indirectè virtute Sacramenti, conferentis gratiam; proindè ex hoc capite pœnitens ſalutem in diſcrimine nequaquam ponet. Quid Caramuel ad hoc reſpondet, ignoro.

Addo etiā, quod ſermonē habētes de debito illo dubio, & demus eidē Authori obligationē ſoluendi in fine vitæ, non autem antea, non deberemus hanc eamdem obligationem imponere pœnitenti dubitanti, an peccatum declaratum fuerit nec ne? eſt enim longè diuerſa ra-
12 tio; † in priori enim caſu, ſi omninò ſolutio omittatur, graue damnum inferri poſſet creditori, ſi re vera ſolutio facta minimè fuerit; at in ſecundo caſu nullum ipſi pœnitenti, etiam ſi peccatum illud omiſerit, detrimētum quoad ſalutem obueniret, vt expoſuimus.

Ad fundamentum verò ſecundæ opinionis, quam Coninck, & Merolla tuentur, reſpon-
13 deo, † negando, non eſſe practicè probabilem ſententiam aliorum, qui dicunt, ſtante probabili iudicio de explicatione peccati, nullam eſſe obligationem ad illud aperiendum, moueor, quia ex vna parte nulla ſufficiens ratio apparet, qua, ita exiſtimans nequeat amplecti dictum opinionis ſpeculatiuè probabilis, formando ſimile iudicium practicum iuxta principia vniuerſalia, quibus inſtruimur, licitum nobis eſſe admittere ſententiam probabilem; ex alia parte non deeſt congrua, & efficax ratio, quæ ſuadeat, ſtante tali iudicio nullam eſſe obligationem aperiendi peccatum illud, vt vidimus in tertia concluſione, proindè nihil aliud deſideratur, quin ex ſpeculatiua probabili practicam ſimilem deducamus.

Illud vero, quod dicitur ex *regulis iuris in 6. in pari cauſſa meliorem eſſe poſſidentis conditionem*, concedendum ſanè eſt, ſed negandum in caſu, de quo agimus, poſſeſſionem ex parte legis ſe tenere, quia poſita probabilitate de confeſſione illius peccati, libertas voluntatis poſſidet, & paritas ex debito ciuili contracto non valet; nam ſi finem, ob quem inſtitutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, inſpiciamus, hoc inferri debet, diximus enim *paragrapho præcedente* tribunal hoc ſacramentale fuiſſe à Chriſto Domino erectum in leuamen, & ſalutarem medicinam pœnitentium, & ad eoſdem liberandos à peccatis, & pœnis debitis, non ad puniendos; ſi autem ipſe Deus obligare voluiſſet fideles ad aperienda omnia peccata, de quibus non datur certitudo, explicata ne fuerint in confeſſione cum omnibus ſuis circumſtantijs, grauiſſimum fuiſſet onus impoſitum fidelibus, cum magno eorum detrimento ſpirituali, & corporali, quia progreſſu temporis poſt confeſſiones peractas, cum è memoria excidat ſignata talium, vel talium criminum, aut circumſtantiarum explicatio, obligarentur fideles ad iterum, atq; iterum fatendū peccata, ex quo maxima perturbatio, & mētis anxietas ſuboriretur, & pariter capitia offendiculo, & conſequenter quod fuit inſtitutum in lenamen, reſultaret in graue onus, imò in tædium huius Sacramenti, quapropter dicendum erit, ſatis eſſe ad eximendum pœnitentem, vt veriſimile, & prudens eliciat iudicium de tali peccato, iam confeſſo, vt liberetur ab onere illud fatendi; poſito autem tali iudicio, in libertate ipſius pœnitentis erit illud idem peccatum apetire, vel omittere, atque adeò vtroque manente in ipſius pœnitentis facultate, poſſeſſio erit ex parte ipſius, & non ex parte legis, quæ ſolùm obligat ad aperienda peccata commiſſa, de quibus certò conſtat, vel rationabile dubium eſt, an fuerint nec ne explicata, ad peccata tamen certò, vel probabiliter ritè confeſſa, & abſoluta, non extenditur lex, & præceptum confeſsionis; proindè non poterit ipſa eſſe in poſſeſsione. Cæterum loquendo de debito ciuili iam contracto, ſaltem quando eſt onerosum, res non ità ſe habet, tum quia virtus iuſtitię commutatiuę ſtrictiùs obligat, & tendit ad ponendam æqualitatem rigorosam inter creditorem, & debitorem, quæ non habebitur per ſolutionem duntaxat probabilem, vt ſic daretur incertum pro certo, & per conſequens non tolleretur inæqualitas inter creditorem, & debitorem, ad quam per poſitionem æqualitatis tendit virtus iuſtitiæ; tum etiam quia implicita intentio contrahentium, cum contrahunt, eſt, vt reddatur certum pro certo, & non incertum, & ideo in tali dubio iuſtitia eſt ordinata potiùs in gratiam, & beneficium creditoris, quàm debitoris; at Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum fuit, vt diximus, in leuamen, & beneficium debitoris, qualis eſt peccator pœnitens, proindè paritas illa deſumpta ex debitis iuſtitiæ nihil contra communem doctorum ſententiam probat: dixi, quando debitum iuſtitiæ originem habuit ex contractu oneroſo; nam ſi proceſsiſſet ex liberali promiſsione, aut donatione vult *Cardinalis de Lugo loc. cit.* illi ſatisfieri poſſe ſolutione tantum probabili, ſed quicquid ſit de hoc, ſatis nobis erit, eamdem paritatem non inueniri inter debitum iuſtitiæ, & debitum contractum à peccatore in ordine ad confeſſionem ſacramentalem,

Nn 2 §. III.

§. III.

Hæſitans an peccatum à ſe commiſſum ſit reſeruatum, debet ne pro tali illud exiſtimare?

SVMMARIVM.

1 *Non eſt ſermo de dubio iuris, ſed facti.*
2 *Dubium facti ex multiplici ſuboritur capite.*
3 *Aliud eſt poſitiuum, aliud vero negatiuum.*
4 *Sermo eſt quando reſeruatio fertur in peccatum ſimpliciter prolatum.*
5 *Tale peccatum in dubio cenſeri reſeruatum, cenſuit Spinula.*
6 *Alij dicunt non eſſe reſeruatum.*
7 *Aliqui limitant hanc ſententiam, quando præſumptio fori externi non eſt pro peccati reſeruatione.*
8 *In dubio an fuerit nec ne commiſſum eo modo, quo fuit reſeruatum, non cenſebitur reſeruatum.*
9 *Refertur opinio Spinulæ, eiuſq; fundamenta.*
10 *Friuolæ ſunt rationes à Spinula adductæ, eiſq; ſatisfit.*
11 *Argumentum ad hominem contra Authorem probans paritatem.*
12 *Infringitur argumẽtum, oſtenditurq; diſparitas.*
13 *Peccatum præſumptum reſeruatione non afficitur.*
14 *Soluitur ratio pro priori ſententia.*
15 *Satisfit fundamento tertiæ opinionis oſtendendo diſparitatẽ, quo ad hæreſim præſumptam in ordine ad excommunicationem, & quo ad peccati reſeruationem pro foro interno.*

PRO huius quæſiti deciſione nonnulla ſunt ſupponenda. Et
1 primò † ſermonem non eſſe de dubio iuris, quod euenit, quando verba legis ſunt obſcura, & duplicem habere poſſunt interpretationem, & ſecundum vnam comprehendunt caſum ſub reſeruatione, minimè ſub altera; in tali enim ambiguitate, ſi mens legiſlatoris ſciri nequeat, certum eſt caſum, vt non reſeruatum eſſe habendum, quia cum de lege reſeruante nõ conſtet, & lex huiuſmodi ſit odioſa, poſſeſſio erit pro exemptione à reſeruatione; loquutio igitur eſt de dubio facti, quod ex multiplici
2 capite † reſultare poterit, videlicet ex inaduertentia ſufficiente ad peccatum mortale; vel ex leuitate, aut grauitate materiæ, vel demum ex negatione, aut poſitione actus perfecti, & completi, in quem tendit reſeruatio. V. G. ſit reſeruatum peccatum abortus factus animati, ſi quis illum potione, pharmaco, aut alio modo procuret, dubium poterit inſurgere in quantum procurans dubitat, an tempore, quo dedit potionem mulieri prægnanti, debitam, & plenam habuerit aduertentiam, quæ cenſebatur neceſſaria ad grauiter delinquendum; vel ambigat an potio fuerit nec ne in ea quantitate, aut qualitate ſufficienti ad abortum cauſſandum, vel denique etiam his duobus cõcurrentibus, nempè, plena aduertentia, & potione efficaci ad talem effectum, hoc non obſtante, dubium ſit, an fœtus fuerit animatus, an verò inanimatus, quocumquè modo ex his contingat dubitatio, ſemper erit dubium de facto; & ſic formari poterit caſus in alijs materijs.

Secũdò ſuppono dubium etiam de facto eſſe
3 poſſe † poſitiuum, & negatiuum, de quibus egimus *diſcept. 5. cap. 1.* vtrumq; declarantes, præcipuè autem præſens quęſitum procedit de dubio negatiuo, nam poſitiuum facilè tranſit in opinionem, & ſi tranſire nequeat, eadem erit ratio, ac de negatiuo.

Tertiò ſuppono, nos loqui, † quando reſeruatio fertur in peccatum abſolutè, & ſimpliciter prolatum, & non quando etiam in reſeruatione includitur caſus dubius, tunc enim ceſſaret quæſitum, & ratio illud inſtituendi, quia peccatum commiſſum ſub dubio comprehenderetur ſub reſeruatione, vt erant omnes caſus tum Pontificij, tum Epiſcopales poſt *primum decretum Clementis VIII*, ante moderationem ab ipſomet factam, & de his decretis infra redibit ſermo, ſatis nobis erit pro deciſione huius quæſiti ſupponere ſub reſeruatione explicitè non includi caſum dubiũ, ſed præſcindi. His omnibus præſuppoſitis.

Prima opinio vult in tali dubio peccatum †
5 cenſeri reſeruatum, pro illa apud Doctores laudandos citatur *Armilla verb. Caſus num. 13. Frias in tract. de modo audiendi confeſſ. par. 2. capit. 8. caſ. 2.* & in eadem opinione dicunt videri *Corduba in Regula Sancti Franciſci capit. 7. quæſtione 4. p. 1. caſ. 5.* Sed re vera hi Authores non ita loquuntur; nam *Armilla ibidem* ſolùm dicit in eo dubio ſecuriorem partem eſſe eligendam, at non declarat an ex conſilio, an verò ex neceſſitate fieri debeat; *Corduba* hoc tantum aſſerit, ſcilicet in dubio ad Superiorem pertinere iudicium, an peccatum ſit ne reſeruatum, ſed non docet eſſe reſeruatum; hęc enim duo ſunt valdè diuerſa, & ex vno aliud non infertur, aliud enim eſt peccatum, aut votum quoad iudicium reſeruationis pertinere ad aliquem, aliud eſſe reſeruatum, & nouiſſimè in eadem ſententia eſt *Spinula in opuſc. de pruden. elec. diſp. vlt. ſect. 7. Ver. Quãdo autem quis*. Ad hanc ſententiam probãdam nulla alia ratio adduci poterit, niſi quia in adminiſtratione, & receptione huius Sacramenti tutior via eſt accipienda, aliter ſi peccatum ſub dubio reſeruatum habeatur vt non reſeruatum, & aperiretur Confeſſario, nõ habenti iuriſdictionem in reſeruata, exponeretur Sacramentum periculo irritationis ob defectum poteſtatis.

6 Secũda autem ſententia docet, † peccatum dubium non eſſe reſeruatum. ita *Hẽriquez lib. 6. de*

6. de pœnit. cap. 26. num. 7. Suarez de cenſ. diſp. 40. ſect. 6. num. 5. & de Relig. tom. 2. libr. 4. de voto cap. 5. num. 15. Emmanuel Sà in aphoriſ. verb. caſus reſer. num. 5. Porrell. in dubijs reg. eod. verb. num. 7. Merolla tom. 1. diſpu. 3. cap. 3. dub. 2. num. 366. Gaſpar Hurtado de Sacra. pœnit. diff. 11. dub. 6. Cardin. Delugo diſp. 20. de pœnit. ſect. 2. num. 18. Diana tom. 3. tract. 3. de conſc. dubia reſol. 4. Thomas Delbene de immun. Eccl. dubit. 4. ſubſect. 31. ſubcorol. 10. num. 2. & 4. & alij apud ipſum, qui abſolutè aſſerunt, talem caſum habendum eſſe tamquam non reſeruatum, ac proinde poterit Sacramentaliter remitti à quolibet Confeſſario, iuriſdictionem circa mortalia habente.

Tertia opinio, quæ prędictam limitat, reſerri veluti diſtincta à nobis poteſt, cõuenit enim cum immediata præcedente, quatenùs aſſerit, peccatum dubium ſimpliciter loquendo, nõ cẽ-
7 ſeri reſeruatum; † addit tamen hoc eſſe intelligendum, quando præſumptio fori externi nõ eſt contraria, videlicet, quando non pręſumitur peccatum illud patratum fuiſſe, eo modo, quo eſt reſeruatum, quia ſi adeſt talis præſumptio, tũc poſſeſſio ſe tenebit pro ipſo peccato commiſſo, ſeu pro lege reſeruante, & conſequenter ipſum peccatum habendum erit pro reſeruato, & nõ poterit pœnitens abſolui, niſi à Superiore reſeruante. Hanc ſententiam tuetur *Sanch. lib. 1. in decal. cap. 10. num. 74. Fillinccius trac. 25. cap. 4. num. 172. Bonacina de Sacram. pœnit. diſp. 5. quæſt. 7. pun. 5. §. 4. num. 1.* & eidem opinioni adhęrere videtur *Alphonſus de Leone de offic. & poteſt. confeſſ. par. 1. reſol. 17. nu. 25.* Fũdantur hi Authores in hoc iuris principio, videlicet, quod quãdo deeſt certitudo, pręſumptio ipſius iuris habenda ſit pro veritate, & hoc pacto id exemplificant. Si quis v. g. exterius hæreſim proferat; poſtea verò dubitet, an hęreſis illa ex intellectus errore proceſſerit, nec ne, pręſumitur proceſſiſſe, quia verba externa cum ſignificent internum mentis conceptum, nemo præſumit rem aliquam exterius aſſerere diuerſam ab ea, quam interius ſentit. *L. Labeo ver. Id Tubero ff. de ſupell. leg.* proinde cum in foro externo proferens hæreſim hæreticus exiſtimetur, ita dum veritas non apparet, cenſendus erit in foro interno: Sic diſcurrũt pręadicti Authores, & doctrinam applicant ad præſentẽ caſum, & aiũt peccatum dubium, ſi præſumptio ſit pro ipſo, iudicandum erit reſeruatum, ſi tale ſit, certitudine poſita. Vt aũt quid in re hac ſit probabilius nunc aperiemus.

Dicendum eſt primò, ſi penſatis omnibus, peccatum ſub lege reſeruationis manet ſub dubio, an fuerit, nec ne, commiſſum, aut ſaltem fuerit perfectè conſummatũ, nec ne, eo modo,
8 ſub quo comprehenditur in reſeruatione, † habendum erit pro non reſeruato, vt volunt Authores ſecũdæ ſententiæ; probatur, quia reſeruatio cum ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, atq; adeo, quãdo fertur in peccatum, vt ſic ſimpliciter prolatum, non venit peccatum dubiũ: E. C. ſi reſeruetur furtum ſacrilegum, & raptor poſt furtum commiſſum dubitet, an fuerit, nec ne, ſacrilegum, furtum illud non cenſendum erit reſeruatum, nam furtum dubie ſacrilegum, non eſt ſimpliciter ſacrilegum, ſed tantùm ſecũdum quid; idcircò non clauditur ſub lege reſeruãte furtum ſimpliciter ſacrilegum, quamuis in confeſſione teneatur fur aperire circũſtantiam ſacrilegij dubiam.

Sed oſtendere enitens *Spinula loc. cit. in*
9 *probatione minoris,* † neq; indirectè tale peccatum remitti poſſe, inſurgit contra prędicta, docens ea peccata deleri indirectè, quæ sũt oblita, vel quæ ſine culpa clauibus non ſubijciuntur, nam quæ directè ſubijciuntur, non niſi directè remitti debent.

Præterea ſubdit tùm Confeſſarius, tùm pœnitens cùm ſciant periculum, quare volũtariè eligunt talia peccata exponere, quæ indirecta indigent remiſſione? & cùm negligant directã, iniuriam faciunt Sacramento, ideoq; non merentur, neq; indirectam habere.

Si verò dicas, licet peccatum illud re vera ſit commiſſum, nihilominùs dum in ambiguo manet, ſuſpenditur reſeruatio. Contra eſt, quia talis ſuſpenſio eſt incerta, & poteſt non eſſe, atque adeo periculum minimè euitatur irritandi Sacramentum, ideoq; graue erit peccatum tali ſe periculo exponere.

Et confirmatur, quia nulla eſt ratio, cur dubium ſuffragari debeat peccato ipſiuſmet dubitantis, quod non ſit reſeruatum; ſicuti enim dubium non ſuffragatur, quin peccatum in cõfeſſione aperiri debeat; ita neq; debet ſuffragari quoad reſeruationem.

Neq; valet recurrere ad probabilitatem illam ſecũdum quam aliqui dicũt, eſſe probabilem opinionem, quæ ait in dubio caſum illum minimè eſſe reſeruatum, & per conſequens prudẽter operari, ſi quis huic opinioni adhęreat, tutiorem partem minimè ſequendo: Non valet, inquam, quia talis opinio, quamuis probabilis, poterit eſſe falſa, ideoq; in materia Sacramenti, vt vidimus, tutiorem eſſe eligendam ſententiã.

Tali diſcurſu conatur Spinula noſtram hanc opinionem impugnare.

10 Verùmtamen difficile nobis non erit † rationes iſtas infringere: concedo igitur Spinulę ea peccata indirectè per virtutem Sacramenti deleri, quę inculpabiliter omittuntur, hoc eſt, vel per obliuionem, vel per probabilem opinionem, ſecundum quam Doctores exiſtimant caſum, vel ſecundum ſe, vel in talibus circumſtantijs non eſſe reſeruatum; quamuis alij de hoc dubitent, vel oppoſitum ſentiant; quo poſito negandum eſt periculum morale interuenire, & falſum eſt à Confeſſario, & pœnitente negligi directam remiſſionem, & iniuriam fieri Sacramento, & demùm à pœnitente non mereri, neq; indirectam remiſſionem; nulla enim ſegnities ita procedenti aſcribi poterit, nulla prorſus iniuria in Sacramentum, atq; adeo nulla prębetur talis demeriti occaſio, vt putauit Spinula, cum prudẽter omnia geſta ſint, ſequẽdo dictamen Doctorum; & ſi inſtetur nõ eſſe

om-

omninò certum caſum in illis circumſtãtijs nõ comprehendi ſub reſeruatione, cum alij Doctores de re hac ancipites ſint, vel probabiliter caſum eſſe reſeruatum iudicent: reſpondeo nihil mali ſequi, quia cenſeo moraliter eſſe certũ, quod diximus, nempè in dubijs caſum non cenſeri reſeruatum, quando in lege non reſeruatur etiam caſus dubius, ſed ſimpliciter reſeruatur v.g. furtum, nihil aliud addendo, tunc intelligi debet de actione illa furtiua, quæ ſimpliciter, & abſolutè eſt talis, qualis eſt certa, & manifeſta, non dubia, & tantùm probabilis, & ideo rectè *Sanchez lib.4. in decal. cap. 32. num. 2.* inquit, cum homicidium reſeruatur, in reſeruatione non comprehendi homicidiũ dubium, idemq; aſſerit *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 6. n. 1.* loquens de caſibus reſeruatis, docet enim, quod quando abſolutè dicũtur, includunt tantùm caſus moraliter certos, idemq; aſſerũt reliqui, quos laudat, & ſequitur *Cardinalis De Lugo de pænit. diſp. 20. ſect. 2. num. 18.* & meritò hoc dicunt, & defendũt, quia reſeruatio cum ſit odioſa ſtrictiſſimè eſt intelligenda: igitur cum pro hac ſententia, & ratio, & authoritas adeò clarè nobis faueat, non eſt curandum de contraria ſententia, quam cenſeo falſam, & neminem legi, qui eam apertè teneat, & licet vnus, aut alter inueniretur, nõ redditur probabilis opinio iſta contra torrentem Doctorum, efficaciſſimis rationibus noſtram tuentium opinionem; ſed ad ampliorem noſtræ ſententiæ firmitatem, demus Spinulæ caſũ in prædictis circumſtantijs eſſe reſeruatum, quid inde? erit ne propter hoc irritum Sacramentum? nequaquam. Nam quamuis poſſim credere in his caſibus, in quibus prudenter homo operatur ab Eccleſia iuriſdictionem conferri, ſaltem negari non poterit validitas Sacramenti, ex eo, quod ſimul alia peccata aperiũtur, in quibus remittendis certam iuriſdictionem habet Confeſſarius, & ſic cõficietur Sacramentum, gratia conferretur, & indirectè delebitur peccatum illud reſeruatum, neque moraliter occurrit, vt tota, & integra materia Confeſſionis ſit ſolùm illud peccatum reſeruatum, & ſi hoc etiam daremus, atq; adeo Sacramentum non cõfici ob defectum iuriſdictionis in Confeſſario, neq; Confeſſarius, neq; pœnitens peccabit, quia prudenter operati ſunt, ſequentes probabilem opinionem.

Vrgebis opinionem eſſe ſolum ſpeculatiuè, & non practicè probabilem.

Contra eſt, vnde nam colligitur carere practica probabilitate?

Dices ex eo, quod Sacramẽtum periculo inualiditatis exponitur.

Reſpondeo iam ſufficienter oſtendimus, nullum, ſaltem morale, periculum inueniri in electione huius ſententiæ.

11 Sed poſſet quis † validum argumentum cõtra nos ad hominem obijcere, ſupponendo doctrinam ſuperius traditam *in diſcept. 4. cap. 31. concl. 5.* ibi enim cõtra plures ſuſtinuimus opinionem illam, in materia Sacramẽtorum, etiam ſpectando ſolam virtutem Religionis, & præſcindendo à præiudicio tertiæ perſonæ, eſſe admittendam, quæ tutior eſt; & hoc, quia non videtur rectæ rationi conſonũ exponere Sacramentum periculo inualiditatis, in præſentia autem videmur contrarium aſtruere; igitur alterutrum oportet eſſe falſum.

12 Reſpondeo, inter vnum, aliumq; caſum † diſcrimen inueniri, proinde minimè cogimur ad alterutrum negandum, vtrumq; enim ſuſtinemus: diuerſitas autem, ſi rectè omnia perpendantur, facilè fiet manifeſta, ibi enim fundauimus dubium poſitiuum, comparantes opinionem minus tutam cum tutiore in ordine ad ea, quæ ex Chriſti Domini inſtitutione dependẽt videlicet in ordine ad materiam, & formam Sacramentorum; hìc verò conſideramus ea, quæ à iure humano dependent, qualis eſt reſeruatio; idcircò in hoc poſteriori caſu habemus varia iuris principia, quæ noſtræ ſententię, & doctrinæ ſuffragantur, ſcilicet reſeruationem eſſe ſtrictè ſumendam, & interpretandam; Rurſus pertinere ad prudentem, & ſuauem gubernationem Summi Pontificis, & inferiorũ Prælatorum, ita ſe gerere in reſeruãdis caſibus, aut cenſuris, vt ipſa reſeruatio nõ redũdet in damnum ſpirituale animarum, ſed in earumdem beneficium, & ędificationem; quapropter ſciẽtes ipſi communem Doctorum opinionem, nempè caſum in dubio non iudicari reſeruatum; ſi in reſeruatione illud ſibi non reſeruent, cenſentur implicitè opinionem hanc approbare, & permittere, vt practicetur: Si verò ipſi exiſtimarent falſam eſſe hanc opinionem, aut non tutã, tenerentur ſe declarare, videlicet etiam in dubijs caſum ſibi reſeruare, ne laqueos animabus fidelium iniiciant; ideoq; etiam dico, quando dubium eſt poſitiuum, ſcilicet hinc, & inde ſũt rationes probabiles, tùm pro reſeruatione, tùm etiam pro eius negatione; animaduertentes aũt hoc Prælati, & eas opiniones permittentes, & nihil in contrarium ſtatuentes, implicitè ſinũt, vt vnuſquiſq; ſuã ſequatur ſententiam; proindè præſumuntur virtualiter velle, vt iuxta probabilem ſententiam Confeſſarii ſe gerant in abſoluendis pœnitentibus. Verùm quando agitur de partibus eſſentialibus Sacramenti, quarum defectus ab Eccleſia, eiuſq; Prælatis ſuppleri nequit, tunc ibi diximus non poſſe eligi minus tutam opinionem, neq; hoc abſolutè protulimus, ſed cum addito, nempè quando nulla eſt neceſſitas, ſeu rationabilis cauſſa omittẽdi opinionem tutiorem pro minus tuta. Ex quibus clarè innoteſcit diſparitas inter vnum, & alium caſum, ideoq; nihil cõtra doctrinam, quam defendimus efficaciter obijci poterit. Neq; quicquam Spinulę ſuffragatur, quod in confirmatione pro ſua ſentẽtia proponitur, videlicet nõ debere dubium ſuffragari peccato ipſius dubitantis: reſpondemus nõ ſuffragari peccato, ſed pœnitẽti, cui minus nocere debet dubietas, quã certitudo delicti; & quamuis dubietas illi non faueat in ordine ad eximendum ipſum pœnitẽtem à confeſſione peccati dubii, poterit tamen eidem fauere in ordine ad reſeruationem; nam

de eius

de omni confeſſione habemus præceptũ, & praxis fidelium id admonet, de reſeruatione verò oppoſitum deprehendimus, vt ſufficiẽter à nobis demonſtratum eſt; & ex his patet ſolutio ad omnia, quæ in contrarium ab ipſo Spinula afferuntur.

2. Dicendum eſt ſecundò, peccatum præſũp-
13 tum, † non eſt reſeruatum, eſt contra *Sanch. & alios relatos pro tertia opinione*, defenditur tamen à *Cardinali Delugo*, à *Merolla*, & *Thoma Del Bene, vt ſupra*. Concluſio oſtendi poterit eodem argumento, quo præcedẽtem probauimus, nempè, ex eo, quod reſeruatio, cum odium cõtineat, & ſtrictam habeat explicationem, intelligenda erit de peccato certo, & non de præſumpto, quod certum exiſtimatur ſolùm iuris fictione, & per conſequens non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; fictio autem iſta nequit à reſeruatione odium, & ſtrictam explicabilitatem tollere, vide, quę diximus *in comment. ſuper Bullam Cruciatæ*, loquentes de votorum reſeruatorum commutatione *par. 2. tract. 7. cap. 2. ſect. 5. §. 10.*

Ad rationem autem, qua probatur prima
14 opinio; † reſpondeo, non eſſe neceſſariam ẽt in ſuſceptione huius Sacramenti ſequi tutiorem partem; ſufficit enim ſequi practicè tutam, & maximè, quia cum confeſſione huius peccati, quæ fit coram Sacerdote inferiori, miſcentur alia, in quæ ipſe Sacerdos certam habet poteſtatem; proinde efficitur Sacramentum, & indirectè ſaltem remittitur illud peccatum, de quo eſt dubium, an ſit reſeruatum, atq; adeo vt ſic, neq; Sacramento ſit iniuria; neq; damnum obuenit pœnitenti. Addo eſſe multorum Doctorum ſententiam, qui probabiliter exiſtimãt ad conferendam iuriſdictionem in ijs, quæ pẽdent ab Eccleſia, ſufficere probabilem opinionem, & hoc nos ſuperius admiſimus.

Ad fundamentum autem tertiæ ſententiæ,
15 † reſpondeo, quod quamuis in foro externo proferens hæreſim cenſeatur hæreticus, atque adeò excommunicatus excommunicatione reſeruata, non ita in foro interno quo ad reſeruationem; ratio autem diſcriminis eſt, quia in foro externo omnia ſunt ipſi Reo contraria, & hæreſim probantia, & nulla ratio excuſans interdùm adduci poterit; nam dubitatio iſtà, quà Reus detinetur, pro foro externo eſt prorſus inefficax, & ipſi Reo eam aſſerenti fides non præſtabitur, at pro foro interno ſufficiens teſtimonium præbet, quia in tali foro ipſi Reo eſt credendum.

§. IV.

Quid determinandum, ſi pro vtraque parte dubium poſitiuum emergat?

SVMMARIVM.

1 *Expenditur caſus, quando eſt dubium poſitiuũ, an peccatũ ſit reſeruatum.*
2 *Pro reſeruatione ſentit Spinula.*
3 *Fundamentum, cui Spinula innititur.*
4 *Non cenſetur reſeruatum.*
5 *Probatur efficaci ratione.*
6 *Confirmatur ad hominem contra Spinulam.*
7 *Conatur Spinula diſparitatem aſſignare, cur in dubio etiam probabili reſeruationis tutiorẽ partem ſequi aſtringamur, non autem in dubio probabili cenſuræ.*
8 *Impugnatur diſparitas allata.*
9 *Aperitur vera paritatis ratio.*
10 *Reſpondetur ad argumenta Spinulæ.*
11 *Proponitur inſtantia quædam, & à Spinula ſoluitur, cuius ſolutio Authori fauet.*
12 *Triplex traditur explicatio ad Sacros Canones in contrarium allatos.*

IN præcedente paragrapho loquuti ſumus de dubio negatiuo, & proprio circa reſeruationem alicuius caſus, nunc idem erit exa-
1 minandum, † quando eſt dubium poſitiuum, & impropriũ, nempè, cum hinc, & inde contrarię probabiles rationes ſe offerunt, tùm pro reſeruatione, tùm pro eius negatione.

Controuerſiam hanc expendit *Spinula in illo ſuo Opuſculo de prudenti agibilium electio-*
2 *ne diſput. vltima, ſect. 2. concl. 4.* † & pro reſeruatione decidit, videlicet, caſum cenſendum eſſe reſeruatum; citat *Nauarrum*, cui quæſtionem hanc propoſitam fuiſſe affirmat, & pro reſeruatione decidiſſe *lib. 1. conſil. de tempor. ordin. conſ. 9.*

Vnicum fundamentum, quo ipſe Spinula conatur ſuam ſuadere ſententiam, eſt, quia in materia Sacramẽtorum, & in ſubiecta materia, in Sacramento pœnitentiæ tutior pars ſequenda erit, ne ipſum Sacramentum irritationis periculo exponatur, & remittit ſe ad ea, quæ dixe-
3 rat *diſp. 3. ſect. 6. concl. 3.* Nam † ſi re vera caſus ille, de quo eſt controuerſia, ſit reſeruatus inualida erit abſolutio collata à Confeſſario, iuriſdictionem in reſeruatis minimè habente, quamuis tùm pœnitens, tùm ipſemet Confeſſarius iuxta probabilem opinionẽ ſe gerant. Neque valet, ſi dicas in euentu prædicto, operantẽ probabiliter, perinde ſe habere, ac ſi ignoraret caſum eſſe reſeruatum, ſeu reſeruationem

non

non eſſe ſufficiẽter illi promulgatam; nam cō-
tra eſt, quia reſeruatio, quando non eſt in pœ-
nam, non impeditur à ſuo effectu; nam lex irri-
tans actus, cum non eſt pœna, etiam ignorantes
afficit. Hæc eſt huius Authoris fūdamentalis,
& vnica ratio, qua ductus fuit ad hanc amplec-
tendam ſententiam; excipit tamen in fine eiuſ-
dem ſectionis caſum, quādo dubietas fertur nō
in reſeruationem, ſed in qualitatem culpæ, nē-
pè an ſit mortalis; an venialis, quo non obſtan-
te Epiſcopus tenens opinionem aſſerētem eſſe
peccatum mortale, vellet eius abſolutionem ſi-
bi reſeruare; in tali caſu cenſet Spinula peccatū
illud non eſſe exiſtimandum reſeruatum reſpe-
ctu illius; qui contrariam ſuſtinet ſententiam,
iudicans eſſe veniale, quia corruente formali-
tate peccati mortalis, corruit & reſeruatio. Rur
ſus confirmat idem Author ſuam opinionem
ex ſacris Canonibus cap. 2. de baptiſmo, vbi
Alexander Tertius Summus Pontifex deter-
minauit eos, de quibus dubitabatur, an bapti-
zati fuerint, eſſe rebaptizandos ſub conditione;
ex hac authoritate confirmat intentū; nam vult
ibi fuiſſe ſermonem de dubio poſitiuo, ſeu pro-
babili; ſi enim pro parte affirmatiua, ſcilicet il-
los baptizatos fuiſſe, eſſent leues, & nullius ro-
boris rationes, decretum fuiſſet abſolutè, & nō
ſub conditione eſſe rebaptizandos, vt ſtatui-
tur *cap. Si nulla de conſecr. diſt.* 4. igitur ſub cō-
ditione præcipitur baptiſmus, quando hinc, &
indè probabiliter dubitatur de valore Sacra-
menti; igitur idem dicendum eſt de Sacramē-
to pœnitentiæ; nempè, eſſe tutiorem partem
ſequendam. Hæc ex Spinula.

Dicendum eſt, in dubio poſitiuo, peccatum
4 † non cenſeri reſeruatum, atq; adeo per ſe lo-
quendo remitti poſſe à quocumq; Confeſſario
habente iuriſdictionem circa mortalia non re-
ſeruata. Hanc opinionem de dubio poſitiuo,
ſeu quando pro vtraq; parte ſunt probabiles ra-
tiones apertè tuentur quamplures, vt *Sanchez
lib. 1. in decal. cap. 10. num. 76. in fine. Bona-
cina de Sacram. pœnit. diſp. 5. quęſt. 7. pun. 5.
§. 4. num. 3. ver.* (*Quæ diximus*) *Cardinalis
De Lugo de pœnit. diſp. 20. ſect. 2. num. 16.* vbi
proponens difficultatem; an facta reſeruatione
alicuius peccati, ſi pœnitens dubitet, an in illud
inciderit, poſſit abſolui ab inferiori, & diſtin-
guens dubium in proprium, & impropriū, nem-
pè, in negatiuum, cum pro neutra parte sūt ra-
tiones, & dubium poſitiuum, ſcilicet, quando
ſunt rationes probabiles pro vtraq; parte, de-
terminat partem affirmatiuam: & in hāc eam-
dem ſententiam debent venire omnes illi, qui
ſuſtinent in dubio propriè dicto, peccatum non
eſſe cenſendum reſeruatum: ſi enim hoc conce-
ditur, quādo nulla adeſt poſitiua ratio probans
negationem reſeruationis, multò magis conce-
di debet, quando pro vtraq; parte ſunt proba-
5 biles rationes. † Fundamentum autem huius
noſtræ cōcluſionis eſt libertas, quam homo ha-
bet amplectendi opinionem probabilem, quā-
6 uis contraria ſit ſecurior. † Et confirmatur ad
hominem, ni fallor, contra *ipſum Spinulam*, qui
ſect. 4. ſequente quærens, Quid agendum, quā-
do eſt probabile dubium de excommunicatio-
ne, ſequitur fauorabilem ſententiam, nempè, in
tali caſu non afficere excommunicationem, nec
eſſe de illa timendum; idemque docet de alijs
cenſuris, & probat à fortiori; nam in dubio, an
lex, ſeu præceptum Superioris teneat, non erit
in tali dubio ſubditus obligandus, multò magis
id erit dicendum, cum opinio probabilis exiſtit
alijſq; etiam rationibus ad hoc ſuadendū pro-
7 greditur. Tandem † *in fine ſectionis* præuo-
niens obiectionem, quæ contra doctrinam tra-
ditam fieri potuiſſet, aſſignat diſparitatē, quare
in dubio etiam probabili reſeruationis eligere
debeamus tutiorem partem, & non quando ſu-
mus in dubio probabili de cenſuris, ideoq; ra-
tionem inquit eſſe, quia ad hoc, vt caſus ſit re-
ſeruatus, non dependet ex vlla qualitate pœni-
tentis, nec inuincibilis ignorantia prohibet,
quin lex irritans etiam ignorantes liget, at ex-
communicatio pendet à culpa mortali, quam
neceſſariò ſupponere debet, & à negatione
ignorantiæ inuincibilis in ipſo, nempè, in pœ-
nitente.

8 Diſparitas iſta verè demonſtraret; † ſi ra-
tio proxima, ob quam nos in dubio ſiue nega-
tiuo, ſiue poſitiuo ſuperiùs *cap. 7. §. 1.* ſuſtinui-
mus, præſumi non debere excommunicationē,
quemadmodū neq; reliquas cenſuras, eſſet igno
rantia inuincibilis, rectè enim inferretur diſpa-
ritas, quia reſeruatio, vt poteſtatem abſoluendi
tollat à Confeſſario, non indiget cognitione
pœnitentis, & quamuis talis cognitio videatur
concedenda Confeſſario, id tamen non eſt, vt
ipſa ſuum ſortiatur effectum, quoniam etiam
ea in Confeſſario non poſita, adhùc pœnitens
non remaneret abſolutus, ſed ponitur, vt Con-
feſſarius licitè exerceat munus ſuum, non abſol-
uendo à peccatis, aut cenſuris, quibus pœnitē-
tem ſolui nequeat; at incurſus in caſum, aut in
cenſuram, cùm præexigat volūtarium, præexi-
git etiam cognitionem.

Cæterum cùm fundemus noſtram ſentētiam
9 † *in illo principio iuris, odia ſunt reſtringen-
da*, & ablatio poteſtatis in Confeſſario, in qua
conſiſtit reſeruatio, ſit odioſa tùm Cōfeſſario,
tùm pœnitenti, vt benè aduertit *Bordonus in
conſil. reg. reſol. 37. num. 3.* Conſequens eſt, vt
dicamus in dubijs non pro ipſa reſeruatione,
ſed pro poteſtate Confeſſarij, & pro libertate
pœnitentis præſumi debeat, quod etiam ſuſti-
nemus in dubio poſitiuo, ſcilicet, quando pro
vtraq; parte ſunt probabiles rationes.

Hoc autem principium militat etiam in du-
bijs tùm negatiuis, tùm poſitiuis cenſurarum,
atq; adeò eadem eſt paritas.

Ad rationem verò fūdamentalem, qua du-
10 citur Spinula, † reſpondeo, non eſſe in quo-
cumq; caſu, etiam in Sacramentis adminiſtrā-
dis tutiorem partem eligendam, cum ſufficiat
ſequi tutam, & hoc maximè verificabitur, quā-
do validitas dependet ab Eccleſia, ſeu quando
requiritur aliquid ab ipſamet Eccleſia pēdens,
tunc enim, vt ſupra vidimus, dum ageremus de

con-

conſcientia probabili *Diſcept.4.cap.17.* defectus ſuppletur ab ipſamet Eccleſia, talis aũt defectus cõtingit in caſu iſto; nẽpè, defectus iuriſdictionis, ſi re vera peccatũ illud ſit reſeruatũ.

11 Et ſi contra inſtando dicas † ſupplementũ iſtud non eſſe certũ, nonnulli enim negant in opinione probabili circa iuriſdictionem, defectum ab Eccleſia ſuppleri, & conſequenter remanet dubium de valore huius Sacramẽti; nam ſi peccatum verè eſſet reſeruatum, Cõfeſſarius non haberet iuriſdictionem, irritum foret Sacramentum, ſi, inquam, ita inſtetur, facilè erit remedium; poterit enim pœnitens cũ illo peccato dubio quoad reſeruationem miſcere alia peccata, ſuper quę Confeſſarius certam habet iuriſdictionem, *vt §. præced.* adnotauimus, & vt ſic nullum ſequitur incommodum cõtra pœnitentem, nulla irreuerentia contra Sacramentum, & ita ruit fundamentum contrarię ſententiæ, quam *Spinula* tuetur, qui cogitur hoc omninò admittere; nam *ipſemet in eadem ſectione concl.1.* docens aliquem dubio laborantem de reſeruatione alicuius caſus, ſi rationes pro eodem caſu ſufficientes non habeat, poſſe exiſtimari illum minimè reſeruatum, obijcit in contrariũ hoc pacto, ſi talis caſus re vera eſſet reſeruatus, pœnitens non abſolueretur; ergo, vt tutò incedamus, erit habendus pro reſeruato.

Ad hoc argumentum reſpondet concedendo antecedens, quia ignorantia reſeruationis nõ excuſat, quamuis inuincibilis ponatur, quin actus irritetur, negat tamen conſequentiam, quia in eo caſu prudenter operamur, cum ſcrupulis, ſeu dubijs nulli fundamento innixis non adhæremus: poſtea verò recurrit ad præſidium ſuperius à nobis poſitum, & addit alia ſimilia; dicens per actum contritionis, cum inuincibiliter ignoratur reſeruatio, vel per primam Sacramenti communionem, vel per primam ſubſequentem confeſſionem conferri gratiam, & indirectè abſolui pœnitentem ab illis, etiam peccatis; quæ inculpabiliter abſoluta cenſebātur. Hac Spinulæ doctrina admiſſa, non video cur præſidia prædicta iuuare poſſint, quando in ambiguo verſamur, & prodeſſe nequeant, cũ probabili nitamur opinione, nullam ſanè agnoſco diſparitatem.

Ad illud verò, quod ſubditur aſſerendo reſponſionem *Nauarri*, quamuis plures non ſolùm *conſilium citatum*, verùmetiam *totum integrum illum librum de tempor. ordin.* peruoluerim, nihil inuenire potui ex ijs, quæ à Spinula dicuntur.

12 Deniq; ad textum ex Sacris Canonibus † reſpondeo primò, efficaciorem deſiderari probationem ad ſuadendum Pontificem loquutum fuiſſe de dubio poſitiuo, & improprio; & non de negatiuo, & proprio, neq; verùm eſt per ſolum dubium poſitiuum baptiſmum eſſe ſub cõditione iterandum; nam etiam dubio negatiuo exiſtente, ſub conditione eſt conferendus, ſufficit enim deeſſe moralem certitudinem de eius validitate.

Reſpondeo ſecundò; quicquid ſit de qualitate illius dubij, ſiue poſitiui, ſiue negatiui, quo Pontifex decernere voluit baptiſmum cõditione conferendum; eſt enim diſpar ratio, quia in Sacramento baptiſmi locum non habet ſubminiſtratio illa duplicis materiæ in ordine ad legitimam Miniſtri poteſtatem, nempè, materię certæ, & incertæ; ſicuti in Sacramento pœnitentię.

Reſpondeo tertiò, eſſe aliam diſparitatem; nam Sacramentum baptiſmi eſt ſummè neceſſarium, & ianua reliquorum Sacramentorum, & non iterabile, & eius inualiditas trahit inualiditatem cęterorum cũ euidenti periculo ęternæ damnationis: non ita Sacramentum pœnitentiæ, cuius inualiditas non trahit inualiditatem alterius, & cum ſit iterabile, ſi vna vice caret effectu, poterit alia vice illum habere.

§. V.

Si de peccato, quo ad reſeruationem, dubio, pœnitens à Confeſſario inferiori abſolutionem obtinuerit, reſeruatione poſtea clareſcente, teneatur ne Superiorem adire, vt ab illo iterum abſoluatur?

SVMMARIVM.

1 *Non eſt pœnitens aſtringendus Superiorẽ adire pro abſolutione illius reſeruati.*

2 *Non ducitur Author ad hanc opinionem tuẽdam ratione, quam nonnulli adducunt, ſed alia magis ſolida.*

3 *Confirmatur ſimilis doctrina à Sanchez poſita.*

1 SATIS probabile videtur pœnitẽtem ita abſolutum † non eſſe aſtringendum iterum à Superiore abſolui, hanc opinionem ſequitur *Cardin. Delugo diſp. 20. de pœnit. ſect.2.n.22.* hinc inde argumentis pro vtraq; parte expenſis, nõ moueor autem ad hãc ſententiam amplectendam

2 †, vi illius opinionis, qua pauci quidam, inter quos eſt *Delugo*, ſuſtinent peccatum dubiũ, vt tale explicatum, ſi poſtea certũ agnoſcatur, nõ eſſe neceſſariò in confeſſione iterum manifeſtandum, nõ moueor, inquam, ex tali principio, tũm quia ab alijs communiter non probatur, tũ etiam, quia illud in præſentia examinare non facit ad cõcluſionem noſtram firmãdam, ducor aũt ex alio efficaciori, & ſolido principio, nam ſi ſtãte dubietate locum non habet reſeruatio, pœnitẽs directè fuit tali peccato abſolutus; notitia illa ſubſequẽs nequit impedire directam abſolutionem præcedẽtem, atq; adeò nequit

obligare pœnitentem, vt iterum illud peccatũ fateatur; nulla enim habetur lex, vt bis idẽ peccatum ritè, & directè remiſſum, ſubiaceat iterũ clauibus, loquendo de lege vniuerſali Eccleſiæ, quicquid ſit d e quibuſdam ſtatutis particularibus, quæ ſolent eſſe in Religione aliqua obligantibus ex deuotione ad confeſſiones generales peragendas, difficultas autem conſiſtit in oſtendendo peccatum illud fuiſſe directè remiſſum; hoc enim probari poterit non alia meliori, & efficaciori ratione, niſi ea, quæ deſumitur ex natura ipſius reſeruationis, & ex præſumpta voluntate Superioris reſeruãtis, nam ſibi reſeruans aliquod peccati genus ſimpliciter, cenſetur implicitè, & interpretatiuè velle reſeruationem cadere ſupra peccatum certum; de quo ſimplex verborum prolatio verificatur, vt colligitur *ex cap. Hæc autem diſt. 1. de pœnit.* vbi dicitur *verbum (ſtatuit)* rem perfectam, & cõſummatam iniuriam, non cœptam, ſignificare, ſic ego dicam de peccato, quod ſimpliciter prolatum intelligitur de certo, & nõn de ambiguo quod aliquo pacto recedit à ratione peccati, ſi autem Superior voluiſſet ſibi reſeruare etiam peccatum dubium, ſanè illud explicaſſet, vt aliquando declaratur; ſicuti paragrapho ſequenti videbimus: cum autem Superior reſeruãs præſumatur ſciuiſſe naturam odioſam reſeruationis, cuius verba ſtrictiſſimam habent interpretationem, dum legem promulgat, reſeruando peccatum ſimpliciter, nullamq; faciens de dubio mentionem, clarè infertur noluiſſe ſub lege illa reſeruante peccatum dubium comprehendere, & hoc eſt omninò præſumendum, dum de oppoſito non conſtat. † Similem doctrinã
3 habemus *apud Sanch. lib. 4. in decal. cap. 44. n. 10. 11.* vbi loquens de voto; proponit caſum hunc; ſi quis dubitet, an votum ab ipſo emiſſũ ſit, nec ne, reſeruatum, & ſtante tali dubio petat diſpẽſationem, aut commutationem à Cõfeſſario habente poteſtatem ſolùm in votis nõ reſeruatis, & iſte diſpenſet, aut commutet votũ illud, ſi poſtea detegatur veritas, & comperiatur votum fuiſſe reſeruatum, diſpenſationem illam, aut commutationem firmam manere docet ipſe Sanchez, quia diſpenſans &c. legitimè vſus fuit poteſtate ſua; nam reſeruatio etiam in votis eſt odioſa, & non præſumitur, quando nõ conſtat de illa, & per conſequens votum illud diſpenſabile, & commutabile manebit à Confeſſario habente facultatem in vota non reſeruata; ſic tenet Sanchez, & ſuam opinionem fũdat in eo, quod ita poſtulat recta Eccleſię adminiſtratio: idem à pari nos dicimus de peccato dubio quoad reſeruationem; dum enim manet ſub dubio pro eo tempore ſuſpenditur reſeruatio, & peccatum remanet nulla reſeruatione affectum, ac ſi numquam fuiſſet reſeruatũ; ideòq; directè remiſſibile à Confeſſario ordinario, & iam remiſſum extinguitur; proinde ſi poſtea reſeruatio prius ſuſpenſa innoteſcat, materiam aptam non inueniens, eam afficere non poterit; & ideo euaneſcit.

§. VI.

Teneatur ne Confeſſarius pœnitentem abſoluere, ſciens peccatum aliquod eſſe reſeruatum, ſi de ſua poteſtate ſit anceps?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*
2 *Per ſe loquendo nequit abſolui.*
3 *Secùs per accidens, & indirectè.*
4 *In dubio de reuocatione poteſtatis, licitè confertur abſolutio.*

VT in ordine ad praxim caſus diluci-
1 detur, † ponamus exemplũ, Petrus v. g. Confeſſarius excipiat confeſſionem Pauli, & ex peccatis enarratis aliquod deprehendat, de cuius reſeruatione ſit certus, hæſitet tamen, an à Superiore facultatem habuerit circa reſeruata; quærimus, num poſſit, imo debeat beneficium abſolutionis etiam de illo reſeruato, Paulo rectè quoad omnia diſpoſito, tribuere.

2 Dicendum eſt primò, per ſe loquendo † nõ poſſe, ita *Caramuel in ſua morali Theologia lib. 3. cap. 1. diſp. 1. corol. 2. poſt tertiam reſolutionem*, probatur concluſio, quia in eo caſu poſſeſſio ſtat pro reſeruatione, quæ eſt certa, at dubia eſt poteſtas.

Dicendum eſt ſecundò, per accidens, & in-
3 directè interdum † abſolutionem conferri poſſe, nempè; ſi Paulus pœnitens abſq; ſcandalo nequeat à communione ſe abſtinere, & Superior ſit abſens, aut impeditus, tunc proculdubio eſſe abſolutionem elargiendam, cum onere tamen, vt ipſe Paulus, data opportunitate, Superiori ſe præſentet, ſiue immediatè, & per ſe, ſiue mediatè per alium, vt communiter docent Authores loquendo in caſu neceſſitatis, & quandò non dubia, ſed certa eſt negatio poteſtatis in Confeſſario.

Petes: Quid ſi dubium verſetur circa reuocationem poteſtatis, videlicet, certum ſit fuiſſe talem facultatem ipſi Petro Confeſſario conceſſam à Superiore legitimo, & dubitet Petrus de reuocatione, & non poſſit hic, & nunc veritatem aſſequi.

Reſpondeo, in tali euentu † licitè, & va-
4 lidè abſolutionem Petrum impendere Paulo cõfitenti, & hoc, quia poſſeſſio ſtat pro legitima poteſtate, & non pro reſeruatione, nam certa eſt facultas collata, dubia tamen reuocatio.

§. VII.

§. VII.

Caſus in Bulla cœnæ, alijque in ſecundo Clementis VIII. decreto contenti, cenſentur ne vi eiuſdem decreti, in dubio, reſeruati?

SVMMARIVM.

1 *Duplex emanauit Clem. VIII. decretum prohibens abſolutionem à caſibus Bullæ Cœnæ etiam dubijs.*
2 *Aliud fuit editum decretum moderans prædicta.*
3 *Prima opinio refertur aſſerens, non poſſe à Confeſſario abſolui eum, qui caſus Bullæ Cœnæ dubios habet.*
4 *Secunda ſententia tuetur oppoſitum.*
5 *Ratio, quam Thomas Delbene affert, difficultatem patitur.*
6 *Caſus iſtos dubios reſeruatos non eſſe determinat Author.*
7 *Probatur, cõfirmando rationẽ Thomę Delbene*
8 *Obijcitur probando confirmationem priorum decretorum.*
9 *Diluitur obiectio.*
10 *Duplex confirmationis genus, & eorum diuerſitas declaratur.*
11 *Percuſſio Clerici in dubio, an grauis, an leuis ſit, eſt Summo Pontifici reſeruata.*

1 Difficultatem nobis ingerit † duplex Clem. VIII. decretũ, quorum vnum ſpeciali eiuſdem Põtificis mandato à S. C. editũ fuit die 9. Ianuarij Anno 1601. alterum verò immediatè ab ipſo *Clem. Anno ſequenti 1602. die 26. Nouembr.* per illud autem prius omnibus Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus iniũgebatur, *ne quis eorum ſub prætextu quorumque priuilegiorum &c.* & ſub diuerſis, & grauiſſimis pœnis, & nullitate abſolutionis *ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ cõtentis, vel aliàs quomodocumq; Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & reſeruandis; nec etiam à caſibus, quos ordinarij locorum hactenus reſeruarunt, aut in poſterum ſibi reſeruabunt, ſine ſpeciali Sanctitatis Suæ, aut Succeſſorũ, vel Ordinariorum, quoad caſus ſibi reſeruatos reſpectiuè impetrata licentia, abſolutionis beneficium in poſterum impendere audeant &c.* Poſtea 2 verò manauit † aliud ſecundum decretũ moderans primum, illudq; reſtringens ad caſus in Bulla Cœnæ, quoſdam alios põtificios ſpeciales, & ad Epiſcopales, *in hoc autem ſecũdo decreto* omiſit Pontifex qualitatem illam, nempè, *clarè, vel dubiè*, ideoq; occaſionem exhibuit, an qualitas ipſa cenſeatur repetita, nec ne, & ꝑ conſequens, an caſus in Bulla Cœnæ &c. Quãdo ſunt dubij, cenſeri ne debeant reſeruari vi huius ſecundi decreti; Vtrumq; decretum de verbo ad verbum referunt multi, vt *Stephanus Quaranta in ſum. bullarij verb. Caſus reſeruatus n. 13. ver. (Editum) Barboſa de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg. 50. n. 186. Duardus in comm. Bullæ Cœnæ lib. 2. in §. 2. eiuſdem Bullæ qu. 1.* Hæc autem, quam innuimus, eſt ratio difficultatem ingerens, & quamuis iure omittere poſſemus huius controuerſiæ examen ſine præiudicio integritatis doctrinę *in præced. paragr.* traditæ, quæ locũ habet, vt ibi pręmonuimus, ex ſuppoſitione, quod caſus dubij explicitè nõ reſeruentur, & noſtrum non eſt expendere, quinam caſus in dubio ſint, nec ne, reſeruati; cũ ſatis nobis ſit; quod ſi explicitè non reſeruentur, ad illos extendatur doctrina ſuperius poſita: Cæterum ad eiuſdem doctrinę amplitudinem, placet quæſtionem hanc trutinare. Pręmiſſa igitur difficultate, & ratione dubitandi explicata.

3 Prima opinio docet † non poſſe à Confeſſario abſolui eum, qui habet caſum dubium ex ijs, qui in decreto Clem. cõtinẽtur, ſic *Fillincius tract. 21. cap. 4. num. 172. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. coroll. 11 nu. 537. & diſp. 3. cap. 3. num. 172. Duardus quæſt. cit. à nu. 7. & deinceps*; & quamuis *Fillinc.* abſolutè, & vniuerſaliter loquatur, eſt intelligendus cum limitatione poſita in dicto decreto, quod ipſemet citat, nempè, per Italiam extra Vrbem, quam limitationem alij explicitè adhibent.

4 Secunda ſententia † oppoſitum ſuſtinet, videlicet, non obſtãte decreto illo, poſſe etiam intra Italiam peccatum reſeruatum dubium abſolui à quocumq; Confeſſario approbato. ſic *Thomas Delbene de immun. Eccl. dubit. 4. ſubſect. 31. ſubcoroll. 10. num. 9.* ducitur ad hoc aſſerendum, ex eo, quod *in ſecũdo decreto moderante* Pontifex omiſit verba illa *clarè, vel dubiè*, & ideò cenſetur illa reuocaſſe.

Cæterum ratio, in qua Author iſte ſuam fũ-
5 dat ſententiam † difficultate non caret, quia per moderationem ſecũdi decreti Pontifex nihil aliud voluiſſe videtur, niſi reſtrictionem quoad numerum caſuum Papaliũ, & nihil aliud immutare, quoad caſus remanentes, tùm quoad eorum ſubſtantiam, tum quoad modum, ſeu qualitatem illam, ſub qua reſeruabãtur, & ideò qualitates illæ, nempè, certitudo, & dubietas illæ ſæ permanentes in ſecundo decreto moderante, eumdem cauſſant effectum, impediendo, ſcilicet, ne caſus illi ſub dubio exiſtentes abſoluantur ab ordinarijs Sacerdotibus.

His verò minime officientibus, dicendum eſt vi ſecũdi decreti, caſus quicumq; ſint, dum
6 ſub dubio manent, † non debent cenſeri reſeruati, & ideo à quocumq; Confeſſario communem habente iuriſdictionem remitti poſſint & hoc ob rationem *à Thoma Delbene* allatam quę tamen confirmatione indiget, quod nũc,

7 præſtabimus, ipſam concluſionem tali pacto † probantes. Qualitates illæ, eo ipſo, quod in ſecundo decreto omiſſæ fuerũt, in ſubiecta materia cenſentur reuocatæ; ergo ex vi ſecũdi decreti caſus quicumq; in eo contenti, dum ſunt dubij, non debent iudicari reſeruati, & ideo à quocumq; Confeſſario remitti poſſunt: conſequentia illa eſt manifeſta; quia aduerſarij partem oppoſitam negatiuam in eo decreto fundant, vt vidimus; probatur igitur antecedens. Qualitates illæ omiſſæ non cenſentur repetitæ in ſecundo decreto; ergo cenſentur reuocatæ, &c. ſolùm antecedens eſt probandum; quia conſequens patet; nam idem eſt, in odioſis ſaltem, non repetere conditionem, aut qualitatem aliquam prius oppoſitam, ac illam reuocare, quia ſi repetita non cenſetur, nullo pacto manet; probatur ergo antecedens ex Iuriſtarum ſententia expreſsè firmantium, in odioſis, qualitatem priùs appoſitam, nõ cenſeri repetitam, & hoc non ſolùm aſſerunt, quando diuerſæ sũt diſpoſitiones; Verumetiam in eadem diſpoſitione, cum in vna eius parte ponitur qualitas omittitur verò in alia, tunc conſtanter aiunt, non cenſeri repetitam in ſecunda parte, ſi materia, de qua agitur, eſt odioſa: ita *Alciatus* multis id comprobans *reſponſ.96.num.98. Decius conſil.567.num.6. Berous conſil. 120.nu. 74. & conſil 243.num.22. Socinus iunior conſil.13.num.31.lib.3. Menochius conſil.86 nu. 55.lib.1.& ſæpè alibi. Maſcardus cõcluſ.1345. num.20.21. tom.3.* & ideo iuxta hanc doctrinã *Ancharanus conſil.120.* citatus à *Menochio eo conſilio nu.47.* ait, quod ſi teſtator in vna parte teſtamenti meminerit filios maſculos, in alia verò parte ſimpliciter ſit de filijs locutus, qualitatem illam maſculinitatis non cenſeri repetitam, proindè etiam fœminæ eſſent comprehenſæ ſub diſpoſitione, ita quamplures apud eumdem *Menochium ibidem*: cum igitur qualitates prædictæ, de quibus eſt ſermo in caſu noſtro, odium cauſſent, ſeu illud extendãt, nam reſeruatio eſt odioſa, vt ſæpè diximus, idcircò non debent iudicari repetitæ, repetitio enim extenſionem ſapit, vt notat *Berous loc.cit.* materiæ autem odioſæ reſtringendæ, & non extendendæ ſunt *iuxta regulam Iuris in 6. 15. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.* Maneat igitur ex dictis, per moderationem ſecũdi decreti abijcientem verba illa, *clarè, vel dubiè* quæ appoſita erãt in primo decreto, caſus omnes in eo decreto comprehenſos tali qualitate minimè affectos, manere in diſpoſitione Iuris communis, quoad reſeruationem dubiam, *ac ſi decreta illa Clem.* nequaquam edita fuiſſent, atq; adeo doctrinam vniuerſalem in præcedentibus paragraphis à nobis traditam ſe extendere etiam ad hos caſus.

8 Sed obijcere quis poſſet † *decretum S.C. ſpeciali mandato Pauli V. editum die ſeptimo Ianuarij Anno 1617.* quod ſic incipit [*Quoniã Sacra Congregatio*] per quod confirmatur, & innouatur *decretum Clem.VIII.* & ſimul eius declaratio, ſeu moderatio, & prohibetur, *ne detur abſolutio à peccatis, & cẽſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, neque ab eis, qui ordinarijs locorum reſeruantur, &c.* cum igitur *Paulus Quintus* non ſolum confirmet, ſed innouet decretum primum Clementis, videtur ipſum decretum redire quoad omnia, & ideò non ſolùm quoad omnes caſus pontificios reſeruatos, verùmetiam quoad illas qualitates *clarè, ac dubiè* ac proindè licet demus qualitates iſtas *in ſecũdo decreto Clementis* repetitas non cenſeri, & eſſe abrogatas, cenſendum tamen erit redijſſe vi huius cõfirmationis, & innouationis *per decretum Pauli V.*

9 Reſpondeo, † negando conſequentiam, & ad eius probationem aio, intentionem Pontificis fuiſſe confirmare indiuiſibiliter vtrumq; decretum Clementis, nempè, primum decretum, & ſimul eius moderationem, præcipiendo, vt perfectè, & ad vnguem ſeruetur, & hoc, quia nonnulli, prętextu quorumdam priuilegiorum, illud non ſeruabant, at non fuiſſe intentionem confirmare primum illud decretum ſolitariè, & ſine reſpectu ad moderationem; hanc autem fuiſſe mentem Pauli; probatur efficaciter pri-
10 mò, quia, vt communiter docent Canoniſtæ, † confirmatio, & innouatio, vt ſupra diximus, dũ expẽderemus dubia circa priuilegiorum vſum, eſt in duplici illa differentia, videlicet in forma communi, & ex certa ſcientia, quando autem eſt priori modo, non reſtituit ea, quæ reuocata inuenit; ſed ſolùm corroborat, quod illæſum reperit: contrariũ verò effectum operatur confirmatio poſteriori modo ſumpta: Cęterũ *decretum iſtud Pauli V.* continet confirmationẽ in forma communi, vt patet ipſum legẽti; nulla enim in eo reperitur clauſula expreſſiua, & conſtitutiua formæ ſpecialis, ſeu ex certa ſciẽtia; proindè ſolùm confirmat decretum Clementis, vt modificatum; atq; adeo nihil nobis officit; Secundò, quia ſequeretur per hoc decretum à Paulo ampliatum fuiſſe primum decretum Clementis, nam iſtud loquebatur ſolùm de Sacerdotibus intra Italiam extra Vrbẽ commorantibus, quam limitationem explicitè non continet decretum Pauli, & ideò vi illius omnia priuilegia de hac materia, non tantùm per Italiam, ſed per totum Orbem reuocata fuiſſent, quod tamen communiter non admittitur, quamuis aliqui, quorum ſuppreſſo nomine *apud Duardum quæſt. cit. num. 31.* id voluerint, neq; refert in hoc decreto Pauli ſermonem eſſe vniuerſalem de omnibus Sacerdotibus, Sæcularibus, & Regularibus; nam vniuerſalitas referenda eſt ad Sacerdotes illos, de quibus locutus fuerat Clemens, & hoc, quia confirmatio iſta Pauli eſt in forma communi, proinde non extenditur vltra ea, quę in decreto Clementis inueniebat.

Quæres, an detur aliquis caſus, qui etiam in dubio ſit Summo Pontifici reſeruatus.

11 Reſpondeo affirmatiuè, † & talis eſt percuſſio Clerici, quę cum grauis, aut mediocris eſt, Pontifici reſeruatur. *cap. Si quis ſuadente 17. quæſt.4.* Quando verò leuis Epiſcopo con-
cedi-

çeditur *Cap. peruenit de ſent. excomm.* cum autem dubium occurrit, ſit ne percuſſio leuis, aut grauis, ſeu mediocris, atq; adeo Pōtifici, aut ſoli Epiſcopo, quoad abſolutionem reſeruata? declarari deberet ab Epiſcopo iuxta ſentētiam, quam nos ſupra ſuſtinuimus, ſed dicendum eſt in dubio eſſe explicitè reſeruatam Pontifici. Sic ſtatutum eſt in *Extrauag.* (*Perlectis*) quam referunt *Molina tract. 3. de iuſtit. diſp. 57. num. 2. Bonacina de cēſur. in particulari diſp. 2. quæſt. 3. p. 6. sect. 5. num. 8. Ver.* (*Mediocris,*) *& alij apud ipſos.*

§. VIII.

Prælatus Regularis facultatem Titio Sacerdoti conceſſit abſoluendi ſubditos à caſibus reſeruatis, eo menſe occurrentibus; num menſe tranſacto, poſſit Titius ſubditos illos abſoluere a caſibus menſe deſignato patratis?

SVMMARIVM.

1 *Triplex proponitur modus, quo caſus euenire poſſet.*
2 *Si reſtrictio quoad tempus in excipiendis confeſſionibus reſeruatorum ſit quoad peccata, & approbationem, elapſo tempore, ſpirat facultas.*
3 *Secùs ſi res incoepta reperiatur.*
4 *Reſtrictio illa ſi feratur in ſola reſeruata pro eo tempore commiſſa, manet in confeſſario ordinario facultas, tempore elapſo.*
5 *Exiſtente dubio, ſupra quod reſtrictio cadat, nō manebit in Confeſſario extraordinaria iuriſdictio, tempore tranſacto.*
6 *Vrgetur inſtantia probante cōtradictionem in doctrina Authoris.*
7 *Satisfit huic inſtantiæ.*
8 *In Confeſſario ordinario præſumitur permanere iuriſdictio, dubio prædicto vigente.*
9 *Paritas inter vtrumq; Confeſſarium ſuadetur.*
10 *Oſtenditur diuerſitas modi, quo tollitur reſeruatio, & quo tollitur peccatum.*
11 *Iuriſdictio debet exiſtere eo momento, quo reſeruatio, aut peccatum tollitur.*
12 *Soluitur argumentum, quo paritas probabatur.*
13 *Si obſcuritas verborum in conceſſione facultatis, ſupra quod reſtrictio cadat, impediat determinatum iudicium, pro quo ſit decidendum.*
14 *Motiuum proponitur ſuadens in fauorem Confeſſarij eſſe reſoluendum.*
15 *Oppoſitum ab Authore concluditur.*
16 *Obiectio ponitur probans poſſeſſionem eſſe pro libertate pœnitentis.*
17 *Contrarium ab Authore ſuſtinetur.*
18 *Reſpondetur ad motiuum oppoſitum.*

1 AD pleniorem autem huius quæſiti intelligentiam † præmittere debemus varios modos, ſub quibus facultas prædicta concedi poſſet; primo vt reſtrictio temporis nō ſolùm cadat ſuper peccata reſeruata, verùm etiam ſupra approbationem Confeſſarij: ſecundo, vt cadat tantùm ſuper peccata, non autem ſuper approbationem, tertio, vt penſatis omnibus, in dubium vtrumq; reuocetur; & tertium iſtud membrum directè pertinet ad hunc tractatum, reliqua verò duo indirectè, & acceſſoriè, omnia autem per concluſiones ſubſequentes declarabimus, & reſoluemus.

2 Dicendum eſt primò. † Si Prælatus facultatem concedat priori modo, tranſacto eo menſe, v.g. Iulio, non poſſe à Titio ſubditum regularem abſq; noua licentia peccatis reſeruatis abſolui, etiam menſe Iulij patratis. Concluſio eſt certa, quia vt ſupponitur reſtrictio temporis in conceſſione facultatis fertur nō ſolùm ad peccata, quæ menſe illo committuntur, ſed etiam ad approbationem Confeſſarij; igitur approbatio, & facultas ſpirant poſt lapſum menſem, ſicuti in praxi aduenit, quando Confeſſarij ab Epiſcopo approbantur ad determinatum tempus, v.g. ad annum, bienniū, &c. eo tranſacto ita ceſſat facultas collata, vt nequeant Confeſſarij illi excipere confeſſiones de peccatis commiſſis eo tempore, quo ipſi poteſtatem habebant. Et ratio eſt manifeſta, quia cum poteſtas in delegato non ſit omninò radicata, ſicuti eſt in ordinario, non adhæret illi, niſi eo modo, & pro eo tempore, quo à delegante fuit conceſſa; ideoq; tranſacto tempore præſcripto delegatio ipſa ſpirat, ſaltem re integra, niſi tempus ab eo, qui facultatem habet, prorogetur; & hoc expreſsè probatur per *textum in cap. de cauſſis de offic. Deleg. Panorm. ibi num. 1. & 9. Barboſa in collect. ibidem; & alij ſcribentes, Molina de iuſt. tract. 5. diſp. 27. num. 3.*

Sed quid dicendum, ſi res integra non ſit, v. g. cœpit pœnitens aperire ſua peccata, ſed quia non potuit complere cōfeſſionem, ob aliquod legitimum impedimentū, ſiue ſit intrinſecum ipſi confeſsioni, ſiue extrinſecum, an, inquam, non obſtante, quod tempus præſcriptum tranſierit, poſsit adhuc pœnitens proſequi cum eodem Confeſſario confeſsionem ſuam?

3 Reſpondeo affirmatiuè; † nam Doctores inquirētes, an iuriſdictio delegata pereat mortuo delegante, partem affirmatiuam docent, ſed cum limitatione, niſi cauſſa incœpta fuerit; ſic *per textum in cap. Relatum, cap. Gratum, cap. Licet vndiq; de offic. Deleg. & cap. Quamuis eod.*

cod. tit. in 6. ibiq; Commentatores, & in materia ſpeciali de iuriſdictione ad excipiendas cõfeſsiones ſacramentales, id dicunt tractantes de Iubileo, *Rodriq. in ſumm. par. 1. cap. 184. nu. 15. verſus finem. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 13. num. 15. & lib. 8. de matrim. diſput. 15. num. 21. Suarez de cenſur. diſp. 7. ſect. 5. à num. 16. & alij quamplures*, quos in tractatu de Iubileo agentes de priuilegio eligendi confeſſarium, enumerauimus. Et hoc ipſum dicunt Doctores, loquentes de Bulla Cruciatæ, quos retulimus in *explicat. eiuſdem Bullæ par. 2. tract. 6. cap. 1. ſect. 11.* & in terminis loquendo de facultate conceſſa abſoluendi à reſeruatis docet *Sayrus in Theſ. lib. 7. cap. 14. num. 9. in 3. & 4. notando, & Sanchez loc. cit.* ratione etiam ſuadetur, quia per exercitium illius iuriſdictionis, iuriſdictio radicatur in perſona delegata, vt colligitur ex textibus citatis; proinde ſemel radicata non ceſſat, niſi effectum ponat, vel niſi reuocetur.

Dicendum eſt ſecundò. Si reſtrictio conceſſionis feratur ſolùm in peccata illa, vt tali tempore commiſſa, tunc ſi Confeſſarius eſt vnus ex approbatis ad excipiendas ordinarias reli-
4 gioſorum confeſsiones, † iudico poſſe ab ipſo directè abſolui Religioſos prædictos abſq; noua licentia à peccatis reſeruatis eo menſe, vel antea patratis: Ducor ad hanc ſententiam aſtruendam, tum quia Superior concedendo facultatem illam, eo ipſo cenſetur voluiſſe à talibus criminibus reſeruationem auferre; & ſic talia peccata remanent, ſicuti reliqua mortalia non reſeruata, & conſequenter ſubiecta Confeſſario habenti generalem iuriſdictionem in mortalia; tum etiam quia ſupponimus, limitationem non verſari circa approbationem Confeſſarij, ſed tantùm circa ablationem reſeruationis à peccatis eo tempore commiſsis; & ideo cum in peccato duæ rationes ſint cõſiderandæ, videlicet, malitia ipſa mortalis, & reſeruatio: ablata iſta vltima ratione, remanet ſolùm prior illa, in quam Confeſſarius ordinarius, & non extraordinarius iuriſdictionem habet.

Cæterum ſupereſt, vt determinemus id, quod magis directè facit ad inſtitutum noſtrum, nempe formando caſum, tertio illo modo, qui conſcientiam ſub dubio conſtituat, tali pacto; ſi penſatis omnibus, ambiguitas eſſet de intentione Prælati, an videlicet voluerit reſtringere tempus determinatum ad ſola peccata reſeruata, & commiſſa pro eo tempore, & nõ coarctare tempus in ordine ad iuriſdictionem Confeſſarij, quid, inquam, tali hæſitatione vigente ſit determinandum? Poſt diutinam conſiderationẽ, quid probabilius mihi videtur, aperiam.

Dicendum eſt tertiò, loquendo de Confeſſario extraordinariè electo, in dubio prædicto
5 eſt præſumendum, à Superiore † reſtrictum fuiſſe tempus non ſolùm quoad peccata illa, ſed etiam quoad poteſtatem Confeſſarij. Moueor ad hoc aſſerendum, præſumptione deſumpta, ex communiter accidentibus; nam praxis, quæ ſolet eſſe in Religionibus, eſt, quod cum Superiores eligũt aliquos vt extraordinarios Cõfeſſarios v.g. per menſem, &c. intelligitur poteſtas conceſſa cum tali limitatione, vt menſe elapſo, ſpiret poteſtas illa extraordinaria; & hoc praxis nos edocet, E.; C. eliguntur ab Epiſcopo Confeſſarij extraordinarij pro excipiendis Monialium confeſsionibus bis, aut ter in anno iuxta præſcriptum *Tridentini ſeſ. 25. cap. 10. de Regul.* tranſacto autem tempore deſignato, intra quod Moniales abſolui poſſunt extraordinarijs Confeſſoribus, nequeũt tamen abſolui ab eiſdem etiam peccatis commiſſis tempore, quo fauor durabat. Similiter in noſtra Societate bis in anno aſsignantur à Superioribus localibus extraordinarij Confeſſarij, vt confeſsiones generales excipiant tempore aſsignato pro renouatione votorum; quo trãſacto, omninò ceſſat etiam de peccatis præteritis facultas in his extraordinarijs, atq; adeo nequeunt ſacramentaliter remittere aliquod peccatum mortale oblitum, quod tamen directè remitti poterat ab his extraordinarijs, ſi pro eo tempore fuiſſet in confeſsione manifeſtatum; cum igitur praxis ita admoneat, in dubijs ſecundum praxim, & conſuetudinem Religionis iudicare debemus; idcirco rectè aſſeruimus in conclusione, quod dubia exiſtente conceſsione, quoad reſtrictionem, ſi ſermo ſit de Confeſsarijs extraordinarijs, reſoluendum omninò erit, reſtrictionem non ſolùm eſſe quoad peccata cõmiſſa eo tempore, verùm etiam, quoad iuriſdictionem collatam modo explicato. Et hæc dicta ſint, niſi cõſuetudo, & praxis Diœceſarum, aut Religionum, aliud, tum pro Confeſſarijs ordinarijs, tum pro extraordinarijs, non declaret, quia tunc dubia iuxta conſuetam praxim eſſent interpretanda.

6 † Sed vna mihi remanet dubitatio, videmur enim contradictoria docuiſſe; nam cum dixerimus in prima concluſione extingui poteſtatem conceſſam ad excipiendas confeſsiones, ſi reſtrictio cadat non ſolùm ſupra peccata, verum etiam ſupra poteſtatem ipſam, cum hac tamen aduertentia, niſi cauſa ſit incœpta, quia tũc etiam ſi reſtrictio cõceſsionis fuerit quoad facultatem, adhuc tamen remanet poſt illud tempus aſsignatum, vſq; dum perficiatur, & compleatur Confeſsio, quod ex facultatibus Iubilæi, & Cruciatæ confirmauimus. Cæterum in hac concluſione oppoſitum aſſeruiſſe videmur; diximus enim peccata oblita, & commiſſa, antequam tempus deſignatum ſpiret, non poſſe abſolui à Cõfeſſarijs extraordinarijs, poſtquam tempus illud deſijt; iſta autem duo videntur inuicem pugnare, nam cauſa in hoc vltimo caſu fuit incœpta, proinde quoad illa peccata præterita, & oblita, videtur adhuc remanere facultas in Confeſſario extraordinario.

7 Reſpondeo, † negando prædicta duo inter ſe pugnare; nam aliud eſt cauſam eſſe inceptã, & non completam, aliud eſſe completam, quoniam ſemel ac Delegatus functus eſt officio ſuo, ſtatim eius delegatio ſpirat; vt expreſsè diſpoſitum eſt *cap. in litteris de offic. Deleg.* &

confirmãt *ibi ſcribentes*; in caſu autem noſtro ſupponimus, confeſſiones nõ ſolùm inchoatas fuiſſe, ſed etiam complementum habuiſſe per abſolutionem ſacramentalem collatam à Confeſſàrio extraordinario, tanquam per ſententiam diffinitiuam, quæ ſuum effectum ſortita eſt, nempè remiſsionem peccatorum; & quamuis contingat interdum, confeſſionem illam, vel informem, vel inualidam fuiſſe, atq; adeo per illam minimè cõſequutum fuiſſe effectum; hoc tamen non obſtante, non debet inferri, Confeſſarium illum poſſe ampliùs ſe intromittere, & abſoluere pœnitentem poſt illud tempus, ex eo quod Delegatus valeat executioni mandare ſententiam à ſe latam; non poteſt, inquam, hoc inferri, & ratio eſt, quia ſi loquamur vniuerſaliter de cauſa delegata, abſtrahendo à caſu noſtro, licet poſſit Delegatus ſententiam executioni mandare, quamuis nonnulli contrarium ſentiant de Delegatis ab eo, qui eſt Principe inferior, & de iure ciuili, vt notat *Panorm. cap. Si quis contra Clericum num. 32. 37. & Molina tract. 5. de iuſt. diſp. 26. & 27.* Sed oppoſitum cum *citatis Authoribus* eſt dicendum; Delegatus autem ſupremi Principis habet annum à die latæ ſententiæ ad eius executionem, vt patet *ex cap. Quærenti de offic. Deleg.* & notant *prædicti Authores, & alij*; quamuis, inquam, hoc aſſeramus de delegatione vt ſic, loquendo tamen de delegatione pro foro Sacramentali, non eſt eodem, ſed diuerſo modo diſcurrendum; proinde dico, executionem ſententiæ haberi eo ipſo, quod Sacramentum cõficitur, & licet iuxta probabilem ſententiam ſit validum, & informe, nihilominùs receptio gratię ſanctificantis, & remiſſio peccati, quæ poſtea haberi poterit vi præcedentis Sacramenti informis non dependet ampliùs à iudicio humano, & à clauibus, ſed ab ipſomet pœnitente, qui poteſt obicem tollere, & integrũ effectum conſequi; ſi verò Sacramentum ob aliquem defectum fuerit irritũ, hoc tamen non obſtante, non poterit eo tempore lapſo, Confeſſarius illè extraordinarius ſe intromittere, quia praxis, & conſuetudo ita docet, videlicet, delegationẽ iſtam non cenſeri conceſſam in tali euẽtu, atq; adeo eodem modo eſſet diſcurrendum in hoc caſu, ac ſi nulla cœpta fuiſſet Confeſſio; perinde enim eſt facere actum irritum, ac non facere illum.

Dicendum eſt quartò, ſi ſermo ſit de Con-
8 feſſario ordinario, † tunc præſumptio erit fauorabilis pro ipſo Confeſſario; cum enim ſit ordinarius, & in poſſeſsione talis poteſtatis, quando dubium reſultat, an Superior voluerit reſtringere poteſtatem Confeſſarii, præſumendum eſt noluiſſe, & ideo in caſu iſto decidendum eſt pro Confeſſario manente in poſſeſſione prioris iuriſdictionis.

Sed contra diuerſitatem à nobis poſitam inter vtrumq; Confeſſarium, ordinarium, & extraordinarium, & inter peccata reſeruata,
9 & non reſeruata, † ſe offert difficultas, quam exemplo declaro, vt poſtea argumentum formem, oſtendendo inter vtrumq; caſum eamdem eſſe rationem.

Sit Prælatus alicuius Conuentus, qui concedat Titio Confeſſario conſueto eiuſdem Conuentus facultatem abſoluendi Regulares ſibi ſubditos ab omnibus reſeruatis, ſi fortè cõtingãt; det tamẽ huiuſmodi facultatem reſtrictam ad menſem, hoc eſt à reſeruatis, quæ per totum menſem illum fuerint patrata: Rurſus cõcedat Sorti Sacerdoti eiuſdem familiæ, tamquam extraordinario Confeſſario, facultatem circa omnia mortalia non reſeruata tantum; & limitatè per eumdem menſem. exerceat munus ſuum vterq; Confeſſarius, nonnullorum Religioſorum confeſsiones excipiens; tranſacto autem menſe illo, eueniat, vt vnus ex eiſdem Regularibus recordetur peccatum aliquod reſeruatum oblitũ, commiſsũ tamen antequam tempus illud laberetur, accedat ad Titium ordinarium Confeſſarium, à quo iuxta principia à nobis ſuperiùs poſita, & validè, & licitè à peccato illo abſoluatur: contra verò ſi alius eiuſdem familię Regularis recordetur peccatũ, eo tempore commiſſum, & nõ reſeruatũ, ob defectum memoriæ omiſſum in confeſſione facta apud Sortem extraordinarium Confeſſarium, nolumus tale peccatũ remitti poſſe à Sorte; videtur enim par ratio in vtroq; caſu; idcircò ſic formo argumentum.

Pares ſunt vtriuſq; facultatis conditiones; igitur ſi elapſo menſe illo, facultas Titij extendere ſe valet ad reſeruatum oblitum, pariter facultas Sortis extendetur ad non reſeruatum; patet cõſequentia; nam ex æqualibus cauſſis, ſimiles ſequuntur effectus. Antecedens, in quo conſiſtit difficultatis cardo, ſic probatur: Vtraq; facultas eſt delegata, vtraq; eſt reſtricta ad menſem, vtraque tranſacto menſe ceſſauit; ergo pares vtriuſq; facultatis ſunt conditiones. ità arguere poſſumus probando paritatem in vtroq; caſu, in gratiam cuiuſdam Docti recentioris, qui licet nobiſcum, quoad concluſionem ſentiret; nihilominus illi videbatur vrgere difficultas in diſparitate inuenienda.

10 Pro ſolutione autem huius dubitationis † duo ſunt adnotanda; primo longè diuerſum eſſe modum, quo tollitur reſeruatio, ab eo, quo tollitur culpa; nam ablatio reſeruationis formaliter conſiſtit in reſtitutione, aut communicatione poteſtatis abſoluendi, ſicuti enim reſeruatio formaliter nihil eſt aliud, niſi talis poteſtatis ſubtractio in ordine ad hoc, vel ad illud peccatum; ita formalis ablatio reſeruationis eſt reſtitutio, aut communicatio eiuſdem poteſtatis in ordine ad idem peccatũ; proinde eo momento, quo Superior concedit Confeſſario inferiori facultatem remittendi tale peccatum, illicò, in ordine ad eumdem Confeſſarium, peccatum illud non conſiderabitur vt reſeruatum, quamuis poſſit remanere reſeruatum in ordine ad alios Confeſſarios, ſi Superior in ordine ad omnes Cõfeſſàrios poteſtatem ademptam non reſtituat: et culpę ablatio formaliter nequit cõſiſtere in conceſſione poteſtatis ad abſoluendũ,

& hoc

& hoc eſt de ſe manifeſtum; non enim ſtatim
ac Sacerdos aliquis approbatur, & illi confertur
iuriſdictio ad excipiendam confeſſionem Petri,
& ad illum abſoluendum, cenſetur peccatum
ablatum in Petro, ſed ablatio iſta formaliter cõ-
ſiſtit in gratiæ infuſione per actionem Sacra-
mentalem Sacerdotis.

Secũdò adnotandũ eſt aliud, quod etiam eſt
11 certum, † nempè iuriſdictionem, ſeu poteſta-
tem abſoluendi, aut tollẽdi reſeruationem, per-
ſiſtere debere eo momento, quo tollitur reſer-
uatio, aut culpa, nihil proficiens ſi præextiterit
antea, & in illo inſtanti non exiſtat, ſe enim
habet ſicuti vis effectiua, quæ in cauſſa ope-
rante debet permanere eo momento, quo
effectus primò emanat. his præhabitis, clare-
ſcere incipit diſparitas inter vnum, & alium ca-
ſum, quam ſic explico: Statim ac Prælatus con-
ceſſit Titio facultatem remittendi peccata om-
nia reſeruata eo mẽſe, vel antea patrata, abſtu-
lit ab eiſdem peccatis reſeruationem, ſaltem in
ordine ad Titium; proinde tranſacto menſe
peccatum illud, quod diſtractiuè dicitur reſer-
uatum, in quantùm priùs tale fuit, quando ab
illo Regulari ipſi Titio aperitur, nõ retinet re-
ſeruationem iam extinctam, ac proinde ſe ha-
bet ſicuti reliqua mortalia; quę nunquam fue-
runt reſeruata, & in quæ, vt ſupponimus, Titius
tanquam ordinarius Confeſſor, iuriſdictionem
habet, ideoq; illud remittere poterit: contra
verò alius Regularis, qui meminit peccati mor
talis non reſeruati, commiſſi ante menſem illũ
elapſum, non poterit tranſacto menſe abſolu-
tionem talis peccati à Sorte obtinere, quia
menſe iam præterito, deſijt facultas, ipſi Sorti,
conceſsa tantùm per menſem, & cum illo mo-
mento, quo deberet abſoluere, nulla reperiatur
in eo iuriſdictio circa mortalia, non poterit ta-
le peccatum ab ipſo remitti: parùm enim re-
fert fuiſſe ex illis peccatis, in quæ intra men-
ſem ſignatum, Sortes ipſe iuriſdictionem ha-
buerit, ſi in eo inſtanti iuriſdictio non exiſtat,
vt in multis aliis ſimilibus exemplificare poſ-
ſumus, tum in temporalibus, tum in ſpirituali-
bus: nam ex hoc principio Iudex ſæcularis, of-
ficio Iudicis extincto, nequit ſe intromittere,
iudicando delictum patratum tempore, quo
erat Iudex, abſq; noua commiſſione: & pariter
Confeſſarii, qui ſunt ſpirituales Iudices in foro
pœnitẽtiæ, approbati ab Ordinario ad tempus,
nequeunt, tempore tranſacto, iudicare de pec-
catis commiſsis tempore, quo approbatio du-
rabat, & Regulares nequeunt eligere Confeſ-
ſarium, vt ab illo abſoluantur à peccatis com-
miſsis in ſæculo, à quibus eo tempore ab illis
Confeſſarijs abſolui poterant, & hoc non ob
aliam rationem, niſi quia non durat iuriſdictio
tempore, quo abſolutio eſſet præſtanda. His
12 poſitis † reſpondeo in forma ad argumentũ, ne-
gando antecedens, ſcilicet pares eſſe vtriuſq;
facultatis conditiones, & ad probationem con-
cedo vtramq; facultatem eſſe delegatam, vtrãq;
eſſe ad menſem reſtrictam, & vtramque
deſiiſſe, cum hac tamen diuerſitate, vt facultas
Titii ceſſauerit quoad reſeruata commiſſa poſt
menſem, non quoad reſeruata ante lapſum mẽ-
ſem: & hoc, quia, vt diximus, reſpectu ipſius
Titii, nõ comparantur vt reſeruata, ſed vt non
reſeruata, in quę, vt ſupponimus, iuriſdictio-
nem tanquam ordinarius Confeſſor habet; fa-
cultas verò Sortis, tranſacto menſe, omninò
ceſſauit, proinde nequit etiam non reſeruata
remittere: & ſic patet vtriuſq; facultatis, &
vtriuſq; caſus diſparitas.

Quæres vnum, magis ad præſens noſtrum
13 inſtitutum pertinens, † videlicet, ſi verba, qui-
bus Prælatus Titio concedit facultatem remit-
tendi reſeruata, ſint obſcura, ita vt animum ti-
tubantem reddant, an reſtrictio illa cadat nec
ne, non ſolùm ſupra materiam, nempè ſupra
peccata reſeruata eo menſe commiſſa, verùm
etiam ſupra facultatem ipſam, ſeu ſupra exerci-
tium iuriſdictionis, ita vt elapſo menſe nolit
Prælatus, vt Titius abſoluat Regularem illum,
qui oblitus fuit alicuius reſeruati patrati tem-
pore, quo durabat in Titio iuriſdictio; quid igi-
tur in tali dubio decidendum?

14 †. Videtur aſſerendum in dubio eſſe in fauo-
rem Titij præſumendum, *vt ſupr. concl. 4.* di-
ximus, ex eo quod Titius reperitur in poſſeſ-
ſione iuriſdictionis, tanquam ordinarius Con-
feſſor, & etiam quia hoc magis fauet pietati, &
cum reſeruatio ſit odioſa, in dubijs pro ſubdi-
to, & pro iuriſdictione inferioris Confeſſarij
eſt præſumendum, & non pro reſeruatione.

15 Sed his minimè ſuffragantibus, † oppoſitum
iudico eſſe determinandum, ſcilicet, in eo du-
bio pro reſeruatione, & non pro eius extinctio-
ne determinandum fore; ducor, quia quoties
duo contraria occurrunt, & ambiguitas oritur,
pro quo ex illis ſit pręſumendum, debemus di-
ligenter attendere, pro qua parte ſe tenebat
poſſeſsio, antequam dubium reſultauit, & ſi in-
uenieraus vnum ex illis fuiſſe in poſſeſsione,
pro illo eſt iudicandum; nemo enim eſt à ſua
poſſeſsione euellendus, niſi cõſtet oppoſitũ; cũ
igitur in caſu noſtro reſeruatio peccati, vt ſup-
ponimus, poſſederit, eueniente dubio, fuerit nec
ne extincta, pro illa eſt decidendum, & ideò ſi
verba conceſsionis facultatis ſint adeo obſcu-
ra, vt omnibus perſpectis, res maneat dubia, an
Pręlatus abſolutè concedere voluerit Titio po-
teſtatem remittendi ea reſeruata, quæ erant cõ-
miſſa menſe illo, an potiùs vt iuriſdictio remit-
tendi illa, duraret pro illo tãtùm menſe, in hoc
dubio reſeruatio nõ eſt à ſua poſſeſsione eijciẽ-
da, proindè Titius non poterit, tranſacto men-
ſe, abſoluere Regularem à peccato reſeruato,
etiam ſi ante elapſum menſem fuerit patratum.

16 Dices, poſſeſsio non videtur ſe tenere † pro
reſeruatione, ſed pro libertate pœnitentis; quia
iam ſupponitur extincta reſeruatio, eo ipſo, quo
Prælatus facultatem dedit Titio remittẽdi pec-
cata illa, quæ menſe illo occurrerint, atq; adeo
tunc ceſſante reſeruatione, incœpit pœnitens
poſsidere ſuam libertatem in ordine ad confeſ-
ſionem talis peccati, vt poſsit illud aperire co-
ram quocumq; Confeſſario, & per conſequens

qui

qui reſeruationem allegat, deberet illam probare, & ea non probata, in ſuo iure remanet pœnitens.

17 Contra eſt, † quia tali argumento id, quod ſub dubio manet, ſupponitur; certum enim non eſt, an fuerit reſeruatio extincta, an potiùs ſuſpenſa, de hoc enim dubitamus, & verba conceſſionis, ſua obſcuritate, dubium non remouent; Cum igitur pœnitens fundare debeat intentionem ſuam in extinctione reſeruationis, & extinctio ſit dubia, hinc eſt, vt præſumptio pro ipſo pœnitente eſſe nequeat, & pariter neq; poſſeſsio, claudicante fundamento; proindè niſi ceſſatio reſeruationis probetur, ipſa reſeruatio manet in ſua antiqua poſſeſſione, à qua deijci non poteſt per dubiam exceptionem: Confirmamus hanc doctrinam exemplo, ſi V.G. Paulus ſit excommunicatione affectus, & vt beneficium Eccleſiaſticum canonicè obtineat, aſſerat ſe fuiſſe à cenſura illa abſolutum, & Epiſcopus inſtitutor petat authenticum inſtrumentum abſolutionis, & ipſe Paulus tradat inſtrumentum inſufficiens ad fidem faciendam de abſolutione ſimpliciter collata, cum contineat verba ambigua, an abſolutio fuerit ſimpliciter, an verò conditionatè, an deniq; ad reincidentiam exhibita; tunc Paulus non fundaret ſuam intentionem, neq; pro ipſo eſſet præſumendum, & dum clariùs non probat ſuam liberationem à cenſura, præſumptio erit pro excommunicatione, quæ antea poſſidebat, & adhuc cenſetur in ſua poſſeſſione perſiſtere: Sic etiam erit diſcurrendum in caſu noſtro; maneat igitur in tali dubio pro reſeruatione eſſe præſumendum, atq; adeo eſſe recurrendum ad Prælatum, vel vt ſuam intentionem declaret, quam habuit, cum facultatem conceſſit, vel ſi ipſe mortuus ſit, petatur licentia à ſucceſſore in officio, vel à Prælato Superiore, ne cũ dubia iuriſdictione excipiatũ Cõfeſſio, & detur ſacramentalis abſolutio.

Ad motiuum autem dubitandi pro contra-
18 ria ſententia † reſpondeo, ſimile non eſſe, quod in quarta cõcluſione diximus; ibi enim loquuti ſumus de iuriſdictione illa, quam Titius habere ſupponitur, tanquam ordinarius Confeſſor, in peccata mortalia non reſeruata, & cum talis iuriſdictio in illo imperturbata, & certo exiſtat, idcircò ob ſuperueniens dubium nequimus cõtra Titium, in poſſeſſione huius iuriſdictionis perſiſtentem, præſumere: at iuriſdictio iſta, de qua procedit petitio, eſt in peccata reſeruata, quam Titius non poſſidet, cum reſeruatio poſsideat; proindè non eſt par ratio; quod autem additur, contrariam opinionem magis fauere pietati, nil obſtat, quia pietati fauendum eſt, quando omnia ſunt paria, & habemus pro illa ſufficientes rationes.

Demum, reſeruationem eſſe odioſam, non deijcit nos à noſtra ſententia, quia ſi dubium eſſet de incœptione reſeruationis, tunc pro ſubdito contra reſeruationem eſſet decidendum; ſed in caſu, de quo agimus, habemus reſeruationem præceſsiſſe in ſua poſſeſsione, poſtea verò inſurrexiſſe dubium de eius perſeuerantia, cuius negatio à ſubdito eſſet probanda, cum in illa ſuam fundet intentionem; ideò odium reſeruationis, cum cætera ſint diſparia, nil illi nocet.

§. IX.

Confeſſarius hæſitans, an puer ſeptẽnis vſum rationis habeat, poteſt ne illum abſque condiditione abſoluere?

SVMMARIVM.

1 *In ſeptennio Ius ciuile præſumit in puero vſum rationis; ſecùs antea.*
2 *Proponitur caſus.*
3 *Pars affirmatiua ſuſtinetur à Caramuele.*
4 *Alij negatiuam tuentur.*
5 *Cum his ſentit Author.*
6 *Soluitur fundamentum, quo Caramuel nititur.*
7 *Inſtantia contraria.*
8 *Satisfit inſtantiæ.*
9 *Non poſſe formam abſolutè proferri, retenta conditione in mente voluit Caramuel.*
10 *Oppoſitum concludit Author.*
11 *Forma Sacramentorum licet in verbis conſiſtat, dependet tamen ab intentione miniſtri.*
12 *Peccata ſunt ita aperienda, vt eorum ſubſtantia innoteſcat Confeſſario, & ita dubia non abſolutè ſunt aperienda retenta cõditione in mente, ſecus forma.*
13 *Intentio debet verbis Sacramentaliter, & non ſecundum ſonum grammaticalem ſe conformare.*

1 SVPPONIMVS ex iure tum ciuili, tum canonico, † quando dubium adeſt, an puer vſum rationis habeat, nec ne, ad præſumptionem recurrendum eſſe, ideoq; ſi puer ille ſeptennium ætatis compleuerit, vtrumq; ius vſum rationis incœpiſſe præſumit; ſecus autem ante ſeptennium, & ſic expreſse colligimus ex *L. Si infantes de iure delib. & capit. A nobis de ſponſ. capit. litteras de deſponſ. impub. & alibi*, quod etiam Doctores vnanimi conſenſu confirmant;
2 Tali autem regula præſuppoſita, † inquirimus, an Confeſſarius excipiens confeſsionem alicuius pueri, ſeptennio iam completo, hæſitans tamen de vſu rationis eiuſdem pueri, non obſtante tali dubio, nulla conditione adhibita, an huiuſmodi puerum ſacramentaliter abſoluere poſſit.

3 Partem affirmatiuam † tuetur *Ioannes Caramuel lib 3. de dictam. conſc. capit. 1. diſp. 1. coroll. 40 num. 1388. & ſeq.* quam ſententiam defendit, etiam ſi extra mortis articulum puer abſoluatur. probat autem *num. 1389.* hanc ſuam ſententiam ex præſumptione Iuris, ſecundum quam vſus rationis in tali puero præſumitur; proindè cenſetur capax abſolutionis, ideoque abſolutè eſt ei danda abſolutio, abſq; conditione: ſecùs autem eſſet, ſi puer ſeptennium non exegiſſet, tunc enim ſtante dubio, præſumptio, & poſſeſſio ſtaret pro carentia vſus rationis, vt ipſemet *Caramuel* determinauit *coroll. 39. antecedente nu. 1380.*

4 Sed partem negatiuam † docent communiter alij; ſic *Zambranus de caſ. temp. mor. occur. cap. 4. dub. 3. num. 4. 9. Layman lib. 5. ſuæ moral. theolog. de Sacr. pœnit. tract. 6. capit. 5. num. 7. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. diff. 28. num. 3. Diana part. 4. tract. 3. reſol. 53.*

5 Dicendum eſt † cum hac ſecunda ſententia, quam vnica, efficaci tamen, ratione demonſtro: Nequit Confeſſarius in abſoluendo pœnitente, ita ſe gerere, vt probabili irritationis periculo exponat Sacramentum, quando facilè poteſt tale periculum euitare. igitur hæſitans de vſu rationis in puero, cuius confeſſionem excepit, non poteſt illum abſq; conditione abſoluere. Antecedens certum videtur; quia imprudens eſſet Confeſſarius, potens periculum inualiditatis declinare, in illud ſe conijcere; quando nulla vtilitas ex hoc prouenit, neq; incommodum ex contrario.

Ad fundamentum primæ opinionis reſpon-
6 deo, † quamuis Ius, completo ſeptennio, præſumat in dubio, adeſſe vſum rationis in puero; nihilominùs in Sacramentorum adminiſtratione nequimus formare conſcientiam practicè probabilem ex tali iure præſumpto; quia validitas, aut inualiditas Sacramenti minimè dependet à præſumptionibus iſtis, nam tali præſumptione non obſtante, ſi à parte rei, puer ille defectum habeat rationis, irritum erit Sacramentum, proindè cum facilè poſſit Confeſſarius à tali periculo ſe eximere, conferens abſolutionem ſub conditione, prudentia dictat, vt conditionatè puerum illum abſoluat.

7 Sed vrgebis; † ſi præſumptio iuris ſufficiens non eſſet ad liberandum ipſum Confeſſarium ab onere dandi abſolutionem ſub conditione, ſequeretur ſemper ad id teneri, & nunquam poſſe abſolutè pœnitentem abſoluere. probatur ſequela, quia nunquam Confeſſarius eſt certus adeſſe omnes conditiones requiſitas ad Sacramenti ſubſtantiam; cùm autem illud ſit abſurdum, conſequenter erit dicendum, quando ſunt omnia requiſita, & ſolùm eſt dubitatio de ſufficientia vſus rationis, ſi præſumptio iuris eſt pro vſu rationis, abſolutè conferenda erit abſolutio.

8 Reſpondeo, † negando ſequelam, & ad probationem aio, licet nunquam phyſicè certi eſſe poſſimus de exiſtentia omnium conditionum, quæ ad valorem Sacramenti requiruntur: nihilominùs poſſumus eſſe moraliter certi; proindè dubitatio in re hac, erit in duplici differētia, vna oppoſita certitudini phyſicæ, altera verò certitudini morali, illam non oportet tolli, imò auferri abſq; reuelatione, minimè poteſt; illam verò tolli per iudicium prudens, quo iudicamus omnes conditiones adeſſe. Deſcendēdo autem ad caſum præſentem, dico per iuris præſumptionem dubium phyſicum, vt de ſe patet, non tolli: dubium verò morale, quamuis aliquandò auferatur, non ſemper tamen tolli, quia hìc, & nunc poſſunt concurrere inditia aliqua, quibus prudenter dubitamus, an puer rationis vſu habeat, & in tali caſu, licet ſit probabilitas illa, quam nobis ſubminiſtrat iuris præſumptio, nihilominùs non cenſetur ſufficiens, quando validitas, aut inualiditas actus eſt independens à tali probabilitate, vt euenit in adminiſtratione Sacramentorum: ſecùs autem eſſet dicendum, ſi ſolùm ageretur de honeſtate, & non de validitate actus, tunc enim ſatis eſſet probabilitas, quæ in iuris præſumptione fundatur.

9 † Poſſumus occaſione arrepta ex ſententia iſta, quam defendimus, exquirere modum, ſub quo iſta conditionalis abſolutio ſit exhibenda; ad quæſitum facilis eſſet reſponſio, niſi *Ioannes Caramuel* rem hanc in controuerſiam reuocaret; nam *lib. 3. de conſc. dictam. diſput. 4. art. 2. num. 1495.* referens opinionem *Ioannis Sanchez in ſelectis diſput. 1. num. 12.* vbi docet, abſolutionem eſſe dandam ſub conditione, ſaltem mentaliter conceptam, quando Confeſſio continet materiam tantum dubiam: contra hanc doctrinam inſurgit *Caramuel*, impugnans illam, & docens, dari nō poſſe abſolutionem ſub conditione, ſi conditio in ſola mente ſiſtat; & probat, quia Sacramentum per ſigna ſenſibilia adminiſtrari oportet, atq; adeò forma Sacramentalis ſenſibilis eſſe debet: Totum hoc etiam tripliciter *idem Author* cōfirmat; primò, quia forma Sacramenti pœnitentiæ in verbis conſiſtit, & non in intentione; nam intentio non eſt forma, ſed cōditio ex parte agentis; igitur qualia verba fuerint, talis erit iudicāda forma abſolutionis; pindè ſi verba erūt abſoluta, abſoluta erit forma, ſi cōditionalia, cōditionalis. Secūdò à pari; nā ſi pœnitēs peccatū dubiū habeat, non rectè illud abſolutè exprimeret, dicēs illud cōmiſiſſe, etiam ſi cōditionalem in mēte retineret; ergo quādo Cōfeſſarius debet cōditionatè abſoluere, nō rectè abſolueret, dicēs, *Ego te abſoluo*; cōditionem in mēte retinēs. Tertiò, Intētio, & verba debent inuicem correſpōdere, igitur ſi intētio erit cōditionalis, aut abſoluta, cōditionalia, aut abſoluta eſſe debent verba; aliàs in verbis mendacium, & non conformitas cum intentione haberetur. *Hæc ex Caramuele.*

Sed his minimè obſtātibus, † dicēdū eſt cum
10 cōmuni, & vera ſentētia, caſu eueniente, in quo pœnitēs cōditionatè, & nō abſolutè eſt abſoluendus, poterit nō ſolùm validè, verùm et licitè Cōfeſſarius proferēdo formā, in ſola mēte retinere

nere cōditionē: probatur nō ſolùm à poſteriori ex praxi, ſecūdū quā Cōfeſſarij docti, & prudētes id exercere ſolent, vel conditionē exprimēdo in ipſa prolatione formæ, vel ſolùm conditionem retinendo in mente; ſed etiam probatur à priori ex inſtitutione noſtrorum Sacramentorū, quæ, vt ſtatuitur in *Florentino in decreto vnionis*, tribus cōficiūtur, videlicet, rebus vt materia, verbis vt forma, & intentione Miniſtri, ita vt deficiente vno ex his, irritum ſit Sacramentum; quamuis igitur forma conſiſtat in verbis; nihilominùs vigorem nō habet, niſi pro vt ſubſtat intentioni Miniſtri; & ideò etiam ſi Miniſter eam proferat abſq; intētione actuali, aut virtuali conficiendi Sacramentum, nihil efficiet; menſurantur quodammodo verba per ipſam intentionem; & ſic ſi conditionata erit intentio, conditionata exiſtimatur forma, licèt ſecundum verba, grammaticaliter videatur abſoluta. Et hæc eſt fundamentalis ratio pro noſtra ſententia, per quam poſſumus etiam ſoluere argumentum principale, in quo ipſe *Caramuel* ſuam fundat ſententiam: dicimus ergo Sacramentum eſſe adminiſtrandum per ſigna ſenſibilia, non pręſcindendo tamen ab intentione, à qua in ſua efficacia determinantur.

11 Ad primam confirmationem † concedo formam Sacramenti in verbis, & non in intentione conſiſtere; & addo ita conſiſtere in verbis, vt nō habeant efficaciam, niſi dependenter ab intentione; ideoq; etiam ſi verba ſecundum ſonum, & grammaticaliter ſint abſoluta, ſacramentaliter tamen coram Deo ſunt conditionata, ſi ab intentione conditionata procedant, & forma talis cenſenda erit, qualia ſunt verba, non grammaticaliter, ſed ſacramentaliter, & ſecundum Chriſti inſtitutionem.

12 Ad ſecundam † nego paritatem, quia peccata taliter ſunt aperienda, vt eorum qualitas, & quantitas innoteſcat Confeſſario, proindè peccatum dubium non eſt explicandum abſolutè, retenta conditione in ſola mente; quia vt ſic nequit Confeſſario tanquam Iudici innoteſcere ſubſtantia ipſius peccati: at abſolutio, ſeu eius prolatio non eſt ita proferenda, vt innoteſcat pœnitenti, qui non concurrit in hoc Sacramento vt Iudex; poſſet enim Confeſſarius ita ſubmiſſa voce verba proferre, vt pænitens non audiat.

Ad tertiam, Intentionem, & verba Sacra-
13 mentaliter accepta, † concedo debere eſſe inuicem conformia; non autem debere neceſſariò eſſe coformia, ſumendo verba ſecundum ſonum grammaticalem: ad determinandum verò an verba inuoluant nec ne mendacium, non ſunt attendenda ſecundum ſonum; ſed prout intentioni ſubſtant; & quia intentio exterius ſciri nequit, idcircò nemo poterit determinate iudicare, an Confeſſarius ſit, nec ne, mendax in talium verborum prolatione.

§. X.

Dubium peccaminoſum de aliquo fidei myſterio exteriùs prolatum, contineatur nec ne ſub reſeruatiône?

S V M M A R I V M.

1 *Supponuntur variæ diviſiones conſcientiæ alibi declaratæ.*
2 *Formatur caſus.*
3 *Aliqui ita dubitantem, etiam ſi ſuſpendat omne iudicium, aiunt eſſe hæreticum.*
4 *Alij id negant.*
5 *In re hac ferè nulla erit difficultas, terminis rectè perſpectis.*
6 *Pura ſuſpenſio intellectus formaliter hæreſis eſſe nequit, & interdum neque peccatum.*
7 *Quandoq; erit peccatum, ſed non hæreſis.*
8 *Iudicium, quo quis iudicat rationabile eſſe illud dubium, erit formaliter hæreſis.*
9 *Explicatur textus ex cap. 1. de hæreticis.*
10 *Verus ſenſus ex Clem. 1. aperitur.*
11 *Declarantur Patres.*
12 *Soluitur ratio oppoſita.*
13 *Aliqui ex Authoribus in contrarium allatis trahuntur in verum ſenſum.*

1 IN *prima diſceptat. huius tractationis cap. 7.* varias conſcientiæ diuiſiones proponendo, *num. 8.* diſtinximus illam varijs conditionibus affectam, in eam, quæ eſt ſubiectiuè, ſeu formaliter talis, & in eam, quæ eſt obiectiuè, & extrinſecè talis, & hoc exemplificauimus, V. G. Si Titio proponatur ab intellectu actio aliqua, de cuius honeſtate, aut inhoneſtate ſit ambiguitas, & intellectus in illam ferens, iudicet eſſe dubiam, tum conſcientia erit obiectiuè tantùm dubia, ſubiectiuè verò erit formaliter certa, & non dubia: contra verò ſi idem intellectus per ſimplicem intuitum apprehendat actionem illam dubiam, ſed nihil iudicet, diceretur & obiectiuè, & etiam ſubiectiuè dubius. His præmiſſis; † caſus ita formari po-
2 terit. Proponatur aliquod fidei noſtræ myſterium V. G. Purgatorium eſſe, & vrgeat præceptum fidei, intellectus vero hinc inde ſe offerentibus contrarijs motiuis, ſit obiectiuè dubius; & totum hoc non ſolùm intellectus animaduertat, verùm etiam ipſe Titius dicat exteriùs, ſuum intellectum eſſe ſuſpēſum, & neq; habere aſſenſum, quo credat Purgato-

torium eſſe, neq; diſſenſum, quo iudicet Purgatorium pro animabus iuſtis minimè dari; certum eſt; hũc aduertẽter, & liberè in æquilibrio manentẽ grauiter peccare contra fidem, & quia tale peccatum exterius manifeſtat, inquirimus ſit, nec ne, reſeruatum? Quamuis quęſitum propriè non videatur ad tractationem de cõſcientia dubia propriè, & rigoroſè pertinere; placet tamen illud examinare, tùm quia in *prima illa diſcept.* hãc tangendo difficultatem remiſimus eius ſolutionem *in hunc tract. de conſc. dubia*, tùm etiam, quia aliquo modo reduci ad illum poterit, ideoq; varias de hac re referemus opiniones, & quid probabilius eſſe iudicabimus, in medium adducemus.

Prima opinio aſſerit, hunc ita dubitantem
3 † eſſe formaliter hæreticum, atq; adeò ſi in actum prodeat externum, incidere in excommunicationem reſeruatam; hæc ſecũda pars eſt ſine controuerſia, ſi antecedens concedatur, quia certum eſt, hęreſim externam culpabilem ſubijci excommunicationi, alijſq; pœnis hæreticorum; ideòq; tota difficultas in illo antecedente conſiſtit, illudq; tuentur *quamplures Canoniſtæ* apud *Sanchez loco infra citãdo*, & ex theologis apud ipſum *Angel. Sylueſt. Caiet. Aragon. Val. Tolet.* & in eadem ſententia videtur eſſe *Suarez de fide diſp. 19. ſect. 4. nu. 10. Conincb de fide diſp. 18. dub. 7. num. 102. & ſeq. Syluius in 2. 2. quæſt. 11. ar. 1. ver. (Si doas) & Caſtrop. tom. 1. tract. 4. diſp. 3 pun. 2. num. 9.* qui alios pro hac ſententia laudat; probatur autem hęc opinio pluribus argumentis, & primò, *ex cap. primo de hæret.* vbi expreſsè ſic habetur (*Dubius in fide infidelis eſt.*) Secũdò probatur, *ex Clem. 1. §. Porrò de ſumm. Trin.* vbi non ſolùm aſſerentes animam rationalem nõ eſſe corporis formam, verùmetiam id in dubium vertentes, eſſe hęreticos expreſsè deciditur. Tertiò ex Patrib'; nam *Auguſt. lib. 8. de Trin. cap. 5. ait (Forte de virgine nat' eſt Chriſtus nemo ſalua fide Chriſt. dixerit)* & *Bernardus lib. 5. de conſider. ad Eugenium, inquit* [*Fides ambiguum non habet*] Deniq; *Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacris par. 10. cap. 2.* ait *(vbi dubitatio eſt, fides non eſt.)*

4 Secunda opinio † negat, hunc talem eſſe hæreticum ſaltem completè; ſic docet *Canus de loc. vſu lib. 12. cap. 9. ver. (Errare autem) Bañes in 2. 2. quęſt. 11. ar. 2. in com. ver. Ex his ſequitur. Emmanuel Sà verb. Hæreſis n. 1. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 7. num. 12. Portell. in addit. ad dub. reg. ver. Hæreſis num. 4. Thomas Delbene de Comitijs dubit. 4. ſub corol. 2. ex corol. 7. & alij*, probant hoc ex definitione hæreſis, quæ eſt quædam volũtaria electio oppoſita veritati fidei; at qui manet ſuſpenſus, nullam habet electionem, neq; aſſenſum, aut diſſensũ fidei contrarium: ergo non committit peccatũ hæreſis, & per conſequens quamuis in hoc poſſit eſſe culpa, & grauis, quam exteriùs manifeſtet, non erit peccatum reſeruatum.

Antequam, quid ſentiam, declarem, aduer-
5 to in re hac, ni fallor, † aut nullam, aut ferè nullam difficultatem eſſe poſſe, ſi omnia rectè explicentur, vt per ſequentes concluſiones pręſtabo.

Dico igitur primò, in ſuſpenſione pura
6 intellectus, formaliter loquendo, † hæreſis nequaquam reperiri poterit, quamuis ſufficiẽter motiua ad credendum proponantur; probatur manifeſtè, quia cum motiua iſta intellectũ minimè neceſſitent, poterit intellectus ex imperio volũtatis omnem actum ſuſpendere; atq; adeo neq; aſſenſum, neq; diſſenſum elicere, & tunc talis ſuſpenſio non ſolùm non conſtituit hominem hæreticum, ſed neq; peccãtem; quia ſi eo tempore, non vrgeat fidei præceptum, poterit homo ad ſui libitum ſuſpendere aſſenſum poſitiuum fidei, & hoc rectè animaduertit idẽ *Suarez ſect. cit. num. 13.*

Dico ſecundò, quamuis aliquis, poſitis motiuis, & agnoſcendo myſteriũ illud eſſe ab Eccleſia reuelatum, pertinaciter ſuſpendat actum
7 maneatq; formaliter dubius, & peccet, † nihilominùs non eſt hæreticus; probatur concluſio, quia hæreſis eſt error volũtarius contra doctrinam, & fidei veritatem; ita ſolet ab Authoribus definiri, & pręſertim *à Cano de loc. theol. lib. 12. cap. 8. Farinac. de hæreſ. quæſt. 178. §. 1. Suarez diſp. 19. de fide ſect. 1. num. 5. & ſect. 3. num. 8. Caſtropal. tom. 1. tract. 4. diſp. 3. pun. 2. num. 1. & ab alijs*, à quibus haberi poteſt explicatio harum particularum, & rectitudo deſcriptionis, quam nunc ſupponimus, & ſolùm ex illa probamus veritatem concluſionis: cum enim hęreſis dicatur error, neceſſariò importat iudicium poſitiuum, & determinatum intellectus, quo Titius diſſentiat à myſterijs reuelatis; ſuſpenſio autem iſta volũtaria, & mala non eſt iudicium, idcircò formaliter hæreſis eſſe non poterit.

Dico tertiò, Quando quis reflectitur ſupra ſuſpenſionem hanc, & poſitiuè iudicat,
8 illam eſſe rationabilem, † tunc tale iudicium eſt formaliter hæreſis; probatur, quia directè opponitur myſterio reuelato, nempè, huic obiecto, Eccleſiam eſſe regulam infallibilem in proponendis myſterijs, vt à Deo reuelatis; & vt dicitur *prima ad Timoth. capite tertio eſſe columna, & firmamentum veritatis*; cum autem quis iudicat dubium eſſe, an Eccleſia in proponendo myſterio aliquo errauerit, nec ne? contradicit verbis Apoſtoli, atque adeò erit formaliter hæreticus.

Ex his ſatisfacere poſſumus argumentis, quę contra nos fiunt.

Ad primum igitur pro priori ſententia deſumptum *ex capite primo de hæret.* nempè dubium in fide eſſe infidelem, tripliciter reſpondet
9 *Sanchez loc. citat.* & ait, † id intelligi ſecundum fori externi præſumptionem, quando intellectus reflectitur ſupra ſuum actum, nempè, ſupra dubitationem, &c.

10 Ad ſecundum *ex Clem. 1.* † reſpondeo eſſe hæreticum, qui non ſolùm temerè aſſerit, animam rationalem, non eſſe corporis formam, vel id in dubium reuocat; nam in dubium reuocare,

care, id communiter importat, quod iudicare rem eſſe dubiam, & ſic habebitur erroneum iudicium contra myſterium fidei.

11 Ad tertium *ex Patribus* † facilis eſt reſpõſio: ipſi enim loquuntur de dubio obiectiuè accepto, quatenus terminat iudicium poſitiuum, neq; hoc gratis à nobis aſſeritur, quia *S. Auguſt.* citatus expreſsè ait, neminem ſalua fide dicere poſſe; Fortè de Virgine natus eſt Chriſtus; ly autem *forte*, importat iudicium, quo intellectus iudicat id eſſe dubium. *Ad S. Bern.* dicimus rectè ab ipſo aſſeri in fide noſtra nihil eſſe ambiguum, cum omnia ſint certa. Ad Vgonem demq; reſpondemus verè dici, vbi eſt dubitatio, non eſſe fidem, quia dubitans, dum ſub dubio manet, non dicitur credere, neq; fidem actualem habere.

12 Ad quartum ex ratione reſpondeo, † ſi per amittere fidem ſolùm intelligatur haberi carẽtiam actualis fidei, concedimus; ex hoc autem non ſequitur amitti fidem habitualem, neq; ſẽper eſſe peccatum, niſi vrgente præcepto fidei; Si verò intelligatur de fide habituali, erit negandum; nam fides habitualis ſolùm per hæreſim formalem amittitur; Rurſus *ex Caſu* relato *à Sanchez* dicere poſſumus, quod etiam ſi demus, fidem habitualem amitti, quando eſt peccatum graue, contra ipſam fidem; negamus tamen fidem amitti per ſolam hæreſim, ſed vel per hæreſim, vel per culpam grauem in dubitatione conſiſtentem.

Demum neq; aliqui ex Doctoribus citatis
13 ſunt omninò nobis contrarij, † ſi attentè eorum doctrina perpendatur; nam *Suarez in* tantum aſſerit, omnem dubitationem deliberatam & pertinacem in materia fidei, eſſe hæreſim, in quantùm putat in tali dubitatione includi iudicium erroneum, ſic *num.* 13. & præſertim in fine; *Caſtropalaus* verò clarè ponit iudicium erroneum, vt patet eum legenti *loc. cit.* ſic enim *Coninch nu.* 204. *&* *Sylvius in ſolut. obiectionis*, quam contra ſe fecit. Hoc autem non eſt contra nos, quia cẽſemus iudicium verſans circa dubietatem obiectiuam, de rebus reuelatis, eſſe approbans eſſe hæreſim, atq; adeo per tale iudicium hominem hæreticum conſtitui.

14 Ex tota hac doctrina reſpondendo directè ad quæſitum, dicimus, ſi quis peccauerit per dubietatem prędictam, quæ iudicium nõ inuoluit, eamq; exterius manifeſtauerit, non incidiſſe in caſum reſeruatum, & poſſe à Confeſſario ordinario, approbato ad excipiendas cõfeſſiones de mortalibus, validè abſolui, quia cũ reſeruatio ſit odioſa, & probabile ſit, peccatum illud dubietatis non eſſe reſeruatum, habendum erit pro non reſeruato, vt fusè probauimus *in tract. de caſ. reſeru.* quem, Deo fauente, typis mandare decreuimus.

§. XI.

Ambigens Titius Sacerdos fuerit nec ne, aliquod crimen per ordinem ad confeſſionem ſibi à Sorte manifeſtatum, num teneatur ſub ſigillo, an verò ſub naturali tantùm ſecreto illud cælare?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*
2 *Sacerdotem ſub ſigillo Sacramentali conſtringi ad non reuelandum, autumant aliqui.*
3 *Qua prudentia in re hac ſit procedendum.*
4 *In caſu poſito, & iuris rigore attento, in fauorem Confeſſarij eſt iudicandum.*
5 *In dubio, ſi vrgeat bonum commune, poteſt delictum reuelari, quadam adhibita limitatione.*
6 *Diluitur ratio in contrarium.*
7 *Paratus eſt Author oppoſitam ſententiam recipere, ſi efficax pro illa detur ratio.*

1 PONamus exemplum, † ſit Titius Sacerdos, & pariter Cõfeſſarius, cui Sortes reuelet, ſe cum alijs machinatum fuiſſe ſeditionem quamdam cõtra Rempublicam, pœnitẽtia tñ ductus, aperiat negotiũ Titio, & poſtea Titi' ex varijs circũſtantijs ambigat, nũ ſub ſigillo, ſeu in ordine ad cõfeſſionem Sacramẽtalẽ peragendam, Sortes ſeditionem illam aperuiſſet, an verò cauſſa petendi conſilium aliquod; & ita ex hac parte hæſitet, ſe non poſſe de tali crimine loqui, manifeſtando delinquentes, ex alia verò parte agnoſcens, poſſe ſeditionem manifeſtando eam impedire, & ſi ſolùm ſub naturali ſecreto illud à Sorte habuerit, teneri ad illud reuelandum; nã ſecretum naturale non obligat; quando vergit contra bonũ commune; idcircò hinc inde Titius titubãs, neſciat quo pacto ſe gerere debeat quærimus igitur, quid determinandum ſit?

2 De hoc puncto obiter agũt † *Reginal. in praxi lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. *&* *Bonacina diſp.* 5. *de ſecr. quæſt.* 6. *ſect.* 5 *pun.* 2. *num.* 4. & docent in tali dubio teneri Sacerdotem ſub ſigillo delictum illud tegere, & ideo præſumendum erit in fauorem confeſſionis, & pœnitentis, ne ipſũ Sacramentum odioſum reddatur; citat aliquos Bonacina, qui re vera de hac difficultate minimè loquuntur, ſed de alijs diuerſis.

Dicendum eſt primò, in re hac ſumma pru-
3 dentia † eſt procedendum, ne ſigilli fractione contra Sacramenti inſtitutionem iniuria inſeratur; proinde plura ſunt ponderanda, & præſertim,

ſertim, an Sacerdos ille ſit Cōfeſsarius, & ſi ta-
lis, num ſit illius, qui ſecretum delictum mani-
feſtauit: Rurſus ſunt conſiderandę circumſtā-
tiæ perſonæ, loci, tēporis, occaſionis ad mani-
feſtationem inducētes; ex his autem omnibus
nō erit difficile iudicium facere, an detectio de-
licti fuerit, nec ne, in ordine ad confeſſionem
Sacramentalem, & conſequēter ſub ſigillo, an
verò ſolùm ſub ſecreto naturali, & ad alium fi-
nem; Si verò omnibus rectè perpenſis rema-
neat intellectus in æquilibrio, & ſuſpenſus, quid
determinare debemus?

Dicendū eſt ſecūdo, in rigore iuris puto eſſe
4 dicendum † in fauorem Titij Sacerdotis, ac
proinde vrgente Charitatis præcepto ad bonū
5 Reipublicæ ſeruandum, † debet delictum il-
lud reuelari, illis tamen perſonis, ad quas eiuſdē
Reipublicæ defectio ſpectat; ducor ad hoc, quia
pro Titio, eiuſq; libertate eſt præſūptio, & poſ-
ſeſſio; ipſe enim antequam dubium inſurrexit,
erat in ſua libertate, adueniente dubio, nequit à
ſua connaturali libertate deijci, proinde poſſi-
debit illam, ſicut prius. Et confirmatur ex do-
ctrina vniuerſali, ſecundum quam communiter
Authores exiſtimant, qui allegat onus impoſi-
tum, eidem incumbere illud probare, & non vi-
deo cur in hac materia principium iſtud adeo
vniuerſale, & formaliter receptū, locum nō ha-
beat; proindè niſi alia ratio probans oppoſitū
in fauorem cōtrariæ opinionis mihi ſe offerat
ei adhærere nequeo.

Ad eius autem vnicam, & fundamentalem
6 rationem, † facilis erit ſolutio, tùm quia ipſi
Aduerſarij dicunt, eſſe præſumendum pro con-
feſſione, & pœnitente, quod tamē non probāt,
& ſolùm addunt: ne confeſſio odioſa reddatur
veneror Sacramētum confeſſionis, tueor ſacri
ſigilli honorem, illud illæſum ſeruare ſtudeo, q̄
generare poteſt odium in confeſſionem abo-
minor; ſed hæc animum non impellunt ad im-
ponendum Sacerdotibus onus abſq; ſufficienti
ratione, & quamuis ex hac noſtra ſentētia pri-
mo aſpectu videatur moleſta reddi confeſſio, id
ſanè non oritur ex opinione, quam ſuſtinemus,
ſed ex modo aperiēdi delictum; ſi enim manife-
ſtans ſub ſigillo crimen detegere velit, caute
procedat, & claris notis id ſignificet, & ſi in his
ſeruandis oſcitāter ſe gerat, ſibi imputet, ſi Sa-
cerdos euidenti Charitatis præcepto impulſus,
ſecretum, nempè, ſeditionem reuelet Principi,
ne Reſpublica periclitetur.

7 Hæc mihi occurrunt dicēda † circa propo-
ſitum quęſitum, paratus tamen ab hac ſentē-
tia recedere, ſi efficax in contrarium ratio pro-
ponatur; Et hæc omnia dicta ſint, ſpectando
ſigillum ſolùm Sacramentale, nam ſi ſermo eſſet
de ſigillo tātùm naturali, tunc ad illud frangē-
dum eſſet attendenda cauſſa, qua mouetur ille,
qui ſub ſecreto manifeſtationem delicti habuit,
num ſit talis, vt vincat, nec ne, ſecretū naturale,

§. XII.

Si Confeſſarius reuelet crimen Sortis in confeſſione receptū, & aſſerat id ex eius licentia detegiſſe, vel aliunde ſciuiſſe, quid in dubio dicendum?

SVMMARIVM.

1 Declaratur caſus.
*2 Si contra Confeſſarium obijciatur fractio ſi-
gilli, & ipſe fateatur manifeſſaſſe deli-
ctum, & dicat aliunde illud ſciuiſſe, ipſi
incumbit onus id probandi, putant non-
nulli.*
*3 Diſtinctio, quam Reginaldus ponit, expli-
catur.*
*4 Si ob reuelationem, aliquod Confeſſario, aut
tertiæ perſonæ damnum obuenit cenſent
aliqui contra Confeſſarium eſſe. præſumen-
dum, secùs, ſi nullum damnum ſequitur.*
*5 Quando Confeſſarius negat manifeſtaſſe de-
lictum, onus probandi obijcienti incum-
bit.*
*6 Si Confeſſarius fatetur reuelaſſe, licentia à
pœnitente obtenta, penſatis omnibus, ſi eſt
vir probus, ipſi eſt credendum.*
*7 Per accidens in aliquo caſu oppoſitum eſt
aſſerendum.*
*8 Si Confeſſarius dicat ab alijs audiuiſſe, ad
ipſum ſpectabit id probare.*

OCcaſionem ex præcedenti doc-
trina ſumimus inquirendi deci-
1 ſionem ſubſequētis caſus. † Ti-
tius Sacerdos manifeſtet aliq̄
Sortis peccatum, quod in con-
feſſione Sacramentali audiuerit
& quia Sortes contra Titium excipit tamquam
ſigilli fractorem, Titius ſe defendēs dicit, ex li-
centia ipſius Sortis delictum illud detegiſſe, vel
dicat, ex alia parte delictū illud ſciuiſſe, ac pro-
indè nequaquam ſigilli ſacri violatorem fuiſſe;
quęrimus pro quo in hoc caſu ſtet præſumptio
ſi penſatis omnibus res in ambiguo cōtineatur.

De hoc puncto tractantes Authores varia
dixerunt, quorum placita hic fideliter re-
feram.

2 Primus enim modus dicēdi eſt eorum, † qui
diſtinguētes, aiunt, quod ſi pœnitens obijciat
reuelationem peccati contra Confeſſarium, &
Confeſſarius fatetur illud dixiſſe, in confeſſio-
ne tamen non habuiſſe, ſed aliundè, tūc præſu-
mendum eſſe contra Confeſſarium; ſic tenet *ex
Hoſtienſi Panorm. in cap. Omnis vtriuſque de
pœnit. & remiſſ. num. 26. in fine. Syluest. Verb.
Confeſſio 3. quæſt 9. Graff. in deciſ. lib. 1. cap. 23
num. 23.* Qui addit, ſi Confeſſarius negat id di-
xiſſe,

giſſe, tunc eſſet abſoluendus, cum non minùs illi, quàm pœnitenti ſit fides præſtanda.

Eumdem dicendi modum amplectitur *Reginal. in praxi lib. 3. cap. 5. nu. 68.* & vlterius addit, quod ſi Confeſſarius dicat reuelaſſe licentiam habitam à pœnitente, tunc diſtinguẽdum
3 putat; † vel obijciens eſt ipſe pœnitens, vel alia tertia perſona, ſi erit pœnitens, ſtandũ eſſe eius iuramento, ſi eſt vir probus, & bonę famæ, & in hoc ſequitur opinionem *Viualdi in Candelabro cap. de ſigill. num. 39.* Si erit tertia perſona, incumbere onus id probandi Confeſſario

Secundus modus alia diſtinctione vtitur, & vult, quod ſi ex reuelatione delicti aliquod dã-
4 num pœnitenti, aut alteri tertio † obuenerit, tunc contra Confeſſarium præſumendum eſſe; ſi verò nihil contra prędictos incommodi ſit ſequutum, ſed potiùs manifeſtatio in bonum pœnitentis redundauerit, ſalua eius fama, & honore, tunc in fauorem Confeſſarij eſt declinandum, niſi aliundè oppoſitum conſtet, & in hoc valdè confert ſpectare vitam, & mores Confeſſarij, ſic diſcurrit *Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 33. ſect. 8. num. 4. in fine.*

Hi sũt principaliores modi in re hac, ex quibus omnibus aliquid accipiam, meam declarãs ſententiam per ſubſequentes concluſiones.
5 Dico primò, ſi aliquis contra Confeſſarium obijciat reuelationem alicuius peccati, ſub ſigillo Sacramentali recepti, & Confeſſarius neget, proculdubio onus probandi fractionem ſigilli incumbet illud excipienti, & præſumptio erit pro Confeſſario; delictum enim niſi probetur, non præſumitur *l. meritò ff. pro dubio.*

Dico ſecundò, ſi Confeſſarius fatetur ſe peccatum illud reuelaſſe, addit tamen ad illud manifeſtandum facultatem ab ipſo pœnitente recepiſſe, quamuis ex vna parte ſpectando iuris principia præſumptio ſit contra Confeſſarium ad eiq; ſpectare videatur onus probandi innocentiam ſuam, & licentiam à pœnitente obtentam, quia eo ipſo, quod fatetur ſe reuelaſſe, pœnitẽs videtur ſuam intentionem fundatam habere, & conſequenter ad Confeſſarium pertinere, iuſtã ſui defenſionem excipere; ſed his non obſtan-
6 tibus, in hac materia † contrario modò eſt diſcurrendum, quia valdè moleſtum foret Cõfeſſarijs, ſi ſimplici pœnitentis dicto venirent dãnandi; cum enim talis licẽtia ſit impoſſibilis, aut difficillimæ probationis, ſolet communiter, nullo alio præſente, ab ipſo pœnitẽte concedi; ideò nequit Confeſſarius illam probare teſtibus omnibus deficiẽtibus; proinde congruum rectę rationi videtur, vt in hac materia ad fundãdam præſumptionem in fauorem Cõfeſſarij, potiùs ſint circumſtãtię extrinſecæ attendẽdę, quàm dictum vnius pœnitẽtis, nempè, vita, & mores ipſius Cõfeſſarij; ſi enim eſt probatę vitæ, eius iuramẽto eſt eredẽdum, per ſe loquẽdo; quoniã poſita eius probitate, & mòrali impoſſibilitate ad oſtendẽdam licentiam habitam ex communiter accidẽtibus, prę́ſumptio erit pro ipſo Cõfeſſario, ſcilicet non reuelaſſe abſque facultate obtenta.

Dico tertiò, per accidẽs oppoſitum, vt vult
7 *Suarez, & aly,* † eſſet aſſerendum, nimirum ſi manifeſtatio illius delicti redũdaret in damnum graue pœnitentis, vel alterius tertiæ perſonæ, tũc non eſſet præſumendum pro Cõfeſſario, ſed pro pœnitẽte, quia nõ prę́ſumitur pœnitẽtem in ſui præiudicium, vel in damnum alterius abſq; ſui vtilitate talem dediſſe facultatẽ, & maximè id prę́ſumeretur, ſi in vtilitatem Cõfeſſarij deprehenderetur reuelatio.

Dico quartò, quando Confeſſarius in ſui defenſionem dicat, peccatum illud aliũdè, vel ab alijs, quàm à pœnitente ſciuiſſe, & ideo ex cognitione aliundè accepta, illud manifeſtaſſe,
8 tunc niſi id probaret, † contra ipſum præſumeretur, quia notitia aliundè habita non eſt ita difficilis probationis; proindè ceſſat cogruẽtia illa, ob quam excuſandus veniret Confeſſarius, quando à pœnitente extra Confeſſionem aſſerat id habuiſſe, & ideo præſumptio eſt contra ipſum, & niſi ſuam oſtẽderet innocentiam, eſſet puniendus non pœna ordinaria, ſed extraordinaria; vt notant communiter Doctores, quia delictum non eſt plenè probatum.

QVINTA PARS,

Conſcientiæ ambiguitates de Sacramento extremæ Vnctionis explanantur.

PAucâ quædam circa hoc Sacramentum, quæ dubiam reddant conſcientiam, nobis ſe offerunt; plura enim alia, quæ de illo exagitari poſſent, meritò omittimus, quia ſunt extra limites huius tractatus.

§. I.

Dubitante Parocho, num ægrotus ſit mortuus, ſit ne inungendus?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Ratio dubitãdi, quare ægrotus minimè ſit inungendus, proponitur.*
3 *Putant aduerſarij Sacramentum adminiſtrandum ſub conditione, quando eius effectus eſt neceſſarius ad ſalutem.*

4 Sub

4 *Sub conditione eſſe hoc Sacramentum conferendum, decidit Author.*

5 *Reſpondetur ad rationem dubitandi in contrarium.*

6 *Diſparitas inter dubium de baptiſmo collato, & de ægroto, an ſit, nec ne, mortuus, in ordine ad hoc Sacramentum adminiſtrandum.*

A Facilioribus exordium ſumimus, ideoq; caſum, qui in quæſito cōtinetur, decidendum proponimus, non eſt enim moraliter impoſſibilis, nam poteſt cōtingere,
1 † vt ægrotus ſit ita morti proximus, vt quando ad illum perungēdum accedit Parochus, vel alius Sacerdos de eius licētia, aliquo repentino accidente appareat, ac ſi mortuus eſſet, proindè prudenter dubitetur, an viuat; in tali autem caſu inquirimus, an Parochus debeat illi hoc Sacramentum conferre, etiam ſi ægrotus alia receperit Sacramenta, nēpè, ſit confeſſus, & Sanctiſſimo Chriſti corpore refectus.

2 Ratio dubitandi eſt, † quia ex vna parte hoc Sacramentum non eſt neceſſarium, vt medium ad ſalutem, vt omnes Theologi fatentur, & colligitur *ex Florent. in decr. Eugenij, & ex Trident. ſeſſ. 5. can. 5.* in quibus definitur, baptizatos, ſi ex hac vita decedant, antequam peccatū aliquod committant, ſtatim ad Regnum Cœlorum, Deiq; viſionē peruenire; proinde ægrotus ille non videtur indigere huius Sacramenti effectu: Ex alia verò parte ſi Parochus illum Sacramētaliter inungat, exponitur periculo irritum faciendi Sacramentum, quia ſi re vera infirmus ille ſit mortuus, fruſtra applicatur vnctio, & invalidum erit Sacramentum.

Neq; ad tale vitandum periculum dicas, poſſe Parochum ſub conditione Sacramentum cōferre, nempè, ſi capax eſt illius, aut ſi non eſt
3 mortuus, &c. quia tunc † dandum eſt Sacramentum ſub conditione, quando eius effectus eſt omninò neceſſarius ad ſalutem; in tali enim caſu, licet phyſicè loquendo, idem adſit inualiditatis periculum, nihilominùs charitas erga proximum videtur magis vrgere, ideoq; prudētia dictat, vt ſub conditione detur Sacramentū vt ſic vitetur periculum irritationis, & irreuerentię erga Sacramētum, & æternæ ſaluti illius proximi conſulatur; hoc autem locum habet, quando conferendum eſt Sacramentum baptiſmi ei, de quo ambigitur, num ſit mortuus, nec ne; aut Sacramentum pœnitentiæ adulto in eiſdem circumſtātijs, aut deniq; ſi nullum aliud receperit Sacramentum ob impotentiam, tūc deberet illi conferri Extrema Vnctio ſub conditione: talis autem neceſſitas non apparet in caſu noſtro, cum ſupponamus, ægrotum recepiſſe abſolutionem, & Euchariſtiam, & quamuis cōditionalis collatio tollat periculum inualiditatis, quatenus intentio Miniſtri eſt Sacramentum non conficere, ſi aliquod ex eſſentialibus deſit, negari tamen nequit, id ſinè ſufficiēti cauſſa fieri non debere; nam conditio ipſa aliquam indecentiam, & irreuerētiam ſapit, aliter poſſet quis leuiſſimo dubio, ſit, nec ne, baptizatus, baptizari ſub conditione, imò, & nos etiam cum ſub parentum, maiorumq; noſtrorū fide maneamus de noſtro baptiſmo, vt tutiores reddamur, deberemus nūc adulti ſub conditione baptiſmum recipere; hoc autem illicitum eſſe, omnes fatentur, & non ob aliam rationem, niſi, quia id aliquid irreuerentię inuoluit. Tali diſcurſu probari poſſet, in caſu poſito ægrotum illum neq; ſub conditione eſſe vngendum.

Verùm prędictis minimè obſiciētibus, dicim⁹
4 † à Parocho ſub cōditione eſſe ægrotū liniēdū, ita communiter Doctores. *Henriquez in ſum. lib. 3. cap. 12. num. 4. Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 42. ſect. 1. num. 1. Emmanuel Sà in aphoriſ. Verb. Extrema Vnctio num. 15. Præpoſitus in 3. p. quæſt. vnica de Sacram. Extrem. Vnct. dub. 7. num. 56. Bonacina de Sacram. diſput. 7. quæſt. 5. pun. 5. num. 9. Franciſcus Amicus to. 8. diſp. 19. ſect. 14. nu. 221. Matthæus Kelliſonus in ſupplem. 3. p. quæſt. 32. a. 2. in fine, & alij* Probatur concluſio, quia etiam ſi demus, ęgrotum Sacramentis pœnitētiæ, & Euchariſtiæ adiutum fuiſſe; nihilominùs vi huius Sacramenti ſpeciales cauſſantur effectus, quos vi aliorum nō habemus, eoſq; declarat *Trident. ſeſſ. 14. c. 2.* idcircò ne infirmus tot bonis priuetur, & maximè in eo articulo, Charitas impellit, vt illum hac via ſubleuemus, & quia pariter contingere poſſet, vt aliqua mortali culpa ſit affectus, de qua ſolam attritionem habuerit, & ſi ita moreretur, damnaretur, adhibito autem hoc Sacramento cauſſante gratiam ſanctificātem, deleta culpa illa ſaluaretur, proindè prudenter Parochus in tali rerum diſcrimine operatur, dubitans de vita ęgroti, illū ſub cōditione inungendo.

5 Ad rationem autem dubitandi in contrariū reſpondeo, quamuis hoc Sacramentum ex ſui inſtitutione nō ſit mediū neceſſarium ad ſalutem, cum tamen tot bona infirmis afferat, magis præponderat Charitas, vt illi ſubueniamus, quàm illud periculum irritationis, facile euitabile, ſi conditionatè vnctio ſacra peragatur; & hoc Deus, & rectum rationis dictamen poſtulat proinde tali cauſſa exiſtente, nulla irrogatur irreuerentia, ſi cōditionatè illud adminiſtretur.

Et cum iterùm inſtatur, afferēdo paritatem
6 de baptiſmo, aio, nihil valere paritatem illam; † licet enim non ſimus phyſicè certi, quod illum receperimus, ſumus tamen moraliter certi, vt ſuppono; proinde leuis dubitatio inſufficiēs erit ad illum reiterandū: at in caſu noſtro Parochus eſt certus, quod ægrotus, ſaltem in ea infirmitate, & periculo non receperit Extremam Vnctionem, & ideo, vt abundantioribus donis infirmus muniatur, rationabile erit illum conditionatè perungere.

(✠)

§. II.

§. II.

Sit ne ægrotanti Sacramentum hoc conferendum, ſi de eius vitæ periculo probabile iudicium ferri nequeat?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur doctrina fidei circa ſubiectum huius Sacramenti.*
2 *Non quæcumque infirmitas eſt ſufficiens ad conferendum hoc Sacramentum.*
3 *Prima opinio ait ſub conditione, in tali dubio, eſſe adminiſtrandum.*
4 *Negant alij.*
5 *Hanc ſecundam ſententiam recipit Author.*
6 *Reſpondet ad contraria.*
7 *Quando formari poteſt probabile iudicium de periculo mortis, eſt adminiſtrandum hoc Sacramentum.*

1 Supponimus doctrinam, † quā Catholica Fides nos edocet, videlicet Sacramentum Extremæ Vnctionis ſolis infirmis applicandum eſſe, vt dicitur *Iacob.* 5. & determinatur *in Florent. in decret. de Sacram. & in Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

Supponimus etiam non quemcumq; infirmi-
2 tatis gradum ſatis eſſe, † vt infirmus, Sacramento iſto inungatur, vt communiter Theologi docent, ſi ic hoc fit de ſubſtantia ipſius Sacramenti, ſiue de præcepto; non enim ad nos pertinet, agentes ſolùm de conſcientia dubia, difficultatem hanc enodare; id igitur, quod intendimus, eſt, an Titius v. g. ſi ægrotet, & peritis omnibus, non poſſint Medici determinatum iudicium ferre, num infirmitas illa ſit talis, vt conſtituat Titium in diſcrimine vitæ, atque adeo intellectus hinc inde hæſitans ſuſpenſus maneat, an, inquam, dubio iſto eueniente, licitè, nōdū valide Titius ſacro oleo inungi debeā.

Hanc difficultatem communiter apud Doctores non inueni, niſi apud paucos mox citandos, ſit igitur

3 Prima opinio, † in tali caſu eſſe Titio conferendum hoc Sacramentum ſub conditione tamen, ſi eſt capax &c. ita *Chapeauilla de miniſtr. Vnct. cap* 5. *quæſt.* 11. & ratio huius opinionis eſſe poteſt, quia hoc pacto nulla irreuerentia huic Sacramento fieret, & conditione poſita, periculo irritationis nō exponeretur, & ægrotus ſufficienter adiuuaretur, ſi fortè in periculo mortis ſit conſtitutus.

4 Secunda verò ſententia † negat, in tali dubio eſſe Sacramentum applicandum; & ita ſentit *Paulus Layman lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 4. *nu.* 4. *Caſtropal. tract.* 26. *diſp. vnic. pun.* 6. *nu.* 13.

Dicendum eſt primò, hanc ſecundam ſententiam
5 † mihi probabiliorem videri, quia ſi infirmitas eſt talis, vt manifeſtū vitæ periculum non trahat, ſignum eſt, nō eſſe talem, vt differri aliquantulum non permittat ad hoc, vt ipſius infirmitatis progreſſu innoteſcat ſtatus ægroti & iudicium de ipſa infirmitate à Medicis, ſeu alijs peritis certius fieri valeat; dilatione enim omnia iſta componuntur, quia nō cogitur Parochus Sacramentum conditionatè abſq; ſufficienti neceſſitate exhibere, neq; infirmi ſalus periclitatur; proinde nullum inconueniens, ſuperſedendo inducitur.

6 Ad fundamentū contrariæ opinionis † reſpondemus, aliqualem irrogari irreuerentiā ipſi Sacramento, neceſſitate non vrgente, illud etiā conditionatè applicare, & ideo eſt differendū modo explicato; vt ſic daretur tempore, quod eſt eiuſdem Sacramenti fini, inſtitutioniq; cōformius; inſtitutum enim fuit à Chriſto Domino, vt vltimum, & extremum remedium fideliū, ex hac vita proximè diſcendentiū, vt in eo pūcto meliùs diſponantur ad introitum gloriæ, quem effectum præſtat hoc Sacramentum, tollendo peccatorum reliquias, & animum ægroti contra diabolicās inuaſiones corroborando; & illud ipſum ſignificat nobis Concilium Florentinum, expreſſè ſtatuens, hoc Sacramentū non eſſe dandum, niſi ægrotis, de cuius morte timetur, quod etiam eiſdem uerbis dixit *S. Thomas Opuſ.* 1. Rurſus *Tridentinum* hoc ipſum confirmauit, illud vocans Sacramentum exeuntium.

Dicendum eſt ſecundò, ſi ægritudinis conditiones ſunt tales, vt poſſint probabile iudiciū de periculo mortis generare, † tunc licitè mini-
7 ſtrabitur Sacra Vnctio, ita expreſsè *Layman l. cit.* in his enim ſufficit probabilitas periculi, quæ ſatis eſt ad cauſſandum timorem de morte infirmi, talis enim timor, vt ſufficiens ad licitā adminiſtrationem huius Sacramenti, ponitur à *Florentino vt ſupra.*

§. III.

Num ad huius Sacramenti valorem ſufficiat probabilitas periculi præſumpta?

SVMMARIVM.

1 *Aperitur caſus.*
2 *Eſſe inualidum putat Coninck, ex ſuppoſitione, quod requiratur, infirmum eſſe in periculo vitæ conſtitutum.*
3 *Alij oppoſitum ſuſtinent.*
4 *Authori magis placet prior opinio.*
5 *Reſponſio Franciſci Amici, ad rationem Authoris, refertur.*
6 *Impugnatur reſponſio ex abſurdo, quod ex illa ſequeretur.*
7 *Congruentia inter materiam, & ſubiectum huius Sacramenti in ordine ad noſtram cognitionem, vt friuola reijcitur.*
8 *Periculum mortis per ſe ferè ſemper eſt Medicis notum.* (commodum,
9 *Ex ſententia Authoris nullum ſequitur in-*

10 *Obiectio ex S. Iacobi, & Conciliorum doctrina, & verbis.*

11 *Explicãtur prædictorũ verba, & ſoluitur obiectio.*

1 POTEST aliquando euenire, † vt peritus Medicus ex varijs inditijs ſatis prudenter iudicet, graui vitæ amittẽdæ periculo infirmum detineri, ſed in tali iudicio decipiatur, & Parochus ductus conſilio illius Medici inungat infirmũ; quo poſito, nõ quærimus, an licitè id fiat, cũ hoc certũ ſit; ſed an validè conferatur Sacramentum.

2 Primam ſententiam defendit † *Coninck loc. cit.* docens eſſe inualidum, ex ſuppoſitione tamen, quod requiramus ad valorem huius Sacramẽti infirmum eſſe in periculo &c. & addit idẽ Author, per bonam fidem ſuppleri non poſſe ea, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti. Secunda 3 ſententia † oppoſitum ſuſtinet, eamq; docet *Caſtropal. pun. cit. n. 16. in fine. Amicus ſect. 9. cit. num. 160.*

4 Ex his duabus ſententijs † prima mihi magis placet, quamuis vtraq; ſit probabilis; ratio autem, quę mouet me, eſt, quia ſicuti valor Sacramentorum, quoad debitam materiam, & formam, iuxta Chriſti inſtitutionem à noſtris opinionibus, etiam prudenter formatis, minimè dependet, ita etiam, & capacitas ſubiecti neq; à noſtro iudicio dependebit, proindè ſupponẽdo, ad valorem huius Sacramenti requiri periculum mortis, ſi re verą tale periculum non adſit, ſubiectum nõ erit proximè capax, atq; adeò irritum erit Sacramentum.

Ad hoc argumentum deductum ex paritate 5 materiæ † reſpondet noſter *Amicus numero 161.* diſparem eſſe rationem de materia, quia ad dignoſcendum veram materiam non eſt tanta difficultas, quanta eſt ad agnoſcendum verũ periculum mortis, cum hoc ab occultis cauſſis pẽdeat, materia verò à cauſſis patẽtib⁹, & notis

6 Sed contra eſt, quia etiam ſi daremus diſcrimen illud in ordine ad noſtram cognitionem inter materiam Sacramentorum, & capacitatẽ ſubiecti, & quod illa faciliùs, iſta verò difficiliùs nobis innoteſcat, ex tali autem diſcrimine non video, quomodo poſſit deduci, ita à Chriſto fuiſſe inſtitutum, vt ad valorem Sacramenti requiratur vera, & non putata materia, & quoad ſubiectum non requiratur eſſentialiter vera, ſed ſufficiat tãtùm præſumpta capacitas; ſi hoc enim eſſet verum, poſſet inferri, quod ſi infirmus ſit mortuus, ſed tales conditiones habeat, vt prudenter putetur viuus, & Sacerdos illum vngat, validum fore Sacramentum, quia haberetur præſumpta capacitas: Cum autem hoc, in omnium ſententia, ſit apertè falſum, non aliũde eius falſitas deduci debet, niſi ex illo principio, ſcilicet, quia deeſt in re capacitas ſubiecti, nihil quantũ ad validitatẽ, ſuffragante capacitate pſumpta, licet ſufficiat ad honeſtatẽ illius actionis: Congruentia aũt illa de minori, & maiori 7 difficultate in ordine ad noſtrã cognitionem, † dubijs valdè eſt cõiectura ad id determinatè aſſerendum; ſi .n. eſſet efficax, probaret ẽt. debuiſſe à Chriſto explicitè determinari omnes materias, & formas Sacramentorũ: Cum tamẽ de quibuſdam inter Catholicos graues exiſtãt dubitationes, vt patet, diſcurrẽdo per Sacramẽta ipſa; proinde penſatis omnibus, magis naturæ Sacramentorũ conformior mihi videtur ſententia Coninch, ex Hypotheſi, quod periculum mortis, vt nos cum alijs defẽdimus, requiratur ad validitatem huius Sacramenti.

8 Deniq; addo, periculũ mortis, † per ſe loquendo, & vt plurimũ eſſe adeò patens, vt nos certos reddat de eius pręſentia, & pſertim, quãdo infirmitas eſt ex febri lethali, quę ex ſymptomatibus ſatis apertè colligitur; idemque dico; quando eſt lethale vulnus; ex partibus enim, in quibus inflictum fuit, innoteſcit grauitas, & periculum; & licet interdum, quod raró, ni fallor, occurrit, Medici periti decipiantur, cum hoc ſit per accidens, non eſt de illo habenda ratio; ordinariè enim, licet Medici poſſint errare in iudicio futuræ mortis, rariſſimè tamen errant in iudicio periculi pręſentis.

Neq; ex hac ſentẽtia vllum ſequitur incom9 modũ; † nam & ſi aliquando per accidens ponatur irritũ Sacramentum, nullũ erit peccatum, quia periculũ mortis prudenter præſumptũ cohoneſtat actionem illã, neq; infirmus aliud dãnum patitur; niſi illud ipſũ, ꝙ pateretur, ſi negatione periculi cognita differretur Sacramẽtum; in vtroq; .n. caſu non conſequeretur fructum huius Sacramenti, quia nõ conſerretur; & cũ verè nullũ ſit proximũ mortis periculum, nulla erit proxima indigẽtia illorũ auxiliorũ, q̃ vi huius Sacramẽti infirmis, morti proximis, à Deo cõmunicantur; hos fructus tñ infirmus conſequitur, ſi poſtea ingraueſcẽte morbo, periculũ appareat, & Sacramentũ conferatur.

Difficultas aũt alia enodãda videtur, q̃ reſultat ex ſuppoſitione à nobis tacta in inſtituẽdo præſenti quæſito, videlicet, hoc Sacramentũ, vt validè recipiatur, requirere, vt infirmus in pbabili vitæ periculo maneat; † oppoſitũ aũt videt 10 colligi tũ *ex Epiſt. S. Iac.* in qua ſola infirmitas vt ſic poſtulatur 2. *ex Trid. c. illo 3.* in quo hæc verba habẽtur (*Declaratur .n. eſſe hãc vnctionem infirmis adhibendã, illis verò pręſertim, qui tã periculosè decũbunt, vt in exitu vitæ cõſtituti videãtur.*) Per dictionẽ illã (*Præſertim*) Conciliũ indicat ẽt, alijs infirmis præter eos, q periculo laborãt, eſſe adminiſtrandũ. Denique *Florent.* apponit verbũ (*debere*) Cũ ait (*dari debere his, de quorũ morte timetur,*) verbum illud *debere*, licitũ vſum, & non validitatẽ importat. in his authoritatibus Coninch ſuam ſententiã maximè fundat.

11 Sed reſpondetur. † & ad primam authoritatẽ ex S. Iacobo aio, per vſũ, & praxim Eccleſiæ, & immemorabilẽ traditionẽ edoceri nos, vt hoc Sacramentũ dare nequeamus, niſi grauiter infirmis, & cum periculo laborantibus; aliter ſi ſufficeret infirmitas, vt ſic, quando aliquis dolore capitis, & febricula laboraret, vngi poſſet, quod tamen eſt falſum, & nemo aſſerit.

Ad

Ad aliam *ex Tridentino* dico, quod ſi ſequi velimus ſenſum plurium Canoniſtarum, quos laudat *Barboſa de dict. vſufreq. dict. 277.* verbū illud *præſertim* exponitur pro (*tantùm*) & ita ſenſus verborum eſſet clarus, ſcilicet, ijs tantùm qui periculosè decumbunt &c. conferendum eſſe hoc Sacramentum; ſi autem ſumamus dictionem illam; in quantùm ſignificat, *præcipuè*, reſpondeo, per illam exprimi caſum, in quo maximè infirmus eſt adiuuandus, nempè, quādo eſt agonia, quod ſignificauit Concilium, cum dixit (*in exitu vitæ &c.*) eſt autem dictio illa implicatiua non quorumq; infirmorum, ſed eorum, qui periculo laborant, licet non ſint in agonia, ſeu in exitu vitæ.

Demum ad aliam authoritatem *ex Florentino* reſpondeo, per illud verbum (*debere*) importari neceſſitatem; vtrum autem quoad licitū vſum tantùm, an verò etiam quoad validitatē non declaratur vi ipſius verbi, ſed ex antecedētibus; cum enim Concilium dicit, eſſe dandum ijs, de quorum morte timetur, hæc verba determinant ſignificatum illius verbi ſubſequētis, (*debere*,) vt importet valorem Sacramenti.

SEXTA PARS.

Conſcientia dubia circa Sacramētum Ordinis elucidatur.

§. I.

Hæſitāns Titius, an legitimam ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, ætatem attigerit, num ad illos promoueri valeat?

SVMMARIVM.

1 *Formatur caſus modo, quo frequentius euenire ſolet.*

2 *Partem fauorabilem affirmatiuam poſſet quis, nonnullis argumentis à paritate deductis, confirmare.*

3 *Hæſitans de ſua legitima ætate, nequit ad ordines promoueri.*

4 *Quilibet tenetur probare id, in quo ſuam fundat intentionem.*

5 *Excipiens procuratorem alterius deficere à legitima ætate, aſtringitur ad id probandum.*

6 *Qui eſt in poſſeſſione dignitatis, ſeu beneficij habet fundatam intentionem, & onus probandi oppoſitum, in excipientem transfundit.*

7 *Oſtenditur diſparitas inter petentem Eucharistiam, quando dubitat de fractione ieiunij, & inter accedentem ad presbyteratum cum ambigit de ſufficientia ætatis.*

1 FORMO caſum ſub terminis, qui illum in vſu frequentiorem reddant tali pacto: Titius v. g. Diaconatus charactere inſignit' promoueri deſideret ad presbyteratum, & illi offeratur occaſio generalis ordinationis ab Epiſcopo die 15. Martij ſolemniter faciendæ; eadem autem die certus ſit Titius de inceptione, ſeu ingreſſione anni 25. ſuę ætatis, quæ ſufficiens eſt ad præſbyteratum recipiendum iuxta Sacrorum Canonum, & Theologorum vnanimem conſenſum; ambigat tamen, an ingreſſio 25. anni incipiat manè ante meridiem, an potiùs veſpere eiuſdē diei; valdè enim refert hoc perſpectum haberi; nam ſi veſpere vigeſimus quintus annus incipiat, non poterit Titius manè legitimè promoueri ob ætatis defectum; ſecùs autem ſi manè, ſeu ante promotionem inchoet; ſupponit enim caſus ita formatus, tempus ad ordines accipiendos præſcriptum de momento in momentum eſſe complendum, quæ eſt communis ferè omnium ſententia, & ſi hoc quibuſdam non placeat, & iudicēt, defectum vnius, aut alterius diei non impedire Sacram promotionem ob paruitatem materiæ, ſi, inquam, alicui hoc magis arrideat, ne digrediamur ad aliam quęſtionem, poſſumus quæſitum formare, ponentes dubiū eſſe non de vna, aut altera tantùm die, ſed de pluribus, ita vt Titius nequeat certitudinem ſuę ętatis habere; verùm, quia rarò dubitatio contingit de tempore ita diuturno, frequenter verò de horis; idcircò, vt magis caſus ad praxim reduceretur, modo prędicto illum formauimus, ſcilicet, Titium promouendum certum eſſe de ſuæ natiuitatis die, hæſitantem tamen de hora; exagitamus verò controuerſiam ſupponentes communem opinionem, quæ vult, ætatem hanc ad ordines ſumendos eſſe debere mathematicè completam.

2 His præhabitis; † poſſet quis partem affirmatiuam fauorabilem ſuſtinere, videlicet, poſſe Titium practicè ſibi formare conſcientiam, iudicando, non obſtante dubio illo ſpeculatiuo de ętate, licitum ſibi eſſe recipere presbyteratū idq; ſequentibus argumentis probare.

Primò à pari; ſi quis v. g. vellet repellere Paulū procuratorem Petri à iudicio, obijciens ipſum Paulum eſſe minoris ętatis, non poſſet id facere, niſi minorem ætatem Pauli probaret, vt nonnulli graues Iuriſtę docent, nempè, *Cynus Salic. & alij in L. Cum te minorem C. de prob.*

Secundò, Ioannes ſit ad aliquam dignitatem promotus, & alius contra ipſum electum obijciat defectum ętatis, teneretur obijciens, defectum illum oſtendere; ſic docet *Bald. in L. prædicta, & in cap. Si forte de elect. in 6. Alexand conſil.*

conſil. 147. num. 16. vol. 5. & alij.

Tertiò deniq; probatur ex doctrina à nobis ſuperiùs tradita *in hoc capite par. 2.* vbi egimus de dubijs circa Euchariſtiam, *ibi enim §. 1. & 2.* fuſè oſtendimus contra aliquos, quod ſi quis dubitet, an comederit, nec ne, poſt mediam noctem, vel etiam ſi ſciat, ſe comediſſe, & non ſit certus, an id fecerit ante, vel poſt prędictum tempus, determinauimus, poſſe Euchariſtiam mane ſuſcipere, & præſumptionem de ieiunio naturali non fracto, eſſe pro ipſo petente communionem, à qua arceri non poterit, niſi probetur comeſtionem fuiſſe poſt noctis dimidium; ſic à pari in caſu iſto, cum quis petit presbyteratum, & dubium ſit de tempore legitimo, videtur pari modo præſumptionem eſſe pro ipſo ordinando, & qui eum à promotione repellere nititur, teneri ætatis inſufficientiam oſtendere; non enim videtur diſparitas inter hunc caſum, & illos alios.

Sed minimè dicẽdum eſt, Titium hæſitantẽ de ſua legitima ętate, ſeu de inceptione vigeſ-
3 ſimi quinti anni, tali dubio exiſtente, † promoueri non poſſe; ita *Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 41. num. 48. Ioannes Sanchez in ſelect. diſput. 42. num. 9. Layman in ſum. lib. 5. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 35. Portellus in addit. ad dub. reg. Verb. Ord. Sacr. num. 2. Caramuel lib. 3. de. dict. conſc. cap. 1. diſp. 1. coroll. 23. num. 1357. Bordon. in ech. ſ. regul. reſolut. 66. n. 87. & alij.*

Probatur concluſio vnica ratione fundamentali, deſumpta ex vniuerſalibus principijs iuris
4 ſtatuentibus, † quemlibet teneri ad probandũ id, quod eſt fundamentum ſuæ intentionis, vt ex multis docet *Maſcardus concl. 666. num. 3. vol. 2.* At Titius petens promoueri ad presbyteratum, fundat ſuam intentionem in ętate legitima; igitur tenebitur id probare; Maior eſt certa, quia niſi fundamentum, quo niti debent omnes præſumptiones, & rationes, ſit firmum, omnia, quæ in illo fundãtur, ruent: Minor verò oſtenditur, quia in tantùm Titius poſtulat preſbyteratum, in quantùm ſupponit, ſe legitimam attigiſſe ætatem.

2. Rurſus in terminis ſpecialioribus de probatione ętatis requiſitę ad aliquem actum, id probat *Panorm. cap. In præſentia num. 32. de probat. & alij, quos ipſe refert. Panor. & Maſc. ſupra citati. & nu. 2. 12. & 45.* laudant, & id etiam expreſsè ſtatuitur in Iure Ciuili *per textum in l. De ætate ff. de min. 25. ann.* & hoc niſi concurrant tales circumſtantiæ pro ętate legitima, vt Iudex onus probandi oppoſitum transfundat in excipientem, vt notat *ibidem Panorm.*

Ad argumenta autem contraria facilis erit
5 reſponſio, & ſolutio: & Ad primum † concedimus Paulum procuratorem repelli non poſſe in iudicio, niſi obijciens probet minorem ętatem; & ratio eſt, quia obijciens in minori ætate Pauli ſuam intentionem fundat, ſic aſſerũt Doctores, & pręſertim *Cyn. & Salic. in L. illa, cum te minorem*, & hoc ob illud vniuerſale principium ſuperiùs à nobis relatum, & communiter receptum, nempè, fundamentum propriæ intentionis eſſe probandum.

Ad ſecundum, eodem modo erit reſponden-
6 dum, † videlicet, qui eſt in poſſeſſione dignitatis habet intentionem fundatam, & ideo excipiens inhabilitatem ob defectum ætatis, deberet illam probare, v. g. ſi quis adeptus ſit beneficium Eccleſiaſticum, illudq; pacificè poſſideat; ſi alius obijciat defectum, deberet illum probare, ita communiter Doctores, & expreſsè *Maſcard. loc. cit. num. 5. & 6.*

Ad tertium argumentum, deſumptum ex doctrina, à nobis tradita, cum ageremus de Eu-
7 chariſtia, † reſpondeo, diſparitatem inter vnũ & alium caſum patenter elucere; in eo enim caſu à nobis poſito, ideò determinauimus pro petente Euchariſtiam, quia per Sacramentum Baptiſmi ille ius acquiſiuit, ad illam recipiendum, & ratione Baptiſmi fundatam habet intẽtionem, & cenſetur poſſidere iure petendi; excipiens autem fractionem ieiunij naturalis poſt dimidium noctis elapſum, deberet id probare, & cum repulſa fundetur in huius ieiunij fractione tali determinato tempore exercita, eſſet hæc fractio probãda ad deijciendum petentem à ſuo iure, ſuaq; poſſeſſione: Verum in caſu huius quæſiti res cõtrario modo ſe habet; vt enim probauimus, promouendus, qui presbyteratum petit, fundat ſuam intentionem in ætate ſufficienti, & legitima; ideòq; dum illam non probat, eius intẽtio caret baſi, in qua fundari deberet, & quia numquam incœpit habere ius, quod vt diximus, incipit à 25. anno inchoato, hinc eſt vt illius ius dubium ſit; illè verò ius habuit à Baptiſmo, & per conſequens eius ius eſt certũ; proinde manifeſta inter vtrumq; caſum diſparitas elucet.

§. II.

Clericus de Inualiditate Ordinis à ſe recepti ambiguus, debeatne ad eumdem iterum promoueri?

SVMMARIVM.

1 *Dubitatio de validitate Ordinis ex pluribus ſuboritur capitibus.*
2 *Proponitur caſus.*
3 *Dubia, quæ ex inualiditate Ordinis inſurgere ſolent, rarò ſunt rationabilia.*
4 *Quando dubium fundatur in varietate opinionum contrariarum probabilium, & verſatur circa Ordinem infra Sacerdotium, poteſt practicè deponi poſt factum.*
5 *Secùs ante factum; tunc enim tutiorem debemus ſequi opinionem.*
6 *Dubio vigẽte de validitate presbyteratus, an ſit abſtinendum à functionibus huius Ordinis,*

nis, aut ad illum ſub conditione iterandum.

7 *Nonnulla afferuntur exempla, in quibus prudenter contingit dubitatio.*

8 *Idem eſt dicendum, quando dubium reſultat de ordine Epiſcopatus.*

9 *Quando ſub conditione hi ordines iterantur, ſecretò, & tempore congruò id fieri debet.*

1 Dubium, an Ordo receptus fuerit, nec ne, ritè, ex varijs capitibus inſurgere poterit, vel ex defectu materiæ, aut formæ eſſentialis, vel ex defectu intentionis, ſiue ex parte Epiſcopi cõferentis, ſiue ex parte ipſius, qui ordinem recepit, at ex quocumq; capite ex his inſurgat, ſatis erit ad conſtituendam dubiam conſcientiam; proinde, vt intra limites noſtri inſtituti ſermonem perſtringamus, nõn oportet defectus prædictos declarare; hoc enim pertinet ad tractatũ de ipſo Sacramento ſecundum ſe, & non quatenus circa illud verſari poterit ambiguum cõſcientiæ dictamen, ſolùm gratia exempli caſũ aliquem ponemus, vt doctrina, quam intendimus, meliùs percipi valeat. † Hæſitet igitur

2 Titius, num materia illa, quam Epiſcopus formam pronuncians obtulit, fuerit, nec ne, ſufficiens, & quod magis in praxi euenire ſolet, an ſatisfuerit moralis contactus inſtrumenti, an potiùs phyſicus ad valorem huius Sacramenti requiratur; poterit enim alia inſurgere dubitatio ex parte ordinati, an ſcillcet, tetigerit, nec ne inſtrumentum. In hoc autem caſu, aut ſimilibus, inquirimus, vtrum Titius v.g. Clericus, vigente tali dubio, poſſit, aut debeat, ſub conditione ſaltem, ordinem illum, de quo eſt ambiguitas, iterum ſumere?

Dicendum eſt primò, quando ſimilia inſur-

3 gunt dubia, † valdè rarò ſolent eſſe rationabilia, atq; adeo ſæpiùs ſunt ſpernenda: & ratio eſt, quia cum plures in huiuſmodi ſolemnitate adſint perſonæ ex officio aſſiſtentes, vt ipſum promouendum inſtruant, & quæ in his actionibus nõ parùm ſint verſatæ, facillimè animaduerteretur defectus ab aliqua ex illis; proinde non videtur probabile in Epiſcopo, in aſſiſtentibus, aut in ipſo promouendo adeò craſſam extitiſſe negligentiã, vt errorem non aduerterint; & quanto magis error fuerit grauis, tanto minùs de eo eſt timendum, quia minùs credibile erit, grauem defectum à tot perſonis adeò verſatis non aduerti; debent igitur huiuſmodi dubia, vt irrationabilia expelli, & conſcientiam deponi ob rationem aſſignatam, quæ eſt ex ſe efficax.

Dicendum eſt ſecundò, ſi dubium fundetur

4 † in varietate opinionum probabilium, diuerſa, & contraria aſſerentium, v.g. eſt cõtrouerſia apud Doctores, num tactus inſtrumẽti ſatis ſit moralis, an verò requiratur phyſicus, & hinc inde ſunt, & rationes, & Patroni vtramq; ſententiam tuentes; quamuis illa, quæ phyſicum poſtulat contactum, ſit communior, ſi inquam, promotus dubitet de his opinionibus, quænã ſit vera, & an ſolùm moraliter tetigerit, & non phyſicè, & ſermo ſit de alijs ordinibus intra Sacerdotium, poterit tutè conſcientiam deponere, tum quia ex hoc ipſe, aut alius nulli periculo damnationis exponitur; tũ etiam quia opinio illa, quæ pro morali tantum contactu pugnat, probabilis eſt, & maximè poſt factum;

5 † nam ante factum ſolùm ſpeculatiuè erit probabilis, non autem practicè, ideoque grauiter peccaret Epiſcopus promouens, & promotus, ſi morali duntaxat contactu eſſent contenti; & hoc ob rationem ſæpe in hoc tractatu à nobis repetitam, & præcipuè cum ſupra *diſcept. 4.* ageremus de opinione eligenda in adminiſtratione Sacramentorum; vt enim ibi notauimus, valor Sacramenti, ſeu ſufficientia materiæ, & formæ, eſt omninò independens à noſtro dictamine; proinde ne periculo irritationis Sacramentum exponamus, tenemur tutiorem eligere ſententiam, niſi grauis neceſſitas oppoſitũ exigeret; tunc enim opinio illa minus tuta, quàm ſpeculatiuè probabilem appellauimus, vrgente neceſſitate, euaderet practicè probabilis, vt alibi explicuimus.

6 Dicendum eſt tertiò, † loquendo de ordina presbyteratus, longè diuerſo modo puto eſſe procedendum; nam ſi penſatis omnibus, dubium ſit rationabile, tenebitur promotus, vel abſtinere ſe à functionibus, ſoli Sacerdotio cõuenientibus, ſi aliundè ex beneficio, aut Capellania ad illas non aſtringatur; vel ſub cõditione iterum ad hunc ordinem promoueri.

Ad concluſionem autem hanc clariùs intel-

7 ligendam, † nonnulla afferenda ſunt exempla quæ prudentem dubitationem oſtendant. Primum verò ſit illud de tactu phyſico, & morali; dubium autem circa vtrumq; bifariam cõtingit, vel cum promotus ambigit, quonam tactu vſus fuerit, moralì ne, an phyſico; vel ſi dubium non cadat ſupra tactum, quia Titius promotus certus eſt, moraliter, & non phyſicè tetigiſſe, ſed cadat dubium ſupra validitatem Ordinis, nam ſub controuerſia, vt diximus, eſt, an realis contactus pertineat ad ſubſtantiam Sacramenti; proinde Titius meritò dubitare poterit, an receperit, nec ne, characterem.

Secundum exemplum erit; ſi poſt promotionem ſibi innoteſcat, Epiſcopum illum fuiſſe hæreticum, atque adeo rationabiliter poterit ambigere tum de ordine Epiſcopatus in illo, tum de prolatione veræ formæ.

Tertium, ſi ob aliquam infirmitatem habitualem Epiſcopus ſomno in exercẽdis actionibus infeſtari ſoleat, & ex quibuſdam indicijs Titius promotus ſuſpicetur, num tempore prolationis formæ ille dormierit, atque adeo, an prolatio illa fuerit, nec ne, actus liber, & humanus: neq; caſus iſte impoſſibilis credatur; olim enim mihi relatum fuit de quodam Epiſcopo, qui ſomno ſæpe ſæpius inter loquendum, & operandũ repentè opprimi conſueuerat; in tali autẽ euentu, & in alijs ſimilibus, qui adduci poſſent, homo prudens iure ambigere debet de valore Ordinis ſuſcepti. His autem pro maiori noſtræ

conclu-

concluſionis dilucidatione præhabitis, ducor ad illam ſuſtinendam, quia valor reliquorũ Sacramentorum, quæ à Titio dubitante in poſterum adminiſtrari debent, omninò dependet à validitate huius Ordinis, ſicuti etiam Sacroſanctum Miſſę Sacrificium, nihil prorſus adiuuante probabilitate opinionis, ſi re vera irritũ fuerit Sacramentum; & quia malum, quod timetur, eſt irreparabile, & in notabile damnum fideliũ vergat; idcirco lege charitatis, & iuſtitiæ conſtringetur Titius, ſi velit in Sacris preſbyteratus actionibus verſari, ſcilicet, in cõfeſſionibus excipiendis, in Sacris peragendis, ſub conditione iterum promoueri, aliter omnes confeſſiones, & abſolutiones ab ipſo procedentes eſſent inualidę, ſi re vera nulliter Sacerdotalem gradum receperit; rurſus inualidè conſecrabit &c. quæ omnia in grauiſſimum Chriſtianæ Reipublicæ detrimentum redundarent; proinde conſcientiam Titius prudenter deponere numquam poterit, ſi dubium illũd ſpeculatiuum ſupponatur rationabile, ex illo enim ſimile dubium practicum deducendum foret.

Dicendum eſt quintò, quæ dicta ſunt de Sa-
8 cerdote, † locum etiam habent in collatione gradus Epiſcopalis; nam ſi dubium ſimile inſurgeret, deberet Epiſcopus dubitans, iterũ ſub conditione ad eumdem gradũ promoueri, quia ex nullitate huius gradus, eadem damna fidelibus obuenirent, vt ſunt ordinationes, & quædã alia Sacramenta à gradu Epiſcopali dependentia, & ideo eo euaneſcente, omnia ſubſequentia corruerent.

9 Dicendum eſt ſextò, † collatio eiuſdem Ordinis Sacerdotis, aut Epiſcopatus ſub cõditione debet fieri ſecretò, ne ſcandulum apud populos generet, & tempore debito, & ab Eccleſia preſcripto, vt rectè animaduertit *Auerſa de Sacr. Ord. quæſt. 2 ſect. 13. Ver. quando verò.* Et hæc ſufficiant de conſcientia dubia circa Sacramentum.

SEPTIMA PARS,

Quæ de Sacramenti Matrimonij valore animũ in ambiguo detinent, exponuntur.

NOnnulla, quę magis ad praxim ſpectant, maioremq; continent difficultatem, & ad hunc de conſcientia dubia tractatum faciunt in hac parte expendemus.

§. I.

Dubitans ſponſus, an ſi defectum qui reperiebatur in ſpõſa, agnouiſſet, ſponſalia fuiſſet contracturus, poſſit ne illa diſſoluere?

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt, quando omnibus inſpectis, mens in dubio perſiſtit.*
2 *In iure idem eſt non eſſe, & non apparere.*
3 *Quantitas, ſeu qualitas defectus eſt attendenda, ad præſumendum pro libertate, aut pro firmitate ſponſalium.*
4 *Laudatur Vincentius Tancredi Soc. Ieſu.*
5 *Homines non ſolent promittere, quando ex promiſſione damnum graue ipſis eſt obuenturum.*

1 LOquimur in caſu, † quo penſatis omnibus, intellectus manet ſub dubio, nã ſi defectus, quem ſponſus nouiter agnoſcit, ſit talis, vt abſq; dubio, ſi innotuiſſet, ſponſus nullo modo fuiſset contracturus, tunc enim certum eſt ſponſalia tuta conſcientia, diſſolui poſſe ab ipſo ſponſo, ſi mulier illa laboret aliquo graui morbo contagioſo, vel deprehendatur eſſe pauper, cũ priꝰ æſtimaretur ſana, vel diues, vel non ita pauper, & ſic de alijs ſimilibus, nam mutatio notabilis recenter ſuperueniens iuſtam præbet occaſionem reſiliendi à promiſſione facta, neq; refert defectum illum præceſſiſſe, & non ſuperueniſſe poſt ſponſalia contracta, quia perinde eſt in iure aliquid de nouo accidere, & aliquid non ſuperueniens, ſed prius latens, de nouo cogno-
2 ſci, quia in iure, † idem eſt non eſſe, & eſſe, & non apparere, vt colligitur ex *l. in lege fundi ff de contrab. empt.* & docent communiter Doctores *Sanchez lib 1. de matr. diſp. 63. & quãplures.* quos laudat *Bonacina de matrim. quæſ. 2. pun. 8. num. 17.* Contra verò, ſi ſponſus tempore contractionis, quamuis ignoraret defectũ illum, erat tamen ita affectus, vt ſi defectum agnouiſſet, eo non obſtante, contraxiſſet ſponſalia, non poterit ab illis reſilire; ita communiter Doctores: *Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 272. Guttiers de matr. cap. 33. num. 9. Sanchez loc. cit. diſput. 63. num. 2. Bonacina vbi ſupra num. 19. & alij.*

His autem ſuppoſitis quæſitum procedit, quando omnibus ſpectatis ſponſus manet in æquilibrio, & nequit iudicium ferre, quid ipſe fuiſſet facturus, ſi tempore contractionis dele-

ctum

3 ctum illum agnouiſſet; † in hoc autem caſu attendenda erit quantitas, ſeu qualitas defectus & ſi æſtimetur grauis, & notabilis, præſumptio erit pro ipſo ſponſo, cuiliberum erit in conſciētia diſſoluere contractum ſponſalium, ſic *Sanchez in fine diſputationis 65. Bonacina p. cit.*
4 *nume.* 20. & nouiſſimè † *Pater Vincentius Tancredi tom. 3. lib. 1. diſp. 65.* in ſuis eruditis controuerſijs de Sacramento matrimonij, in quibus mentem noſtri Sanchez ingenioſè dilucidans à calumnijs eam vindicauit. Ratio fundamentalis pro hac ſententia deſumpta eſt ex communiter contingentibus, ex quibus fortiſſima habetur præſumptio, vt dicunt Doctores: *Euerardus in topycis loco à communiter accidentibus num. 1. Sanchez lib. 4. in decal. cap. 1. num. 13. ex Menochio lib. 1. præſumpt. quæſ.*
5 *18. num. 1.* communiter homines † non ſolent promittere, quando ex promiſſione notabile incommodum prouenit promittenti; proinde in dubitatione iſta cum præſumptio ſit pro ſponſo, pro eodem erit poſſeſſio ſuæ libertatis ad nō exequenda ſponſalia: Secùs autem ſi defectus nouiter deprehenſus leuis erit; tunc pro ſponſalium firmitate erit præſumendum.

§. II.

Anceps de matrimonij valore bona fide contracti, an teneatur debitum reddere, & etiam licitè illud petere?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio vult neque petere, neque reddere poſſe.*
2 *Alij ſuſtinent vtrumque poſſe.*
3 *Caramuel negat caſum eſſe poſſibilem, & tandem concludit eamdem eſſe rationem de petendo, & reddendo.*
4 *Aliqui concedunt poſſe à dubitante reddi, nō autem peti.*
5 *Cenſent alij poſt diligentem inquiſitionem ſi dubium perſeuerat, poſſe vtrumq;*
6 *Hanc vltimam ſententiam amplectitur Author.*
7 *Expenditur Caramuelis argumētum, quo probat eamdem eſſe rationem petendi, & reddendi.*
8 *Oſtenditur diuerſitas rationis.*
9 *Intra primum bimeſtre debitum reddi ab altero coniuge minimè poſſe.*
10 *Reddendo poſt bimeſtre dubitans non peccat ſi conſcientiam deponat.*
11 *Non eſt vniuerſaliter verum, quod Caramuel aſſerit, dicens dubium poſitiuum eſſe ex leui ratione.*
12 *Exponitur textus ex Capit. laudabilem, in quo deſumebatur contrarium argumentum.*
13 *Diligentia præmiſſa, poteſt dubitans conſcientiam practicè ſibi formare, & petere debitum.*

1 VAriæ ſunt Authorum ſententiæ circa præſens quæſitū, duæ enim opiniones extremè opponuntur, aliæ verò duæ ſunt mediæ, † prima enim ait, nō ſolum non poſſe petere, ſed neq; reddere: citari ſolet *Adrianus in 4. de reſtit. quæſt. de præſcr. § (Inſtabis fortaſſe) Altiſiodorenſis in ſumma par. 3. tract. vltimo cap. 2. & quidam alij apud Merollam tom. 1. diſp. 3. cap. 3. de conſc. dubia coroll. 12.* hanc ſententiam fūdant hi Authores in eo, quod ſtante illa ambiguitate, ſi dubitans peteret, aut redderet, faceret contra conſcientiam, & ſe exponeret periculo accedendi ad nō ſuam, quod eſt intrinſecè malum.

2 Secunda opinio vult, ita dubitantem † poſſe deponere conſcientiam, & reddere, & petere ſic *Angles, & Vega apud Merollam loc. citat. num. 143.* & nouiſſimè *Caramuel de conſc. dictam. diſp. 3. quæſt. 8.* diuerſis tamen principijs ducuntur, nam *Angles, & Vega* hanc ſententiam probant ex *cap. Laudabilem de frigid. & malef.* vbi decernitur, quod ſiquis poſt matrimonium contractum dubitet de impotentia, poſſe per triennium reddere, & petere; vt experiatur ipſam impotentiam, quæ reddit irritum matrimonium; ergo vniuerſaliter non obſtante dubio de nullitate matrimonii contracti, poterit dubitans reddere, & petere. At *Caramuel*
3 † negat, more ſolito, contra omnium ſenſum, poſſibilitatem caſus, & ad hoc ſuadēdum præſupponit *num. 1425.* communem illam diuiſionem dubij in negatiuum, & poſitiuum, quam etiam nos hic ſupponimus, vt ſuperiùs ſufficiēter declaratam, quo poſito ſic Author iſte diſcurrit pro ſuæ ſententiæ firmitate; Ille dubitat negatiuè, qui nullam habet rationem, neq; pro vna, neq; pro altera parte; Ille verò dubitat poſitiuè, qui aliquam, quamuis leuem, habet rationem, ſed alter coniux, qui bona fide contraxit grauem habet rationem aſſerendi validitatem matrimonij; igitur coniux ille nec poſitiuè, nec negatiuè dubitare poterit; hoc eſt argumentum, quod pro ſe Caramuel adducit. Deniq; *num. 1429.* conatur oſtendere eamdem eſſe paritatem, quoad redditionem, & petitionem debiti ex parte coniugis dubitantis, rationes autem eius infra proponentur, & examinabuntur.

4 Tertia ſententia aſſerit in caſu prædicto † licitum eſſe reddere, imò teneri dubitantem ad reddendum, ne ſe exponat periculo faciendi cōtra iuſtitiam, ſi deneget debitum, at non poſſe petere quia non petendo nullum committit peccatum & ſic vitat periculum accedendi ad non ſuam hanc opinionem quamplures tuentur *S. Bonau. in 4. diſt. 38 in expoſitione littera S. (Ad illud) S. Antoninus par. 3. tit. 1. cap. 3. S. 2.* quibus

bus aſſentit *Vaſquez p.2.dub.66. ca.4. Gaſpar*
Hurtado de matrim. diſp.10.diff 9. numer.39.
Turrianus de conſc.dubia diſp.4.dub.2.& eam
confirmant *ex cap. Dominus de ſecund. nupt.*
& cap. Inquiſitioni de ſententia excommun.
vbi hæc opinio eſt definita, *& aly apud Dianā*
par.4.tom.3.reſol.15.
5 Quarta opinio † procedit diſtinguendo,
aitq; antequam dubitans adhibeat diligentiā
ad indagandam veritatem, tenetur reddere, &
non petere, & hoc ob rationem aſſignatam ab
Authoribus tertię opinionis, at poſita diligētia
ſi adhùc maneat dubium, poterit & reddere, &
petere, & ita docent *Sotus lib.4.de iuſt.quæſt.5.*
articulo vltimo. Suarez tom.2. de Relig. libr.
4.de voto cap.5.num.16. Merolla de conſc.ca-
pit.3.corol.12.num.148. Sanchez lib.2.de mat.
diſp.41 num.46.& aly apud ipſos.
6 Dicendum eſt, † cum hac vltima ſententia
quam probo, quia cum matrimonium initum
fuerit bona fide, & dubium poſtea ſuperuene-
rit, poſita diligentia debita ad acquirēdam ve-
ritatem, ſi eam aſſequi non poſſit, dubitans ſe
habebit, ſicut poſſeſſor bonæ fidei, & ideo non
obſtante tali dubio ſpeculatiuo poterit prudē-
ter deponere conſcientiam, & petere debitum.
7 Objicies rationem Caramuelis hoc pacto †
Eadem ratio, quæ probat non poſſe debitū pe-
ti, probat reddi non poſſe: vel vice verſa; ergo
diſtinctio inter petitionem, & redditionem nō
videtur tutè poni. Antecedens ſic probatur ab
ipſomet arguente. Si enim Paulus v. g. petere
nequit, ideo eſt, quia in illis circumſtātijs ſup-
ponere oportet, non eſſe veram hanc poſitionē.
Hæc mulier eſt mea vxor; ſi autem ſupponeret
contrarium, vtiq; poſſet & reddere, & petere,
at ſupponens non eſſe ſuam, non poterit red-
dere, quia accederet ad non ſuam, & peccatum
fornicationis committeret, & ſi poterit reddere
deberet ſupponere eſſe ſuam, & tali ſtante iu-
dicio, poterit etiam petere; cum igitur eadem
ratio paritatem inter redditionem probat, ma-
lè inter vtramq; fit diſtinctio.
Reſpondeo, facilem eſſe ſolutionem, ideoq;
8 ad argumentum † nego antecedens, & ad eius
probationem nego omnes illas cauſſales; ete-
nim non eſt illa ratio, ſeu cauſſa, ob quam Pau-
lus nequeat debitum petere, videlicet non eſſe
veram poſitionem illam, ſcilicet, mulier hęc eſt
mea vxor, nam Paulus dubitans, neq; ſupponit
mulierem illam eſſe ſuam, neq; eſſe non ſuam;
hæc enim duo non ſunt contradictoria, vt de
ſe patet, quia ambæ ſunt propoſitiones affirma-
tiuæ, nempè, ſupponit eſſe ſuam, ſupponit eſ-
ſe non ſuam, ad contradictionem deberet pro-
poni negatio ante verbū illud principale, (ſup-
ponit) in alterutra ex illis duabus propoſitioni-
bus, ſi autem petatur à me quid Paulus ſuppo-
nit, reſpondeo nihil determinatè, ſed preſcin-
dere dubitans de vtraq; parte, & tale dubiū eius
poſſeſſionem turbat, & ponit obligationem in-
ueſtigādi veritatem, & antequam talem inqui-
ſitionem ponat, non poterit dubitans debitum
petere, tùm quia ſe exponeret periculo acce-
dendi ad non ſuam, tùm quia ſtante tali dubio
ante diligentiam ad inueniendam veritatē poſ-
ſeſſio illi non ſuffragatur; ſed in ordine ad de-
bitum reddendum res non ita ſe habet; quia ex
vna parte alter coniux non dubitans manet in
ſua pacifica poſſeſſione, qua non eſt ſpoliandus
ob dubium alterius, & ideo ſi illi denegaretur
redditio, renuens committeret iniuſtitiam; &
ſic patet optimam eſſe diſparitatem inter peti-
tionem, & redditionem in hoc caſu.
Sed quid dicendum in priori bimeſtri ante
conſummatum matrimonium?
9 Reſpondeo † non poſſe à coniuge reddi
debitum, quia obligatio reddēdi debitum fun-
datur in iure, quod habet alter coniux, at in eo
bimeſtri tale ius non habet ante conſummatū
matrimonium, quia tale tempus conceditur ab
Eccleſia ad hoc, vt coniuges ante conſūmatio-
nem matrimonij valeāt ſe determinare de Re-
ligionis ingreſſu, ergo ſtante illo dubio tenetur
coniux dubitans debitum negare.
Ad fundamentum primę opinionis, cui ad-
10 hærent *Angles, & Vega,* † aio, quod non
obſtante prædicto dubio ſpeculatiuo, reddens
debitum non facit contra conſcientiam, quia
prudenter poteſt ſibi illam formare, iudicās li-
citè poſſe, imò teneri ob rationem dictam red-
dere debitum, quamuis ante diligentiam ad in-
quirendam veritatem nequeat petere, vt pro-
bauimus.
Ad rationem deniq; fundamentalem, qua
11 *Caramuel* eamdem probat ſententiam. † Reſ-
pondeo nonnulla abſolutè ab ipſo affirmari,
quæ tamen probatione indigent, vt eſt id, quod
dicit, illum dubitare poſitiuè, qui habet aliquam
rationem, leuē tamen; hoc autem non eſſe vni-
uerſaliter verum, experientia comperimus, quia
interdum videmus procędere ex rationibus ma-
gni ponderis, pro vtraq; parte impedientibus
determinatum aſſenſum. Propterea non opor-
tet, vt alter coniux, qui bona fide contraxit, ſē-
per habeat grauem rationem de validitate ma-
trimonij, quid enim repugnans, aut quænam
moralis impoſſibilitas apparet, vt aliquando
moueatur leuiter, aut etiam temerè?
Ad argumentum ſecūdę ſententiæ deſump-
12 tum *ex cap. Laudabilem*, reſpondeo, † eſſe
diſcrimen inter caſum noſtrum, & illum; nam
dubitatio de nullitate matrimonij, quæ oritur
ex dubio impotentiæ perpetuæ, expelli nequit,
niſi experientia fūdata in vſu ipſius matrimo-
nij per aliquod tempus habita, quod tempus
iuxta preſcriptum Eccleſię eſt triennale; Cę-
terum ad expellendam dubitationem de matri-
monij nullitate, in alijs caſibus non requiritur
vſus matrimonij, & ideo eſt diſpar ratio. Quod
verò attinet ad ſententiam tertio loco relatam,
quatenùs aſſeritur peti non poſſe debitum ab
13 illo coniuge, qui dubitat de valore, † reſ-
pondeo id eſſe intelligendum ante adhibitam
diligentiam; non autem poſt illam, ob ra-
tionem à nobis aſſignatam; & in hoc ſenſu
ſunt explicandi textus illi. Ex *Cap. Dominus,*
& cap. Inquiſitioni; poſt diligentiam verò,
quam-

quamuis poſſit contingere, vt coniux dubitans accedat ad non ſuam, attamen ex hoc non peccabit, imò prudenter operatur, nam fortior obligatio eſt illa, quæ prouenit ex poſſeſſione, quam habet alter coniux, manens in ſua bona fide.

§. III.

Quid reſoluendum, ſi vterquè coniux de matrimonij valore ambigat, alter verò ante diligentiam adhibitam ad veritatẽ indagandam illicitè debitum petat?

SVMMARIVM.

1 *Obligationẽ eſſe reddendi debitum in caſu prædicto ſuſtinent aliqui.*
2 *Alij oppoſitum docent.*
3 *Cum his vltimis ſentit Author.*
4 *Ante diligentiam præſtitam vterque coniux dubitans de valore matrimonij, nequit reddere illicite petenti.*
5 *Stante dubio, ante præmiſſã diligentiam, poſſeſſio non eſt expedita, neq. fauet poſſidenti.*
6 *Oſtenditur diſcrimen, & diſparitas inter hunc caſum, & alium, quem ponit Ledeſma.*

1 DVAS de re hac præcipuas, & inter ſe oppoſitas reperio ſententias. prima ſuſtinet † obligationẽ eſſe in prædicto caſu reddendi debitum, non obſtante dubio illo, quod practicè eſt deponendũ. hanc opinionem fusè examinat, & recipit *Petrus Ledeſma de matrimonio qu. 45. a. 1. in ſolutione ſecundi dubij principalis concl. 3. & in reſponſione ad argumenta cõtraria verſus finem §. Ad hoc dubium* eam etiam ſequitur *Corduba in tract. de caſibus quæſt. 45. pun. 3. & in quæſtionario theologico lib. 3. quæſ. 5. in fine ſecundæ propoſitionis §. E conuerſo autem. Lopez in inſtructorio cap. 81. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 6. nu. 5. & in comment. lit. T. & alij apud Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. q. 5.* Probatur primò quia coniuges ſunt in poſſeſſione matrimonij, igitur ſi alter petat, quamuis illicitè, alius ex iuſtitia debitum reddere tenebitur, & hoc in fauorem poſſidentis, cuius conditio eſt melior, eſſe autem vtrumquè coniugem in poſſeſsione ſupponimus; quæquæſtio procedit quando ambo bona fide contraxerunt, & conſequenter bona fide poſſeſſionem inchoarunt, & dubium poſteà ſuperuenit. Secundo probatur *à Ledeſma* quadam paritate, nam ſi ponatur alterum coniugem caſtitatem vouiſſe, & eo non obſtante, debitum exigere, quamuis lethaliter peccet, nihilominus alius coniux obſtringeretur ad reddendum debitum; ſicuti etiã ſi quis illicitè poſtulet rem à ſe depoſitam, ad illam diſsipãdam, obligabitur depoſitarius illam reddere; ità in caſu noſtro, quamuis illicitè alter coniux petat, alius tenetur reddere.

2 Secunda ſententia oppoſitum docet, ſcilicet in caſu prædicto nequè exigi, nequè reddi poſſe debitum. Sic *Vaſquez in p. 2. diſput. 66. cap. 6. initio Sanchez loc. ſuperius cit. num. 55. Gutteriez de matrimonio cap. 49. num. 30. Bonacina quæſt. 4. pun. 4. num. 7. Raphael Auer. quæſt. 21. ſec. 2. lim. 2. Diana par. 4. trac. 3. reſol. 15. §. Verum mihi & alij.* Probant hanc ſententiam aliqui, quià ſi coniux exactus redderet, periculo fornicationis ſe exponeret, quod eſt intrinſecè malum. Verum rationem hanc, niſi aliud addatur, infringunt aduerſarij, negantes, quod cõiux reddens ſe exponat periculo fornicationis formaliter acceptæ, ſed ſolùm materialiter; & addunt, cum non reddendo ſit periculum faciẽdi contra ius, quod habet coniux petens, & peccatum contra iuſtitiam ſit maius, quàm contra continentiam, ſeù caſtitatem; idcirco quando vtrumquè periculum vitari nequit, periculum minoris mali eſt eligendum, & ſic prudenter coniux requiſitus operabitur, debitum reddens. Deniquè addunt in redditione huius debiti non interuenire cooperationem cum peccato illius, qui exigit, quoniam minimè cooperari cenſetur, cum fit id, ad quod quis tenetur, vt in multis alijs patet; & fatentur etiam Authores ſecũdæ opinionis, quando illicita petitio oritur ex circumſtantia perſonali exigentis, vt videbimus.

Meliùs autem, ſententia iſta oſtendi poterit, quod mox præſtabimus.

3 Dicendum igitur eſt, hanc ſecũdam opinionem ✠ eſſe amplectendam, quæ efficaciter, ità ſuaderi poteſt. Antequam ſufficiens, & moralis diligentia adhibeatur ad veritatem acquirẽdam, coniux dubitans de matrimonij validitate caret iure exigendi debitum; ergo alter coniux etiam dubitans de eadem validitate, nequit petenti debitum reddere: Conſequentia eſt certa, & facilè eius veritas apparebit, ſi conſideretur tota obligatio reddendi debitum deſcendere ex iure, quod in coniuge petente reperitur; ideoquè deficiente tali iure in vno, ceſſat omninò obligatio in altero; hæc enim duo ſunt correſpectiua, mutuoquè ſe inferunt; proindè ſolum antecedens remanet confirmandum. Exiſtente dubio ante diligentem veritatis inquiſitionem, ità perturbatur poſſeſsio in coniuge petente, vt nequeat illi ſuffragari in ordine ad ius exigendi: ergo dubitans modo explicato, caret iure exigendi, patet conſequentia iſta, quià totum ius legitima ex poſſeſsione deriuatur; eius antecedens ſuadetur. nam legitima, & licita poſſeſsio requirit tanquam neceſſariam conditionem bonam fidem in poſſidente, ſiuè poſitiuè, ſiuè præciſiuè, hoc eſt, vt ſaltem non habeat malam fidem, qui verò du-

bitat, & adhuc non adhibuit inueſtigationem veritatis caret bona fide, & eſt in mala fide poſitus, vt notat *Conar. ad Regulam Poſſeſſor par. 2. § 7. num. 3.* & ex communi aſſirmat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 6. dub. 3.* deficiente autem bona fi le eſt iniuſta poſſeſsio, & conditionem poſsidentis meliorem facere nequaquam poteſt, quoniam legitima, & licita poſſeſsio oportet, vt fundetur in aliquo iure vero, aut ſaltem præſumpto vti docet *Syluester verb. Poſſeſſio nu. vnico,* & ſequitur *Sanchez diſput. cit. num. 24.* Ergo exiſtente dubio ante inquiſitionem veritatis ità poſſeſsio ipſa perturbatur in coniuge petente, vt nequeat illi ſuffragari, quod erat nobis probandum Fundamentum huius rei eſt, quià cum ambiguitas inſurgit de proprietate, ſeù rei dominio, quo nititur licita poſſeſsio, ius incipit etiam in dubium reuocari, proinde neceſſe eſt poſſeſsionem perturbari, ideoque non poterit ità hæſitans re illa vti tanquam pro pria ob periculum attrectandi rem alienam; requiritur ergo diligens inquiſitio, vt veritas elucidetur, & dubium fugiat, aut ſi veritas apparere nequeat, dubium reddatur inuincibile, & æquiparetur ignorantiæ inculpabili, & tunc ius
expeditū illud prius ſopitum euadet, & conſequẽter poſſeſsio, quæ pariter dormiebat, incipit iterùm ſuffragari, & in altero coniuge redire etiam incipit reſpondens obligatio ad debitum concedendum. Et confirmari poteſt à pari ex quadā doctrina *Leſſii lib. 2. de iuſt. cap. 33. dub. 6. num. 46.* vbi loquens de ſuperiore imperante ſubditis, vt eant ad bellum, &c. docet quod ſi ſubditi dubitent de iuſtitia belli, debent deponere practicè conſcientiam, & obedire, quià in dubijs melior eſt conditio ſuperioris poſſidentis ius imperandi; ſed addit ſic; *Secùs tamen eſſet, ſi ſciret, nempè ſubditus, ſuperiorem ſuum dubitare, & dubitantèr imperare; quià ſciret tunc illum non habere ius imperandi.* Hæc Leſſius, cuius doctrina fauet nobis, & confirmat noſtram ſententiam; caſus enim videtur ſimilis eſſe, eademquè ratio vtrumquè probare.

4 Ex his omnibus † maneat non poſſe debitum reddi petenti illicitè, quando dubium de inualiditate matrimonij in vtroquè coniuge reperitur ante diligentiam præſtitam; & hoc ne exponatur vterquè coniux periculo fornicationis, vt ſic autem confirmata ratio iſta, quam pro noſtra ſententia Authores adducunt, vim, & efficaciam habet ad probandum intentum. Supereſt vt oppoſitas rationes diluamus.

A primam, qua nituntur contrariæ ſenten-
5 tiæ defenſores, † reſpondeo ex dictis poſſeſſionem illam, poſito dubio, non eſſe expeditam, neque ſuffragari poſſidentibus, vt oſtenſum fuit, quià eius fundamentum, nempè ius ratione ambiguitatis ſuperuenientis non eſt firmum; ideoquè regula illa iuris, ſcilicet, *in dubijs melior eſt conditio poſſidentis* non habet locum, niſi poſt diligentiam ad dubium euincendum.

Ad ſecundam ex paritate illa allata à *Ledeſma*, † ait nullam eſſe, ob diſcrimen, quod reperitur inter vnum, & alium caſum, nam quando illicita petitio oritur ex circumſtantia extrinſeca, & perſonali, ità vt non tollat validitatem actus, tunc non amittitur ius, quod quis prius habebat in re aliqua, & poſtea retinet, neque perturbatur legitima ejuſdem rei poſſeſſio: ità euenit in caſu illo de voto caſtitatis, quo alter coniux detinetur; nam circumſtantia huius voti non deſtruit valorem contractus matrimonij, ſed illum relinquit illæſum, proindè ius in eo, qui votum emiſit, integrum manet, & per conſequens manet ſuum correlatiuum in altero coniuge, nempè obligatio reddendi debitum; ideoquè quamuis votum habens illicitè petat, non petit iniuſtè, ſed iuſtè, & ſic alter coniux obligabitur ad reddendum debitum; In caſu autem noſtro dubium eſt de ipſa ſubſtantia, ſeù de valore actus; proinde non eſt par ratio. Vide *Sanchez* multa circa hoc diſſerentem *lib. 9. de matrimonio diſputat. 6. numero 7.* Idem dico de depoſito, nam etiam ſi depoſitans in finem malum rem petat, depoſitarius non poterit illam denegare abſquè iniuria petentis, quià ille, qui depoſuit, retinet verum & ſtrictum ius in re depoſita, licet non deſint, qui velint depoſitarium teneri non reſtituere rem illam lege charitatis ad vitandum peccatum alterius, ſi id commodè facere poterit, & certum videtur, differendam eſſe reſtitutionem, ſi res petatur ad iniuſtè inferendum damnum contra alium, in quo caſu aliqui putant, non ſolum lege charitatis, ſed etiam iuſtitiæ obſtringi depoſitarium ad non reddendum debitum; quod intelligi debet, quando ſine proprio, & proportionato diſpendio id fieri valeat.

In re verò noſtra rationes iſtæ vel nunquam, vel rarò militant; nam nihil noxium contrà tertium reperitur, ſi debitum reddatur coniugi, habenti votum caſtitatis; neque coniux requiſitus faciè poterit abſtinere à redditione ſine ſuo incommodo, vt de ſe patet; denegare enim debitum, & præſertim ad longum tempus, eſſet occaſio, vt excitentur rixæ, oriantur ſcandala, & interdum ſit periculum maioris incontinentiæ; deberet tamen coniux requiſitus admonere alterum coniugem, vt abſtineat à petendo, vſquè dum obtineat diſpenſationem à Prælato, vel ab alio, habente legitimam poteſtatem diſpenſandi ad petendum debitum, & ſic patet diſpatitas.

§. IV.

§. IV.

Inito matrimonio, dubitans alter coniux de impedimento dirimente, quod ab ipſomet dubitante tolli poteſt, an teneatur debitum reddere alteri cõiugi petenti?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Nonnulli ſuſtinent non aſtringi ad reddendum debitum, quia id eſſet affectu maritali faciendum, & ſic reddens, matrimonium validaret.*
3 *Probabilius eſt reddi poſſe maritali affectu cũ animo non validandi, ſed vt ius alterius ſeruetur.*
4 *Coniux, qui facultatem validandi habet, poteſt ſequens probabilem opinionem, debitũ non reddere.*
5 *Præmiſſa diligentia, non obſtante ambiguitate de alterius coniugis ſeruitute, licitè reddi, & peti debitum.*

1 DEclaremus caſum. Titius v.g. contrahat cum Berta, ignorans eius ſeruitutem, poſt matrimonium autem iam contractum incipiat Titius dubitare de ſeruitute Bertæ, atq; adeo de valore matrimonij, ſi interim Berta debitum exigat quærimus, an Titius non ſolùm licitè poſſit, ſed etiam teneatur reddere, tali dubio non obſtante, ſupponimus autem poſſe iure ſuo Titium affectu maritali accedentem, matrimonium illud etiam prius irritum, ſi ſeruitus ſit occulta, ratum habere, quia ſi publica ſit, non poſſet illud reualidare, niſi coram Parocho, & teſtibus: at ponamus in Titio talem non repetiri voluntatem, imò contrariam, videlicet, nolle matrimonium firmum reddere, ſi inueniat ex parte Bertæ impedimentum ſeruitutis, quærimus ergo quid in tali dubio ſit à Titio faciendum, nam ex vna parte Berta videtur eſſe in poſſeſſione petẽdi, atq; adeo Titius debitũ denegans exponeret ſe periculo peccãdi cõtra iuſtitiã; ex alia verò parte cum facile, & promptum ſit remediũ videtur obligandus accedere animo maritali, & matrimonium illud ratũ habere, & ſic enim vitabitur quodcumq; peccatum iniuſtitiæ, & fornicationis.

Reſpondent aliqui, vt *S. Bonau. in 4 diſtinct. 26. exponendo litteram, Riccardus, Nauarr. & alij,* quos laudat Sanchez *lib. 2. de matrim.*
2 *diſp. 43. num. 2.* † non teneri, quia ſi redderet, deberet id facere animo, & affectu maritali, & ſic validaret matrimoniũ cum ſuo magno præiudicio, aliter vbi accederet tali affectu, videretur accedere affectu fornicario, nã inter hos duos affectus nõ inuenitur medium, & ſic grauiter peccaret.

3 Hoc tamen non obſtante † probabilius mihi videtur, poſſe reddere animo maritali, ſed nõ cum intentione reualidandi matrimonium, ſi forſitan erit irritum ob illud impedimentum ſeruitutis; ſed vt conſeruet alterum coniugem in ea poſſeſſione, quam habet, reddendo ei debitum, & ſic quodam modo inuenitur medium inter illos duos affectus eo pacto, quo explicatur ab alijs, ſic *Sanchez diſp. 45. ant. 1. n. 8. Merolla loc. cit. num. 171. & quamplurimi apud*
4 *ipſos.* † Poſſet tamen Titius ſequens opinionẽ *S. Bonau. & aliorum* non reddere debitum, cũ illa ſententia ſit etiam probabilis; ſic notãt *Sãchez, & Merolla loc. cit.* Et addo, quod ſi poſt diligentiam adhibitam nequeat Titius veritatẽ deprehendere de ſeruitute Bertæ, & per conſe-
5 quens nequeat dubium euincere, † poſſet manens in ſua poſſeſſione, in quam bona fide, vt ſupponimus, ingreſſus fuit, non ſolùm reddere, verùmetiam petere.

§. V.

Cum dubitatur, an impotentia coeundi præceſſerit, an verò ſubſequuta fuerit matrimoniũ, quid iudicandum?

SVMMARIVM.

1 *Definitur impotentia coeundi.*
2 *Prima opinio putat præſumptionem anteceſſionis eſſe pro impotentia.*
3 *Secunda id admittit de impotentia naturali, negat de accidentali.*
4 *Tertia diſtinguens ait, quando vnus tantùm coniux impotentiam allegat, non poſſe matrimonium diſſolui; ſecus ſi vterq; id aſſerit.*
5 *Secunda ſententia videtur probabilior, tertia non placet.*
6 *Fauorem prolis non ſuffragari, quando contraria præſumptio originem habet à natura.*
9 *Proponitur argumentum Aduerſa.*
8 *Diluitur.*
9 *Praxis Eccleſiæ in dirimendis matrimonijs ſolo coniugum dicto non eſt contenta.*
10 *Ex cap. fin. de frig. & e. nihil contra Authoris ſententiam colligitur.*
11 *Limitatur à Sanchez.*
12 *Non placet limitatio.*

1 IMpotentia, ✠ de qua in præſenti paragrapho, & in ſequentibus loquimur, abſtrahens à naturali, & accidentali; perpetua, aut temporali, & à cauſſis, ex quibus oritur, eſt quoddam vitium naturale, impediens coitum, ſiue id faciat ita prohibendo penetrationem vaſis, vt intra illud nequeat ſemen emitti, ſiue ſeminationem ipſam ſimpliciter impediat; declarantur autem ſingulæ particulæ; dicitur Vitium, in quantùm prohibet vſum potentiæ generatiuæ: Rurſus dicitur, naturale, quatenus naturale contradiſtinguitur à morali, vt ſunt habitus praui circa mores. Deniq; aſſeritur eſſe impedimentum coitus, & hoc ponitur loco differentiæ, per quam iſtud vitium ſecernitur ab alijs vitijs, & impedimentis naturalibus, vt ſunt ea, quibus prohibentur actiones aliarum potentiarum, nempè, potentiæ viſiuæ, auditiuæ, &c. His præhabitis.

2 Tres de hac re inuenio ſententias; † prima enim vult præſumendum, anteceſſiſſe impotẽtiam, atq; adeo matrimonium eſſe irritum, & diſſoluendum, ita *quamplures Canoniſtæ, tum Theologi apud Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 103. num. 1.* & ex recentioribus id ſuſtinet *Henriquez lib. 12. ſum. cap. 8. num. 3. Emmanuel Sà de imped. dirim. Ver. Cum dubium eſt. Bonacina de matrim. quæſt. 3. pun. 12. nu. 13. Auerſa eod. tract. quæſt. 13. ſect. 4. Ver. ſi rurſus cõtingat.* Hanc ſententiam varijs ſuaderi poteſt rationibus, & primò quia, vt ſic magis fauetur proli, nam alter coniux manebit ligatus, & poterit cum alio contrahere, & cum illo prolem habere, & quia etiam vt ſic fauetur continentiæ, vitatur enim per ſecundum matrimonium incontinentia. Neq; valet ſi dicas, in dubio fauendum eſſe valori matrimonij; nam hoc verũ eſt, quando matrimonium ſuum præcipuum finem conſequi valeat, videlicet, bonum prolis quod in hoc caſu haberi nequit. Secundò, probatur ex *cap. final. de frig. & malef.* vbi diſponitur, quod probato maleficio, & facta triennali experientia, matrimonium ſit diſſoluendũ nihil dicitur de tẽporis prioritate, & hoc, quia videtur id ſupponi, ſcilicet, poſitis illis duabus conditionibus, præſumitur impotentiam præceſſiſſe.

3 Secunda opinio † diſtinguit duplex impotentiæ genus, aliud naturale E.C. frigiditatem in viro, vel arctitudinem in muliere: aliud verò accidentale, quale eſt illud, quod oritur ex maleficio, caſtratione &c. Hac diſtinctione poſita, vult ſententia iſta, quod quando impotentia eſt naturalis, præſumitur præceſſiſſe; minimè verò, quando eſt accidentalis; ſic *S. Anton. in ſumm. tit. de frig. & malef. Gloſ. 33. qu. 1. ver. (Quod autem) in fine. Sanchez diſp. cit. num. 4. & alij Canoniſtæ apud ipſum.* Prima pars huius concluſionis probatur, quia ea, quæ ſunt naturalia cenſentur perpetua; nam qualitas, quæ procedit à natura, præſumitur perpetua, vt oſtẽdit *Menoch. lib. 1. præſumpt. 14. num. 3.* Secũda verò pars ſuadetur ob contrariam rationem; nam quæ ex accidenti habentur, & non à natura, præſumuntur non ſemper fuiſſe, proinde in tali caſu præſumptio eſt pro valore matrimonij, quia cum natura talem hominem potẽtem produxerit, qui aſſerit, potentiam in eodẽ homine ex aliquo accidenti aliquãdo defeciſſe, ipſi aſſerenti incumbit hoc probare, & dum id non probat, præſumptio iuris eſt, impotentiam ſubſequutam fuiſſe poſt matrimonium validè contractum.

4 Tertia ſententia vtitur alia diſtinctione, & ait, quod quando vnus tantùm è coniugibus petit diſſolui matrimonium ratione impotentiæ, tunc non præſumi impotentiam præceſſiſſe, ſed hoc eſſe probandum; quia petẽs ſeparationem, cum fundet ſuam intentionem in impotentia præcedẽte, debet hoc ꝓbare; aliter præſumendũ potentiam ſubſequutam fuiſſe; at ſi vterque coniux diſſolutionem matrimonij poſtulet, tũc præſumi præceſſiſſe impotentiam, pro hac ſẽtentia *Sanchez num. 2. cit. S. Anton. cap. Fraternitatis num. 20. de frig. & malef.*

Dicendum eſt, primam, & ſecundam opinionem eſſe valdè probabilem, & vtramq; ratione, & authoritate ſuſtineri poſſe, † 5 probabiliorem tamen mihi videri ſecundam, quam ſecutus eſt Pater Sanchez ob rationes aſſignatas. Tertia autem ſententia non placet, quia ſola illa vtriuſq; coniugis petitio non videtur ſatis, vt Eccleſia diſſoluat matrimonium, ab ipſa prius approbatum, niſi petitio adiuuetur alijs adminiculis, nempè, teſtibus illud ipſum affirmantibus, aut alijs indicijs illud probantibus, vt euenit in exceptione aliorum impedimentorum; non enim ſufficit, vt vterq; coniux dicat, fuiſſe inter eos impedimentum dirimens, E. C. conſanguinitatẽ, niſi id probent, & ſic de iſto pariter impedimento erit iudicandum.

Ad argumenta verò pro prima ſententia
6 † reſpondeo, & ad primum dico, nihil in re hac proficere fauorem prolis, cum in contrarium ſit præſumptio dependens ab ipſamet natura, quæ hominem potentem producit; proinde fauor eſt pro qualitate naturali, quę reddit hominem potentem; & nõ pro accidentali, quæ reddit hominem impotentem: & in hoc fundamus noſtram concluſionem, & non cogimur recurrere ad fauorem matrimonij, vt arguitur, afferendo inſtantiam contra eamdem primam ſententiam.

7 Sed vrgebis cum Auerſa, † quando inter coniuges datur experientia de ipſorum impotentia ex maleficio, nequeunt ipſi ſcire ex certa euidentia, num ante, an verò poſt initum matrimonium maleficium interceſſerit; igitur niſi detur præſumptio de anteceſſione pro matrimonio, nõ poterit tale matrimonium ex hoc capite dirimi; at ex vſu, & praxi Eccleſiæ iam conſtat, quod impotentia ex maleficio iam probata, irritatur matrimonium ſine alia probatione anteceſſionis maleficij, ex quo colligitur, quod præſumptio ſit de anteceſſione pro maleficio ipſo.

Reſ-

8 Reſpondeo, † dari in caſu poſito præſumptionem anteceſſionis pro matrimonio ex ipſamet natura, quatenus, vt dixi, ſecundo præſumptio in dubijs ſe tenet ex parte qualitatis connaturalis, & ab extrinſeco prouenientis potiùs, quã pro extranea, quæ ab intrinſeco prouenit.

Ad illud, quod dicitur de vſu, & praxi Eccle- 9 ſiæ, † nego ab Eccleſia irritari matrimonium ex eo præcisè, quod detur impotentia ex maleficio, niſi ſufficienter probetur, maleficium extitiſſe ante initum matrimonium; & ratio eſt manifeſta, quia in dubijs cõcurrente matrimonio pro ſui valore, & impotentia pro nullitate, magis præſumere debemus pro illo, quam pro iſta ob rationes aſſignatas.

10 Ad ſecundum aio, † nihil pro eadem ſententia colligi ex *capitulo final. de frig. & c.* quia ibi non agebatur, an præceſſerit, an verò ſubſecuta fuerit impotentia, neq; de hoc poſtulabatur à Pontifice, ſed ſolùm an maleficiũ præſumendum fuerit perpetuum, an verò temporale, ad quod diſcernendum Pontifex reſpondit dando regulam illam de triennali experientia.

11 † Limitatur tamen noſtra iſta ſententia à *Sãchez num. 6.* in eo caſu; quo poſt breue tempus à matrimonio contracto, agnoſcatur impotẽtia; tunc enim eſt veriſimile, impotentiam pre- 12 ceſſiſſe. † Ceterum in hac limitatione magna cum prudentia nos ipſos gerere debemus, quia poſſet euenire, vt etiam, non obſtante tali tẽporis breuitate, impotentia non cenſeatur preceſſiſſe: attendendę igitur ſunt omnes circumſtantiæ.

§. VI.

Animo hæſitante, num impotentia, quæ certò præceſſit, ſitne vera, an ſimilitudinaria, vel an naturalis, an potiùs accidentalis, quid præſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Declarantur termini.*
2 *Aliæ diuiſiones remiſſiuè apud Authores videndæ.*
3 *Poſt adhibitam diligentiam, in dubio pro valore matrimonij præſumitur.*
4 *Potiùs accidentalis, quàm naturalis impotentia eſt præſumenda; cum animus in ancipiti verſatur.*

1 ANtequam quæſitum decidamus; † breuiter declarationem terminorum premittimus, ſuppoſita deſcriptione impotentiæ, de qua *ſupra* §. 5. egimus, eam autem diuidere poſſumus in veram, & ſimilitudinariam; illa, ea eſt, quam eo paragrapho explicuimus; hęc, nihil eſt aliud, niſi quędã magna difficultas ad vſum matrimonij, quę inducit ęgritudinis periculum, vel requirit difficilia remedia, vt tollatur. Naturalis appellatur quę à principijs intrinſecis indiuidui oritur, vt eſt v.g. frigiditas in viro, aut arctitudo in fœmina; Accidentalis verò, vt ſupra diximus, dicitur, quę ab aliquo extrinſeco cauſſatur, v.g. à maleficio, caſtratione, &c.

2 Alias autem diuiſiones † vide apud Authores, qui de matrimonio tractant, & preſertim apud *Sanchez lib. 7. diſp. 90. & ſeq. Filliuccius tract. 10. cap. 5. & alios.* Quibus omnibus premiſſis.

Dicendum eſt primò, ſi adhibita ſufficiẽti diligentia ad veritatem acquirendam, adhuc 3 dubium perſeueret; † tunc pro matrimonii valore præſumendum eſſe, videlicet, non eſſe veram impotentiam, ſed ſimilitudinariam, ſeu apparentem, nempè, quamdam difficultatem in vſu matrimonii, atq; adeo matrimoniũ priùs initum, dirimi nequaquam poſſe; ita *Sanchez lib. cit. diſp. 103. num. 8. & quamplures apud ipſum.* Probatur autem concluſio; primò, quia cum potentia generandi ſit homini connaturalis, & impotentia ſit defectus naturæ, quando in dubiis verſamur de alterutrius anteceſſione, præſumi debet preceſſiſſe potentiam; & contrarium obiicienti incumbit onus probandi illud; & meritò, quoniam in hoc ſuam fundat intentionem; qui verò pro potentia pugnat, habet intentionem fundatam in ipſamet natura, à qua emanat potentia illa; proinde onus probandi à ſe remouens, in aduerſarium reijcit. Secundò, cum matrimonium ſit iam contractum, eſt in poſſeſſione, à qua deiici nequit, niſi conſtet de anteceſſione impedimenti.

Dicendum eſt ſecundò, quando omnibus rectè inſpectis, mens in ęquilibrio manet, 4 † impotentiam potiùs accidentalem, quam naturalem eſſe preſumendam, ſic *Sanchez diſp. illa num. 7.* Concluſio probari poterit eadem ferè ratione, qua precedens, nempè, cum non conſtet, impotentiam, quę actu adeſt eſſe naturalem, & potentia ſit homini cõnaturalis, ius in dubio præſumit id, quod minus eſt, videlicet, impotẽtiam hanc eſſe accidentalẽ, nimirum ex aliquo accidenti ſubortam fuiſſe.

(✠)

§. VII.

§. VII.

Ambigens, an metus fuerit incuſſus ad contrahendum matrimonium, præſumi ne debeat non incuſſus, & ſi incuſſus, & dubitetur, an grauis, vel leuis, quid dicendum?

SVMMARIVM.

1 *Præſumitur carentia metus.*
2 *In dubio de qualitate metus præſumi debet leuis potius, quàm grauis.*
3 *In dubio, an qui minatus eſt, ſolitus, nec ne, fuerit minas exequi, an præſumendum metum iuſtum, an iniuſtum.*
4 *Eſſe cenſendum grauem, & iuſtum.*

1 AD primum reſpondeo ✠ præſumendam eſſe metus carentiam, quia poſſeſſio ſtat pro libertate, & non pro metu; ſic *Caramuel de cõſc. dictam. corol. 42. in 1. concluſione*, loquendo de metu in ordine ad votum, ratio autem eſt, quia metus cum ſit quid facti, & merè accidentaliter ſe habeat, erit probandus, & non præſumendus.

2 Ad ſecundum aio in eo caſu † præſumendũ eſſe leuem incuſſum fuiſſe metum, quia malum minus potius, quàm maius eſt præſumendum, vt rectè probat *Menoch. lib. 5. præſump. 2. num. 24. & quamplures ab ipſomet laudati*, ratio autem huius præſumptionis eſt, quia cum ex duobus malis minus eligi debeat, vt ſtatuitur *cap. Duo mala, diſt. 13.* ideò, qui ex nonnullis coniecturis præſumit delictum alterius, præſumere debet malum, quod eſt minus ab ipſo delinquente electum fuiſſe; igitur, ſi conſtat de metu, & dubium ſit, an metus incuſſus fuerit grauis, an verò leuis, iſte, & non ille erit præſumẽdus, quoniam minus malum eſt incuſſiſſe leuem quàm grauem metum.

3 Sed inquirere quis poſſet, ✠ quando matrimonium fuit contractum præcedentibus minis ad conſenſum extorquendum, & dubium exiſtat, an ille qui minatus eſt, ſolitus fuerit minas executioni mandare, quia dubitatio eſt de eius conditione, videlicet; an ſit auſterus, crudelis, &c. an metus præcedens ex talibus minis, & à tali perſona ſit cenſendus grauis, & in virum conſtantem cadens; an verò è contra, & cui onus id probandi incumbat.

Reſpondeo, ex doctrina *Sanch. lib. 4. de mat. d. 6. num. 22.* eſſe exiſtimandum metum iuſtum:
4 † ſic ex *Beroo in cap. 1. de offic. de leg. nu. 19.* & ratio eſt, quia minans ſufficiẽtem præbet occaſionem, vt ille, qui metum paſſus eſt, prudenter timeat exequutionem minarum, dum conditiones perſonæ minantis non agnoſcit, & de illis dubitat, non tenetur periculo ſe exponere, & ideo, qui has allegat minas, non tenetur probare conſuetudinem illius, qui minatus eſt; ſed onus probandi oppoſitum, nempe, minantem non conſueuiſſe minas executioni mandare, incumbere hoc excipienti.

§. VIII.

Adulter dubitans, an tempore adulterij, & promiſſionis de matrimonio cum adultera cõtrahendo, ſuperſtes fuerat alter coniux, incurrerit ne in impedimentum dirimens?

SVMMARIVM.

1 *Exemplum formatur declarans quæſitum.*
2 *Præſumitur vixiſſe eo tempore maritum.*
3 *Limitatur.*
4 *Si ambiguitas verſetur circa adulterium patratum, aut circa promiſſionem, ex tali dubio non reſultat impedimentum.*

1 DECLARATVR in hunc modum caſus; ✠ Titius, v.g. rem habuit cum Berta, eidemq; fidem præſtitit de matrimonio cõtrahendo poſt eius viri mortem; de cuius vita tamen dubitabatur, ſi poſteà nihil certi ſciri poſſit, ſed ambiguitas adhuc perſeueret, an maritus Bertæ tempore adulterij, & promiſſionis vixerit, quæritur, an ex tali dubio, Titius liberè poſſit abſque diſpenſatione Bertam ducere, an verò impedimẽto criminis dirimente ſit detentus, & à Summo Pontifice diſpenſationem obtinere oporteat.

2 Dicendum eſt præſumptionem † eſſe cõtra Titium, nempe, tunc temporis maritum Bertæ in humanis degiſſe; ſic ex *Nauarro libro 4. conſil. de ſponſ. conſil. 17. num. 3. Sanchez lib. 7 de matrim. diſp 79. num. 36.* fundamentalis ratio pro hac concluſione eſt; quia mors nõ præſumitur, ſed eſt probanda, vt fusè oſtendit *Menochius lib. 6. præſumpt. 49 per totum, & de adipiſcenda poſſeſſ. remed. 4. quæſito 77.*
3 † niſi diuturnitas temporis pro ipſa morte præſumere faciat, vt ſi tranſactum fuerit ſpatium centũ annorum, ad quos moraliter homines nunc nõ perueniunt; præciſa tamen tali præſumptione, & nulla alia occurrente pro morte mariti, Titius non poterit Bertam ducere, niſi cum ipſo Pontifex diſpenſet.

Quæ-

Quæres ſi dubium verſetur circa adulterium patratum, aut circa promiſſionem de futuro matrimonio, an Titius etiam impediatur ad contrahendum cum Berta?

4 Reſpondeo † negatiuè, quia ex tali dubio nullum reſulta impedimentum, vt notat *Sanchez loc. cit.* tum quia prædicta cum pertineāt ad factum, niſi probentur, non præſumuntur à iure, tùm etiam, quia ſunt delicta, quæ neque præſumuntur.

§. IX.

Si quis hæſitet, an Sacerdos ex Parochi licentia matrimonio interfuerit, onus id probandi incumbat ne eam affirmanti; an verò contra eam opponēti?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur diſpoſitio Tridentini circa decretū de aſſiſtētia Parochi cum matrimonium celebratur.*

2 *Prima ſententia aſſerit onus probandi ſe tenere ex parte opponentis*

3 *Contrarium alicui videri poterit admittendū*

4 *Alia opinio vult onus probandi pertinere ad excipientem, quando ipſe excipiens erit tertia perſona, ſecùs ſi eſt Parochus.*

5 *Hæc vltima ſententia placet Authori, & probatur.*

6 *Limitatur, quando diuturnitate temporis oppoſitum præſumeretur.*

1 Vaſtitum ſupponit † diſpoſitionem *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* ſtatuentis matrimoniū eſſe celebrandum coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarij licētia, &c. aliter eſſe irritum. Hoc poſito decreto caſus contingere poterit, vt aliquod matrimonium contractum fuerit coram Sacerdote extraneo, & non appareat licentia Parochi, & tunc locum habet quæſitum, ſi contra tale matrimonium Petrus excipiat nullitatem ex defectu licentiæ habitæ à Parocho, coniugati verò licentiam interueniſſe affirment, Parochus verò ſit mortuus, & in libris licentia minimè ſit notata, neq; adſint teſtes id affirmantes; quærimus ad quem ſpectet onus probationis ad Petrum ne, qui excipit inualiditatem matrimonij ex defectu licentiæ, an verò ad ipſum Titium, qui affirmat licentiam obtentam fuiſſe, atq; adeo validum eſſe matrimonium.

2 Prima opinio † vult onus probandi pertinere ad Petrum opponentem: ita *Cephalus cōſ. 47. num. 2. volum. 1. & quidam alij apud Maſcardum loco infra citando.* Ratio pro hac opinione eſt, quia opponens, cum ſuam intentionē fundet in negatione licentiæ, eam probare debet, & antequam probet, non dicitur fundatā habere intentionem.

3 Sed contrarium † videri poterit alicui admittendum, quoniam ſic opponens intentionē cenſetur fundatam habere *in decreto Trident.* diſponentis eſſe habendam licentiam hanc, & cum hoc ſit quid facti non præſumitur, ideòque erit probandum ab affirmante.

4 Secunda autem ſententia † diſtinguendo procedit, videlicet eſſe attendendum, an opponens ſit tertia perſona, an verò proprius coniugum Parochus, ſi exceptio fiat à tertia perſona onus probandi negationem licentiæ ſpectare ad ipſum opponentem, ſi verò ſit Parochus, tunc onus transfundi in affirmantes, ita *Maſc. de probat. volum. 2. concl. 1483. num. 3. Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 37. num. 5.*

5 Dicendum eſt † cum hac poſtrema ſentētia quæ ſecundum vtramq; partem mihi valdè placet, prima autem pars oſtenditur, quia cum opponens eſt tertia perſona, ad quam non ſpectat ex officio rem hanc inquirere, ſi in negatione illa totam ſuam fundet intentionem, ipſimet incumbet onus probandi negationem licentiæ, & ea non probata, præſumptio manet pro matrimonij valore, & pro ipſis coniugibus. Secūda verò pars probatur, quia cum ad Parochum ſpectet materia iſta, & ab eo ſit concedenda licentia, quæ aſſeritur, habet ipſe intentionem fundatam pro ſe, & ſuo munere, cum de licentia obtenta non conſtat; & præſertim cum pro ſe habeat legem latam per Concilium Tridentinū, interdicēs, & irritans matrimonia clandeſtina, & quę non fiunt coram proprio Parocho, vel Sacerdote de licentia ipſius Parochi, vel ordinarij; idcircò ſi allegantes validitatem matrimonij, non probent licentiam obtentam fuiſſe, præſumptio erit pro Parocho, atque adeo nullū

6 cenſeri debet matrimonium, † niſi pro eius validitate efficaciores concurrant præſumptiones, v.g. ſi tempus diuturnum ſit tranſactū, per quod præſumatur licentiam illam præfuiſſe: Quantum autem temporis ſit ſufficiens, controuertitur à Doctoribus in alijs caſibus ſimilibus, vt eſt in alienatione rerum Eccleſiæ &c. ad quam prærequiritur licentia Pontificis, & non apparens, vt diximus ſupra, exigitur, ad eā præſumendam, ſecundum aliquos, tempus triginta annorum; ſecundum alios, tempus, cuius initium non extat memoria; idem erit dicendum in caſu iſto, in quo *nonnulli apud Riccium par. 3. deciſ. Archiep. Neapo. deciſ. 91. n. 1. ver. (Primum deſūptum.)* aiunt lapsū triginta annorum eſſe ſufficientem.

§. X.

Duobus ab eadem perſona initis matrimonijs, quorum primũ, ob aliquam ſolemnitatem præſumptam legitimum cẽſeatur, ſecundum verò, quoad eamdem ſolemnitatem, certum, vtrum horum manere debeat?

SVMMARIVM.

1 *Aperitur caſus.*
2 *Videtur pro priori matrimonio concludendum*
3 *Pro ſecundo, & non primo matrimonio eſſe decidendum docet Author.*
4 *Soluitur primum argumentũ ex eo, quod prius matrimonium præſumptiuè tantum, declaratum fuit validum, ſecùs poſterius.*
5 *In caſu noſtro licet perſona opponens ſit tertia, agitur tamen de eius præiudicio.*

1 PRO huius quæſiti declaratione ita formetur caſus. † Titius, & Berta inuicẽ matrimoniũ, inierunt, in quo non proprius Parochus, ſed alius interfuit Sacerdos de cuius tamen facultate per publicas tabulas, aut per teſtes conſtare non poteſt: Longo procedente tempore, & mortuo Parocho, per nonnullas concurrentes coniecturas ponamus, præſumatur, ſolemnitatem illam, nempè, licentiam legitimam, in Sacerdote interueniente, non defuiſſe, atq; adeo matrimonium inter Titium, & Bertam validũ; deinde eueniat, vt Titius, vxore relicta, peregrè proficiſcatur, & multos poſt annos ob aliqua inditia prudenter iudicet Bertam ex hac vita migraſſe, ideòq; liberum ſe putans, ad ſecundas tranſeat nuptias, & Catherinam vxorem ducat, matrimonium celebrans adhibitis ſolẽnitatibus requiſitis, videlicet, coram proprio Parocho, & teſtibus: accidat poſtea, vt Berta prima vxor compareat, ideoq; dubium extat, quod nam ex his duobus matrimoniis validum ſuſtinendum ſit.

2 Videtur † pro matrimonio prius contracto eſſe decidendum, quia vt in facti ſpecie ſupponitur, validum iudicatum fuit; atq; adeò Berta viuente, quodcumq; aliud matrimonium a Titio inaniter contrahi: Rurſus ſi aliqua contra primum matrimonium exceptio fieri poſſet, maximè eſſet inhabilitas Sacerdotis interuenientis ob legitimæ licentiæ defectum; ſed vt paragrapho præcedente oſtẽdimus, onus probandi talem defectum in his circumſtantiis, nempè, diuturno elapſo tempore &c. incũbit, non ipſis coniugibus, ſed tertię perſonæ, quæ defectum opponit, & dum id non probat, validum præſumi debet matrimonium, & per cõſequens irritum aliud: His tamen minimè obſtantibus.

3 Dicendum eſt in caſu prędicto, † pro ſecundo, & non pro primo eſſe reſoluendũ. Probatur concluſio, quia primum matrimonium inter Titium, & Bertam initum, fuit iudicatum validum pręſumptiuè tantum, nam diuturnitate temporis, & alijs inditijs cõcurrentibus, exiſtimatum fuit pręceſſiſſe ſolemnitatem requiſitam, nempè, licentiam proprij Parochi, quę non eſt ſolemnitas accidentalis, ſed ſubſtãtialis, quamuis extrinſeca; at ſecundum matrimonium, cum initum fuerit cum omnibus ſolemnitatibus à Tridentino requiſitis, nõ præſumptiuè, ſed certitudinaliter proceſſit, quoad has ſolemnitates; igitur hoc ſecundum, & non primũ manere debet, & ita docet *Aloyſius Riccius in deciſ. Cur. Archiep. Neap. par. 3. deciſ. 91. per totam*, & concludit *in fine illius deciſionis*, ita deciſum fuiſſe *in Curia Archiepiſcopali*. Et confirmatur, quia iuxta communem Canoniſtarum doctrinam probatio præſumptiua matrimonij cenſetur ſufficiens inter cõiuges matrimonio præſumpto deuinctos, non eſt tamen ſatis reſpectu ſecũdi matrimonij concludenter probati, ſic *Riccius loc. cit. nu. 2. ver. (Tum ſecundo) ex Socin. ſen. conſil. 270.* Confirmatur ſecũdò, quia in cauſſa matrimonij cum probationes ſunt pares, vltima probatio præfertur probationi primi matrimonij, quando primum tendit ad aſtruendam nullitatem ſecũdi, requirerentur enim pro primo non ſolùm pares, ſed efficaciores probationes ſecũdi: ſic *Doctores in cap. illud de præſumpt. Pariſ. conſil. 59. num. 9. libr. 4. Rota deciſ. 909. num. 1. apud Seraph.*

Ad primum argumentum in contrarium facilis erit reſponſio ex dictis, nam quamuis primum matrimonium fuerit validum iudicatum,
4 † hoc tamen fuit præſumptiuè, nullo alio certiori concurrente matrimonio, & ideò negandum eſt quodcumq; aliud initum à Titio, viuente Berta, eſſe irritum.

5 Ad ſecũdum reſpondeo † onus probandi ſe teneri ex parte opponentis, quando opponens eſt tertia perſona, & non agitur de eius præiudicio, in caſu autem noſtro, perſona opponens, nempè, Catherina licet ſit tertia; nihilominùs ſe opponit, quia de maximo eius præiudicio agitur; cum probatio primi matrimonij tendat ad nullitatem matrimonii initi inter ipſam Catherinam, & Titium; proinde Catherina excipiens negationem facultatis in illo Sacerdote, qui primo matrimonio interfuit, transfert onus probãdi facultatẽ habitam in ipſam Bertam, quæ affirmat.

§ XI.

Dubitans de impedimento dirimente matrimonium, poſſit ne illud inire?

SVMMARIVM

1 *Ex varijs capitibus ſuboriri poterit dubitatio de impedimento matrimonij.*
2 *Negatiua refertur ſententia.*
3 *Non rectè à Layman citantur Henriquez, & Sanchez pro caſu noſtro cum eorum caſus à noſtro ſit diuerſus.*
4 *Explicatur caſus, de quo agitur.*
5 *Ad remouendum ſcandalum, quando adeſt dubium de impedimento, recurrendum eſt ad Superiorem, vt diſpenſet, aut declaret impedimentum non eſſe.*
6 *Alia opinio docet diſpenſatione opus non eſſe, quando, diligentia adhibita, remanet adhuc dubium.*
7 *Cum hac ſecunda ſententia ſentit Author.*
8 *Non aſtringitur dubitans recurrere ad Epiſcopum, niſi adeſſet ſcandalum, &c.*
9 *Si poſt contractum matrimonium appareat impedimentum, petenda erit diſpenſatio, vt matrimonium validetur.*
10 *Si in aliquo dubio, præſumptio ſtet pro impedimento, petenda erit diſpenſatio.*
11 *Inſtantia contra Authorem de inconſequentia doctrinæ.*
12 *Oſtenditur in dictis Authoris, nullam inueniri inconſequentiam.*
13 *Ex doctrina Authoris videtur inferri poſſe ſecundas nuptias contrahi, ſtante dubio de morte prioris mariti.*
14 *Demonſtratur non rectè inferri,*
15 *Satisfit fundamento primæ opinionis.*

EX varijs capitibus iuxta impedimentorum diuerſitatem poterit dubitatio inſurgere; ponamus
1 exemplum: † Titius v.g. prohibeatur matrimonium cum Betta contrahere, quia rem habuit cũ muliere, & dubitat fuiſſe conſanguineam Bertæ in gradu prohibito, vel dubitet Bertam ipſam eſſe ſibi conſanguineam, vel quid ſimile, & diligentiam adhibeat ad veritatem indagandam, & non obſtante tali diligentia adhùc maneat dubius, in quantùm veritatem aſſequi non potuit. His poſitis.

2 Prima opinio negat † contrahi poſſe; ita videtur ſentire *Caſtrop. tom. I. de conſc. dub. pu. 8. num. 10. in reſponſ. ad tertium argum.* cũ ait, *Et ſi cuilibet licitum ſit matrimonio copulari, non tamen licitum illi eſt, ſi dubius ſit, habere impedimentum, quia numquam habuit ius ſe matrimonio copulandi, niſi probando impedimentum non eſſe.* Sic Caſtrop. a laus. Dum enim inquit, numquam habuiſſe ius ſe matrimonio copulandi, niſi probando impedimentũ, non videtur velle, in dubio de impedimento, cõtrahere non poſſe: huic opinioni etiam adhæret *Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5 §. 3. num. 23.* & licet Author ille citet pro ſe *Henriquez libr. 11. de matr. cap. 15. num. 13. & Sanchez lib. 2. de*
3 *matr. diſp. 42.* † nihilominùs non rectè, quia in alio caſu diuerſo loquuntur; nam *Henriquez eo paragrapho* plura docet, & præſertim tria, quæ ad rem noſtram faciunt; primò, proponit caſum, quando matrimonium mala fide ex parte vtriuſq; coniugis cœpit; & tũc rectè docet neq; petitionem, neq; redditionem eſſe licitam quouſq; poſt præmiſſam diligentiam, dubium practicè deponatur. Secũdò, inquit, ſi matrimonium bona fide incœpit ſaltem ex parte vnius, qui mala fide illud inijt, reddere tenebitur, niſi certò cõſtet eius inualiditas, nõ aũt petere poterit. Tertiò, includit, poſſe vtrumq; coniugem, & reddere, & petere, ſi poſt factam diligentiam adhùc lateat veritas, & dubium ſpeculatiuum perſeueret.

Sanchez verò ea diſputat. duo proponit; primò, quãdo ſolus alter coniux dubia fide matrimonium contraxit, & huic concedit poſſe reddere, negat verò poſſe petere. Secundò, cum vterq; mala fide inijt, & tunc petitio, & reddi-
4 tio vtriq; coniugi prohibitam eſſe docet. † Caſus autem, de quo nos loquimur, vt conſiderãti patet, eſt longè diuerſus; quærimus enim, nũn dubitans de impedimento dirimente poſt indaginem factam, non obſtante dubiò, valeat licitè contrahere; & ſic ſemper ſupponimus bonam fidem in contrahentibus, non ſolùm in altero coniuge, in quo nulla præceſſit dubitatio, ſed etiam in eo, in quo dubium præfuit, & ſic patet diuerſitas, & non rectè *Hẽriquez, & Sãchez citari.* His declaratis, regredimur ad controuerſiam, & addimus, huic primæ opinioni fauere Authores illos, qui inquirẽtes, an Epiſcopus diſpenſare valeat in lege Superioris, cũ eſt ambiguitas, nũ res illa diſpenſatione indigeat, & partem affirmatiuam ſuſtinẽt, inter quos eſt *Salas de leg. diſp. 20. ſect. 3. nu. 28. Bonac. eodẽ tract. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 2. nu. 18.* & ex parte *Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 35. nu. 18.* vbi id concedit, quando eſt dubium in iure, quod explicat, tunc eſſe, quando hinc inde probabiles opiniones habentur, quarum aliquæ aſſerãt adeſſe impedimentum contrahẽdi matrimoniũ aliæ verò negent; at *num. 19.* concedit, cũ dubium conſiſtit in facto, & res eſt omninò dubia non eſſe opus diſpenſatione; addit verò cum præſumptio præponderat pro vna parte, intellige, pro impedimento, tũc ad cautelam requirendam eſſe diſpenſationem Epiſcopi. Fauent etiam huic ſententiæ Authores, qui dicunt in caſu comprehenſo ſub lege Superioris, de quo dubitatur, an ſit neceſſarium petere diſpẽſationem, eſſe petendam vel ab Epiſcopo, vel ab alio Prælato Superiore, qui legem illam edidit; ſic *Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 35. nume.*

18.& 19. *Banac. de legib. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 1.*
5 *num. 18. & alij*, † Fundamentũ huius opinio-
nis vnicum eſt, nempè, reuerentia debita Sa-
cramento; nam cum tali dubio contrahẽs ex-
ponitur periculo nullitatis matrimonij.

Secũda opinio ſuſtinet, poſt adhibitam dili-
6 gentiam ad veritatem inueniendam, † nullam
eſſe neceſſariam diſpenſationem; ſic *Ioan. San-
chez in ſelect. diſp. 45. num. 44. Thomas Sanch.
lib. 8. de matrim. diſp. 6. num. 18. Franciſ. Delu-
go par. 1. decur. quæſt. 31. num. 180.* & ratio, qua
ducitur, eſt, quia poſſeſſio ſtat pro ipſo Titio
dubitante, & non eſt tali poſſeſſione ſpoliãdus
vſq; dum contrarium non probetur.

Dicendum eſt primò, ſi penſatis omnibus,
res ſit vndiq; dubia, nullam Pontificiam diſpẽ-
7 ſationem eſſe neceſſariam, † ſed liberè poſſe
Titium, & Bertam inuicem cõtrahere, vt aſſe-
runt Doctores pro ſecũda opinione, & ratio
pro hac cõcluſione eſt, quia in tali caſu libertas
cõtrahentium poſſidet; atq; adeo, ſi quis exci-
piat impedimentum, ipſi excipienti incumbit
onus illud probandi.

8 Dicendum ſecũdò, neq; eſſe neceſſarium †
recurrere ad Epiſcopum, vt benè aduertit *San-
chez loc. vlt. cit.* & meritò, nam à parte rei, vel
datur impedimẽtũ, de quo eſt dubiũ, vel nõ da-
tur, ſi datur, eſt extra poteſtatẽ Epiſcopalem;
ſi nõ datur, nulla eſt opus diſpẽſatione; nihilo-
minùs eſſet interdum recurrẽdum ad Epiſcopũ
non ad diſpẽſandum, ſed potiùs ad declarandã
negationem impedimẽti, quando impedimẽ-
tum illud dubium eſset publicum, ad ſcãdalum
vitandum, & tũc iudicium illud Epiſcopi non
deberet vocari act' diſpẽſationis, ſed prudẽtiæ.

Dicendum eſt tertiò, ſi poſt contractum
matrimonium innoteſceret impedimentum,
9 † tunc eſset neceſsaria diſpẽſatio põtificia, ita
Sanchez, vt ſupra, & hoc, quia in tãtùm licitũ
erat contrahere, in quãtùm præſumptio in illo
dubio erat in fauorem libertatis cõtrahentium;
at apparẽte veritate, ceſsat præſumptio, proin-
dè matrimonium, quod prius præſumptiuè erat
validum, poſtea eluceſcẽte veritate, & ceſsãte
præſumptione, cognoſcitur irritum, & hoc ab
omnibus ſupponi, affirmat *Auerſa de matr.
quæſt. 11. ſect. 2. ver. (Satis tamen conſtat)*
Ratio autem eſt manifeſta, quia ſtãte illo im-
pedimẽto dirimente in vtroq; coniuge, erat in-
habilitas ad contrahẽdum, quę tamẽ in ordine
ad ſuum effectum, nempè, ad valorem matri-
monij eſt indepẽdens à bona, aut mala fide
contrahẽtium, quamuis bona fides poterit ip-
ſos ineũtes matrimonium excuſare à culpa.

Dicendum eſt quartò, ſi in prædictis dubijs
præſumptio ſtet pro impedimẽto, neceſsariam
10 † eſſe diſpẽſationem pontificiam; tũc enim
poſseſſio erit pro eodem impedimẽto, & non
pro libertate, v.g. ſi Titius copulam habuit cũ
ſorore Bertæ, & ambigat, an verè ſeminauerit,
nec ne, & ſi ſeminauerit, an intra, vel extra vas;
& cõſequenter cõtraxerit, nec ne, affinitatem
cum Berta, tũc præſumptio eſt pro affinitate
contracta, atque adeò pro impedimento diri-
mente; & talis præſumptio deſumitur ex com-
muniter cõtingentibus, quia cum datur coitus
cum fœmina, & intra vas, præſumitur etiam
ſemen intra vas emiſſum fuiſſe, & per cõſequẽs
contractam iam affinitatem, & impedimentum,
ſecùs tamen dicendum eſſet, ſi copula fuerit nõ
intra, ſed propè vas, & dubium exiſteret, an
ſemen intra vas incidiſſet, nec ne, tũc enim
præſumptio ſtaret pro libertate; & nõ pro im-
pedimento, & nulla eſſet neceſſaria diſpenſatio

Sed contra tertiam cõcluſionem poſſet quis
11 vrgendo, † arguere nos de incõſequentia,
conferendo ſuperiùs dicta cum eo, quod in
præſentia ſtatuimus; nam in hac eadem diſcep-
tatione *cap. 11. par. 4.* § 5. aſſeruimus, pecca-
tum quoad reſeruationem dubium, & à Cõfeſ-
ſario Ordinario ſacramentaliter remiſſum, nõ
eſſe iterùm ex obligatione ſubijciẽdum Superi-
ori, quamuis poſtea certò innoteſcat reſerua-
tio; & idem diximus de voto præſumpto quo-
ad reſeruationem põtificiam. Rurſus §. 10. aſ-
ſeruimus, matrimonium præſumptiuè coram
legitimo Sacerdote initum, cedere poſteriori
matrimonio coram Parocho certè contracto.
Hæc autem duo non vidẽtur cohærere cum
doctrina, quam nũc *in tertia concluſione* tradi-
dimus; nam loquendo de primo, ſicuti peccatũ
præſumptiuè reſeruatum, & à Cõfeſsario Or-
dinario remiſsum, non remanet reſeruatum,
innoteſcẽte reſeruatione; ita matrimonium,
quod non obſtante dubietate de impedimẽto,
legitimè fuit contractum, deberet ita validum,
& firmum manere, vt nulla in poſterum ſit ne-
ceſsaria diſpẽſatio, etiam ſi impedimentum
fiat notum; & ſi ponatur in hoc caſu neceſſitas
diſpẽſationis, ponenda etiam erit neceſſitas
ſubijciendi peccatum illud Superiori; & pariter
noua diſpẽſatio in voto, in quo diſpẽſauit Epi-
ſcopus ob præſumptam reſeruationem. Præte-
rea loquendo de ſecundo, eadem erit paritas;
debemus enim dicere, quod ſicuti matrimoniũ
præſumptiuè validum ceſsat, cũ ponitur illud
ſecundum matrimonium initum coram Paro-
cho certè validum; ita etiam in noſtro caſu ceſ-
ſabit valor matrimonii, quod fuit contractum
dubietate impedimenti exiſtente, & ſi illud nõ
ceſsabit, neq; ceſsabit & illud aliud præſump-
tiuè validum; par enim ratio in omnibus his
caſibus videtur eſse.

12 Reſpondeo, † negando paritatem, & quo-
ad primum diſparitas eſt in promptu, quia dum
Confeſsarius abſoluit pœnitentem, exercet
actionem aliquam iuriſdictionalem, quæ ex
ſuo genere eſt deſtructiua cuiuſcumq; pecca-
ti, & talis eſt abſolutio ſacramentalis, per
quam peccatum illud, quoad reſeruationem
præſumptum, directè aufertur, vt ibi pro-
bauimus, & ita extinguitur, vt nihil relinqua-
tur, cui affigi poſſit reſeruatio; proinde fun-
damento reſeruationis totaliter deſtructo, opor-
tet, vt ipſa reſeruatio euaneſcat; ſed in caſu præ-
ſenti remanet fundamentum impedimenti, nẽ-
pè affinitas, & nulla iuriſdictionalis, ſiue
ab Epiſcopo, ſiue ab alio exercetur actio, ex

ſuo

ſuo genere deſtructiua talis impedimenti; idcircò oportet, vt ipſum impedimentum remaneat, vſq; dum per legitimam diſpenſationē auferatur ~~impedimentum~~, & licet notitia impedimenti nequeat cauſare ipſum impedimētum, attamen remouet obſtaculum, ſcilicet, catenam certitudinis, per quam ipſa reſeruatio non poterat effectum habere, & remanebat veluti ſuſpenſa; poſita tamen certitudine prohibet valorem matrimonij. Paritas aūt curreret inter vnum, & alterum caſum, ſi Epiſcopus haberet poteſtatem diſpenſandi in impedimento dirimente, quando eſt dubium tunc enim exercens actum iuriſdictionalem, diſpenſando tolleret impedimentum, ſeu reſeruationem, ſicuti diximus de abſolutione peccati reſeruati, & de diſpenſatione in voto, quando reſeruatio eſt dubia; ac proindè ſi poſtea certò deprehendatur impedimentum iam vi diſpenſationis Epiſcopalis eſſet extinctum, & nulla alia eſſet neceſſaria diſpenſatio; ſed non habemus in Epiſcopo talem inueniri authoritatem diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, quando ſunt dubia, ideo paritas non valet.

13 Ad ſecundum reſpondeo, † oſtendendo etiam diſparem eſſe rationem, quia ibi cōcurrunt duo eiuſdem prorſus generis, & æquè fauorabilia, nempè, duo matrimonia, & quia vtrumq; ſimul validum eſſe nequit, oportet, vt præualeat id, quod certò initum fuit cum omnibus conditionibus, quæ ad eius valorem requirebantur, & cedat illud, quod has conditiones non certò, ſed ſolùm præſumptiuè habuit, quamuis coram Deo primum matrimonium, ſi re vera fuit ex licentia Parochi, ſicut fuit præſumptum, remaneret validum, & irritum eſſet ſecundum, licet iuxta iudicium externum, & in facie Eccleſiæ oppoſitum iudicetur; at in caſu noſtro non cōcurrunt duo eiuſdem generis, ſed diuerſi, ſcilicet, valor matrimonij, & impedimentum, quod cum ſit odioſum, niſi de ipſo euidenter conſtet, non poterit prohiberi, quin matrimonium contrahatur, & ſtante bona fide ſit validum præſumptiuè tantùm: ipſo tamen impedimento innoteſcente tollitur præſumptio in contrarium, & matrimonij nullitas, priùs latens, incipit apparere, & manet vſq; dum diſpenſatio obtineatur.

Dices, ex hac doctrina videtur inferri, †
14 quod ſi alter coniux prudenter ambigat, alterum coniugem mortuum fuiſſe, poſſe aliud matrimonium inire; Conſequens eſt abſurdum; ergo abſurdum etiam erit antecedens; ſequela autem probatur ex dictis; diximus enim qui dubitat de impedimento dirimente poſt adhibitam diligentiam, etiam ſi adhùc dubietas maneat, poſſe contrahere matrimonium; minor verò probatur, quia abſurdum eſt ob ſolam dubietatem aſſerere, licitum eſſe alterū propria poſſeſſione priuari, in caſu autem noſtro pro primo matrimonio ſtat poſſeſſio, a qua non eſt ipſum primum matrimonium deijciendum per contractionem ſecundi, & ideò niſi moralis ſit certitudo de obitu prioris coniugis, vt ſtatuitur *capit. Dominus de ſecund. nupt. & capit. In præſentia de ſponſal.* quod etiam notat *Salas in par. 2. tract. 8. diſputat. vnica ſect. 23. num. 215.* proinde numquam Iudex Eccleſiaſticus permittet, matrimonium ſecundum contrahi.

15 Reſpondeo, † negando ſequelam, & ad eius probationem aio, latam eſſe diſparitatem. Et primò, dum certò non conſtat de morte coniugis, poſſeſſio & præſumptio eſt pro primo matrimonio, ideoq; non poterit coniux ſuperſtes ad ſecundas nuptias tranſire, quamdiù non habetur ſaltem moralis certitudo de ſolutione prioris matrimonii per mortem coniugis; ſi quis dicat, moralem certitudinem componi poſſe cum falſitate, in quantùm etiam ipſa habita, poterit euenire, vt alter coniux viuat: idcircò ad oſtendendā diſparitatem, aliam vniuerſaliorem addo reſponſionem, & aio, impedimenta, de quibus nos loquuti ſumus, eſſe tantùm ea, quæ à iure Eccleſiaſtico dependent, ideoq; non eſt mirum, poſt adhibitam diligentiam de tali dubio, non eſſe curandum; nam Eccleſia in eo caſu permittere poterit contractionem illius matrimonij, cum præſumptio ſit pro libertate contrahentium; at impedimentum ſuboriens ex priori matrimonio eſt de iure diuino quod ab Eccleſia ſuppleri nequit.

Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondeo, negando dubitantem de impedimento matrimonij numquam habuiſſe ius ſe matrimonio copulandi; nam, vt oſtendimus, in ijs caſibus, in quibus poſſeſſio eſt pro libertate, in ipſo dubitante ius reſultat ad contrahendū; neq; nobis officit alia ratio deſumpta ex irreuerentia Sacramenti, quia in eo caſu prudenter homo operatur contrahēs, & ideò nullā infert iniuriā Sacramento. Et quamuis aliqui ſint Authores, qui primæ opinioni fauere videantur, negantes, in dubio poſſe matrimonium contrahi, inter quos eſt *Sanchez primo loc. citat.* intelligendi tamen ſunt loqui de dubio practico, ſcilicet, quando reſultante dubio ſpeculatiuo, nulla adhuc eſt facta diligentia, vel non ſufficiens ad inueſtigandam veritatem; tunc enim dubium illud ſpeculatiuum trahit practicum, atq; adeo contrahens mala fide procedit, & dum diligentiam non apponit, nequit petere debitum, ſed tantùm reddere, niſi alter coniux etiam mala fide contraxerit, dubitans eodem modo de impedimento; tūc autem neq; petere, neq; reddere eſſet licitum, & vterq; coniux totum hoc ſciēs, nimirum notitiam impedimenti in ſeipſis tempore contractionis adfuiſſe, peccaret ſiue petendo, ſiue reddendo.

§. XII.

Ex errore exiſtimans impedimẽto matrimonium dirimente ſe teneri, an validè contrahat?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur caſus.*
2 *Prior ſententia negat.*
3 *Poſterior cenſet validum eſſe illud matrimonium.*
4 *Tertia ſententia diſtinctione vtramque conciliat.*
5 *Si dubitans erret in facto, & in iure exiſtimans impedimentum illud ex errore non dirimere, validè contrahit.*
6 *Nullo exiſtente errore quoad ius, ſed ſolùm quoad factum, per ſe loquendo, inualidè contrahitur.*
7 *Obiectio deſumpta ex Baptiſmo ab infidelibus collato.*
8 *Diluitur.*
9 *Arguitur ex iure Canonico.*
10 *Explicatur Ius.*
11 *Hæſitans poterit validè contrahere, ſi quamdam conditionalem habeat voluntatem.*
12 *Cum dubiâ malâ fide contrahens, nequit exigere debitum, reddere tamen per ſe loquendo tenetur, in quibuſdam verò caſibus non poterit.*

1 FOrmemus caſũ hoc pacto. † Petrus v.g. videl. vel ex ſcripturis, vel ex aliis inditiis putat Catherinam eſſe ſibi in tertio, aut quarto conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu coniunctam; hoc tamen ex iudicio erroneo procedat, cum in rei veritate inter ipſos nullum cognationis, aut agnationis vinculum reperiatur: Quærimus, an ſtante tali iudicio erroneo circa impedimentum dirimens validè prædicti matrimonium ineant?

2 Duæ ſunt de re hac ſententiæ. † Prima negat, eamq; ſequitur *Sotus in 4. diſt. 37. quæſt. vnica art. 5. concl. 3.* vbi duo dicit; Primò aſſerit, quod ſi mala fide contrahant, opinantes priorem coniugem adhùc ſuperuiuere, & hoc non obſtante, mutuum præſtent conſenſum; ſi re vera defunctus ſit ille coniux, validum eſſe matrimonium, quamuis contrahentes grauiter peccent, & ob malam fidem neq; petere, neq; reddere valeant debitum. Secũdò, aſſerit, quod ſi crediderit matrimonium illud non teneri, non potuiſſent habere veram intẽtionem contrahendi, atq; adeo matrimonium irritum eſſet; eamdem opinionem tuetur *Sylu. verb. matrimonium 8. quæſito 13 in fine quinti dicti. Nauarr. in ſum. cap. 22. num. 56. Coninck diſp. 24. de matrim. dub. 6. num. 53. & plures alij,* quos laudat *Raphael Auerſa loco infra citando.*

3 Secũda opinio ſuſtinet, † validum eſſe tale matrimonium; ita *Petrus Ledeſma de matrim. quæſt. 55. art. 9. dub. 2. Couarr. in decret. lib. 4. par. 2. cap. 3. §. 7. num. 2. Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 33. nu. 2. Bonacina eodem tract. quæſt. 2. p. 9. num.* 8 Sed Author iſte in citando confũdens Authores pro hac opinione videtur afferre *Syluest. & Nauarr.* qui tamen expreſsè ſunt in contraria ſententia.

4 Tertia opinio † conciliat vtramq; & procedit cum diſtinctione: nam contrahens in hoc caſu bifariam ſe gerere poterit; primò, vt non obſtante iudicio illo erroneo in facto, nempè, de exiſtentia impedimenti, & ſcientia iuris reſiſtentis tali matrimonio, adhùc abſolutè velit cõtrahere. Secũdò, vt licet illam habeat credulitatem, & notitiam; nihilominùs intentionem quamdam teneat cõditionalem, videlicet, ſi fortè impedimentũ illud non adeſſet, velle conſenſum præſtare in matrimonium illud; hac diſtinctione præmiſſâ, opinio hæc ait, ſi priori modo res ponatur, impoſſibile eſſe, vt vera intẽtio ſit ineũdi matrimonium; ſi aũt poſteriori modo, tunc ſtare poterit ſufficiens conſenſus, atq; validum matrimoniũ; ſic docet *Baſil. Põtius lib. 4. de matr. cap. 23. num. 2. & Auerſa qu. 11. de matr. ſect. 2. Ver. Propter hæc* qui nõ rectè citat *Baſilium* pro ſententia negatiua; vt enim vidimus *ipſe Baſilius* cũ diſtinctione prædicta vtrãque amplectitur ſententiam, & hoc videtur ſentire *Guttiers trac. de matr. c. 47. nu. 1. Ver. contrarium tamen,* ponit enim hanc conditionalẽ, ſcilicet, ſi cõtrahentes intendebãt, quantũ in ſe ipſis erat, conſentire. His omnibus præhabitis,

Dicendũ eſt primò, poſito errore circa factum, ſi error eſſet in iure, nempè, ſi quis exiſtimaret, impedimentũ illud, de quo eſt error in
5 facto, ſecundũ ius nõ dirimere, † proculdubio validũ foret matrimoniũ, quia ad eius aſſensũ, nihil deſideratur; in re enim nullũ exiſtit impedimentũ, datur enim ſufficiens conſenſus corã Parocho, &c. & nihil aliud deſit; illa tamẽ erronea exiſtimatio nõ tollit aliquid ex ijs, quæ ad validitatẽ huius contractus requirũtur, quidquid ſit de peccato, ſi imprudenter, & ſine ſufficienti ratione opinetur per cognationem, aut agnationem illam non dirimi matrimonium.

Dicendum eſt ſecũdò, ſi error in iure nõ ponatur, & contrahens ſciat ſe impedimento te-
6 neri, vt procedit præſens quæſitũ, † tunc per ſe, & ſimpliciciter loquendo veriorem cenſeo ſẽtentiam priori loco relatam, nempè, irritũ fore matrimoniũ. Probatur, quia nequit volũtas efficaciter ferri in obiectum, quod tamquã impoſſibile ab intellectu proponitur, vt euenit in præſenti caſu; nam ſupponimus, quod ille errore laborans, ſciat impedimentum eſſe tale, vt matrimoniũ ſoluat; quo pacto igitur induci poteſt ad validè contrahendũ, & per ſe loquendo nũquam habet hãc intentionem, nempè, contrahendi quantùm poteſt, cum certò ſciat, aut credat, ſe nihil poſſe.

Obij-

7 Obijcies † Ethuicus, aut Hæreticus in baptiſmo non credens, validè poteſt baptizare, ſi facere intendat, quod Eccleſia facit: ergo contrahens, nihil impediente notitia illa de impedimento dirimente, poterit habere verum conſenſum, & validè contrahere.

8 Reſpondeo, ✠ negando conſequentiam, & aſſigno diſparitatem; nam infidelis baptizans ſcit facere poſſe id, quod ipſe exercet, & intendit, nempè abluere, & abluendo velle, quod Chriſtiana Eccleſia intendit, valor autem baptiſmi eſt omninò independens à fide baptizantis, at in matrimonio nequit contrahens habere veram, & efficacem intentionem conſentiendi matrimonio valido, cum ſciat irritum, & inualidum eſſe, & à ſuo conſenſu validari non poſſe.

9 Obijcies ſecundo † *Caput primum de ſponſat. in 6.* vbi Pontifex ſtatuit ex ſponſalibus irritis ratione conſanguinitatis, ſeù alterius impedimenti, ſi adfuerit conſenſus, oriri impedimentum publicæ honeſtatis: Rurſus *in Clem. vnica de cōſangui:* puniūtur excōmunicatione, qui gradu prohibito ſcienter detenti, contrahunt matrimonium; ergo ſupponitur dari poſſe conſenſum cum ſcientia impedimenti dirimentis.

10 Reſpondeo, ✠ non rectè ex prædictis textibus colligi intentum; nam ad primum reſpōdeo *in cap. illo de ſponſ.* non haberi quod contrahens cum ſcientia impedimenti inijt ſponſalia; Pontifex enim independenter à tali ſcientia diſponit ex actu illo externo induci impedimentum publicæ honeſtatis, cum enim appareat gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, & appareat etiam contractus ſponſalium, conueniens fuit ex tali actu induci impedimentum publicæ honeſtatis, aliam etiam interpretationem dat Baſilius, apud quem eam vide. Ad ſecundum *ex Clementina illa* nihil aliud colligitur, niſi quod Pontifex punire voluit factum ipſum externum; quando quis ſcienter cum illo impedimento contrahit, quidquid ſit, an conſenſus fuerit efficax, aut inefficax, & fictus; nihil enim de hoc in co textu habetur.

11 Dicendum eſt tertio † ſi fingamus in contrahente intentionem illam conditionalem, quæ ſpectando modum conſuetum non habetur, tunc validum fieri matrimonium, vt aſſerit *tertia opinio*, & hoc, vt reor, voluerunt *Authores ſecundæ opinionis*, ſi attentè eorum dicta ſpectentur; debuiſſent tamen non ità abſolutè loqui, ſed limitatè; concluſio eſt certa, quia cum illa conditionalis intentio feratur in obiectum, pro vt in re ſe habet, & obiectum purificet ipſam conditionem, cum verè contrahentes nullo detineantur impedimento, & habiles ſint ad contrahendum, manifeſtè deducitur, nullum ex eſſentialibus deficere ad valorem matrimonij.

12 Aduerto tamen † hic quod mala fide contrahens nequit debitum exigere vſquè dum exploratam habeat veritatem; imò ſi certo ſibi perſuadeat de impedimento neque reddere poterit, cum commixtio illa ob conſcientiam erroneam ſit fornicaria, & intrinſecè mala; ſi verò ſolùm dubitet de impedimento, & alter coniux bona fide matrimonium inijt, tenebitur iſte alius coniux, non obſtante mala fide, reddere; verùm ante bimeſtre tranſactum, vel in caſu, quo alter coniux amiſiſſet ius exigendi ob adulteriū commiſſum, tenebitur non reddere, ſtante illo dubio, cum nullum in alio coniuge ius exigendi habeatur.

§. XIII.

Nonnulla ſimilia deciduntur.

SVMMARIVM.

1 *Exiſtimans formam, aut materiam aliquam Sacramenti accidentaliter tantùm variatā, eſſe ſubſtantialiter diuerſam, abſolutè, & ſimpliciter non conficit Sacramentum.*

2 *Secùs ſi cum errore coniugatur voluntas conditionata conficiendi.*

3 *Si ex errore putet contractum initum eſſe vſurarium, nequit iuſtum lucrum vi illius recipere, niſi errorem deponat.*

4 *Stante ambiguitate idem eſt aſſerendum.*

5 *Si pro vtraque parte ſit probabilitas, licitè vi illius contractus lucrum recipitur.*

EX ſolutione quæſiti immediatè antecedentis poſſumus eamdem opinionem in ſimilibus docere, quarum aliqua breuiter percurram.

Dicendum eſt autem primo,
1 ✠ ſi quis, erroneo iudicio, cenſeat materiam, aut formam Sacramenti, accidentaliter tantùm mutatam ab ea, qua Eccleſia vtitur, eſſe eſſentialiter differentem, atquè adeò ineptam ad valorem Sacramenti, quo iudicio non obſtante, materia, aut forma illa vtatur; in tali, inquam, caſu idem erit aſſerendum, quod *præcedente paragrap.* determinauimus de impedimento ex errore putato in ordine ad validitatem matrimonij, videlicet abſolutè, & ſimpliciter loquendo, non poſſe veram, & efficacem haberi voluntatem
2 circa id, quod impoſſibile exiſtimatur; † at ſi cum tali errore coniugatur voluntas conditionata, vt ſupra diximus, nempè in confectione Sacramenti dicatur, ſi forſitan materia, aut forma iſta ſit ſufficiens, intentionem habeo illud conficiendi, tunc vt ibi probauimus, validè omnia fient: ponamus quædam exempla. Si quis v. g. falsò exiſtimet aquam è ſale profluentem non eſſe aptam materiam ad baptiſmum, vel cenſeat formam vulgari ſermone expreſſam eſſe ineptam, & ignoret latinam linguam,

guam, vel ex quadam animi leuitate baptizando Regem, aut Magnatem aliquem, putet indecens eſſe, vti pronomine, Tu; & vano ductus pudore, dicat: baptizo Maieſtatem, aut Excellentiam; veſtram &c. iudicans formam hanc inutilem eſſe ad Sacramenti valorem: in his, aut ſimilibus euentibus irritum erit Sacramentum ex defectu intentionis requiſitæ, niſi miniſter ipſe conditionalem illam formet intentionem, vt ſupra declarauimus.

3 Dicendum eſt ſecundo.† In alijs materijs, E.C. in rebus ad iuſtitiam pertinentibus, proportionaliter iuxta exigentiam materiæ diſcurrere debemus, vt ſi quis ineat contractum, quem ex conſcientia erronea vſurarium iudicet, & tali conſcientia perſeuerante, lucrum recipiat; ſi poſtea veritatem deprehendat, ſcilicet contractum illum vſuraria labe carere, poterit lucrum receptum ſibi retinere, quamuis peccatum graue patrauerit ob conſcientiam errãtem lucrum recipiens.

4 Sed quid reſoluendum, † ſi non ſit certum, contractum immunem eſſe ab vſuraria prauitate, ſed ſit dubium, aut pro vtraquè parte probabilitas inueniatur?

Dicendum eſt tertio, ſi res in ambiguo, ſeu
5 in dubio precisè ſumpto verſetur, † non poſſe à Titio v.g. qui contractum inijt cum Sorte, lucrum, conſcientia erronea perſiſtente, à Sorte exigere, illudquè receptum retinere, quamuis depoſuerit conſcientiam erroneam certam, qua prius certò iudicabat, contractum illum eſſe iniuſtum, aut vſurarium: probatur concluſio, quià ad id poſt hanc conſcientiam aſtrigendus eſt Titius, ad quod tenebatur, ſi talis conſcientia non præceſſiſſet; at ea non præcedente, obligabatur, ſi res erat dubia, talem contractum non inire, & lucrum vi illius non exigere, ergo etiam & poſtea, in tali enim dubio cauendum potius erat Sorti, qui ſuam pecuniam poſſidebat, & non erat cogendus ſoluere lucrum, ad quod certò ſoluendum non tenebatur.

Dicendum eſt quarto. Si res pro vtraquè par
6 te ſit probabilis, † poſſe à Titio lucrum illud prius receptum, retineri. Concluſio probatur, quia ſicuti ante receptionem lucri, ſtante probabilitate poterat petere, & exigere lucrũ; ità etam idem lucrum acceptum poterit retinere, nullum præſtante impedimentum conſcientia illa erronea, quæ præceſſit, & poſtea deſijt.

§. XIV.

Dubietas, an Titius ſit necne à legitimo, an potiùs adultero parente procreatus, num matrimonium inter ipſum Titium, & adulteri conſanguineam prohibeat?

SVMMARIVM.

1 *Caſus, de quo Author fuit conſultus, proponitur.*
2 *Prima ſententia cenſet pro illegitima natiuitate.*
3 *Illius videri filium, cuius ſimilitudinem proles gerit.*
4 *Pro legitima conditione decidit Author.*
5 *Matrimonium licet ſit quid facti, & probandum, præſumitur tamen in fauorem filiorum.*
6 *Similitudo in effigie fallax eſt coniectura.*
7 *In tali dubio poterit Titius matrimonium cum Catharina, adulteri conſanguinea, contrahere.*
8 *Periculum fornicationis in tali matrimonio ſufficit formaliter vitare.*
9 *Obiectione ex regulis iuris vrgetur contra principalem concluſionem.*
10 *Diluitur obiectio per aliam iuris regulam efficaciorem.*
11 *Quæſitum proponitur.*
12 *In caſu propoſito onus probandi ſubiectionem filij, transfunditur in patrem.*
13 *Secùs ſi conſtaret Titiùm ex legitimo matrimonio genitum.*
14 *Ceſſat præſumptio in fauorem filiorum inducta cum redundat in eorumdem damnum.*

1 HÆſitabatur † de Titij natiuitate, fuerit nec ne legitima, an illegitima, & hoc, quia cum Berta ipſius Titij genitrix rem habuerit cũ Sorte, tempore, quo matrimonium extabat inter ipſam Bertã, & Caium, conceptus, & tandem genitus fuit Titius, qui iam ætate prouectus, ducere volens in vxorẽ Catharinam conſanguineam Sortis in ſecundo gradu, ſuborta fuit dubitatio de impedimento dirimente, quod reperiretur, ſi re vera Titius filius eſſet Sortis adulteri; ideoque prudens Parochus, huius negotij non ignarus, meritò dubitauit, num ſtante ambiguitate prędicta, matrimonium hoc licitè contrahi poſſet, & quid ego ſentirem, petijt à me; caſum verò diligenti inquiſitione expendens, cenſui in tali incer-

incertitudine, ad coniecturas, & iuris præſumptiones eſſe recurrendum; proindè interrogaui Parochum de nonnullis circumſtantijs, quæ ſufficientem fundare potuiſſent præſumptionē pro vna, aut altera parte, videlicet, an Caius maritus Bertæ eo tempore, quo adulterium patratum fuit, ſimul cum Berta vxore commoratus fuerit, an aliqua infirmitate detentus, aliquod impedimentum habuerit ad vſum matrimonij; reſponſa ad interrogationes fauorabilia ſanè fuerunt pro legitima Titii natiuitate; nam Caius, & commorabatur tunc temporis cū propria vxore, & expeditus erat ad vſum matrimonialem; poſtremò vt integram, quantùm fieri poterat, notitiam haberem, poſtulaui, an Titius effigiem, ſeu ſimilitudinem alterius ex illis duobus, nempe, Sortis, & Caii præſeferret, reſponſum fuit magis Sortis adulteri, quàm Caii. Hic fuit caſus ad me delatus, eiuſque deciſio ab illo Parocho expectabatur, & poſt diligens examen de Authorum placitis, duas reperi ſententias.

2 Prima enim ait, Titium in tali ambiguitate † illegitimum præſumendum eſſe potius, quàm legitimum; pro hac opinione citatur *Bartol. cō-cl. ... lib. 1. Natta concluſ. 473. num. 32. Couar. in 4. decr. 2. par. capitul. 8. §. 3. numero 1. & alij* quorum fundamētalis ratio eſt, matrimonium, ſeu eius vſum eſſe quid facti, atque adeo probandum, & non præſumendum, vt in *hac de-*

3 *ſcept. capit. 6* oſtendimus; † Et hoc confirmari efficaciùs poteſt in præſenti caſu: nam vnuſquiſque illius præſumitur filius, cuius ſimilitudinem gerit, vt ex multis probat *Maſcard. concluſ. 292. num. 1.* at, vt dictum eſt, Titius effigiem adulteri præſefert; ergo eius filius præſumitur, & conſanguineus Catharinæ, & per conſequens cum extaret inter vtrumque dirimens impedimentum, illicitè, & nulliter matrimonium contraherent.

Sed his minimè obſtantibus, † cenſui in fa-

4 uorem Titii caſum eſſe decidendum; duo autem ſunt aperienda, primo num in prædictis circūſtantiis Titius præſumendus ſit potiùs genitus à Caio legitimo parente, quàm à Sorte adultero; ſecundo, hoc dato, num præſumptio iſta ſit ſufficiens ad cohoneſtandum matrimonium, de cuius valore ambigitur.

Circa primum iudico, præſumptionem eſſe pro legitimis Titii natalibus; ſic *Baldus conſil. 74 & 473 lib. 5 Berous conſil. 109. num. 38. Socina. ſen. concluſ. 23 num. 19. lib. 1. Paleus de ſpur. & noth. cap 65. num. 3. Menoch. de arb. li. 2. cēt. prima caſ 89. per totū, & de præſumpt. li. 6. præſumpt. 54. num. 20. Maſcardus concluſ. cit. num. 7. Angelus in ſum. Verb. Filius num. 10. Syluest. eod. verb. quæſt. 12. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæſt. 7. Vaſquez in p. 2. diſp. 66. cap. 8 Merolla in diſput. moral. theol. tom. 1. diſput. 3. cap. 3. concl. 19. à num. 258. & 266. & alij apud ipſum.* Probari poteſt ſententia hæc vtroque iure, ciuili, & canonico; nam in *L. Filius ff. de iis, qui ſunt ſui, vel alieni* id clarè ſtatuitur, & colligitur etiam ex *Cap. Accedens de purg. can.* vbi Pontifex decreuit, eum, qui ad ſacros ordines promoueri optabat, cui illegitimitas imputabatur, ſi fama, & rumor de illegitimis natalibus exiſteret, non eſſe promouēdum, niſi priùs oppoſitum probaret; igitur voluit Pontifex ſignificare, quod ceſſante tali fama, & rumore, non erat neceſſaria alia probatio, quia in dubio legitimus foret præſumendus: Ratio autem pro hac ſententia, eſt, quia in ambiguo nemo eſt damnandus, ideoque habetur *regula iuris in ſexto* nempè *cum iura partium ſunt obſcura, reo potiùs fauendum, quàm actori*; igitur cum incertitudo habeatur, an Titius ſit ex legitimo, vel illegitimo coitu procreatus, præſumi debet ex legitimo.

Ad fundamentum autem contrariæ ſenten-

5 tiæ † reſpondeo; quamuis matrimonium ſit quid facti, atque adeo probandum, & non præſumendum, nihilominùs in ordine ad filios, iura illud præſumunt, vt *ex cap. Lator. qui filij ſunt leg.* determinat *ibi Panormit. num. 6.* dicens, quod licet clandeſtinè contrahentes coniuges nequaquam præſumi debeant, reſpectu tamen filiorum coniuges præſumuntur; quod dictum tanquam notabile ponit *Author iſte*, ex quo infert, progenitum ex maſculo, & fœmina ſimul habitantibus præſumi debere ex legitimo matrimonio genitum; eamdem opinionem docet *Menoch. præſumpt. cit. num. 25. & alij apud ipſum.*

Ad confirmationem reſpōdeo, coniecturam

6 illam ex ſimilitudine, † fallacem eſſe, & per ipſam non euinci præſumptionem, qua nititur noſtra ſententia; nam ſimilitudo ex alijs cauſſis haberi poterit, ideò aliqualem tantum ſuſpicionem gignit, vt determinat *Alciatus de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 73. in fine, Pariſius conſil. 10. num. 59. & 103. vol. 2. Menoch. de arbitr. caſ. cit. num. 202. Maſcard. concluſ. cit. à num. 8. & alij,* & inſignis eſt textus in *L. Quæret aliquis de verb. ſignif.* vbi enarratur, monſtrum genitum fuiſſe à quadam muliere, præſeferens figuram non humanam, ſed ferinam, & dubium erat, an mulier rem habuiſſet nec ne cum fera aliqua, ſed iuriſconſultus determinauit, non eſſe mulieri, & parentibus imputandū, quia caſu accidere potuerit; quod *Gloſ.* clariùs exponens *Ver. Fataliter,* ait contigiſſe ex eo, quod mulier cum homine rem habens, cogitauerit de aliquo animali, cuius effigiem gerebat proles.

Circa ſecundum punctum dicendū puto, Ti-

7 tium, ſi nihil aliud obſtet, † poſſe licitè contrahere cum Catharina, eamque in vxorem ducere: concluſionem hanc ſub his formalibus terminis, quamuis apud Authores inuenire minimè potuerim; nihilominùs ex eorum doctrina, illam, ni fallor, apertè deduco; in caſu enim prædicto decidentes in fauorem legitimis natalibus manifeſtè aſſerunt, in tali dubio poſſe à filio capi hereditatem Patris legitimi, ſic *Vaſquez l. c.* & etiam poſſe promoueri ad ordines nulla petita diſpenſatione, & ad alias dignitates ſiue laicas, ſiue Eccleſiaſticas, quæ in promouen-

mouendo aliquem, in eo legitimos natales poſtulant, ſic aſſerit *Merolla, vt ſupra, num.* 263. *& 274. & alij.* Si igitur Titius ſecundum iura habendus eſt in caſu prædicto tanquam legitimus, & habilis exiſtimatur ad munera, & dignitates, erit etiam habilis ad contrahendum matrimonium cum conſanguineis adulteri, & nullam in hoc video diſparitatis rationem; concluſio tamen hac limitatione procedit, niſi fama, & rumor de illegitimis natalibus Titij extaret, tunc enim vt animaduertitur in *cap. Lator. cit.* eſſet ab ipſo Titio legitimo natiuitas probanda, aliter non poſſet haberi, vt legitimus.

8 Neque in contrarium obiici poterit † periculum fornicationis, ſi in re ſit impedimentum conſanguinitatis inter ipſos contrahendos; nã & ſi materialiter loquendo, periculum non vitetur, ſatis erit, illud formaliter, & prudenter remouere, practicè conſcientiam deponendo.

9 Sed contra prædicta obiicies, † duas regulas iuris canonici, nempè in dubio tutiorẽ partem eſſe eligendam, & in dubiis meliorem eſſe conditionem poſſidentis; igitur Titius in caſu poſito deberet tutiorem partem eligere, neque capere hæreditatem in præiudicium aliorum filiorum Caii, qui certò ſunt legitimi.

10 Reſpondeo, † duabus illis regulis præferendam eſſe regulam maioris momenti, cauſſantis efficaciorem præſumptionem, nempè in obſcuris reo potius fauendum &c. Sic docet *Vaſquez ibidem;* efficaciùs autem obligat nos, ne reum tanquam illegitimum, & infamem damnemus, niſi id conſtet, quam ſit electio tutioris opinionis, & poſſeſſio, quam alter habet.

Quæres, occaſione arrepta ex doctrina à no-
11 bis tradita, † ſi controuerſia ſuboriatur inter Caium Patrem, & Titium, de quo eſt dubitatio, an ſit nec ne legitimus, & Caius aſſerat, Titium ſub ipſius Caii manere poteſtate, neges verò Titius, quæres, inquam, cui nam ex illis incumbat onus probandi, Caio ſubiectionem, an Titio exemptionem?

12 Reſpondeo, aliquos ſuſtinuiſſe † in caſu poſito onus probandi incumbere Titio filio; quia Caius Pater pro ſe habet præſumptionem iuris; vt enim diximus, Titius tanquam legitimus eſt cenſendus; propterea exiſtimari etiam debet ſubiectus poteſtati Caii, qui eius parens præſumitur. Sed meliùs cum aliis eſt dicendũ, onus probandi in caſu poſito ſpectare ad Patrẽ, qui aſſerit; ſic *Menoch. lib. 6. præſ. 55. num. 14. Merolla loc. cit. num.* 260. Probatur, quia pro ipſo filio habetur præſumptio, quæ in primæuo naturæ ſtatu fundatur; à natura enim homines habent, liberos naſci, vt ſtatuitur per *L. Manumiſſ. ff. de iuſt. & iur.* ſubditi autem fiunt patriæ poteſtati iure poſitiuo per matrimonium, quod cum ſit quid facti, non præſumitur, vt auctoritate quorumdam oſtendit *Menoch. præ-*
13 *ſumpt. illa num.* 24. Secùs † autem dicendum foret, ſi conſtaret, Titium ex legitimo parente progenitum fuiſſe, eiuſque Patrem viuere, & ambigeretur de ſubiectione, aut liberatione Titij à patria poteſtate; tunc enim præſumptio eſſet pro Patre, & Titio incumberet onus probandi liberationem, vt diximus, cum ſupra *cap.* 1. §. 18. ageremus de dubio voti emiſſi ante, vel poſt pubertatem, in ordine ad poteſtatem dominatiuam irritandi, quam habet Pater.

14 Ad fundamentum contrariæ opinionis † reſpondeo, præſumptionem illam, per quam, vt diximus in dubio filium habendum eſſe vt legitimum, & non progenitum ex illicito coitu, eſſe in fauorem ipſius filij, non ipſius Patris, & ideo ceſſat quoties in eius damnum redundat, quo ad Patrem verò potiùs præſumitur illicitus, quàm honeſtus concubitus, vt aduertit *Menoch. præſumpt. cit. num. 17. ex cap. Aliter 30. quæſt. 5.* quod intelligendum eſt, quando clàm ſunt coniuncti, vt notat *Gloſ. in cap. Lator. cit. Ver. (Probare legitimè)* explicans *textum prædicti capitis, Aliter.* Cæterum determinare, num ſit hic, & nunc præſumendum pro matrimonio, an verò pro illicita coniunctione, multa eſſent examinanda, quæ ad præſens quæſitum minimè pertinent; videndus eſt *Menoch. lib. 3. præſumpt. prima, & alij* de re hac tractantes.

DISCEPTATIO VII.

De conſcientia ſcrupuloſa.

De Natura, cauſſis, effectibus, & remedijs ad hunc perniciosum animi morbum extirpandum, multa ſcripſerunt Authores, vt *S. Antoninus par. 1. tit. 3. cap. 10. §. 9. Gerſon. Alphab. 69. litt. P. Q. & in tract. de diuerſis tentat. Diab. Alphab. 70. lit. Q. & alibi Corduba lib. 3. quæſ. 12. 14. Rodriquez in qq. regul. tom. 1. quæſt. 66. & Reginaldus de prudentia Confeſſarij lib. 2. cap. 4. p. 10. 11.* & ex ſummiſtis *Sylue Caietan. Armil. Tabien. Verb. ſcrupulus, aut verb. ſcrupuloſus* ex Scholaſticis *in p. 2. S. Thom. quæſt. 19.* & nouiſſimè *Breſſerus lib. 6. de conſc. per totum.* Nos autem in hac diſceptatione, ea quæ vtiliora, & maioris videbuntur momenti ſeligemus, omittendo reliqua, quæ apud laudatos Authores, & alios legi poterunt.

CAPVT I.

Definitur ſcrupulus ſecundum Nomen, & Realitatem.

SVMMARIVM.

1 *Scrupulus deriuatur à ſcrupo, & breuem lapillum ſignificat.*

Bea-

2 *Realiter loquendo, ſcrupulus eſt motus animi ex leuibus motiuis ad conſcientiam pertinens.*

3 *Opinio procedens ex leuibus, ſi eximit ab obligatione, non appellatur ſcrupulus.*

4 *Motiua, ex quibus gignitur ſcrupulus, ſecundum ſe ſunt leuia, & poſſent à ſcrupuloſo depelli.*

5 *Motus animi, in quo ſcrupulus conſiſtit, ſolet appellari Vacillatio cum formidine &c.*

6 *Nuncupatur etiam Remorſus conſcientiæ.*

7 *Alij dicunt eſſe ſuſpicionem quamdam.*

8 *Alij vero aiunt eſſe apparentiam.*

9 *Rectè hi omnes loquuntur, Sumentes ſcrupulū in tota eius latitudine.*

10 *Scrupulus largè acceptus in omni intellectus operatione reperiri poteſt.*

11 *Laudatur Pater Noſter Ignatius ob libellum ab ipſo editum exercitiorum ſpiritualium.*

12 *Scrupuloſi communiter non eliciunt determinatum iudicium erroneum, ſed ſuſpenſi manent.*

13 *Conſcientia erronea importat determinatum iudicium.*

14 *Scrupulus propriè eſt ille animi motus, ex quo in appetitu, timor, & triſtitia oriūtur, quæ paſſiones ex conſcientia erronea non reſultant.*

15 *Scrupuloſus dicit frequentiam, vel in pluribus materijs, vel in vna, aut altera.*

ANtequam veram, realemque ſcrupuli, & conſcientiæ ſcrupuloſæ definitionem tradamus, eius Etymologia aperienda eſt, & ea, quam Doctores communiter aſſignare conſueuerunt.

Dico primo, ſcrupulum, ſi vocis ſignificatio-
1 nem attendamus, † eſſe nomen diminutiuum à ſcrupo, & quamuis vtraque vox lapillum tactu aſperum importet; nihilominùs ſcrupulus eſt lapillus breuior in calceo latens, & in pede dolorem cauſſans à ſcrupo, ſeu ſcrupulo deriuatur ſcruposus, ſeu ſcrupuloſus; ille nimirum qui prædictis abundat lapillis: Verumtamen nomē hoc antiquiſſima translatione vſurpatum fuit ad ſignificandam moleſtiam, ſeu anxietatē quādam animi suboriam ex apprehenſione, aut exiſtimatione, qua homo excitatur ad apprehendendum, vel ad iudicandum aliquid eſſe peccatum, aut aliqua detineri obligatione, cum non ſit ita; & hęc pro huius vocis etymologia ſufficiant.

Dico ſecundo, ſcrupulum ſecundum realita-
2 tem † ſic definiri poſſe. Eſt quidam animi motus ex leuibus motiuis procedens, per quem ad aliquid ſecundum conſcientiam obligari apprehendimus, aut iudicamus. Definitionem hanc eſſe rectè traditam oſtendi poteſt per ſingulas eius particulas diſcurrendo. Dicitur ergo primo (*eſſe motus animi*) loco generis, quia hoc eſt commune omnibus conſcientiæ actibus. Secundo additur (ex leuibus motiuis), per quas particulas ſcrupulus incipit diſtingui ab alijs actibus; ſecernitur enim à conſcientia recta, & certa, ſicuti etiam à probabili, & opinatiua; nam illę nituntur ſolidis, & non leuibus motiuis. Tertio dicitur eſſe motus (*quo apprehendimus vel iudicamus nos ad aliquid obligari ſecundum conſcientiam*) & per has particulas diſtinguitur ſcrupulus ab alijs motibus animi ad conſcientiam non pertinentibus, etiam ſi cauſentur ex leuibus argumentis, poſſumus enim moueri apprehendendo; aut iudicando rem aliquam, ita, vel non ita eſſe, & hoc ex debilibus coniecturis, & ſi res illa non pertineat ad forum animæ, apprehenſio, ſeu iudicium illud non ſolet à nobis ſcrupulus appellari, verbi gratia, ſi quis apprehendat, aut exiſtimet Petrum mortuū fuiſſe, & nō moueatur niſi ex debili inditio, iſte talis propriè loquendo non dicitur habere ſcrupulū de morte Petri, & ſic de alijs ſimilibus ad conſcientiam minimè pertinentibus. Rurſus per eaſdem particulas diſtinguitur ſcrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa, ab illa conſcientia erronea, quæ dictat eximendo ab obligatione ſecundum forum animæ, nam ſi dictaret obligando, & procederet ex debilibus motiuis, tunc comprehenderetur ſub ſcrupulo, ſeu conſcientia ſcrupuloſa. Ex his ergo colligimus definitionem hanc eſſe conuenienter traditam, & aſſignatam cum conueniat omni definito, illudque ſecundum leges rectæ definitionis ab omni alio ſeiungat.

Sed contra definitionem hanc vrgere quis poſſet, primo probando conuenire alteri, videtur enim adaptari poſſe opinioni, quæ eſt parum probabilis, qualis eſt ea, quæ procedit ex friuolis rationibus; proinde non reciprocari cum definito, nempe cum ſcrupulo.

3 Reſpondeo † ſi talis opinio eximeret nos ab obligatione, tunc non poſſe illi congruere totam, & integram definitionem, per quam diximus hunc animi motum, qui eſt ſcrupulus, non eſſe quemcumque motum procedentem ex leuibus, ſed ita, vt dictet obligando nos ad aliquid; proinde ſi opinio iſta parum probabilis, dictet obligando, rationem ſcrupuli habebit.

Secundo ſic obijcitur, cum dicitur ſcrupulus eſſe ex leuibus motiuis, vel intelligitur ex leuibus, quæ ita in rei veritate ſint, licet non ſint, ita tamen apprehendantur ab eo, qui ſcrupulo laborat, ſi primum eligatur, nihil dicitur peculiariter conueniens ſcrupulo; quia parùm refert, motiua ſecundum ſe eſſe leuia, ſi hic, & nunc tamquam grauia apprehendantur, apprehenſio autem hæc, quamuis ſpeculatiuè ſit falſa, poterit practicè eſſe vera, & prudens; atque adeo per hoc non haberemus diſtinctiuū inter conſcientiam ſcrupuloſam, & alias conſcientiæ ſpecies: nam prudens apprehenſio po-

terit cauſare conſcientiam rectam, & certam; ſi
vero ſecundum membrum eligatur, nempè mo-
tiua eſſe leuia in apprehenſione, tunc ſcrupu-
lus ſtatim ceſſabit, quia intellectus apprehen-
dens debilitatem rationum, continuò agnoſcet
apprehenſionem illam vanam eſſe, & ſic non
diceretur homo ſcrupulo laborare.

Reſpondeo, motiua leuia, ex quibus ſcrupu-
4 lus gignitur, dicuntur à nobis leuia, † quia
penſatis omnibus ita ſunt in ſe ipſis, & poſſunt
à ſcrupuloſo lenia exiſtimari, ſi eius intellectus
morbo ſcrupulorum oppreſſus non impedire-
tur ad rectum eorumdem motiuorum examen
faciendum: tale autem impedimentum poſſet
ab ipſo ſcrupuloſo tolli, ſi illud vellet aliquo
conatu expellere, ſcrupulis reſiſtendo, ſed ſæpè
tædio affectus animo deiicitur.

Dico tertio non eodem modo ab Authoribus
explicari motú illum animi, in quo aſſeruimus
ſcrupulum conſiſtere, eorum autem dicta cum
ſint diuerſa, placet breuiter referre, vt quid tan-
dem probabilius mihi videbitur, aperiam, & ex-
ordium ſumo à *S. Antonino, qui par.* 1. *tit.* 3. *c.*
5 10. §. 9. docet prædictum animi motum † eſſe
quamdam vacillationem cum formidine, ex de-
bilibus coniecturis, additquè à quibuſdam ap-
pellari conſcientiam erroneam, ab aliis timorē
conſcientiæ, ab aliis deniquè puſillanimitatem,
ſic S. Antoninus.

6 Alii vero declarant ſcrupulum † per remor-
ſum conſcientiæ, qui eſt talis cognitio, vt ani-
mum veluti pungat, ita *Salas tract.* 8. *ſect.* 29.
initio.

Alii dicunt eſſe ſuſpicionem, ſeu mentis du-
7 bitationem, † aut exiſtimationem, ſic *Vaſquez*
p. 2. *diſput.* 67. *cap.* 2. *num.* 8. quem loquendi mo
dum plures admittunt, vt *Sanchez liber ſecun-
do de matrimonio diſputation.* 41. *numero* 2.
*in fine, & libro primo in decalog. capit. no-
no numero* 2. *Azorius part.* 1. *libro.* 2. *capit.*
20. *quæſtione* 1. *Filliuccius tractatu* 21. *ca-
pit.* 4. *numero* 175. *Baldelli tomo* 1. *diſputatio-
ne* 18. *numero* 2. *Caſtropalaus tomo primo tra-
ctat. primo diſputat.* 4. *p.* 1. denique alij aſſe-
8 runt † eſſe apparentiam, nempè apprehen-
ſionem quamdam, ſic *Nauarrus in capit. ſi
quis autem de pænitentia diſtinctione ſeptima
& in manuali capit. vigeſimo ſeptimo numero*
279. *Reginaldus in praxi libro decimo ter-
tio numero* 271. Hæc autem ſunt attribu-
ta, quibus deſcribere conſueuerunt Authores
hunc animi motum, quem ſcrupulum appella-
9 mus; & rectè ita loquūtur, † ſi ſcrupulū in tota
ſua latitudine, & ſecūdū eius proprietates, & af-
fectus ſumamus, plures enim ex allatis deſcrip-
tionibus procedūt a poſteriori per paſſiones, &
non ſunt eſſentiales. Quid autem de tali animi
motu probabilius ſit amplectendum, mox ma-
nifeſtabimus.

Dico quarto, motum prędictum, in quo ſcru-
pulū poſuimus, ſi ſcrupulus ipſe largè accipia-
10 tur, † conſiſtere poſſe tū in prima, tū in ſecunda
operatione intellectus, videlicet tū in pura, &
ſimplici apprehenſione, tum in aſſenſu, & iudi-
cio. Concluſio duas continet partes, quarū pri-
ma aſſerēs in vtraq; intellectus operatione ſcru
pulum inueniri poſſe, probatur primo ex con-
ſenſu Authorū, quos ſupra laudauimus, expli-
cantiū ipsum ſcrupulū non tantùm per appre-
henſionem, verum etiam per exiſtimationem,
quæ eſt ſecunda intellectus operatio. Probatur
ſecundo ratione: quia iudiciū procedens ex le-
uibus motiuis, ſi ſit falſum, & animū affligat ti-
morem cauſſans, non video cur nequeat ſcru-
11 pulus aliquo modo appellari. Secūda vero pars
ſcilicet, iudiciū eſſe ſcrupulum latè ſumptū do-
cet *Breſſerus capit. citat. numero quinto* †
& probatur primo authoritate *Sancti Noſtri
Patris Ignatij*, qui *in aureo illo exercitio-
rum ſpiritualium bello*, apponens in fi-
ne quædam notatu digna pro ſcrupulis di-
gnoſcendis, *in* primo notando aduertit ſcru-
pulum in iudicio conſiſtentem potiùs eſſe ap-
pellandum iudiciū erroneum, quàm ſcrupulum,
& in 2. *&* 3. *notando* ait tale iudicium impro-
priè eſſe ſcrupulū. Argumentum autem huius
diuerſitatis inter apprehenſionem, & iudicium,
12 quatenus habere poſſunt rationem ſcrupuli, nō
ità facilè inuenio; & ideo ne contendamus de
voce; ex praxi mihi videtur diſcrimen deduci; †
nam communiter ſcrupuloſi, cū his moleſtiis
vexantur, non ſolent determinatū iudicium fer-
re, ſed tantùm retinere intellectū hinc inde ſu-
ſpenſum, & titubantem de re, circa quam verſa-
tur ille animi motus formidoloſus, & ex tali ſu-
ſpenſione, & vacillatione in appetitu, nempe in
volūtate, reſultare ſolent anguſtię, timores &c.
at quando metus iſte pertingit ad ſecūdam ope
13 rationem, nimirum ad iudicium, tunc tranſit ad
aliam ſpeciem conſcientiæ, quæ reliquis dete-
rior eſt, ideoq; non ſcrupulus, † ſed conſcientia
erronea erit vocanda; & licet ratio hæc non ſit
adeo efficax, vt cogat ad aſſerendū, prædictum
iudiciū latè, ſeu impropriè, non autem ſtrictè,
ſeù propriè, eſſe ſcrupulū appellandū; atq; adeo
diuerſitas aſſignata, vt inſufficiens ad fundan-
dam ſpeciem aliam conſcientiæ, repelli poſſit;
nihilominùs cū in moralibus nō ſit inquirēda ri
goroſa diuerſitas proueniens ex ipſamet natu-
ra, ſicut in rebus phyſicis; ſatis erit diuerſitatem
hanc fūdare in modo operandi humano, & cō-
ſueto; ideoque cum ſcrupuloſi ferè ſemper ſe
abſtineant ab iudicando, cum ſcrupulis an-
guſtiantur, congruenter dicimus per iudi-
cium erroneum determinatum, & defini-
tiuum conſtitui ſpeciem conſcientię morali-
ter diuerſam à conſcientia ſcrupuloſa, &
meritò non totum genus moris, cum funda-
tur in modo operandi humano, ab eodem
diuerſificari debet ſecundum ſpeciem etiam
in genere moris. Dicimus ergo modus ope-
randi, in quo ſcrupulus propriè dictus à
nobis ponitur, notabiliter differens à modo
operandi, in quo ſita eſt ratio conſcientiæ
erroneæ, conſtituit aliam ſpeciem moralem,
proindè conuenienter ſuſtinemus conſcien-
tiam erroneam impropriè, & latę eſſe ſcrupu-
lum.

Sed

Sed inſtabis quare potiùs è contrario non dicamus iudicium illud erroneũ eſſe propriè ſcrupulũ; apprehenſionem vero impropriè?

14 Reſpondeo † eſſe maiorem, quia ſcrupulus
ratione vt ſic, iuxta communem hominem exiſtimationem, ex qua maior iſta ratio, & diuerſitas in tenta procul dubio eſt deſumenda, eſt ille motus animi, ex quo oriuntur in appetitu timor, triſtitia, anguſtia &c. quę quidē paſſiones ex mentis vacillatione gigni conſueuerunt, quę eſt ſimplex intellectus apprehē ſio, contra vero ex iudicio determinato nō ſolent in hac materia paſſiones illę in appetitu generari; nam iudicium definitiuũ, & timor de eadem prorſus re minimè compatiuntur, neque pariter triſtitia, & anguſtia, vel enim eſt iudicium erroneum de peccato futuro vitando, & tūc ſi tali laborans iudicio ſit rectę conſcientię operabitur contra tale iudicium, & per conſequens non eſt cur ſe anguſtietur; ſi verò operabitur, potiùs erit laxę, quàm ſtrictę, & ſcrupuloſæ conſcientię; ſi verò de actione preterita erit iudicium, non video aliud motiuum triſtitiæ, niſi de offenſa Dei, de gratia deperdita &c. talis autem triſtitia non eſt illa, de qua loquimur, nam hæc bona, & laudabilis eſt, illa vero non laudabilis nam ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, profert *Salam. prouer.* 17. nempè virtutum vigorem. Maneat igitur ex dictis ſcrupulũ propriè dictum eſſe illum animi motum, ex quo paſſiones dictæ reſultant, & talis eſt ſola animi ſuſpenſio, & vacillatio, quæ in prima operatione, ſeu ſimplici intellectus operatione conſiſtit.

Dico quinto conſcientiam ſcrupuloſam in habitu, ſeu hominem ſcrupuloſum eum eſſe appellandum, † qui frequenter has apprehenſio-
15 nes, & moleſtias patitur, ſiue in pluribus, ſiue in vnâ, aut altera materia, non autem illum, qui rarò ſcrupulis laborat; nam denominatio illa, vt patet de alijs ſimilibus, cauſſari debet ab actibus iteratis, non à rarò euenientibus; aliter ſequeretur omnes fideles ſcrupuloſos eſſe appellandos, nemo enim ex illis reperitur, qui aliquando aliquo ſcrupulo non laboret, ſcrupuloſus igitur vocari debet, qui ſępè in has perplexitates labitur.

CAPVT II.

Quos actus ſcrupulus inuoluat, & vtrum ad ſolum intellectum pertineat.

SVMMARIVM.

1 *Scrupulus plures importat actus.*
2 *Principaliter in actu intellectus conſiſtit.*
3 *Completur pluribus intellectus actibus.*
4 *Timor ſiue in recto, ſiue in obliquo importatur à ſcrupulo.*
5 *Scrupulus, tum ad intellectum, tum ad voluntatem, ſpectat.*

EX definitione tradita colligemus in ſcrupulo, ſeu conſcientia ſcru-
1 puloſa actuali † non vnicum, ſed plures includi actus, quos in præſenti capite, ad eius maiorē notitiam, explanare oportet, & pariter declarare, an ſcrupulus ipſe complete acceptus, ad aliquam aliam potentiam præter intellectiuam, ſpectet.

A certioribus autem exordiendo, dico pri-
2 mo eſſe manifeſtum, & abſque controuerſia ✠ ſcrupulum principaliter conſiſtere in actu intellectus, eſt enim apprehenſio, ſeu exiſtimatio quædam, vt in aſſignanda eius definitione vidimus, ex vi eiuſdem apprehenſionis, ſeu iudicij alii cauſantur actus, nempè moleſtia, & timor, ideo non erit ab re explicare, quo pacto actus iſti ſe habeant in ordine ad ſcrupulum, videlicet per ſe, an vero per accidens, tanquam eſſentialia, aut tanquam connotata.

Dico ſecundo ſcrupulum propriè loquendo
3 † non compleri per vnicum dumtaxat actum intellectus, ſed per plures. Cōcluſio ſub his explicitis terminis à nemine exagitatur, quantum ipſe videre potui; licet ex ijs, quæ Authores tradunt de conſcientia ſcrupuloſa loquētes, neceſſariò id ſit deducendum; nam S. *Antoninus* §. *illo* 9. declarans quid ſit ſcrupulus, ait *eſſe vacillationem quandam cum formidine &c.* ponit ergo duos actus veluti ſcrupulum integrantes, nempè vacillationem, & formidinem; ſimiliter *Corduba libro* 3. *quæſtion. tertia paragrapho* (*Scrupulus*) inquirens eius naturam, poſtquam dixit eſſe motum leuem in intellectu explicat motum hunc per formidinem, & ideo §. *Ad ſupradicta omnia* notat quod quāto magis eſt de formidine iſta, tanto minus de aſſenſu ſecum compatitur, & è conuerſo, quanto minus de formidine, tanto magis eſt de aſſenſu; intellige de aſſenſu ſcrupulis oppoſito. Nonnulli autem exponunt ſcrupulum eſſe puſillanimitatem quandam animi, vt refert S. *Antoninus l. c. & Corduba quæſt.* 13. *eiuſdem libri ex Gerſone*, loquens de modis generalibus, quibus deponēdus ſit ſcrupulus, plures admittit actus. Et hoc etiam docet *Breſſerus lib.* 6. *de conſc. c.* 1. *num.* 2. cum ait ſcrupulum propriè, & ſtrictè ſumptum conſiſtere in apprehenſione peccati, quatenus habet adiunctam, & in voluntate excitat, de eodem peccato, formidinem. Si autem
4 quis quærat ✠ vtrum timor iſte in recto, an vero in obliquo importetur à ſcrupulo, non erit cum illo nimis contendendum, eſt enim parum vtilis controuerſia, potius ſpeculatiua, quàm practica, ſatis autem nobis erit vtrumque actũ importari à ſcrupulo, videlicet, & apprehenſionem, ſeu exiſtimationem in intellectu, & formidinem in voluntate: cum formidine autem hac, ſeu timore, qui cauſatur ex apprehenſione mali, nempè offenſæ contra Deum, gehennæ, &c. concurrere etiam ſolent alij actus, ſcilicet perturbatio, triſtitia quę diminuit animi vigore magis, aut minùs, ſecundum maiorem, aut minorem formidinem, & intenſiorem, aut mi-

 nus

nùs intenſam apprehenſionem &c. v.g. iudico talem actionem eſſe honeſtam; ſed ſi contra tale iudicium inſurgat ſcrupulus cum formidine, tunc quanto magis creſcit formido iſta, tanto decreſcit iudicium illud de honeſtate actionis, & è contrario.

5 Ex his colligere poſſumus † ſcrupulum ad vtramque pertinere potentiam, nempè ad intellectum, & ad voluntatem, licèt primariò, & principaliter ſit in intellectu; proindè rectè explicatur doctrina illa *Caietani tom. 1. opuſc. tr. 31. reſponſ. 13. dubio 7.* cum inquit ſcrupulum contingere poſſe vel ex parte appetitus, vt euenit, quando quis timet in aliquo actu peccare, & ignorat cauſſam; vel ex parte rationis, cum oritur ex aliqua ratione apprehenſa, & apparente, ſenſus autem harum propoſitionum iſte videtur, ſcilicet ſcrupulum aliquando conſurgere ex inopinato, & vehementi timore, quod actio aliqua ſit mala, quamuis ex parte intellectus minimè præceſſerit motiuum, ſeu argumentum ad id inducens, ſed ſolum quædam mentis obtenebratio; aliquando vero prouenire ex motiuis in intellectu exiſtentibus, modo ſuperius explicato.

CAPVT III.

De cauſis, ex quibus ſuboriuntur ſcrupuli.

SVMMARIVM.

1 *Cauſſa ſcrupulorum multiplex eſt.*
2 *Naturales intrinſecæ ſunt plures.*
3 *Melancholia eſt vna ex cauſſis.*
4 *Explicantur aliquæ aliæ*
5 *Inter cauſſas corporales extrinſecas ponitur familiaritas cum ſcrupuloſis.*
6 *Studium caſuum conſcientiæ.*
7 *Corporales auſteritates.*
8 *Hæ potiùs ad internas cauſſas, quàm ad externas, reuocantur.*
9 *Ex ſpiritualibus cauſſis intrinſecis vna eſt ignorantia.*
10 *Inſtantia proponitur, per quam oſtenditur ſcrupulos oriri ex ſcientia.*
11 *Satisfit prædictæ inſtantiæ.*
12 *Ex ignorātia irrationabiles gignūtur ſcrupuli*
13 *Alia cauſa eſt ſuperbia.*
14 *Concurrit etiam inordinatus amor.*
15 *Inter cauſſas extrinſecas ſpirituales enumeratur Dæmon, & Deus, ſed ex varijs finibus, & diuerſo modo concurrentes.*

1 VAriæ † ſunt ſcrupulorum cauſſæ, tum intrinſecæ, tum extrinſecæ, naturales, & ſupernaturales, de quibus agit *Sanct. Antoninus part. prima titul. 3. capit. 10. §. 9. in medio, & alij.*

Cauſſæ naturales intrinſecę corporales plu-
2 res ſunt: † vna autem ex præcipuis eſt frigida complexio apta ad fouendos ſcrupulos, & ratio eſt, quia ſicuti metus cauſat frigiditatem, vt docet *Ariſtoteles lib. 2. de partibus animal. cap. 4. verſus medium*; ita etiam ad metum fouendum maximè confert frigiditas, quæ cum habeat conſtringere, impedit dilatationem, quę eſt conſtrictio, & conſtringendo cor, prohibet ne nimium dilatetur, atque adeo ne tranſmittat ſpiritus ad alias partes, eo modo, quo requiritur ad animoſitatem, proindè dum obijciuntur ſcrupuli, frigiditas complexionis facit, vt homo nimium timeat, & præſertim deficiente vigore ad timorem propulſandum.

dilationi oppoſita

Alia cauſſa corporalis † eſt Melancholia,
3 quæ ſuapte natura eſt frigida, cum terræ naturam participet, idcirco reddit hominem formidoloſum, vt *Ariſtoteles* docet *in problematibus ſec. 30. paulo poſt principium*; licet per accidens interdum poſſit ipſa atra bilis valdè calefieri, & magis quam flamma, vt euenit cum aqua, ferrum, lapis, & ſimilia, quæ terrea, & frigida ſunt ſecundum propriam naturam; interdum tamen calefiunt pluſquam flamma, & carbo ignitus, vt ibidem ipſe Philoſophus teſtatur. Rurſus melancholici maximè moueri ſolent phantaſmatibus, iuxta doctrinam *Ariſtotelis in paruis naturalibus cap. 4. de memorant. & reminiſcent.* & ibidem *S. Thom. lec. 8.* cuius rei rationem reddit S. *Doctor* dicens id prouenire ex eo, quod tales homines terreſtrē naturam habent, ideoq; nè magis in ipſa phantaſmatum impreſſiones formantur; igitur cum eiſdem repræſententur ſcrupulorum phantaſmata, intenſiùs ſcrupulos, vanoſque timores apprehendunt ob maiorem phantaſmatum radicationem, adiuuante ad hoc timiditate, quā pati ſolet ob terream, & frigidam complexionem ad timorem valde propenſum; ſicuti *ſupra* declarauimus. Hæ eſſe poſſunt cauſſæ corporales intrinſecæ, quę ad ſcrupulos gignendos, & fouendos valdè concurrunt. † Alię etiam eſſe
4 poſſunt cauſſę intrinſecę corporales, à quibus ſcrupuli procedāt, vt debilitas capitis, læſio imaginatiuę, ſeu æſtimatiuę facultatis, vel alię ſimiles infirmitates, quarū curatio ad medicos ſpectat.

Cauſſæ autem intrinſecę ſpirituales huius
5 morbi non deſunt, † quarum vna eſt ignorātia, quæ non ſinit vt homo, vrgente ſcrupulo, rationibus contrarijs illum diſſoluat, & repellat; experientia enim hoc nos docet, ipſe enim aliquos agnoui, qui priuſquam ſtudijs operam dederint, variis ſcrupulorum moleſtijs ſæpè cruciabantur: poſtea vero in ſcientiis etiam mediocriter verſati facillimè ſcrupulos abijciebant, ita vt tandem à tali paſſione liberi omninò euaſerint.

6 Dices, ſcrupulos oriri † etiam poſſe ex ingenij acumine, & ex notitia rerum, quæ ad ſciētiam pertinent; nam multi eas ignorantes, bona fide exercent ſæpe actiones aliquas de ſe malas excu-

excuſantur tamen ita operantes, quia inuinci-
bili ignorantia laborant; igitur ignorantia
potius iuuat ad ſcrupulos fugiendos, quàm ad
illos excitandos.

Reſpondeo à nobis † non negari interdum
7 poſſe per accidens in viris doctis ſcrupulos ali-
quos inſurgere, qui non excitarentur, ſi in ta-
libus hominibus inſcitia reperiretur; hoc tamē
eſt valde per accidens, nam in ſapientibus, ſi
alioquin ob alias cauſas, ſcrupulorum morbo
minimè laborent, non ſolent inueniri ſcrupuli;
ſed potiùs rationes dubitandi cum fundamen-
mento in re, à quibus facillimè ſe expediunt,
eas, beneficio doctrinæ, quā callent, diſſoluen-
tes, & ſi à ſeipſis id facere formidant, aliorum
ſapientum conſilium adhibent, & ſic quieſcūt.
8 † Ignorantia vero eſt cauſſa, vt ſcrupuli irra-
tionabiles frequenter inſurgant, à quibus liberi
viri docti inueniuntur. Enumeratur etiam in-
9 ter cauſſas intrinſecas ſpirituales ſuperbia, † &
inordinatus ſui ipſius amor: homo enim ſuper-
bus, ita proprio iudicio confidit, vt intellectū
nolit aliorum conſilio ſubmittere, & ex hac ni-
mia ſui iudicii fiducia oritur negligentia recur-
rendi ad Deum, mediis orationibus, & aliis
operibus piis, quibus Deus ſæpè moueretur ad
intellectum illuſtrandū, vt ſcrupuli ambigerē-
tur, ſolet igitur Deus homines ita ſuperbos pu
nire, eos ſcrupulis affligēdo, vt cognoſcāt pro-
10 priam vilitatem. † Rurſus inordinatus amor
eſt cauſſa, vt homo nimia ſollicitudine non
curet vitare omnes, quātùmuis leuiſſimas, cul-
pas, à quibus in hac vita nemo omninò liber
eſſe poteſt. Præterea, vt inordinatè curet me-
dia extraordinaria, putans veluti interpretatiuè
ſe poſſe ſua induſtria perficere ea, quæ ad ſalu-
tem ſpectant, & ideo non recurrit, vt debet ad
cæleſtem Medicum, neq; humilitate ſe eidem
ſubijcit, neq; adhibet remedia, quę à prudenti-
bus, & ſpiritualibus proponuntur, & per con-
ſequens nolens ambulare in via Domini, mo-
do conſueto, & ordinario, in pœnam à Deo
ſcrupulorum moleſtijs punitur.

Cauſſæ autem corporales extrinſecæ cōcur-
11 runt etiam ad ſcrupulos gignendos. † inter
has autem cauſſas potiſſima eſt continua fami-
liaritas cum ſimilibus perſonis, nempè, cū ſcru
puloſis; ex conſortio enim talium excitantur
phantaſmata ſcrupulorum, & intenſiùs in ani-
ma firmantur. Rurſus eſt etiam alia cauſſa,
12 ſcilicet, † lectio librorum de caſibus conſciē-
tiæ tractantium, nam aliqui iudicio practico,
non valentes diſcernere moralem illam doctri-
nam, in libris contentam, ſæpe ſæpiùs varijs ſe
implicant ſcrupulis: Demum poterit aliquo mo
13 do ad cauſſas externas reuocari † auſteritas vi-
tę, quæ immoderatis ieiunijs, alijſq; corporis
auſteritatibus complexionem, & temperamē-
tum capitis lædit, ex tali enim læſione cauſſa-
tur triſtitia, melancholia, quæ omnes ſūt ſcru-
pulorum fomentū, ſed hæc vltima cauſſa, nem-
14 pè, aſperitas vitæ enumerari † poteſt inter
cauſſas internas; nam ipſa non immediate
cauſſat ſcrupulum, ſed media læſione capitis, &
complexionis, vt dictū eſt, igitur vtriuſq; cauſ-
ſæ genus participare videtur, proinde eſt par-
tim externa, partim interna. Deniq; deueniē-
do ad cauſſas extrinſecas, aio duas eſſe, † nē-
15 pè, Dæmonium, & Deum O. M. nam & ſi
Dæmon poteſtate agendi directè in noſtrum
intellectum, & voluntatem careat, nihilominùs
poterit indirectè has potentias immutare me-
dijs humoribus, & phantaſmatibus ab ipſomet
commotis, vt notat *Sanctus Antoninus lo. cit.*
Nam obtenebrando intellectum vi melancho-
lici humoris impedit, ne idē intellectus ſit ex-
peditus ad ſe applicandum, & ad ea conſiderā-
da, quibus poſſet ſcrupulos diſſoluere, & ſic
ſcrupulorum phantaſmatibus vtens, varij in
intellectu cauſſantur ſcrupuli; finis autem, quo
ipſe communis hoſtis ducitur, eſt peſſimus, in-
tēdit enim vltimam hominū perditionem, ideo-
que conatur inducere hominem in tædiū ſpiri-
tualis vitæ, vt eam, vel omninò deſerat, vel re-
miſsè in eadem incedat.

Deus autem plenum habens dominium po-
terit etiam directè agere in intellectum, & vo-
lūtatem creatam, ſcrupulos verò ingerit, aut in
pœnam peccatorum prateritorum, vt homo po-
tiùs in hac vita, quàm in alia mulctetur, aut
ipſis ſcrupulis perterritus à peccatis ſe abſti-
neat, aut deniq; in tolerādis ſcrupulorum mo-
leſtijs, varias virtutum actiones exercens maio-
ribus meritis, & gratiæ augmento in dies per-
ficiatur.

De hac autem materia diuerſi legi poſſunt,
qui eam diligenter pertractant, vt *B. Laurētius
Iuſtinianus de diſcipl. Monaſt. cap. 12. & 16.
S. Bernard. Epiſt. 32. Gerſon dar. 3. tract. de pu-
ſillanim. Iacobus Aluarez de vita ſpirituali,
tom. 2. lib. 1. par. 3. cap. 12. Bernardinus Roſi-
gnolus de Chriſt. perfect. lib. 1. ca. 18. & Sum-
miſtæ verb. ſcrupulus.*

CAPVT IV.

An Scrupulus ſit deponendus vt honeſta ſequatur actio.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur difficultas num honeſta operatio requirit, vt ſcrupulus deponatur.*
2 *Aliqui partem aientem ſuſtinent.*
3 *Alij id negant.*
4 *Proponuntur duo ſcrupulorum genera.*
5 *Scrupulus in ſimplici mentis apprehenſione conſiſtens non eſt neceſſariò deponendus.*
6 *Interdum tenemur agere contra ſcrupulum.*
7 *Scrupulus in iudicio erroneo conſiſtens, eſt deponendus, vt honeſtè contra illum operemur.*

8 In

8 *In aliquo caſu licita erit operatio, etiam non depoſito iudicio erroneo, ſi aliud iudicium rectum ſimul habeatur.*

9 *Iſta duo iudicia ſpeculatiuè ſunt contraria, & nihil de praxi dictant.*

10 *Si duo illa iudicia ſint ita æqualia, vt impediant conſcientiam formari, non erit honeſta operatio, niſi priùs erroneum iudicium deponatur.*

11 *Soluitur primum argumentum, explicando Canones.*

12 *Scrupulus non ſemper tollit iudicium rectum*

ANtequam deſcendamus ad remedia pro abijciēdis ſcrupulis in particularibus materijs, nō erit ab re ſi modum aperiamus, quo illis ſit reſiſtendum; idcircò quæ-
1 rimus † vtrum ad honeſtè operandum, quando ſcrupulus contrarium dictat, teneamur illum deponere, an verò poſſimus, eo nō depoſito, operari, ſeu, vt alij dicūt, an ſit illicitum agere contra conſcientiam ſcrupuloſā ſicuti illicitum eſt operari cōtra conſcientiam dubiam, aut erroneam.

Prima opinio docet, ad hoc, vt honeſta ſe-
2 quatur actio, † eſſe ſcrupulum deponendum, ita *Ludouicus Lopez in ſuo inſtruct. par. 1. cap. 3. ver. (Ex quo ſequitur) in fine. Rodriquez in ſumma tom. 2. cap. 53. num. 3. in fine.* Probatur primò, hæc opinio *ex Sacris Canonibus in cap. Inquiſitionis de ſenten. excommunicat.* vbi cum fuerit quæſitum, an coniux ſcrupulum habens de validitate matrimonij, ſit obligāda abſtinere ab eius vſu, Pontifex verò reſpondet, proponendo varios modos, quibus conſciētia inualiditatem matrimonij dictare poterat, & loquēs de illa, quæ oritur ex leui ratione, ſic inquit (*conſcientia leuis, & temeraria credulitatis exploſa licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum coniugale*) igitur cenſuit Pontifex ſcrupulū eſſe priùs deponendum, vt honeſta ſequatur actio, ſimilem ferè textum habemus *Cap. Per tua de Simonia.* Secūdò probatur ratione: Scrupulus tollit, aut impedit aſſenſum de honeſtate actionis; ergo eo nō depoſito, nequimus honeſtè operari, quia deficit aſſenſus, ſeu iudicium practicum, quo cēſemus hic, & nunc licitum nobis eſſe hoc, aut illud agere.

3 Secunda opinio aſſerit † non eſſe neceſſariò deponendum ſcrupulum, vt honeſta detur actio. ita *Thomas Sanchez in decal. lib. 1. cap. 10. num. 80. Ioannes Sanchez in ſelect. diſp. 41. num. 7. Caſtropalaus tom. 1. diſp. 4. pun. 1. num. 2. ver. (Ex hac doctrina) Baldellus tom. 1. lib. 4. diſp. 21. initio. Merolla tom 1. diſp. 3. capit. 3. dub 3. nu. 379.* citari etiam ſolent quamplures, & præſertim *Corduba lib. 3. quæſt. 5. de conſc. prop. 4. Nauarr. cap. ſi quis de pœniten. diſt. 7. num. 64. 65. & in manual. præludio 9. n. 9. & alij.* Probari poteſt ſententia hæc cōtrario fūdamento, quo Superiorem probauimus; tali pacto: ſcrupulus non tollit iudicium determinatum, & practicum ad honeſtè operandū; ergo ipſo ſcrupulo non depoſito, actio ſequēs poterit eſſe honeſta.

4 Pro ſolutione huius difficultatis † adnotāda erit diſtinctio illa de duplici ſcrupulorū genere, proprium, & improprium, de quo ſupra, videlicet de eo, qui reſidet in ſimplici apprehēſione, indicante rem, de qua eſt ſcrupulus, & de eo, qui in ſecūda operatione conſiſtit, & propriè appellatur iudicium erroneum, hac autem poſita diſtinctione.

Dicendum eſt primò, ſcrupulus primi ge-
5 neris † non eſt neceſſe, vt deponatur, ſed etiā ipſo perſiſtente, licitè poſſumus contra ipſum operari; probatur autem concluſio tali ratione: Cum ſcrupulo huius primi generis manere pōt iudicium practicè certum de honeſtate actionis; ergo non eſt neceſſe, vt talis ſcrupulus deponatur, tùm antecedens, tùm cōſequens probatione, & declaratione indiget, ſuadetur autē ſic antecedens: Quoties non habemus euidētiam mathematicam, ſeu phyſicam de rebus, iudicium determinatum de obiecto aliquo non eſt excluſiuum omnium rationum, quæ pro cōtraria opinione inſurgere poſſūnt, & hoc varijs exemplis, & inſtantijs cōfirmatur, v. g. Apprehendat quis in die feſtiuo eſſe obligationē nihil comedēdi ante auditionem Sacri, vel nō poſſe iter facere, aut Iudicem, ſeu aduocatum informare, aut obligari ad cōcionem audiendā & multa alia ſimilia, poſſet, inquam, leuibus ductus rationibus, aliqua ex prædictis apprehendere; cum tali autem apprehenſione quis non videt, ſtare poſſe iudicium de oppoſito, nimirū de honeſtate illius comeſtionis ante auditionē Sacri, de itinere faciendo &c. Et confirmatur à fortiori, nam ſi in eodem intellectu compoſſibiles ſunt duæ opiniones cōtrariæ, *vt diſp. 4. cap. 11.* fusè oſtendimus, multo magis compoſſibiles erit ſola apprehēſio, quæ aſſenſum non inuoluit cum iudicio contrario. Veriſſimum igitur erit illud antecedens; nimirum cum ſcrupulo huius primi generis conſiſtere poſſe iudicium practicè certum de honeſtate actionis: Conſequentia autē, quam ex tali antecedente intulimus, difficilem non habebit probationem; nam iudicium illud practicè certum poterit eſſe regula, & menſura noſtrarum moralium actionum, proinde cum ſcrupulus huius primi generis non tollat illud iudicium, cōſequens eſt, vt non tollat menſuram, & regulā operationis; atq; adeo operatio eidem regulæ cōformis, erit iuxta rectam rationem; ergo non oportet, vt ſcrupulus deponatur; quæ erat conſequentia principalis à nobis probāda; vt enim oſtendimus ipſo perſeuerante, nihil rectæ operationi detrahit.

Dicendum eſt ſecūdò, Non ſolùm licitè po-
6 teſt, † verùm etiam tenetur interdum homo agere contra ſcrupulum, ſic *Baldellus diſput. cit. initio. & num. 9. Ioannes Sanchez, vt ſupra Breſſerus lib. 6. cap. 4. per totum,* & communiter *alij.* Probatur, quia fouere ſcrupulos, poterit notabile afferre nocumentum corpori,

& ani-

& animæ,exponitur enim ſcrupuloſus adhærẽdo ſuis ſcrupulis periculo amentiæ, aut ſaltem grauis detrimenti corporalis: Ruſus facilè incidit in tædium rerum ſpiritualium, atq;adeo ſcrupuloſi ſolent orationem, & alia pia opera omittere, ideo ad vitanda tot nocumenta, potcrũt interdum obligari ad ſpernendos ſcrupulos,& præſertim,quando Confeſſarius, aut Pater ſpiritualis id pręcipit, excuſandi tamen ordinariè ſunt ob infirmitatem,qua laborant.

Dicendum eſt tertiò,ſi loquamur de ſcrupulis ſecũdi generis, nempè, de illis, qui in iudi-
7 cio erroneo conſiſtũt, † ſimpliciter & abſolutè loquendo eſſe neceſſarium, vt priùs deponãtur, antequam cotra illos homo operetur, & hoc intendit *Baldellus num.* 2. Nam loquitur quando ſcrupulus tranſit in conſcientiam erroneam,quæ in ordine ad praxim dictat actionem hic,& nũc eſſe malam, ideoq; excludit aſſenſũ practicum ad aliam partem, & pariter cenſeo ita eſſe intelligẽdos alios eodem ferè modo loquentes, dixi ſimpliciter, & abſolutè, quia non
8 obſtante tali iudicio non depoſito, † poſſet eſſe honeſta actio, & ideò ſi intelligant hi Authores eſſe iudicium illud ita deponendum, vt numquam contingat caſus, in quo tali iudicio permanente, nõ poſſimus licitè operari cõtrarium, illis non aſſentior;quia interdũ euenire poterit in intellectu eſſe duo iudicia, quorũ vno probabiliter homo exiſtimet,talem actionem eſſe moraliter malam,cum re vera talis nequaquam ſit, & tale iudicium ſit erroneum, altero verò iudicio cenſeat, actionem illam eſſe moraliter honeſtam,in hoc caſu nõ oportet, vt intellectus deponat iudicium illud erroneũ, ſed ſufficit,vt formet ſibi conſcientiam practicè iudicando, hìc, & nũc licitè ſequi poſſe dictamen alterius iudicij,in iſto caſu non deponitur iudicium erroneum, & nihilominùs honeſta ſequitur actio,vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus,cum ageremus de conſcientia opinatiua,
9 & probabili, † fateor tamen duo illa iudicia contraria eſſe ſpeculatiua, quia nihil de praxi dictant, & ideo neutrum ex illis eſſe conſcientiam, quæ eſt de praxi: practicum verò iudiciũ eſſe illud vnicum, quo homo exiſtimat hìc, & nũc licitũ ſibi eſſe actionem illam exercere nihil impediente iudicio contrario ſpeculatiuo. Alio modo caſus contingere poterit, ſcilicet, vt intellectus habeat iudicium erroneum,& non habeat iudicium oppoſitum, quod ſit fũdamẽtum,ex quo poſſit prudenter ſibi formare practicè conſcientiam, vel ſint duo iudicia oppoſita æqualiter mouentia, vt intellectus nequeat
10 potiùs vni, quam alteri adhærere, † in iſto aũt caſu, quocũq; ex his duobus modis accidat, eſſet ſcrupulus deponendus, antequã homo operetur, aliter faceret contra cõſcientiam formaliter dubiam,quod eſt intrinſecè malum, & in hoc ſecundo caſu loquuntur prædicti Authores, ſi attentè legantur.

Ad primum argumentum in contrarium,deſumptum ex *Sacris Canonibus*,nempè ex *Cap.*
11 *Inquiſitioni.* Reſpondeo, Pontificem loqui dę ſcrupulo, qui conſiſtit in iudicio erroneo excludẽte aſſenſum ad aliam partem, & ideò optimè ab ipſo aſſeri eſſe explodendum, quod loquitur de tali ſcrupulo, quem nos ſecũdo loco recenſuimus, patet ex ipſo cõtextu, nam ſcrupulus iſte ab ipſo vocatur temeraria credulitas, quæ exploditur, vel illam omninò tollendo, vel adhærendo contrariæ credulitati, formando conſcientiam modo explicato in ſecũdo caſu; eodemq;modo reſpondendum eſt ad textum in *cap. Per tua de Simonia.*

12 Ad ſecũdum argumentum, ✠ aio falſum eſſe, vniuerſaliter loquendo, per ſcrupulum tolli, aut impediri aſſenſum de honeſtate actionis, quia vt ſupra oſtendimus, cum ſcrupulo primi generis eſt omninò compoſſibilis aſſenſus de honeſtate actionis;Si verò ſermo ſit de ſcrupulo ſecũdi generis conſiſtente in iudicio erroneo, iam diſtinximus probando interdum conſiſtere, cum iudicio oppoſito, interdum verò minimè, & quando eſt hoc vltimo modo, diximus eſſe priùs deponendum, quibus poſitis, neganda eſt ad argumentum conſequentia, ſi vniuerſaliter ſumatur.

CAPVT V.

De Cauſſis ſcrupulorum remouendis in genere.

SVMMARIVM.

1 *Refertur duplex modus remouendi ſcrupulorum cauſas.*
2 *Ad remouendas cauſſas intrinſecas corporales, potiùs Medicorum, quàm Theologorum opus requiritur.*
3 *Cauſſæ corporales extrinſecæ tolluntur, auferendo occaſiones.*
4 *Præcipuum eſt ſe præparare ad diuinam gratiam.*
5 *Aſſidua Sacræ Scripturæ lectio.*
6 *Deuota Oratio.*
7 *Bona in rebus agendis electio.*
8 *Proprium iudicium humiliter ſubijcere directioni Confeſſarij, aut Patris Spiritualis.*
9 *Animoſa, & conſtans ſcrupulorum obiectio.*
10 *Diſcreta legum, & præceptorum interpretatio.*
11 *Excellentiſſimum omnium remedium eſt ſollicitudo ad venialia cauenda.*

Expendimus capite præcedente cauſſas omnes intrinſecas,& extrinſecas,ex quibus ſcrupuli ſuboriũtur: Nunc verò huius tractationis ordo poſtulat, vt ſermonem inſtituamus de modo, quo contra talem animi morbum noſmet ipſos
1 gerere debeamus. ✠ Duplex autem modus ſe offert

offert examinandus; Primo præueniẽdo ne ſcrupuli inſurgant, quod fit impediẽdo, ſeu auferendo eorum cauſſas; Secũdò, poſtquam inſurgunt directè illis obſiſtendo: De primo modo agemus in præſenti capite, in ſequentibus verò de ſecundo.

Et circa remedia, quæ faciunt ad remouẽdas cauſſas corporales intrinſecas, vt eſt diſpoſitio
2 ſeu complexio, non immorabimur, † quia de tali cauſſæ curatione, & remedio Medicorũ potiùs, quàm Theologorum eſt tractare, proindè ea iure omittimus: Sed loquendo de cauſſis corporalibus extrinſecis, vt eſt familiaritas cum ſcrupuloſis, lectio quorumdam librorum, aſperitas vitæ &c. facilè, & in promptu eſt remediũ,
3 † auferendo talem cauſſam, videlicet fuga à tali familiaritate, vel ſi id ex toto fieri nequeat, fiat tamen ex parte, & moderatè.

Rurſus ſe abſtineant ſcrupuloſi à ſtudio illorum librorum, ex quibus occaſionem fouendi ſcrupulos ſolent arripere; demum ab aſperitatibus, & immoderatis pœnitentijs corporalib⁹ continere ſe debent, adhibito Patris ſpiritualis conſilio; cum igitur remedia pro euellendis his cauſſis ſint manifeſta; ad cauſſas ſpirituales tráſimus, ea remedia proponendo, quę à Doctoribus, & ab alijs, in hac materia non parum verſatis, præſcribuntur tamquam generalia remedia pro cauſſis ſcrupulorum arcendis.

Primum autem vniuerſaliſſimum, ac optimũ
4 remedium † eſt præparatio ad diuinam capeſſendam gratiam, quod maximè fit deteſtando peccata, & per amorem ad Deum ſe conuertẽdo, in tali enim amore puritas mentis conſiſtit, cuius beneficio homo aptior, digniorq; redditur ad diuinas illuſtrationes recipiendas, quibus facillimè ſcrupulorum tenebrę fugantur, & veritatis cognitio obtinetur, vt enim nos instruendo, admonet pijſſimus ille vir quicumq; fuerit, *Author libelli de imit. Chriſti libr. 2. cap. 4. ſi homo intus bonus, & purus eſſet, omnia ſine impedimento videret, & bene caperet* ſic ille. Idcirco rectam homo intelligentiam diuinarum rerum adipiſcens, errores, quos ſcrupuli menti ingerunt, facili negotio dignoſcere, eoſq; repellere poſſet.

5 Secundum eſt † aſſidua, & ſollicita Sacræ Scripturæ lectio, & meditatio, hoc autem exercitium valdè nobis commendatur *à Salomone in prouerb. cap. 1. ver. 5.* dicens [*Audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*] debet ergo aſſidua eſſe Sacrarũ litterarum meditatio, vt monet etiam S. *Baſilius prologo in Eſaiam verſus finem* his verbis [*Requiritur aſſidua in Scriptura exercitatio, vt Maieſtas, atque Arcanum diuinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur*] *Hæc Baſilius*, & meritò hoc aſſerit, quia ipſa Scriptura Sacra diſciplinas omnes, & quæ ad noſtrã eruditionem cõferunt, ſuo complectitur ſinu, & à Spiritu Sancto eſt ita contexta, vt eius lectio omnibus perſonarum generibus, locis omnibus, & temporibus, & deniq; omnibus animi morbis eſt accommodata.

6 Tertium remedium † eſt oratio, cuius neceſſitas, & vtilitas ad intellectum erudiendum omnibus innoteſcit, & apud Patres, cæteroſq; ſpirituales viros referta inueniuntur volumina; media autem oratione plurima à Deo conſequimur dona, inter quę eſt mentis illuſtratio, quod ſignificare voluit *S. Iacobus in ſua Epiſtola Canonica cap. 1.* inquiens [*Si quis veſtrũ indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*] per hanc diuinam, & ſupernaturalẽ ſapientiã intellectus illuſtratus agnoſcet quid faciendum, quidue fugiendum ſit, atqueadeo falſas ſcrupulorum apprehenſiones depellet. Et hæc de primo modo, nempè, de remedijs pro cauſſis ſcrupulorum euellendis; ſequentes autem regulæ, ſeu remedia magis tẽdunt ad ſcrupulos ſecundum ſe ipſos immediatè fugandos.

7 Quartum igitur remedium † eſt bona in rebus agendis electio; quæ fit adhærendo probabilibus, & tutis Doctorum ſententijs, & ad hoc tota iſta tractatio de conſcientia dirigitur, idcircò non ſunt de nouo alia addenda, ne eadem repetamus.

8 Quintum † eſt humilis intellectus ſubiectio ad Confeſſarium, debent igitur ſcrupuloſi eligere Patrem ſpiritualem, qui prudentiam, & pariter doctrinam calleat, à quo in via ſpirituali regantur, eorumq; ductum ſequi proprio iudicio minimè fidentes; *Ne innitaris prudentia tuæ* dicitur *cap. 3. prouerb. & Tobiæ 4.* [*Conſilium ſemper à ſapiente perquire.*] Oportet igitur, vt ſcrupuloſi ſint parati ſuum intellectũ iudicio prudentis Cõfeſſarij ſubmittere, & hæc eſt conſtans, & firma regula ab omnibus opprobata; quapropter etiam ſi variæ occurrant ſcrupuloſis rationes oppoſitæ; nihil de illis curare debent, ſed poterunt, imò tenebuntur deponere conſcientiam, formando iudiciũ practicum, quod non obſtantibus rationibus illis, quæ ſibi in contrarium occurrunt, tuti manent coram Deo, ſequendo conſilium Confeſſarij, & licitum ſibi eſſe illud ſequi, ſi hoc pacto ſcrupuloſi conſcientiam formabunt, quamuis re ipſa errent & ipſi, & Confeſſarius, nihilominùs error ſolùm erit materialis, & nullũ apud Deũ committent peccatum; quia prudenter operantur, Confeſſarius fundans conſilium in natura ſcrupuloſa pœnitentis, quæ eſt ſufficientiſſima ratio ad prohibendum, ne ſcrupulis obuenientibus aſſentiatur, & pœnitens prudenter operabitur, fretus cõſilio ſui Patris ſpiritualis exercendo actum obedientiæ, & humilitatis, proinde grata erit Deo talis obedientia, & aduertant ſcrupuloſi vnum notatu dignũ, quod nullo modo conentur ſcrupulis reſiſtere per rationes intrinſecas veluti diſputando; nam cum eorum intellectus ſit morbo ſcrupulorum malè affectus, & tenebris oppreſſus, erit ineptus ad diſcernendos ſcrupulos, & ſemper ſuccumbet; via autem regia erit deponere per rationes extrinſecas, non obſtantibus cõtrarijs, de quibus vt dixi, nihil curare debet, ſed hæc, cum erit ſermo de remedijs in particulari, meliùs enucleabuntur.

Sex-

Sextum remedium à S. *Antonino* poſitum *in ſexto loco* † eſt ſcrupulorum animoſa abiectio, hoc eſt, volũtas conſtans ad fortiter ſcrupulis obſiſtendum, hoc autem non indiget alia declaratione à præcedente; admonemur enim ad ſtrenuè dimicandum contra ſcrupulos, quod debet firmiter ſcrupuloſus ſibi proponere.
9

10 Septimum eſt † præceptorum, & legum diſcreta interpretatio, ſunt enim accipienda ſecundum benigniorem partem, & præſertim pro ſcrupuloſis, & ea, quæ ſunt ipſis ſcrupuloſis dubia, æſtimanda ſunt, vt certa, in fauorem ipſorum ſcupuloſorum; ideoq; conſueuerunt Magiſtri vitæ ſpiritualis, & alij Theologi docere, vt ſcrupuloſi non iudicent eſſe peccatũ id, de quo dubitant; poſſunt enim conſcientiam deponere credentes talem actionem, vel omiſſionem, de qua ambigunt, an ſit peccatum mortale, nec ne, tale non eſſe, ſed inferius hoc melius declarabitur.

Demum pro Coronide huius capitis, & præter ſupradicta remedia alterũ † excellentiſſimũ
11 mihi placet, quod notauit *Caietanus in ſummulis caſuum verb. ſcrupuloſi ver. (eſt et magna)* nempè, ſollicitudo ad fugienda ea, quæ ſũt manifeſta peccata, etiam venialia; ſic enim diſcurrit ipſe (*Qui enim parùm curat committere venialia (ita quod cum ſcit aliquid non eſſe mortale, paruifaciat incurrere) ſollicitus non eſt ad curam animæ ſuæ, vt fructum reddat in tempore ſuo, et propterea mirum nõ eſt, ſi Angelica deeſt cuſtodia ad præſeruandum illum, qui ſibi ipſi deeſſe paruipendit*) *Hæc Caietan.* optimum igitur remedium, Deoq; gratiſſimũ erit vitare, quantùm fieri poterit, leues culpas, nam Deus, qui eſt immenſum bonitatis, & liberalitatis pelagus, videns diligentiam, quam homo adhibet ad ipſum, neq; leuiter offendendum, eidem abundantiora largietur auxilia; eiuſq; intellectum illuminabit, vt ſcrupuli euaneſcant. Et hoc remedium eſt accuratè ſeruandum; cum valdè adiuuet ad mentis puritatem acquirendam.

Hæc autem ſufficiant de remedijs generalibus pro ſcrupulis euitandis; antequam occurrant, & ad eorum cauſſas tollendas: Supereſt ergo, vt de ſecundo modo agamus, nempè, declarando, quo pacto oporteat contra ipſos ſcrupulos actu mentem infeſtantes immediatè pugnare circa determinatas materias, quod in ſequenti capite præſtabimus.

CAPVT VI.

De Remedijs ſcrupulorum pro determinatis materijs.

SVMMARIVM.

1 *Exponuntur modi ad repellendos ſcrupulos in materijs particularibus.*
2 *Omittuntur aliquæ materiæ, vel quia rarò circa illas verſantur ſcrupuli, vel quia in illis non ſolent ſcrupuloſi nimium affligi.*
3 *Seliguntur frequentiores, et moleſtiores.*

HActenus loquuti ſumus de remedijs in genere pro ſcrupulis pellendis, non deſcẽdendo ad ſcrupulos in materia ſpeciali, † nunc
1 verò proponimus, & explicabimus modos peculiares, & quamuis materiæ particulares, circa quas ſcrupuli verſari queant, ſint plures, abſq; numero, & infinitæ, placet tamen nõnullas præcipuas ſeligere, in quibus frequenter ſcrupuloſi moleſtijs affici ſolent; plures aſſignat, & examinat *Breſſerus*, incipiendo *à cap. 6. et per decem, et nouem cap. vſque ad finem libri* fusè pertractat, ſed aliquas
2 ex illis libenter omitto, † quia vel ſunt tales, vt circa illas rarò verſentur ſcrupuli, vt ſunt quæ concernunt veritatem de Chriſti ſanguine poſt paſſionem in terris relicto, vel cultum ipſi ſanguini adhibendum, aut veritatem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, prædeſtinationem, & præſciẽtiam: vel ſunt tales, circa quas licet aliquanto ſæpiùs ſcrupuli verſentur; nihilominùs non ſolent admodum ſcrupuloſos torquere, vt ſunt ſcrupuli circa venialia, cognita vt venialia, circa
3 eorumdem venialium frequentiam &c. † Seligam igitur materias illas, de quibus vt plurimum ſcrupuloſi occaſionem arripiũt ad ſcrupulos fouendos, de quibus valdè anguſtiantur: Has autem materias, vt clarius, & diſtinctius procedamus, per varios paragraphos ſeiũgimus

§. I.

Nimia in iterandis confeſſionibus, præteritiſque criminibus enucleandis Religio, quo pacto moderanda.

SVMMARIVM.

1 *Inter præcipua ſcrupulorum genera eſt dubium de culpis præteritis iterum confitendis.*
2 *Non debent ſcrupuloſi talia dubia fateri.*
3 *Pro non ſcrupuloſis in prædictis dubijs cautiùs eſt procedendum.*
4 *Aliquis poterit eſſe ita ſcrupuloſus, vt teneatur fateri ſolùm, quæ iurare poterit eſſe peccata mortalia, & non confeſſa.*
5 *Quæ de peccatis dicuntur, intelligi debent de*

circumſtantijs.
6 *Certitudo moralis in hac materia ſatisfacit ad iurandum pro ſcrupuloſis.*
7 *Indicium de ſufficiente examine ante confeſſionem adhibito, non debet ab ipſo ſcrupuloſo, ſed à Confeſſario elici.*
8 *Scrupuli circa ea, quæ alioqui ſunt neceſſaria ad ſalutem, etiam in fine vitæ ſunt depellendi.*
9 *Scrupulus de ijs, quæ prædicta carent neceſſitate, non eſt neceſſe, vt ita facile contemnatur, & quare.*

EX ijs, quę ſcrupuloſorum animũ
1 torquere cognoſcimus, † potiſſimum cenſemus eſſe dubium
de peccatis commiſſis, videlicet,
an hoc, vel illud peccatum mortale in confeſſione ſacramentali
manifeſtauerint, nec ne, talis enim ſcrupulus eſt
valdè nociuus, & ſi illi locus detur numquam in
ſcrupuloſis fons ſcrupulorum exhaurietur, & ipſi numquam deſiſtent à peccatis iterum, atque
iterum aperiendis cum magno corporis, animique detrimento, & cum magno etiam Confeſſarij labore, quo nullus grauior, quam cum ſcrupuloſis contendere, vt notat *Ioannes Sanchez
diſp. 41. in fine.*

Dicendum igitur eſt huiuſmodi ſcrupuloſis
2 † tali remedio eſſe occurrendum, vt facta mediocri diligentia, pœnitens niſi certo ſciat peccatum aliquod minimè faſſum fuiſſe; illud Cõfeſſario nõ aperiat, vt animaduertit *Emman. Sà
in aphoriſmis verb. confeſſio n. 42. Sanch. lib. 1.
in decal. nu. 85. 86. Breſſerus cap. 6. nu. 62. Ioannes Sanch. diſp. 41. nu. 18.* Et hoc prędicti
Authores extendũt etiam ad nõ ſcrupuloſos; at
huius extenſionis rationem nõ aſſignant, ideò,
3 vt obiter dicam, † regula iſta pro nõ ſcrupuloſis eſt declaranda, & nõ indiſcriminatim recipienda, & quamuis nõ admittam, quod ſtante dubio de manifeſtatione peccati, nõ ſcrupuloſus
prudenter valeat conſcientiã deponere, exiſtimans ſe nõ obligari ad illud fatendũ; nihilominùs diſcurſu adhibito, poterit interdũ dubium
depellere, credens eſſe ſufficiens fundamentum
non dubitandi de manifeſtatione illius peccati,
mediocrem diligentiam in cõſcientiæ examine
ante confeſſionem ſacramentalem adhibitã, &
ſic dubio remoto, poterit & nõ ſcrupuloſus peccatum illud in confeſſione nõ manifeſtare, quod
tamen prudenter, & licite facere nõ poterit manente illo dubio, ex quo potius inferri deberet
iudicium practicũ, dictans illud peccatum eſſe
fatendũ: at loquẽdo de ſcrupuloſis diuerſo modo eſt procedendũ, ipſi enim nõ obſtante illa
dubietate, debent formare aliud iudicium, quo
practicè exiſtiment nõ obligari ad aperiẽda illa
peccata, de quibus poſt mediocrẽ diligentiam,
ambigũt, an, in confeſſione manifeſtauerint, &
ratio huius rei eſt, quia ſicuti credulitas in ſcrupuloſis eſt habenda pro certitudine, vt notant
Sanch. Breſſ. l. c. ver. (confirmantur hæc) ita dubietas eſt exiſtimãda in talibus credulitas, quod
notat *Baldelli diſp. 23. n. 7.* imò, vt docet *Laym.
lib. 1. tr. 1. c. 6. remed. 6. et Franc. Delugo vt infra*, horũ hominũ dubietas pro credulitate habenda eſt; quapropter debent ſcrupuloſi huiuſmodi dubia contemnere, & tutò conſcientiam
practicè ſibi formare, in his dubijs non teneri
ad peccata illa detegenda, & ob hoc nõ exponũtur periculo peccandi, quia iudicium practicum, quod liberè elicere poſſunt, eſt prudens, atque adeo tollit omne periculum, quamuis interdum verè peccata illa minimè in confeſſione
4 ſacramentali manifeſta fuerint; † imò poſſet aliquis eſſe adeo ſcrupuloſus, vt nõ teneatur confiteri, niſi ea peccata mortalia, quę iurare poterit ſe illa numquam fuiſſe confeſſum: ſic *Emm.
Sà in aphoriſmis verb. Dubium nu. 5. Sanch. in
decalog. lib. 1. cap. 10. n. 32. Auedus in p. 2. tr.
3. contr. 5. in fine Coſpenſis tr. 10. de conſc. n. 4.
Franciſ. Delugo par. 1. prænij. de curſus cap. 4.
ſect. 2. nu. 15. ver. Quare nullo modo. Bonacina
de præcept. diſp. 2. quæſt. 4. p. 8. ver. (Addo aliquem) Ioann. Sanch. diſp. illa 41. nu. 18 in medio. Caſtropal. tom. 1. diſp. 4. p. 2. num. 4. Breſſerus loco cit. et alij.*

Quæ dicta ſunt de peccatis ſecundum eorum
5 ſubſtantiam, vt ſic, † intelligi etiam debent de
circumſtantijs, & ideo ſcrupuloſus ſpernere debet dubia illa, an faſſus, nec ne, ſit hanc, aut illam circumſtantiam, & pariter an bene, & cõpletè, nec ne, ſe explicauerit in confeſſione, &
ſimilia; eadem enim horum omnium eſt ratio
iuxta doctrinam traditam.

Poſſet autem quis hic obiter quęrere de qualitate huius certitudinis, quam poſtulamus in
ſcrupuloſo circa confeſſionem præteritorum
peccatorum, videlicet, an debeat eſſe phyſica
& ſcientifica, an verò ſufficiat moralis.

6 Reſpondeo illam requiri, † quæ ſatis eſt ad
licitè iurandum in alijs hominibus, hanc autẽ
eſſe certitudinem moralem, & prudentem aſſerit *Baldelli, vt ſupra.*

Dices, ſi ad operandũ contra dubietatem de
cõfeſſione preteriti peccati requiratur; vt pœnitẽs iudicet mediocrẽ diligentiã adhibuiſſe ad
peccata in memoriã reuocanda, ſcrupuloſus nũquam poſſet contra talẽ dubietatẽ operari, quia
vel non exiſtimat ſe mediocriter conſcientiã ſuã
diſcuſſiſſe, vel ad minus de hac dubitabit.

7 Reſpõdeo † iudiciũ de mediocri diligẽtia à
Cõfeſſario, & nõ à ſcrupuloſo eſſe faciendũ, &
hoc ob rationem in argumento tactam; prudens
enim Confeſſarius ex notitia, quam habet de
tali homine in indiuiduo faciliùs è in cognitionem deueniet de qualitate examinis.

Dices, cũ quibuſdã ſcrupuloſis: In mortis articulo ſcrupulos iſtos de peccatis mortalibus
nõ cõfeſſis, nõ eſſe contẽnendos; neq; cõtra illos
modo explicato, eſſe agendũ, ergo neq; id faciẽdũ erit nũc tẽpore vitæ, cũ par videatur ratio.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel enim locutio eſt de eo, quod eſt ſimpliciter neceſſarium
ad ſalutem, vel de eo, quod per quamdam accõmodationem, & conſolationem ſcrupuloſi in
8 tali exiſtentis articulo; † ſi de primo ſit ſermo;

ſio,

aio etiam in eo articulo ſcrupuloſos eſſe con-
temnendos, quamuis agatur de rebus, quæ ſe-
cundum ſe præſcindendo à ſcrupulis, pertinent
ad diuinam legem, & ad ſalutem; proinde dico
tutò conſcientiam eſſe deponendam, non cõfi-
tendo peccata illa præterita: ſicuti enim iudi-
cium practicum eſt prudens in vitæ tempore
bonæ valetudinis corporalis; ita etiam erit tem-
pore mortis, & circumſtantia iſta ponẽs ſolam
diuerſitatem temporalem, non diuerſificat iu-
dicium, vt ex *Cordubæ* animaduertit *Sanchez
cap. cit. num. 81. in fine Bonacina loc. cit. ver.
Neque obſtat Laym in libet. tract. 1. capit. 6. in*
9 *fine.* † Si verò ſermo procedat de ſecundo; aio
illud permitti poſſe pro conſolatione moribũ-
di, & præſertim, quia cum laboret in extremis
ceſſat periculum damnorum, in quæ incurreret
ſcrupuloſus, ſi tempore vitę locum daret ſcru-
pulis; & in hoc ſenſu verum erit, quod dicunt
aliqui reſpondentes ad hoc argumentum, ſci-
licet multa licent in eo articulo, quæ extra illũ
nequaquam ſunt facienda.

§. II.

Efficax ſuggeritur forma ad vanum abigendum timorem de doloris ad confeſſionem requiſiti defectu.

SVMMARIVM

1 *Eſt valdè frequens, & communis ſcrupulus de carentia doloris in aperiendis ſacramentaliter culpis.*
2 *Non requiritur perfecta contritio in Sacramẽto pœnitentiæ.*
3 *Non oportet eſſe ſenſibilem.*
4 *Probabile eſt ad valorem Sacramenti ſufficere dolorem naturalem, ſi ſupernaturalis putetur.*
5 *Sufficit dolor virtualis.*
6 *Difficultas in determinando, qui nam ſit dolor virtualis, proponitur.*
7 *Aliqui dicunt ſufficere, vt veſperi fuerit, ſi mane fiat confeſſio.*
8 *Gaſpar Hurtado docet, ſatis eſſe non fuiſſe retractatum.*
9 *Alij non menſurant dolorem virtualem per habitudinem ad tempus, ſed ſolùm ad dependentiam confeſſionis ab ipſo dolore.*
10 *Scrupuloſi prudenter poſſunt, deponentes conſcientiam, exiſtimare ſufficientem habuiſſe dolorem.*

FRequentes, & valdè communes
ſunt moleſtiæ, quas ſcrupuloſi
patiuntur apprehendẽdo dolo-
ris defectum in prętеritis cõfeſ-
1 ſionibus, † ideoq; ſibi manifeſte
perſuadent eſſe remedium, ite-
rare confeſſiones illas; vt autem huic incommo-
do opportunè occurramus, debemus propor-
tionatum remedium aperire, quo ſcrupuloſi
vtentes, huic morbo medelam præbeãt. Sũt igi-
tur nonnulla fundamenta, & principia adnotã-
da, ex quibus deducatur forma, ſeu modus his
timoribus reſiſtendi.
Suppono igitur primò, dolorem ſufficientẽ
2 ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, † non
oportere eſſe perfectum, nempè, perfectam
contritionem, vt ſatis communis Doctorum
opinio affirmat, & ex *Tridentino* colligit; ſed
ſufficere imperfectum dolorem, vel ex motiuo
gehẽnæ, vel ex turpitudine peccati &c. qui do-
lor attritio nuncupatur à Theologis: Hanc opi-
nionem, quæ eſt moraliter certa in præſentia
ſupponimus, & nõ curamus eã probare, quoniã
hoc eſſet egredi noſtri inſtituti limites.
Secundò, ſuppono dolorem, quicumq; ſit,
ſiue perfectus, ſiue imperfectus, neceſſariò ex-
3 actus, † non eſſe ſenſibilem, ſed rationalem,
vt omnes vniuerſaliter fatentur loquentes de
partibus huius Sacramenti: proinde etiam ſi
in parte interiori nullum experiamur motum,
neq; gemitus, aut lacrymas, poterit conſiſtere
vera, atq; perfecta cõtritio in parte ſuperiori.
Tertiò, ſuppono eſſe ſatis probabilem ſentẽ-
4 tiam, † quæ aſſerit dolorem naturalem, ſi pœ-
nitens bona fide accedat ad hoc Sacramentum
putans eſse ſufficienter diſpoſitum, ſatis eſse ad
validitatem Sacramenti, quicquid ſit de effec-
tu, nempè, de productione gratiæ, remiſſione
peccatorum &c. & hanc ſententiam multorũ
authoritate confirmaui, dum agerem de Sacra-
mentis, vt moralis Theologus *tract. 6. capit. 2.
dub. 4. concl. 6.* attuli ibi plures tùm ex anti-
quis, tum ex recentioribus, qui hãc opinionem
amplectuntur.
Quartò, ſuppono ſatis eſse dolorem, qui tẽ-
pore, quo Sacramentum pœnitentiæ confici
5 debet; † virtualiter maneat, quamuis tunc
actu non exiſtat, & in hoc conueniunt Docto-
res; nam verum erit confeſſionem illam perfici
vi doloris præcedentis in ſuo effectu manentis
v.g. ſcrutatur quis diligenter conſcientiam ſuã
in ordine ad confeſſionem, & peracto examine
eliciat actum doloris in ordine ad cõfeſſionem
peragendam, & poſtea quamuis dolor iſte for-
maliter ceſset, ſi tamen vi illius fiat confeſſio,
cenſebitur dolor ille prętеritus virtualiter re-
manere, & quantùm ſatis eſt ad valorem, & ef-
fectum Sacramenti.
6 Difficultas autem hic ſuboritur † quidnam
requiratur, vt dolor iudicetur virtualiter per-
manere, cum non ſufficiat manere ſolùm ha-
bitualiter, & in hac difficultate ſolent opprimi
ſcrupuloſi; nam elicientes actum doloris priùs
tempore, antequam confiteantur, & poſtea

 illum

illum non retinentes, aut de nouo non elicien-
tes, iudicant præteritum illum dolorem perſi-
ſtere ſolùm in habitu, & non in virtute, atque-
adeo vt inſufficientem ad valorem Sacramenti:
oportet igitur breuiter declarare hanc virtualẽ
permanentiam, vt ea à ſcrupuloſis bene perſpe-
cta vani timores de doloris carentia omninò
propulſentur.

7 Fuit opinio quorumdam aſſerentium † ſa-
tis eſſe ſi veſperi poſt examen conſcientiæ, eli-
ciatur dolor de peccatis commiſſis, & confeſſio
proponatur facienda die ſequenti, & tũc etiam
ſi craſtina die nullus alius eliciatur dolor, Sa-
cramentum eſſe validum, quantùm eſt ex vi
præcedentis doloris. ita docet *Ioannes Præpo-
ſitus de pœnit. diſput. 2. dub. 1. nume. 30. ver.*
(*Si quis.*)

Plus autem aſſerit *Gaſpar Hurtado* loquens
de Sacramentis in genere *diſp. 1. diffic.* 11. pro-
8 pè finem. † Ait enim tamdiù actus pœniten-
tis dici moraliter permanere, quamdiù perma-
nent habitualiter, ideſt, quando non retractá-
tur, neq; explicitè, neq; implicitè. Deniq; alij
nolunt hanc virtualem permanentiam menſu-
rare per ordinem ad longitudinem, & breuitatẽ
temporis, † ſed ſumunt illam per reſpectum
ad dependentiam, quam habet ipſa confeſſio
à dolore priùs elicito, & ideo quamuis diutur-
num ſit tempus trãſactum v. g. annus à contri-
tione elicita per ordinem ad confeſſionem, ſi
nunquam alterutro ex prædictis modis retrac-
tatus, videlicet per nouam voluntatem con-
trariam, ſeu per nouum peccatum mortale,
ſi tempore confeſſionis ſit memoria talis do-
loris priùs eliciti, & pœnitens vi illius moueа-
tur ad confeſſionem efficiendam, tunc dolor
cenſetur moraliter perſeuerare: Contra verò
poterit caſus accidere, vt breui tempore ante
fuerit elicitus E. C. vno, aut altero die, & poſtea
ita ceſſauerit, vt nullus ſit effectus; nulla me-
moria ipſius, tunc non cenſetur moraliter per-
ſeuerare, neq; confeſſionem fieri vi illius. ita
diſcurrunt aliqui, quod videtur etiam voluiſſe
Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſect. 4. num. 29.
loquens in caſu, quo tempore confeſſionis, &
abſolutionis nullus ſit formalis dolor; nihilo-
minùs ait, ſi præceſſit, & virtute illius fiat con-
feſſio, exiſtimandum erit validum Sacra-
mentum.

9 Placuit has referre ſententias, † non ad ea-
rum veritatem examinandam, ſed ad oſtenden-
dum pro ſcrupuloſis neceſſitatem doloris in
conficiendo Sacramento pœnitentiæ non eſſe
intelligendam eo modo, quo ipſi eã ſibi fingũt.

10 Dicendum igitur eſt † optimum eſſe reme-
dium ſcrupuloſos ſibi perſuadere, rationabiliter
poſſe in præteritis confeſſionibus ſufficientem
habuiſſe dolorem: probatur, quia præſumptio
ſtat pro ipſis, quia cum ex vna parte in ſe ipſis
tempore confeſſionis volũtatem ſeruandi diui-
na præcepta habuerint, à peccatis abhorruerint
& ex alia parte ſciuerint neceſſitatem doloris,
ne ſacrilegam facerent confeſſionem, præſu-
mendum eſt ab ipſis elicitum fuiſſe dolorem,
dum de oppoſito non conſtat, ideoque poſ-
ſunt tuta conſcientia non iterare confeſſio-
nes præteritas cum eorum diſpendio, & mo-
leſtia.

§. III.

Solicitudo inaniter metuentium mentem torquens, an malis aſſenſerint ſuggeſtionibus, qua ratione expellenda?

SVMMARIVM.

1 *Grauiter affligi ſolent ſcrupuloſi dubitantes præſtiterint, nec ne, conſenſum prauis ſuggeſtionibus?*
2 *Dubia de conſenſu præſtito, non debent à ſcru-pulosis in confeſſione aperiri.*
3 *Remedium, quod contra tale dubium pro-ponit Arriaga, eſt tamquam ſcrupuloſis nociuum, omninò repellendum.*
4 *Oppoſitum remedium eſt illis ſuadendum.*

1 NIHIL laborioſius, † & pro ſcru-
puloſis grauius eſt apprehenſio-
ne, qua eorum animus quibuſdã
veluti aculeis mordetur, & pun-
gitur, dubitantes, an prauis ſug-
geſtionibus conſenſum, nec ne,
præſtiterint, ideoq; in confeſſionibus ſe cul-
pabiles reddunt, & accuſant: Debemus igitur
remedium aptum ad talem morbum curandum
explicare.

Dicendum autem eſt ſcrupuloſorũ debere om-
ninò omittere † confeſſionem talium dubita-
2 tionum, conſcientiam practicè deponendo, &
nihil curando, ſi ſpeculatiuè eam deponere ne-
queat; ſpeculatiuam depoſitionem eam voco,
quæ per rationes aliquas dubium illud tollet;
practicum verò, ſi non obſtante dubio iudice-
tur nos non obligari vi talis dubij ad illud fatẽ-
dum. Ratio autem huius concluſionis deſumi-
tur ex doctrina in præcedentibus tradita, vide-
licet, dubium de conſenſu in talibus hominibus
debere cenſeri imprudens, & abſq; fundamẽto,
& hoc non gratis aſſeritur, quia ſufficiens fũ-
damentum exhibet ipſamet ſcrupuloſorum
natura; & etiam ſi interdum contingeret, vt re
vera fuerit conſenſus, excuſabitur ipſemet ſcru
puloſus omittendo confeſſionem talis conſen-
ſus, de quo ſolùm dubitat, & maximè id verum
eſſet, ſi hoc fieret Patris ſpiritualis, aut docti, &
prudentis Confeſſarij conſilio.

Volo autem hic animaduertere remedium,
quod pro ſcrupuloſis dubitantibus tradit *Ar-
riaga tom. 3. in p. 2. diſp. 27. ſect. 3. num. 15.*
3 *ver.* (*Quæ dixi*) † nullo pacto eſſe admitten-
dum, vt iacet: Applicans enim ibi remedia

ad

ad ſcrupulos circa peccata præterita in ordine ad confeſſionem, contritionem &c. & hoc pro ſcrupuloſis dubitantibus, vtrum teneantur amplius confiteri, conteri de illis peccatis, nempè præteritis &c. ſic ſubdit (*ſi ſcrupulus eſt præcisè, an peccauerint, necne, facilius poteſt eis reſpondere: primò, vt ſub dubio ſe accuſēt, & poſtea non ſint amplius ſoliciti &c.*) Remedium iſtud, pace tanti viri, eſt omninò nociuū imò non remedium, ſed potiùs fomentum ad ſcrupulos fouendos appellari debet: Sitis enim illa ineſtinguibilis, qua ſcrupuloſi laborant in enarrandis peccatis, & vt meliùs loquar, [illegible] dubijs, eo magis nutritur, quo magis ipſi ſcrupuloſi talia dubia fatentur, & interdum in quibusdā ita ſitis cōfitendi accenditur, vt prorſus reddatur inſanabilis. Remedium autem pro huiuſmodi dubijs optimum, & à Doctoribus, & Patribus approbatum eſt aliud omninò oppo-
4 ſitum, † nempè, ne dubia iſta ſcrupuloſi fateantur; aliter ſi in eorum libertate relinquatur talium dubiorum confeſſio, numquam ſcrupulorum fons exhauriretur; proinde prohibendū à Confeſſario prudenti eſt illis, vt ne ſe accuſent, vt aiebat *Arriaga*, ſed vt omittant dubia illa, quibus eorum animus vexatur, ambigens, an peccatum, nec ne, patratum fuerit.

§. IV.

Quomodo contra ſcrupulos inſiſtendum in Sacris Precibus ex præcepto fundendis.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur genus ſcrupulorum in recitandis precibus.*
2 *Scrupulus huius generis, vel verſatur circa ſubſtantiam orationis, vel circa eius modum*
3 *Scrupuloſus ambigens omiſerit, nec ne, aliquem pſalmum, hymnum &c. non debet illum repetere.*
4 *Sufficiens habet argumentum ad credendum illum recitaſſe.*
5 *Doctrina iſta traditur, tùm pro ſcrupuloſis in alijs materijs, tùm etiam in hac ſola materia.*
6 *Varia ſequerentur incommoda, ſi ſcrupuloſi repeterent, quod dubitant omiſſum.*
7 *Recitatio dubia, debet exiſtimari moraliter certa in ſcrupuloſis.*
8 *In materijs pertinentibus ad leges poſitiuas, non datur ita ſtricta obligatio, ſicuti in legibus naturalibus, aut diuinis.*
9 *Quod diximus dando remedium contra ſcrupulos, in recitandis precibus, aſſerimus in recitando ſacro.*
10 *Et idem de precibus ex voto, vel pænitentia ſacramentali.*
11 *Quando dubium eſt de ſubſtantia, & non de hoc, aut illo pſalmo &c. recurrendum eſt ad coniecturas.*
12 *Quæ diximus de recitatione pro ſcrupuloſis, limitātur in aliquo caſu, cum v. g. Sacerdos hæſitat, an abſoluerit, nec ne, ægrotum morti proximum.*
13 *Affligi non debent ſcrupuloſi de attentionis defectu in recitandis precibus.*
14 *Sufficit minima, ſeu ſuperficialis attentio interna.*
15 *Satis eſt virtualis.*
16 *Neque eſt obligatio recitandi ex formali intentione adimplendi præceptum.*
17 *Intentio iſta, niſi conſtet de contraria, ſemper eſt præſumenda.*
18 *Præceptum fertur in ſubſtantiam rei, & non in intentionem.*
19 *Eſt probabilis opinio, quæ aſſerit in precibus ex obligatione eccleſiaſtica recitandis, non eſſe neceſſariam internam attentionem.*

1 SERMO eſt ✠ de precibus quibuſcumq; ad quas homo tenetur, ſiue virtute legis vniuerſalis, vt Beneficium Eccleſiaſticum habētes, & Sacris Ordinibus inſigniti, qui ad horas Canonicas perſoluēdas obligantur; ſiue ex vi voti, vt ſi quis illud emiſiſſet ad recitandum Roſarium, aut ad percurrendos Virgineos calculos, aut ad aliam orationem, ſiue deniq; vi pœnitentiæ ſacramentalis à Confeſſario iniuncta, aut à quocumq; Superiore, regula, inſtituto &c. In his autem explendis inſurgere ſæpe ſolēt ſcrupuli, quibus
2 timidæ conſcientiæ homines cruciantur. † Dubitationes autem totum animos vexantes, vel circa ſubſtantiam, vel circa modum deuoluūtur; videlicet ancipites, incertiq; ſunt, recitauerint ne officium diuinum, vel partem aliquam omiſerint v. g. talem horam, vel pſalmum aliquem, &c. Circa modum verò dubitationes ſuboriūtur, an debita attentione perſoluerint. Hæ ſūt cōſuetæ perplexitates, quę in materia hac ſcrupuloſos torquent. Et de his fugiendis nonnulla ex Doctoribus documenta, ſeu remedia deſumpta ante oculos ſunt conſtituenda; initium ſumentes à ſcrupulis, qui circa ſubſtātiam operis præcepti vertuntur

Dicendum eſt primò, ſi ſcrupuloſus dubitet, an in recitādis horis aliquos prætermiſerit pſal-
3 mos, hymnos &c. † non ſolūm tenebitur repetere, ſed etiam non debet. Sententiam hanc ponunt grauiſſimi Authores loquentes in terminis de ſcrupuloſis. *Nauarrus de oratione notab. 13. num. 28. 29. & notab. 20. num. 37. Azor par. prima inſtit. lib. 10. cap. 12. quæſt. 12. ver. (Sed quid de eo) Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis Canon. cap. 26. num. 21. Oliuer. Bonartius de horis Canon. lib. 3. cap. 23. nu. 17. Breſſerus lib. 6. de conſc. ſcrupul. cap. 13. nu. 167. ver. (Aduerte circa lectionem)* & nouiſſimè *Baptiſta Fragoſus de regim. Chriſt. reipub. par. 2. lib. 10. diſp. 22. §. 3. num. 33. & apud ipſos*

ſos Maior in 4. diſt. 12. quaſt. 7. Probatur aūt
4 concluſio primò, † quia ſcrupuloſi ſufficiens
habent argumentum credendi ſe partem illam,
ſeu tales pſalmos recitaſſe, atq; adeo deponendi
rationabiliter conſcientiam ad non repetendū,
& pro ipſis ſatis erit incœpiſſe recitare talem
horam &c. & poſtea ſe in fine illius horæ inue-
niſſe, ſiue hoc ſit legendo, ſiue memoriter reci-
tando, ſatis enim erit non ſcire ſe illos nō per-
ſoluiſſe: hanc regulam *Breſſerus* extēdit etiam
ad non ſcrupuloſos. Cæterum cum his cautè
erit procedendum, quamuis enim ampliſſimū
ſcrupuloſis ſit concedendum priuilegium, eos
omninò ab onere repetendi partem, de qua du-
bitant, liberandos, nihilominùs ijs, qui prædi-
ctis dubitationibus non laborant; laxas habenas
dare minimè debemus, & præſertim ſi timidæ,
& teneræ conſcientiæ nequaquam ſint.
5 Admoneo tamen lectorem, † quod ſcrupu-
loſi, quibus in hac re veniam damus, non ſunt
intelligendi tantùm illi, qui in diuerſis materijs
ſimiles patiuntur ambiguitates; verum etiam
ij, qui in hac ſola materia perplexitatibus la-
borant.
6 Probatur ſecundò, † ex incommodis, quæ
ſequerentur, ſi ſcrupuloſi obligarentur vi præ-
dictorum dubiorum ad preces repetendas, nū-
quam finem imponerent, ſed iterum, atq; ite-
rum omnia replicarent cum non paruo capitis
detrimento.
Sed contra vrgebis in hunc modum: Obli-
gatio de precibus his fūdendis eſt certa, ſolutio
autem, ſeu ſatisfactio dubia eſt, & incerta, ergo
ſcrupuloſus dubitans, ab onere recitandi non
eſt liberandus: Neq; ad vim argumenti decli-
nandam recurras ad naturam hominum, quorū
dubietas, vt ſupra ex multis adnotauimus, ha-
benda ſit pro credulitate; nam etiam ſi hoc de-
mus, argumentum in ſuo robore manet, quia
licet dubietas illa ſit probabilitas exiſtimanda,
non erit tamen ſufficiens ad obligationem cer-
tam auferendam, cum pro eo, quod eſt certum,
daremus id, quod limites probabilitatis nō egre
ditur, & ideo ex hoc principio diximus in ma-
teria iuſtitiæ pro debito certo non poſſe ſatiſ-
fieri ſolutione dubia, & etiam probabili.
7 Reſpondeo, † negando in primis ſolutionē
illam, ſeu ſatisfactionem eſſe incertam; nam in
ſcrupuloſis habenda erit pro moraliter certa, &
ideo negamus conſequentiam. Ad illud, quod
pro confirmatione argumenti ſubſumitur, dici-
mus, quod quamuis in præiudicium tertij, & in
materia iuſtitię, quę ſtrictiſſimè obligat ſolutio-
nem dubiam, imò, & probabilem ſatis non eſſe
8 pro debito certo, † nihilominùs in alijs ma-
terijs non ita preſsè obligantibus non ſemper
id locum habet; & maximè in præceptis Eccle-
ſiæ, quæ cum tanto rigore non obligant, reſpō-
dendo autem directè dico, valdè congruum
fundamentum eſſe in hac materia de recitandis
& fundendis precibus; vitare damna corpora-
lia, & etiam ſpiritualia, quæ cauſſantur ab itera-
tis repetitionibus, per quas non ſolùm læditur
ſanitas corporis, ſed etiam animus tædio affici-
tur in orando, proinde eſt rationi conſonum,
vt præcepta iſta cum tanto diſpendio nequaquā
obligent.
9 Dicendum eſt ſecundò, † quæ aſſeruimus
de repetitione precum, intelligi etiam debent de
dubio, quod Sacerdotes ſcrupuloſi, dum Sacrū
faciunt, ambigunt, an protulerint, nec ne, ver-
ba conſecrationis, non recordantes ſe cōſecraſ-
ſe, & etiam intelligi debent de precibus, & ora-
tionibus, quas ex voto, vel ex pœnitentia à Cō-
feſſario iniuncta effundunt, ſi eas incœperint,
& peruenientes ad finem dubitant, an partem
aliquam omiſerint, eadem enim eſt horum om-
nium ratio.
Dicendum eſt tertiò, quando perplexitas nō
eſt de parte orationis iam cœptæ, vt explicui-
mus; ſed de tota integra oratione nondū cœp-
ta v.g. Dubitat quis, an recitauerit, vel obliuio-
ne omiſerit horam aliquam ex Canonicis, vel
an ſatisfecerit voto, pœnitentiæ &c. tūc eſt ali-
10 qualis difficultas; nam hoc † eſt diuerſum du-
bium ab eo, de quo ſuperiùs loquuti ſumus, &
ratio difficultatis oritur ex eo, quod ad depo-
nendum hoc dubium, ſeu ad formandam rectam
conſcientiā; per q̄ ambigens ſoluatur ab obli-
gatione, non habetur illud fundamentum, quod
habetur in alio dubio, nempè, incœptio precū,
magnum enim fundamentum repellendi dubiū
eſt incœptio, & acceſſus ad finem, vt prudenter
iudicemus omnia à nobis perfecta fuiſſe; in hoc
autem dubio ſermo eſt cùm neq; de incœptione
dubitans recordatur; quid igitur dicendum ſit
11 pro ſcrupuloſis. Reſpondeo † eſſe recurrendū
ad quaſdam circumſtantias, nempè, an ſæpe ta-
li dubio quis laboret abſq; fūdamento, & ſi ita
erit, prudenter poterit liberari ab obligatione
recitandi; vel ſi obligatio eſt de precibus ex vo-
to, aut pœnitentia, & poſt diuturnum tempus
incipiat ſcrupuloſus dubitare, an ſatisfecerit,
tunc præſumendum eſt ſatisfeciſſe, quia non
videtur probabile in perſonis timidæ conſcien-
tiæ voluiſſe omittere preces illas, ad quas tene-
bātur; nam tales perſonæ ſolent eſſe nimium
ſolicitæ in recitandis precibus debitis, ex com-
muniter autem accidentibus efficax deſumitur
præſumptio pro dubitante, & regula iſta etiam
erit pro non ſcrupuloſis, ſed pijs viris teneram
habentibus conſcientiam.
Dicendum eſt quartò, ſupradicta aliquam
12 admittunt limitationem, † nempè, cum agitur
de præiudicio alterius, ſeu de damno ſpirituali,
quod euenire poterit tertiæ perſonę v.g. ſit Cō
feſſarius ſcrupuloſus, qui audiat peccata mor-
talia alicuius infirmi in articulo, ſeu periculo
mortis conſtituti, & poſt Sacramentum perac-
tum, dubitet, an abſolutionem impenderit. Ne
ægrotus ille exponatur periculo ęternæ damna-
tionis, ſi abſq; abſolutione pereat; tenebitur
Confeſſarius adhibita materia, abſolutionem
iterum repetere, nam etiam ſi pro abſolutione
collata ſint omnes illæ præſumptiones, quę ſūt
pro ſcrupuloſis de quibus ſupra egimus, peri-
culum tamen imminens pœnitentis, & charitas
ęrga proximum exigit, vt remedium iure adhi-
bendum

bendum ſit, quantùm fieri poteſt, certum, &
non euincitur per præſumptiones illas, proinde
tenebitur Confeſſarius ad abſoluendum pœni-
tentem, curans, vt ipſe pœnitens de eiſdem pec
catis nouam faciat materiam, ea peccata priùs
dicta in genere fatendo.

Et hæc de dubio, quod circa ſubſtãtiam pre-
cum verſatur, ſupereſt, vt de alio dubio, quod
de modo eiuſdem ſubſtantiæ emergit, aliqua
dicamus, nempè, de attentione, & intentione
requiſita.

13 Dicendum eſt quintò, † ſcrupuloſos non
debere nimium affligi, ſi inter recitandum ſibi
videtur defeciſſe requiſita attentio; primò, quia
non eſt omninò improbabilis opinio nonnul-
lorum, qui aſſerunt ſufficere ad præceptum Ec-
cleſiæ adimplendum attentionem tãtum exter-
nam, nempè, non ſe applicare rebus, quæ inter-
nam attentionem impediunt, v.g. legere aliam
librum, pecuniam numerare, pingere, ſcribere,
&c. Authores autem, qui prædictam ſententiam
tuentur, non negant diſtractionem voluntariã
in recitando eſſe aliquod peccatum contra re-
uerentiam Deo debitam, quamuis iuxta proba-
biliorem ſententiam non exiſtimetur, præciſo
contemptu, niſi culpa venialis. Sed ſolùm aiũt
non eſſe peccatum contra legem eccleſiaſticam.
Secundò, admiſſa opinione ſatis recepta, quæ
requirit attentionem internam, vt Eccleſiæ præ-
cepto ſatisfaciamus, & ea deficiente eſſe graue
peccatum ſi pars notabilis officij, aut alterius
14 orationis ita diſtractè recitetur † dicimus ſuf-
ficere minimam, quam *Breſſerus cap. 13. cit.
num. 159* ſuperficialem appellat, & *num. 161.*
ait attentionem hanc neceſſariò requiſitam, fa-
cilem eſſe, & vix contingere poſſe, vt qui ritè, &
ordinatè verba officij pronũtiat, ſit ad eadem
verba ſuperficialiter non attendat; licet recitãs
15 actu reflexo hoc non aduertat. Tertiò, † ſatis
eſt attentio virtualis, illa videlicet, quam reci-
tans initio orationis habuit, cuius virtute pro-
ſequitur orationem, etiam ſi inuoluntariè diſ-
tractus alia extranea cogitet obiecta; ſatis enim
erit attentionem illam retractatam minimè fuiſ
ſe, neq; explicitè, neq; implicitè, hoc eſt neque
per directam, & voluntariam diſtractionem, aut
per indirectam, aduertendo, ſcilicet, ſe diſtra-
hi, & diſtractionem nõ repellendo, tũc inter-
pretatiuè & implicitè vellet talem diſtractionẽ.
& non ſolum phyſicè, verùm etiam moraliter
cenſetur deſinere ab attentione illa, quę extitit
initio orandi. Cum igitur attentio, quæ præci-
pitur, ſit adeo facilis, non debent ſcrupuloſi
nimium ſolliciti eſſe, & ſe cruciare, ſi varias in
precibus fundendis diſtractiones paſſi ſint; poſ
ſunt enim ex varijs capitibus conſcientiam de-
ponere, indicantes ſe præcepto ſatisfeciſſe.

Dicendum eſt ſextò, Neq; debent ſcrupulo-
16 ſi animi anguſtijs premi, † dubitantes, an præ-
ceptum adimpleuerint ex formali intentione
ſatisfaciendi ſuæ obligationi, non debent, inquã
cruciari, quia licet aliqui, vt *Reginaldus in pra-
xi lib. 16. cap. 3. num. 21.* ſint in ea ſententia,
vt talis intentio neceſſariò requiratur; ita vt ea
deficiente, oporteat iterum opus iniũctum im-
plere, nihilominùs communiſſima Doctorum
opinio contrarium aſſerit, talem videlicet intẽ-
tionem non eſſe neceſſariam; ſic *Rodriquez in
ſumma tom. 1. & in ſecunda editione capit. 13.
num. 2. Henriquez lib. 9. de Miſſa cap. 25. nu.
6. Suarez in 3. p. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3. ver. (cir-
ca poſteriorem partem) & tom. 2. de Relig. libr.
4. de voto cap. 8. num. 14. Val. in 2. 2. diſput. 6.
quæſt. 2. pun. vlt. in fine, Salas de legib. diſp.
9. ſect. 2. num. 33. Vaſquez p. 2. in expoſitione
textus quæſt. 100. ar. 9. Azor par. prima inſt.
moral. lib. 7. cap. 2. quæſt. 6. & lib. 10. cap. 12.
quæſt. 9. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 13. nu. 9.
Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 3. dub. 32. Breſſerus
cap. illo decimotertio num. 155.* & addo rectè
animaduerti *à Baldello tom. 1. lib. 5. diſput. 25.*
17 *num. 14.* † intentionem hanc explendi præ-
ceptum ſaltem generaliter ſemper eſſe præſu-
mendam, quando de contraria intentione non
conſtat, quia vnuſquiſq; præſumitur ſua actio-
ne velle ſatisfacere ſuæ obligationi quantùm
poteſt; proinde etiam rectè idem Author in-
fert, quod audiens ſacrum, aut recitans horas
non eſt cur timeat, ſe præceptum non ſeruaſſe,
quamuis explicitam non habuerit intentionem
illud adimplendi, & idem eſt aſſerendũ de pœ-
nitentia ſacramentali, & de voto, &c. nam hæc
ad modum legis obligant; proinde ſi Confeſſa-
rius iniunxit Roſarium B. V. recitandum, vel
quia Roſarium vouerit, poſtea verò pœnitẽtiæ
immemor Roſarium recitet, cenſebitur ſuæ ob-
ligationi ſatisfeciſſe, vt prędicti Doctores ad-
uertunt, & idem de voto. Omnium autem ho-
18 rum ratio eſt, † quia lex, ſeu præceptum iniũ-
git dumtaxat opus exequendum, non autem
vt cum tali intentione formali adimpleatur, nẽ-
pè, cum intentione formali ſatisfaciendi, gratis
enim id diceretur, cum nullibi talis obligatio
reperiatur, neq; leges, & præcepta obligant ad
formalem, & ſignatam obedientiam, ſed ſolùm
ad materialem, quę ſufficienter ponitur, opus
iniunctum exequendo.

Deniq; ad maius ſolatium, & animi tranquil-
19 litatem ſcrupuloſorum addo † valdè probabi-
lem eſſe opinionem eorum, qui dicunt præcep-
tum Eccleſię adimpleri, etiam ſi fiat cum expreſ
ſa intentione non ſatisfaciendi per illud opus,
v.g. ſi quis recitet horas Canonicas, Roſarium
&c. ex animo non ſatisfaciendi, quamuis non
habens voluntatem iterum recitandi peccet, nõ
quia ſubſtantiam operis iniuncti non prętite-
rit, ſed quia apponit modum indebitum contra
ius naturale, & diuinum, pręcipiens nos, vt legi
humanę ſubdamur, eiq; pareamus: vide *Suariũ
in 3. p. loc. cit. Meroll. cap. illo 3. dub. 33.
à nu. 374.* Ex his omnibus patet quo
modo gerere ſe debeant ſcrupu-
loſi, cũ dubitationibus pre-
dictis vexãtur in pre-
cibus, quas ex
obligatione
fundunt.

(✠)

§. V.

§. V.

Qua via ſuperfluis occurrendum Religioſorum timoribus, de vitæ perfectione curanda.

SVMMARIVM.

1 *De perfectione religioſa agitur prout circa illã verſantur ſcrupuli.*
2 *Diſcurſus iſte dirigitur ad eos, qui diſciplinæ religioſæ inuigilant.*
3 *Religioſus tenetur ſub graui obligatione ad perfectionem progredi.*
4 *Non tenetur actu eſſe perfectum.*
5 *Profitetur perfectionis ſtudio operam dare.*
6 *Tenetur ad perfectionem tendere non per quæcumque opera, ſed per regulas proprij inſtituti.*
7 *Et hoc in eo gradu obligationis, ſub quo obligant regulæ ipſæ.*
8 *Religioſus proponens perfectionem non attingere, grauiter peccat.*
9 *Tranſgrediens regulas ex contemptu grauiter peccat.*
10 *Scrupuloſi non acquieſcunt, niſi eis declaretur quid ſit regulas ex contemptu tranſgredi.*

NOSTRI inſtituti terminos non
egredimur, ſermonem habentes
de Chriſtianæ Religionis perfe-
ctione; illam enim non ſecũdum
eius naturam, proprietates, &
effectus conſiderandam ſuſcipi-
1 mus, ✠ ſed vt materiam, circa quam ſcrupuli
verſari ſolent, Religioſorum animum torquẽ-
tes; proinde Religioſi talibus oppreſſi angu-
ſtijs ſolliciti ſunt, ne extra ſalutis viam progre-
diantur. Ad ſedandos igitur tam moleſtos ani-
mi motus pręſens inſtituimus quęſitum, doctri-
nis, & ſapientum placitis firmandum. Cęterum
2 moneo † diſcurſum ad eos referendum non eſ-
ſe, qui regularem vitam exterius profitentes; in-
teriùs tamen proficiendi ſtudium remittunt;
ſed ad eos, qui licet in aliquos labantur defec-
tus; nihilominùs correctioni, & regulari inuigi-
lant diſciplinę. Pręmittendę igitur ſunt cõclu-
ſiones quædam ab omnibus receptæ, quæ huius
quęſiti ſunt fundamentum, vt poſtea deueniã-
mus ad ea, quę difficilia ſunt, & in quęſtione
verſantur.

Dico igitur primò, Religioſum, eo ipſo, quo
3 ſtatum regularem aſſumit, † ſub graui obliga-
tione teneri ad perfectionem Charitatis, & cæ-
terarum virtutum per alia media progredi. ita
*Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 2. & 9. &
communiter alij.*

Dico ſecundò, non obſtringi Religioſum
4 actu eſſe perfectum, † ſed ſolùm ſtudio per-
fectionis incumbere, vt *S. Thomas quæſt. citat.
ar. 1. ad tertium, & ar. 2. in corp.* expreſsè do-
cet, eum ſequuntur *Caietanus ibi, cæteriq; Cõ-
mẽtatores.* Prima pars negatiua probatur, quia
ille, qui operatur ad finem, non oportet, vt finẽ
illum acquiſierit, ſed vt per aliquod medium
ad illum comparandum conetur, & de hoc op-
timum ſimile nobis affert *S. Doctor ar. illo ſe-
cundo ad primum* cõparans Religioſũ cũ diſci-
5 pulo, ſic inquit, ille, qui tranſit ad Religionẽ †
nõ profitetur ſe eſſe perfectũ, ſed profitetur ſe
adhibere ſtudium ad perfectionem conſequen-
dam: ſicut etiam qui intrat ſcholas, non profite-
tur ſe ſcientem, ſed profitetur ſe ſtudentem
ad ſcientiam acquirendam. Hæc S. Thomas,
vnde *S. Auguſtinus lib. 8. de Ciuit. Dei capit.*
2. de Pythagora loquens dixit. *Pythagoras no-
luit ſe ſapientem profiteri, ſed ſapientiæ ama-
torem:* ſic Religionem ingrediens; quę eſt ſcho-
la perfectionis, non profitetur ſe eſſe perfectũ,
ſed tendere ad perfectionem, ideoq; non cen-
ſetur ſuæ profeſſionis tranſgreſſor, ſi perfectus
nequaquam ſit, neq; mẽdax aut ſimulator, quẽ-
admodum eſſet ſi mentem à ſtudio perfectio-
nis reuocaret; Religio enim non eſt ſtatus per-
fectionis acquiſitæ, ſed acquirendæ: ſecunda
verò pars affirmatiua patet ex præcedente
concluſione.

6 Dico tertiò, neq; Religioſum † teneri ad
perfectionem progredi per quæcumq; opera
ad illam conducentia, ſed tantùm per ea, quę
in regulis ſui inſtituti præſcripta ſunt. ſic com-
muniter Authores ex *S. Thoma articulo illo ſe-
cundo, ad ſecundum, & tertium Caiet. ibidem.
Sanchez in decal. lib. 6. cap. 5. num. 5. Pellizza-
rius in manuali reg. tract. 75. cap. 1. num. 7.*
Ratio autem eſt, quia Religioſus obligatur
progredi ad perfectionem mediante ſtatu ſuę
profeſſionis, ergo per illa media, quæ ab eodẽ
ſtatu ipſi proponuntur.

7 Dico quartò, per regulas proprij inſtituti †
in eo tantùm gradu obligari Religioſos, ſub
quo latæ fuerunt, & ſeruandę præſcribuntur;
Concluſio iſta apertè deducitur ex præcedenti;
ſi enim Religioſus non obſtringatur ad alia
media, niſi ad ea, quæ ſunt in proprio ordine, ma-
nifeſtè ſequitur eodem modo obligari, ſub eo
gradu obligationis, ſub quo proponũtur; ideo-
que ſi regula obligat ſub mortali, aut tantùm
ſub veniali, aut demũ ſub nullo peccato, vt me-
dia ad perfectionem acquirendam eodem mo-
do obligabunt, & Religioſus illas tranſgrediẽs
iudicandus erit peccare grauiter, aut leuiter, aut
nullum ex parte obiecti peccatum committere
per ordinem ad ipſam regulam obligantem.

Dico quintò; ſi Religioſus proponat non
8 attingere perfectionem; † peccat mortaliter,
ita *Corduba in reg. S. Franc. cap. 1. quæſt. 3. poſt
tertium dictum ver. (Sed vtrum ſimiliter,)* vbi
quamuis expreſsè nõ dicat peccare mortaliter,
deducitur tamen euidenter ex doctrina ab ipſo
tradita: nam cum dicat peccare Religioſum
ita proponentem, ſicuti peccat, qui perfectio-
nem negligit, & loquens de illa dicat grauiter
pec-

peccare, idem debet intelligere de eo, qui proponit non attingere perfectionem, ſed expreſſè hoc ipſum docet *Sanchez cap. illo 5. num. 10. conſt. vlt. Pellizzarius cap. 1. cit. num. 11.* nam licet Religioſus non teneatur actu habere perfectionem, tenetur tamen non elicere actum contrarium, alias fruſtra adhiberentur media; quæ ab inſtituto proponuntur, ſi haberet contrariam intentionem.

Dico ſexto, Religioſus ſi tranſgreditur regulas, & media ad perfectionem aſſequendam ex contemptu, etiam ſi regulæ illæ, &
9 media non obligent ſub mortali, † nihilominùs ratione contemptus grauiter delinquet. Hæc eſt opinio S. *Thomæ quæſt. illa 186. ar. 2. in fine corporis, et ad primum* loquens de ijs, quæ ſunt de ſolo conſilio, *Caietanus ibi §. Ad euidentiam horum* (*Valentia 2. 2. diſput. 10. quæſt. 4. pun. 4. aſſertione ſecunda.* Rurſus *S. Thomas ar. 9. ad primum, et ſecundum* ſermonem habens de tranſgreſſione regularum, idem aſſerit, nempè, eſſe graue peccatum, ſi ex contemptu frangantur. *Caiet. §. in eodem art.* (*Valent. pun. 5. aſſertione prima Sanchez cap. illo 5. num. 8. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 1. num. 23. 24. et alij*, & hoc manifeſtè oſtenditur, quia cum Religioſus ſub graui culpa obſtringatur tendere ad perfectionem Charitatis, tanquam ad finem, ſi regulas, & media ad illam ſpernat, cenſebitur ſpernere, & contemnere ipſum finem, atqueadeò lethaliter delinquere.

10 Poſſem quæſitum abſoluere, † ex his remedium ſcrupuloſis præbendo pro tempore, quo huiuſmodi ambiguitatibus anguſtiantur, ſi nimirum exiſtiment, ſe numquam grauiter delinquere contra obligationem tendendi ad perfectionem, niſi illam contemnant, & remoto contemptu, credant mortaliter non peccare, poſſem, inquam, perficere quæſitum, tali præſtito remedio ad vanos, & ſuperfluos
11 timores repellendos, † ſed quia ſcio ſcrupuloſos numquam quieturos, niſi ipſis conſtet, quando huiuſmodi contemptus inueniatur, & quando pertingat ad culpam grauem, idcircò vt plenius eorum menti ſatisfaciam, placet aliam inſtituere quæſtionem, inquirendo, an contemptus iſte inueniatur in conſuetudine violādi regulas, quæ ad culpam mortalem minimè obligant; aut denique reperiatur in propoſito, quo Religioſus ſibi ipſi ſtatuat ſolùm ſeruare vota, præcepta, & regulas, quæ obligant ſub graui culpa, nequaquam tamen reliquas, quæ ſub nulla, vel ſub leui tantùm abſtringunt.

†††

§. VI.

Vtrum conſuetudo, aut firmum propoſitum tranſgrediēdi regulas, ſub mortali minimè obligantes, grauem inuoluat contemptum contra præceptum tendendi ad perfectionē.

SVMMARIVM.

1 *Vt ſcrupuloſi quieſcant, oportet clariùs illis explicare quid ſit violari regulas ex contemptu.*
2 *Aliqui putant conſuetudinem tranſgrediendi regulas, etiam ſub mortali non obligantes, eſſe grauem culpam.*
3 *Nonnulli hoc explicant per contemptum interpretatiuum.*
4 *Alij ratione periculi.*
5 *Alia ſententia negat talem conſuetudinem eſſe peccatum mortale.*
6 *Iſta vltima ſententia admittitur ab Authore*
7 *Inſtantia probans vltimam tranſgreſſionem eſſe peccatum, pro vt connotat præcedentes, declaratur.*
8 *Impugnatur ab Authore.*
9 *Obijcitur paritate ſimilium.*
10 *Infringitur obiectio.*
11 *Vltimum factum connotans præcedentia, relinquit effectum notabiliter repugnantem rationi.*
12 *Conſuetudinem communicandi ciuiliter, cū excommunicato non tolerato, ſecundum aliquos eſt peccatum mortale, ſecundum aliquos verò minimè.*
13 *Etiam poſita prima opinione eſt diſparitas inter vtramq; conſuetudinem.*
14 *Confirmatur principalis concluſio.*
15 *Propoſitum, quo Religioſus vult ſolùm ſeruare regulas obligantes ſub mortali, non autem alias, non eſt peccatum lethale.*
16 *Neque eſt periculum grauiter labendi, niſi remotum.*
17 *Proponitur inſtantia in contrarium.*
18 *Diluitur.*
19 *Limitatur concluſio, quando regulæ, quæ ſub veniali obligant ſunt in materia aliqua particulari, & quarum tranſgreſſio ducit ad mortale.*
20 *Propoſitum non ſeruandi regulas non obligantes ſub mortali, licet ſit diſpoſitio remota in ordine ad obiectum; eſt tamen periculoſa in quantùm videtur ponere impedimentum diuinis auxilijs.*
21 *Propoſitum committendi plura venialia poteſt eſſe mortale.*

1 QVIA, vt *præcedente paragrapho* diximus, † ſcrupuloſi non quieſcunt illo tantùm remedio adhibito, videlicet, ſe grauiter non peccaturos contra obligationem progrediendi ad perfectionem vitæ, niſi regulas, ſeu media, quæ à proprio inſtituto proponuntur, ex contemptu violent; oportet pro maiore animi tranquillitate talem contemptum diſtinctiùs explicare, & quia in frequenti, & iterata regularum violatione, aut in propoſito circa eamdem violationem faciliùs inueniri poterit, operæ pretium duximus hoc expendere, incipientes à conſuetudine.

2 Prima ſententia aſſerit † conſuetudinem tranſgrediendi leges, ſeu regulas eſſe peccatum mortale, & ita docet *Vaſquez p. 2. diſp. 58, cap. 4. num. 60. et alij Canoniſtæ*, quos laudat *Sanchez lib. 6. in decal. cap. 4. nume. 18. et 21.* quos ipſemet ſequitur, & etiam *Pellizzarius in manuali tract. 5. cap. primo quæſt. 11. num. 14. et Fragoſus de regim. Chr. Reipub. par. 2. lib. 11. diſp. 24. §. 10. num. 8.* quamuis in modo explicandi graue illud pec-

3 catum, diuerſimodè loquantur; † nam aliqui putant conſuetudinem iſtam eſſe mortalem, quia inoluit contemptum interpretatiuum, ac proinde vſus tranſgrediendi, ſi erit notabiliter frequens, cenſeri debet peccatum graue contra finem legiſlatoris, & in caſu noſtro contra obligationem tendendi ad perfectionem, cum ſit implicitus, ſeu interpretatiuus contemptus mediorum, quæ ad ipſam perfectionem acquirendam ducunt, & proponun-

4 tur, vt applicentur † At *Sanchez, Pellizzarius, et Fragoſus* negant in conſuetudine prædicta inuolui interpretatiuum contemptum, ſed dicunt eſſe peccatum ob periculum, cui Religioſus exponitur ad contemptum.

5 Secunda ſententia eſt oppoſita, † negat enim talem conſuetudinem eſſe peccatum lethale. ita *Suarez de legib. lib. 3. cap. 28. nu. 8.* &ad hoc etiam tendit doctrina ab ipſomet tradita *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 4.* incipiendo *à num. 10. vſque ad finem capitis*; idem aſſerit *Ioannes Franciſcus Giracus de regim. regul. par. 2. dub. 43. num. 257.* & videtur eſſe opinio *S. Thomæ 2. 2. quæſt. 186. art. 9. in corpor. et in reſponſ. ad primum, et tertium*, nam tunc docet tranſgreſſionem regulæ non obligantis ad culpam, eſſe peccatum mortale, quando fit ex contemptu; & expreſsè hoc aſſerit *Caietanus ibidem paragrapho (in eodem articulo quarto)* quatenùs aſſerit non ſufficere ad contemptum, etiam ſi eſſet perpetua, & millies reuoluta, & deliberata conſuetudo peccandi in tali commiſſione, vel omiſſione, ſed exigit, & *C. aliqui alij citantur à Suarez in eo cap. 28. de legib.*

6 Dicendum eſt, † cum hac ſecunda ſententia, ſcilicet, in conſuetudine, vt ſic, frangendi regulam, quæ ſub mortali non obligat, non inuolui grauem contemptum contra præceptum progrediendi ad perfectionem: probatur ratione, quia conſuetudo tranſgrediendi, nihil aliud importat, niſi congeriem plurium actuum, ſeu omiſſionum inter ſe ſimilium, & cum nullus actus, ſeu omiſſio in particulari ex tali congerie ſit contemptus, vt de ſe patet, aliter etiam vnica tranſgreſſio eſſet contemptus, quod eſt manifeſtè falſum, ſequitur, quod neque tota congeries ſit contemptus: ergo conſuetudo tranſgrediendi regulam &c. grauem contemptum non inuoluit.

7 Sed dices; † licet quælibet ſignata tranſgreſſio ſecundum ſe non ſit contemptus, nihilominùs pro vt connotat præcedentes, nimirum, quando peruenitur ad tantam multitudinem, vltima illa complebit contemptum,

8 † Contra, quia nemo eſt, qui ſcire poſſit non ſolùm phyſicè, quod certum eſt, neque etiam moraliter, quantitatem harum tranſgreſſionum, & quæ ſit illa vltima, quæ compleat numerum requiſitum ad contemptum; & ideò ſemper poterit homo dubitare, proinde ſtante tali dubio ſemper exponeretur periculo peccandi, quod non videtur modus accommodatus fragilitati humanæ naturæ.

9 Dices; † tranſgreſſiones prædictæ in ordine ad complendum numerum requiſitum ad hoc, vt reſultet grauis contemptus, ſe habent, vt aliæ ſimiles v.g. vt plura furta leuia, quorum ſingula, ſecundum ſe ſpectata, non ſunt, niſi peccata venialia, ſed vltimum complens quantitatem illam, quæ iuxta Doctorum ſententiam complet notabilem ſummam, erit peccatum mortale, ſi ſumatur cum connotatione ad præcedentia furta, cum quibus, vt ſuppono ex materia, & tractatu de furto, aliquam habet connexionem; ſicuti etiam in ſētentia aliquorum conſuetudo communicandi, etiam ciuiliter cum excommunicato maiori excommunicatione, & non tolerato, erit peccatum mortale; licet quælibet communicatio ſingularis ſecundum ſe ſit leuis.

10 Reſpondeo ad vtrumque, † & quantùm ad primum diſparitas eſt manifeſta, primò, quia in furto à Doctoribus eſt iam determinata quantitas plus, minuſve, quæ conſtituit peccatum graue, & non ſolùm in vnico furto, ſed etiam in pluribus ſucceſſiuis connexionem aliquam, ſeu moralem continuationem inter ſe habentibus, proindè fur, quando aduertit ſuis minimis furtis peruenire ad illam quantitatem plus, minuſve, tunc mortaliter peccabit: at in tranſgreſſione regulæ, vt ſic, nullibi habetur determinata quantitas, quoad numerum; proindè Religioſus ſemper eſſet perplexus, an peruenerit, nec ne, ad numerum

11 illum. † Secundò, eſt diſparitas, quia vltimum furtum connotans præcedentia, relinquit aliquem effectum directè, & notabiliter pugnatem contra iuſtitiam, nempè, damnum

graue

graue in bonis externis alienis, hunc autem, aut ſimilem effectum non habemus ex tranſgreſſionibus quantumuis iteratis contra regulam, niſi per accidens, quando tranſgreſſio inuoluit iniuſtam acceptionem ex bonis Monaſterii, quia tunc vltima tranſgreſſio complẽs damnum notabile, eſſet peccatum graue contra iuſtitiam, non quatenùs tranſgreſſio, vt ſic, etiã connotans plures alias ſimiles tranſgreſſiones ſed quatenus, eſt actio directè contra præceptum ſeptimum decalogi, & pariter contra votum paupertatis.

12 Ad ſecundum † poſſem abſolutè negare conſuetudinem communicandi ciuiliter cum excommunicato, eſſe graue peccatum, ita enim cum multis contra *Suar. ſuſtinui in tractatu de cenſuris*, vbi ſolùm dixi cõmunicationes iſtas repetitas non eſſe, niſi peccatũ veniale, ſed eſto, admittamus cum Suarez eſſe peccatum lethale,

13 neganda eſt paritas, † nam communicatio illa ab Eccleſia directè prohibetur in hunc finem, vt excõmmunicatus videns ſe excludi ab aliis in conſortio etiam ciuili, reſipiſcat à contumacia, finis autem iſte ſaltem magna ex parte impediretur per iteratam communicationem, quia excommunicati non videntes ſe repelli à communicatione aliorum, occaſionẽ ſumere facilè poſſent perſeuerandi in ſua cõtumacia, & ideo cõmunicatio iſta iterata notabiliter lędit finem ab Eccleſia intentum: hoc autem non inuenitur in iteratis regularum tranſgreſſionibus, vt ſic, hæc diſparitas aſſignari poterit, ſequendo hanc ſententiam Suarez.

14 Cõfirmatur etiam noſtra concluſio † principalis, quia ſicuti frequens vſus peccandi venialiter, vt ſic, nõ eſt peccatum mortale, qualis eſt v.g. cõſuetudo mentiendi, loquendi verba otioſa, comedendi cum aliqua auiditate, & ſexcentorum aliorum ſimilium; ergo neq; regularum trãſgreſſiones, quantùmuis iteratæ, poſſunt, vt ſic, hominem conſtituere in ſtatu peccati mortalis, paritas enim currit, nulla enim ſufficiens diſparitas aſſignabitur; antecedens eſt cõmuniter receptum contra *Panormitanum in capit. Nam concupiſcentiam. de conſtitut. in fine* aſſerentem, nullum dari peccatum veniale, quod conſuetudine non fiat mortale, quam opinionẽ vt falſam vniuerſaliter Theologi reiiciunt.

Dicendum eſt ſecundò, propoſitum firmum, quo Religioſus ſtatuit velle tantũ ſeruare regulas, & præcepta obligantia ſub mortali, nõ autẽ alias ſui ordinis regulas ad nullam, vel ſolùm ad

15 leuem culpam obligantes, † non eſſe peccatũ, ſaltem mortale cõtemptus interpretatiui, ſi Religioſus iſte retineat voluntatem ſubiiciendi ſe regulæ. ita *Caiet. in qu. 186. a. 2. articul. 2. Azor p. p. libr. 12. cap. vlt. quæſt. 11. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 1, cap. 4. num. 19. Giracus loco ſuperius citato*, & idem contra aliquos docet *Sanchez lib. 6. ſummæ cap. 4. nu. 18. & capit. 5. num. 9.* ait enim non eſſe peccatum mortale, ſed veniale contra præceptum tendendi ad perfectionem; licet aliundè dicat eſſe mortale, vt videbimus ſequente concluſione, eandem ſententiam cum *Suarez* ſequitur *Pellizzarius in man. regul. tract. 5. c. 1. quæſt. 8. n. 10.* Probatur concluſio. Propoſitum illud ſecundũ ſe formaliter non eſt contemptus regulæ, & perfectionis, quia Religioſus illud habens, voluntatem retinet, vt ſupponimus, ſeruandi vota, & præcepta obligantia ſub mortali, quibus ſeruatis põt tendere ad perfectionem, nam ſub votis, & præceptis continentur plura conſilia Euangelica, quæ licet poſt votum non cenſeãtur cõſilia, ſed præcepta reſpectu vouẽtis, nihilominꝰ cũ ſpõte vouẽs ad illa voluerit ſe obſtringere præter præcepta cõmunia omniũ fideliũ verè dicitur ſeruare, & præcepta, & multa cõſilia: Rurſus illud propoſitũ non eſt contemptus quia mediante illo Religioſus nõ ideo vult nõ ſeruare leues regulas, quia nolit ſe illis ſubijcere Sed vel ex negligentia, ſeu animi torpore, vel ex nimia cupiditate, & deordinata inclinatione in obiectum illius tranſgreſſionis, aliter ſequeretur propoſitũ frangendi quamcumq; leuiſſimam regulam eſſe propoſitũ illam contẽnendi, atq; adeo eſſe peccatũ lethale, quod eſt apertè falſum, & nemo dixit. Ex his igitur à primo ad vltimũ colligimus propoſitũ illud non eſſe peccatũ mortale ratione contẽptus, neque contra præceptũ tendẽdi ad perfectionẽ religioſã, quæ eſſentialiter ſpectata conſiſtens in perfectionẽ charitatis, nõ exigit neceſſariò obſeruationẽ aliarũ regularũ ſub mortali nõ obligantiũ, & multò magis earũ, quæ ſub nulla culpa etiam leui Religioſum aſtringunt.

16 Dicendũ eſt tertio † probabilius mihi videri propoſitũ iſtud, neq; rõne alicuius proximi periculi ex parte obiecti contemnendi regulas, & ſtudiũ perfectionis eſſe peccatũ mortale, quia tale periculũ in eo minimè reperitur. Eſt cõtra *Sanch. & Pellizz. lo. cit.* quatenus dicunt huiuſmodi propoſitũ quãuis non ſit culpa lethalis rõne contemptus; nihilominus eſſe mortalẽ culpã rõne periculi, cui Religioſus ita proponens, ſe exponit, nempè, labendi in aliquã grauem culpã; at concluſionẽ noſtrã tuetur *Suar to. 2. de relig. cap. cit. n. 12. & ſeq.* idemq; à fortiori aſſerere debent, qui negant propoſitũ cõmittendi omnia venialia, eſſe peccatũ mortale, vt probat Caſtropal. contra *Sanch. & Bonac. to. 1. tract. 2. diſp. 2. p. 9. §. 3. nu. 5.*

Vt autem efficaciter concluſio probetur, ſupponere debemus regulas cuiuſcunq; inſtituti eſſe in triplici genere; nam aliquæ ſub mortali aſtringunt, & de propoſito frangendi has regulas non eſt ſermo, nã eſt manifeſtè graue crimen, cũ eius obiectũ ſit notabiliter rõni rectæ diſſentaneum, locutio aũt eſt de propoſito nõ ſeruandi regulas ſecundi, aut tertij generis; verùm cum deciſio difficilior ſit agendo de regulis, quæ ſub veniali obligant, de his ſermonẽ habemus, probando aũt propoſitũ non ſeruandi has regulas nõ eſſe lethale, euidenter probatũ hoc ipſũ remanebit de propoſito nõ ſeruandi regulas ſub nulla culpa obligantes. Probatur ergo concluſio reſtricta quoad propoſitũ nõ ſeruandi regulas obligantes ſub veniali non eſſe

peccatum mortale, Ratio aũt eſt, quia licet pec cata venialia aliquo modo diſponant ad mortalia, diſpoſitio tamen iſta eſt remota, & non proxima ex parte obiecti, quando ſic proponens, voluntatem habet non committendi mor talia, & exequendi multa pietatis opera obligãtia ſub mortali; nam & ſi venialia refrigerẽt animum, nihilominùs prædicta opera bona recõpenſant, quod per venialia deperditũ fuit. Secundò, probatur efficaci ratione, periculum, quod aduerſarij apprehendunt in propoſito illo, vel conſiſtit in quibuſdam tantùm tranſgreſſionibus venialibus, vel in omnibus; neutrum dici poteſt; ergo &c. patet enim maior per ſufficiẽtem inductionem: minor ſecundum vtramque partem ſuadetur, non in quibuſdam tantùm, aliter propoſitum patrandi quædam venialia, eſſet peccatum mortale, quia eſſet propoſitum exercendi aliquod cum periculo labẽdi in mortale, quod tñ nemo aſſerit: neq; in omnib' trãſgreſſionib' p dictis quoniã nũq̃ reperienda erit collectio omniũ venialiũ, ergo neutrũ dici põt.

17 Inſtabis † inductionem eſſe deficientẽ, quatenus videtur ſupponere periculũ, de quo agimus reſultare ex quacumq; multitudine venialium, ſed reſultare dicimus ex aliqua determinata multitudine.

18 Contra eſt, † quia nequeunt aſſignari quot, & qualia ſunt venialia iſta, ex quibus proximũ periculum labendi in mortale inuenitur, vt ſupra in ſimili oſtendimus: Si igitur propoſitum committendi plura veniali, & ſecundũ aliquos omnia venialia, non eſt mortale, neq; inducit periculum proximũ cadẽdi in mortale, multò magis id erit aſſerendum de propoſito tranſgrediendi regulas, quæ ad nullam obligant culpam, vel tantùm ad leuem.

19 Limitanda eſt vniuerſalis concluſio, † & primò, quando aliqua venialia ſunt in materia particulari, & ſpecifica peccati grauis, & experimento conſtat ex modo laxe viuendi in obſeruatione determinatæ regulæ, ſequutũ fuiſſe lapſum in peccatum lethale, v. g. ſi quis ex tactu leui manus mulieris expertus ſit, lapsũ fuiſſe in graue peccatũ; tunc proculdubio propoſitum de huiuſmodi tactibus exercendis rõne periculi erit mortale, licet actus illi, ſecũdum ſe leues, non tranſcendant venialem culpam, & ſic de alijs ſimilibus, & de tali propoſito non loquimur, ſed de illo, cuius obiectum omnibus circumſtantiis affectum, grauem malitiam minimè continet. † Dixi in concluſione diſpoſitio-

20 nem illã ad mortale eſſe remotam ex parte obiecti; nam ſi eamdem ſpectamus in ordine ad Deum, rationabiliter poterit homo dubitare, ne talis viuendi modus reddat ipſum indignum auxilijs ſpecialibus, quorum beneficio à mortalibus præſeruetur; nihilominus cũ in ordine ad obiectum non ſit proxima diſpoſitio ad grauia peccata, neq; homo certus ſit à Deo fore, vt deſtituatur, nõ poſſum aſſerere talẽ hominẽ ſi habeat propoſitum illud, cum limitatione adiecta, eſſe in malo ſtatu.

21 Secundò, limitanda eſt concluſio, † cũ propoſitum de committendis venialibus fertur in aliquam multitudinem venialium, quæ per modum vnius cauſſant aliquem effectum rectæ rationi grauiter diſſentientẽ, vt ſunt v. g. multa furta, quæ tamen connexionem habent, ac cauſſant damnum notabile in bonis externis proximi, vt explicatur in materia de iuſtitia.

§. VII.

Quid ſit tranſgredi regulas ex formali contemptu?

SVMMARIVM.

1 *Sermo non eſt de contemptu generali,*

2 *Aliud eſt contemnere rem præceptam, aliud vero Superiorem, vt talem.*

3 *Sicuti diuerſa ſunt contemnere executionem, & contemnere rem.*

4 *Contemptus formalis alius eſt abſolutè talis; alius vero ſecundum quid,*

5 *Non rectè explicatur contemptus formalis in ordine ad minorem æſtimationem; quam rei conueniat.*

6 *Contemptus formalis regularum eſt actus, quo voluntas renuit illis ſe ſubijcere.*

7 *Quæ ſtatuuntur de contemptu regulæ, locum habent in contemptu Legislatoris.*

8 *Inueniri poteſt contemptus conſiliorum.*

AD compleram huius materiæ intelligentiã pro ſedandis ſcrupuloſorũ conſcientijs, declarandũ nobis ſupereſt, quid ſit contẽptus iſte, & quando accidat. & an ſemper ſit peccatum mortale: qua re nonnulla ſunt ſupponenda.

1 Et primò, † ſermonem non eſſe de contẽptu generali trãſcendentaliter imbibito in qualibet tranſgreſſione, quam aliqui Doctores contemptum materialem appellare conſueuerunt, & meritò, quia eo ipſo, quoquis legẽ frangit; conuincitur illum aliquo modo contemnere, eam poſtponendo propriæ, & deordinatæ inclinationi: ſermonem autem eſſe de contemptu ſpeciali, quem iidem Doctores formalem vocarunt.

2 Secundò, † aliud eſſe contemnere opus, ſeù rem præceptam, aliud verò Superiorem, ſeù Legiſlatorem tanquam talem, vt animaduertit ex *Caſtro, Suar. lib. 3. de leg. cap. 28. n. 21.*

3 Tertiò, duo iſta eſſe valdè diuerſa, † videlicet, contemnere executionem rei præceptę, ſeu regulę, & contemnere rem ipſam, aut Superiorem, vt rectè notat *Valen. 2. 2. in qu. 186. diſp. 10. quæſt. 4. pun. 5. ver. (Cæterum diligenter) Sanch. lib. 1. in decal, cap. 5. num. 10, Baldelli to. 1. lib. 3, diſp. 6. num. 10.*

4 Quartò; denique ſupponendum eſt † contemp-

temptum formalem à *Caiet. in ſumma verb. Contemptus*, & ab alijs diuidi in eum, qui abſolutè, & ſimpliciter eſt talis, & in eum, qui eſt talis ſecundum quid. His omnibus prę habitis.

5 Dicendum eſt primò, † non placere omninò explicationem contemptus formalis per hoc, quod minoris, quam par ſit, res in intellectu ęſtimetur, & quod voluntas eligat, & amplectatur vilem, & indignam hanc eſtimationem, ex vi cuius ſequatur actus externus, nempè, tranſgreſſio legis, aut regulę, non placet, inquam, quia, & ſi fateamur in prædictis actibus verum, & formalem inueniri contemptum, nihilominùs poterit reperiri contemptus iſte abſque errore illo in intellectu, alioquin ſequeretur non poſſe Deum formaliter contemni abſque blaſphemia, & errore in fide, nam parua illa æſtimatio contra dignitatem perſonæ, ſi eſſet de Deo, intellectus blaſphemus, & hæreticus foret. Rurſus nulla apparet repugnantia, in intellectu ſpeculatiuè inueniri iudicium verę exiſtimationis de re, aut perſona aliqua, quo non obſtante, voluntas, aut ex odio, indignatione, aut alio motiuo deueniat ad formalem contemptum, idcircò quo pacto enucleandus ſit contemptus iſte, mox aperio.

Dicendum eſt ſecundò, contemptum formalem in hac materia, nempè, circa

6 leges, ſeu regulas † eſſe illum actum internum, quo voluntas renuit eiſdem legibus, & regulis ſe ſubijcere, & ex imperio huius actus interni mouetur ad leges, & regulas tranſgrediendas, & adeò rectè *Caietanus in quæſtionem illam 186. artic. nono in fine comm. ver. (In eodem articulo nono.) & Sanchez libro primo in decalog. capite quinto, numero nono*, aſſerunt in contemptu duo inueniri, ſcilicet actum peccati, & cauſſam ipſius peccati, videlicet tranſgreſſionem, & voluntatem non ſubijciendi ſe regulis, ex qua tamquam ex cauſſà fiat tranſgreſſio, proinde ait Caietanus non ſufficere ad contemptum perpetuam tranſgreſſionem, & deliberatam conſuetudinem, ſed requiri, vt ex voluntate illa procedat. Hanc explicationem contemptus formalis ponit *Sanctus Thomas articulo citato ad tertium, et Caietan. In comm. paulo poſt initium, et in fine*, & etiam *in ſumma verb. Contemptus, Valentia punc. citato: ver. (circa quartam circumſtantiam) Leſſius libro ſecundo de iuſtitia capite quadrageſimoprimo, dub. nono ver. (cenſetur autem) et capite quadrageſimoſexto, numero penultimo, et vltimo, Suarez tomo quarto de Relig. libro primo capite quarto, numero vigeſimoquarto in fine. Sanchez vt ſupra Baldellus diſputatione illa 6. numero decimo, Merolla tomo primo, diſputatione ſecunda, capite quarto, dubio 80. numero 135. et 136. Fragoſus de regim. parte ſecunda, diſputatione vigeſimaquarta, paragrapho decimo, numero ſeptimo. Giraens vt ſupra.* Duo autem ſunt probanda: Primò, in actu illo reperiri formalem contemptum: Secundò, rectè eſſe explicatum: illud prius ſic oſtenditur. Nolle rem aliquam ſecundum ſe formaliter, vt talem, eſt illam contemnere, vt patet diſcurrendo tam per bonos, quàm per malos contemptus; v.g. Si quis renuat, & deteſtetur diuitias, & voluptates huius mundi ſecundum ſe, verè dicitur, & formaliter, diuitias, & voluptates huius mundi contemnere. Sic à pari, nolle ſe ſubijcere legibus, ſeu regulis quatenùs tales, hoc eſt idem, quod leges, & regulas contemnere: illud autem poſterius oſtenditur, nam loquendo de ſubiecta materia, nimirum de contemptu legum, ſeu Regularum, numquam poteſt fingi adeſſe contemptum in earum tranſgreſſione, quin reperiatur actus ille, quo voluntas renuat ſubiectionem, vt talem, ergo contemptus formalis rectè explicatur modo ſupradicto.

Dicendum eſt tertiò, quæ ſtatuimus de

7 contemptu regularum † eſſe etiam aſſerenda de contemptu legiſlatoris, ſeu Superioris, vt talis, ſi quis enim frangit legem in contemptum legiſlatoris ratione poteſtatis, quam habet, cui ſubdi renuit, grauiter peccabit, vt rectè animaduertit *Suarez capite illo vigeſimooctauo de legib. numero vigeſimoquarto*; nam contemnere legiſlatorem, ſeu eius poteſtatem eſt implicitè contemnere Deum, quia homo ille legiſlator formaliter Dei vicem gerit, eumque repræſentat; quod ſignificare voluit *San. Bernardus libr. de præcept. et diſpenſ. capit. decimoquarto*, dicens (*ſiue Deus, ſiue homo, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum*) Et clarè Chriſtus Dominus *Luc. 10.* (*Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*) Dixi, de contemptu Superioris, vt talis, nam ſi contemnatur non vt Superior, ſed vt tale indiuiduum, quatenùs deprehenditur imprudens, minus doctus &c. tunc ſi contemnatur regula, per reſpectum ad ipſum Superiorem, vt hominem prædictos habentem defectus, contemptus erit leuis, ſi agatur de materia parui momenti: Priorem illum contemptum *Caietanus in ſumma* appellauit contemptum abſolutè, & ſimpliciter, iſtum poſteriorem ſecundum quid tantùm.

8 Dicendum eſt quartò, † contemptum non ſolùm inueniri poſſe in tranſgreſſione legum, & Regularum, verùm etiam in omittendis conſilijs; contemnere autem conſilia vt conſilia Dei ſunt, putat *Suarez cap. illo quarto de Relig. numero 21.* non poſſe con-

ſe contingere abſque errore in fide, vel abſque odio contra Deum, vt ſi quis ſperneret illa, iudicans eſſe inutilia, & minùs bona, vel non exiſtente tali errore, nollet ſequi diuina conſilia in deſpectum Dei: at aduertit *Suarez* modum hunc operandi eſſe magis damnatorum, quàm viatorum hominum; concludit tamen *numero vigeſimo ſecundo* tranſgredi conſilia ex contemptu, qui ſit peccatum mortale, eſſe non poſſe, niſi præſuppoſito errore in intellectu, vel prauo affectu in voluntate, qui pertingat ad ſpernendum ipſummet Deum; aliter nolle ſubdi coſilijs non erit grauis inordinatio. ſic ex *Suarez*.

Hęc mihi viſa ſunt, quæ in controuerſiam cadere poſſent circa regulam humanorum actuum, conſcientiam, poſtquam omnes præcipuas materias diuturna mentis agitatione percurriſſem.

FINIS.

LAVS DEO.

ET B. V.

INDEX VERBORVM, AC RERVM NOTABILIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

Ablatio poteſtatis, ſeu iuriſdictionis eſt odioſa. Diſcept.6. cap. 11. par 4.§.15 num.9. fol.288.

Ablatio præſcriptionis,qua eſt circa aſſenſum apoſtolicum, & procedit à iure tollit præſumptionem legalem de eodem aſſenſu. Diſcept.6 .cap.5.§ 6. nu. 9.fol. 194. Vide Aſſenſus Apoſtolicus.

Non ablata præſcriptione circa alienationes rerum Eccleſiaſticarum, ad præſumendum aſſenſum Pontificis requiritur tempus, cuius initium ignoratur.ibi demnum.10,

Limitatur in caſu infortunij. nume. 11. fol. 195.

ABSOLVTIO, ABSOLVERE.

Abſolutio licitè ſub conditione confertur, quando pœnitens peccata tantum dubia fatetur. Diſcept.6.cap.11.par.4.§. 1.num.19.fol.279.

Abſolutio quando ſub conditione eſt elargienda, poteſt Confeſſarius conditionem in ſola mente retinere. ibidem §.9. num. 18 fol.298.

Abſoluere nequit Confeſſarius pœnitentem ſi inter alia peccata in illo agnoſcat aliquod vnum Superiori reſeruatum.ibid. §.6.num.2, fol.290.

ACTIO. ACTVS.

Actio ſupponens duo iudicia ſimul concurrentia, & ipſammet actionem proponentia, quorum vnum ex motiuo honeſto, aliud verò ex inhoneſto, vtro ex illis præſumatur actio procedere? Diſcept.2.cap.3 fol 26. 27.

Actio humana duplex, phyſica vna, moralis altera ibidem cap.5. n 7 fol· 31.

Actio libera ſemper eſt in genere moris.Diſcept.3. cap.6 num.8 fol.41.

Actio aliqua,vt proprium finem acquirat interdum dependet ab efficacia medij ſecundum ſe, interdum à prudenti tantùm electione operantis. Diſcept. 4. capit. 6. num. 7.fol.54.

Actio valorem ſuum ſortiri poteſt, quamuis ab agente nullius valoris eſſe exiſtimetur. Diſcept.6. cap.10. §. 21. num. 4 fol..262.

Actus ab homine neceſſariò prodeuntes, non ſunt à conſcientia recta regulabiles Diſcept.2.cap.5.nu.2.30.

Actus phyſicè, & moraliter humani ſunt à recta conſcientia regulabiles. ibidem nu. 8.fol. 31.

Actus iuriſdictionales validi eſſe poſſunt, ſi ex communi errore prodeunt. Diſcept.0. cap.1.§.30. num.3 fol.141.

Actus,qui per ſe procedere ſolent à plena libertate, ſi allegetur proceſſiſſe ex neceſſitate aliqua libertatem diminuente id eſſet probandum. ibidem cap.2. §. 18. fol. 158.

ADVOCATVS.

Aduocatus poteſt patrocinari cauſſa ſui Clientis, licet minus probabili. Diſcept. 4.cap 29 num 4 fol. 103.

Excipitur cauſſa ſanguinis. ibidem num 8. 19.

Aduocatus agens minus probabilem cauſſam, ſolum proponit rationes Iudici, vt eas conſideret, non autem vt det ſententiam ſecundum minus probabilem. ibidē num. 7.

Aduocatus tenetur aperire Clienti cauſſā, quando eſt dubia, vel minus probabilis ibidem num.12.

ÆTAS.

Aetas requiſita ad ordines ſuſcipiendos debet eſſe de momento in momentum completa. Diſcept. 6. par.6. §.1. num. 1. fol. 307.

Aetas neceſſaria ad beneficium non eſt pro

probanda contra opponentem ab eo, qui beneficium poſſidet; ſecùs ſi petat eligi, inſtitui. ibidem cap. 6. §. 8. per totum fol. 177.

AGERE.

Agere contra conſcientiam, quæ dictat malum in genere probabilius eſt, eſſe letbale. Diſcept. 4. cap 8. num 4. fol. 42.

Non erit ſaltem mortale peccatum, ſi inaduertenter omittat examen ad inquirendam malitiæ grauitatem. ib. nu. 5.

Moraliter tamen nunquam deeſt periculum. ibidem num 6.

Agere contra conſcientiam erroneam, quæ ſolùm eſt in habitu, an ſit peccatum? ibid. cap. 9. nu. 3. fol. 43.

ALIENARE. ALIENATIO.

Alienari nequeunt res vſu conſumptibiles, quando extat dubium, an ſint alterius, ante diligentiam ad veritatem acquirendam Diſcept. 6. cap 9. §. 3. num. 1. fol. 217.

Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum cenſetur facta vi aſſenſus Apoſtolici, ſi diuturnum tempus ſit elapſum, & aſſenſus non appareat. ib. cap. 6. §. 6. n. 3. fol. 194.

ALERE ALIMENTA.

Alere debet filium vterque Concubinarius, cum dubium eſt, vter ex illis ſit verus Pater. Diſcept. 6. capit. 9. §. 21. num. 3. fol. 333

Alimenta conſanguineo præſtita, ſi beneuolentia coniectura adſit, præſumenda ſunt gratuito præſtita. ibid. cap. 9. §. 26 num. 1 fol. 237.

ALLODIVM.

In allodium potius, quàm in feudum præſumitur, dubio exiſtente, res à Domino directo conceſſa. Diſcept. 6. cap. 9. §. 30. num. 1. fol. 238.

AMBIGVITAS.

Ambiguitas frequenter accidunt, num peccata aliqua aut eorum circumſtantiæ ſint, nec ne, explicata in confeſſione. Diſceptat. 6. capit. 11. par. 4. §. 2. num. 5. fol. 281.

APPREHENSIO.

Apprehenſio, vt ſic abſtrahit ab actuali exiſtentia conuenientiæ, aut diſconuenientia obiectiua Diſcept 2. cap 2 n. 8 fol. 25.

Pura apprehenſio non ſufficit, vt voluntas ad honeſtam actionem moueatur. ibidem.

Ex apprehenſione afficimur, quando opinamur, rem ita eſſe. ibidem.

Apprehenſio pura neque appetitum ſenſitiuum mouet. ibidem numero vndecimo fol. 26.

Apprehenſio de conſenſu prauis ſuggeſtionibus præſtito, nimium ſcrupuloſorum animum torquet. Diſcept. 7 cap. 6. § 3. num. 1. fol. 340. Vide verb Scrupulus.

AQVA LVSTRALIS.

Aqua benedicta ſi alia non benedicta in parua quantitate adaatur, tota ſit benedicta. Diſcept. 6. capit. 10. §. 13. nu. 2. fol. 256.

ARISTOTELES.

Philoſophorum Princeps docens, liberum nobis non eſſe opinari, quo ſenſu id dixerit? Diſcept. 4. capit. 10. §. 1. num. 6. fol. 67.

Ariſtoteles aſſerit, tempus non eſſe motum, ſed non eſſe ſine motu. Diſcep. 6. capit. 11 par. 3. §. 2. num. 10 fol. 274.

ASSENSVS, & DISSENSVS.

Sine vlla ratione eliciti ſunt temerarij, & legis contemptus. Diſcept. 4 cap. 11. numero 4. fol 45.

Duo aſſenſus probabiliter verſantes circa contrarias opiniones de eodem obiecto, & per principia intrinſeca ſunt poſſibiles. ibid cap. 2 nu. 3. fol. 74.

Aſſenſus Apoſtolicus in alienatione bonorũ Eccleſiæ, quando poteſt præſumi? Diſcept. 6. cap. 5. §. 6. num. 3. & 9. fol. 94. Vide verb. Alienatio.

AVTHORES, & AVTHORITAS.

Authorum pluralitas formaliter nõ dat opinioni probabilitatem, niſi præſumptiuè Diſcept. 4 cap. 2. nu. 2. fol 49.

Authoritas vnius Doctoris pij omnia circa opinionem aliquam expendentis, eſt fundamentum non leuis ponderis ad probabilitatem aſtruendam. ib. c. 4. nu. 3. fol. 51.

In tali

In tali Authore nonnulla deſiderantur qualitates. ibidem nu.5. & 6.

Authoritas veterum ſimpliciter loquendo maior eſt ea Recentiorum ibidem cap.6. num.7 fol 54.

Authoritas Theologorum, & Canoniſtarum inuicem comparatæ, quomodo ſe habeant in prælatione ibidem numero 8. folio 58.

B

BAPTISMVS, BAPTIZANDVS.

Baptiſmus, quando de illo eſt dubium, ſub conditione eſt iterandus. Diſcept. 6 cap 11 par.1.§ 1 nu.1.fol.265.& par. 4 §.4.num 12 in fine folio 289.

Baptiſmus dat ius baptizato ad Euchariſtiam ibidem par. 4 §. 1. num 7 folio. 208.

Non eſt conferendus infantibus inter Catholicos natis & educatis ob quodcumque ſuperueniens dubium ibidem par.4. § 2 num.1 folio 265.

Baptizandus eſt partus, cum eſt ambiguitas ſit, nec ne, homo, ſi principalia membra ſunt humana ibidem §.6. nume. 2. folio 266.

Si partus habeat humanum caput, reliquum verò corpus ſit ferinum, & immineat mors, eſt ſub conditione ſtatim baptizãdus: ſi verò mors non inſtet, eſt differendus baptiſmus ibidem §. 7. n. 4. folio 267.

Si dubium inſurgat num partus ſit vnus homo, an vero duo, eſt differendus baptiſmus, niſi mors immineat; tunc enim vnus abſolutè, alter verò ſub conditione eſt abluendus: ibidem §. 8 nume. 4. folio 267 Vide verb. Infantes.

BENEFICIVM, BENEFICIARIVS.

Beneficij collatio, ſi appareat eadem die, qua Beneficiarius fuit ad clericatum promotus, valida erit, Diſcept 6. cap.5. num 3 folio 194.

Beneficium in dubio præſumitur ſeculare & non regulare ibidem capit.6 § 1 nu. 1. folio 195.

Beneficium potiùs ſimplex, quam curatum præſumitur. ibidem nu.3 fol. 195.

Beneficium iuris patronatus præſumitur erectum ex bonis patrimonialibus, ſi Laicus illud poſſideat, ſecùs ſi Eccleſiaſticus in poſſeſſione reperiatur ibidem §.2.num.2.folio 195.

Idem beneficium ſi eadem die concedatur duobus, non conſtante de anterioritate, præferendus erit, qui eſt in poſſeſſione ibidem § 10. num 1 folio 199.

Si neuter poſſideat, præferri debet prouiſus à Pontifice ibidem num 3

Beneficium vacans vltima die menſis Epiſcopalis, ſi dubium emergat; num media tranſacta nocte, & incœpto menſe Papali vacauerit, ſi nemo poſſideat, pro quo eſt decidendum ibidem §. 11. per totum: folio 220.

Si dubium verſetur circa anterioritatem, aut circa mortem vnius ex collitigantibus, quid dicendum? ibidem num. 6. folio 200. & 201.

Si beneficium vacet, & ſtatim a Pontifice conferatur, prouiſus ab Epiſcopo poſtponitur: ibidem num 7 fol. 201.

Nulla anterioritate prouiſionis apparẽte, præfertur prouiſus à Pontifice: ibidem n. 8 folio 201.

Beneficij diuiſio in dubio minimè præſumitur: ibidem §. 12 nu 1 folio 201.

Beneficij diuiſio eſt prohibita: ibidem nu 2 folio 201.

Vt vitetur diuiſio potiùs præſumenda erit beneficiorum pluralitas initio inſtituta ibidem nu 3 folio 202.

Beneficiarius poteſt ad libitum diſponere de bonis Eccleſiaſticis, quæ vt iuſtum ſtipendium acquirit ratione laborum: Diſcept 6 cap 5. §.7 nu.2 fol. 198.

Beneficiarius, reſeruatis patrimonialibus, poteſt ſe alere ex bonis Eccleſiæ: ibidem nu 3 folio 198

Si ex patrimonialibus ſe aluit, tantumdem capere poterit ex bonis Eccleſiæ: ibidem num. 4 folio 198.

Beneficiarius anceps, num ex patrimonio ſe alens, voluntatem habuerit, nec ne poſtea compenſandi cum bonis Eccleſiaſticis, licitè compenſabit: ibidem nume 5. fol. 198.

Quid dicẽdum ſi poſitiuè animum habuerit non compenſandi num mutata voluntate, licita erit illi compenſatio? ibidem num 8. fol 198.

Beneficiarius ambigens, num ratione tenuitatis beneficij excuſetur à recitandis horis Canonicis; an teneatur, non obſtante tali dubio, illas perſoluere? ibidem § 23. per totum: fol. 201.

BELLVM.

Bellum non eſt promulgandum, niſi examine

mine de eius iuſtitia præmiſſo. Diſcept. 4.cap.25.nu.1 fol 90.

Bellum indici non poteſt, ſi Princeps alius rem pacificè poſſideat, & Princeps contrarius indicere volens, ſolùm ex parte facti probabilitatem habeat: ibidem nu. 2. folio 90.

Bellum iuſtè ne indicatur, ſi nemo poſſideat, & rationes ſint æquales ex parte facti? ibidem num: 3. folio 91.

Si ex parte iuris probabiles ſint rationes, num licitè bellum indicatur: ibidem nu. 6. & 7 fol. 91.

BONITAS, BONVM.

Bonitas obiectiua moralis eſt duplex, fundamentalis vna, formalis altera: Diſcept. 2. cap. 4 nu 5. folio 28.

Fundamentalis à ratione minimè dependet ſecùs verò formalis: ibidem num. 5. & 6. folio 29.

Bonitates iſtæ ſunt inuicem ſeparabiles: ib. nu 7. folio 29.

Bonum publicum non minùs exigit delicta puniri, quàm vitam ciuium ſeruari: ibidem cap. 29. nu. 11. folio 103.

C

CAPELLANIA.

CApellania in Eccleſijs Regularium fundata, præſumitur Regularis: Diſceptat. 6. capit. 6. §. 5. num primo, folio 197.

Limitatur: ibidem nu. 2 folio 197.

Capellania, dubio exiſtente, non præſumitur beneficium Eccleſiaſticum: ibidē num 3. folio 197.

CAPITVLVM SEDE VACANTE.

Non ſuccedit in ijs, quæ iure Delegato extraordinario competebant Epiſcopo, ſed in ijs, quæ iure ordinario: Diſcept. 6. cap. 4. §. 3. nu. 4. fol. 186.

CASVS.

Caſus, qui in Bulla Cœnæ habentur, vi primo decreti Clem. VIII. fuerunt reſeruati: Diſcept, 6. cap. 11. par. 4, §. 7. n. 6. folio 291.

Etiam poſt ſecundum eiuſdem Pontificis decretum, iuxta aliquos manent reſeruati: ibidem nu. 3. fol. 291.

Caſus Bullæ Cœnæ in dubio non ſubiacent reſeruationi: ibidem nu. 6 fol. 291.

Caſus aliquis in dubio, num ſit Summo Pontifici reſeruatus? ibidem nu. 11. fol. 292.

CASTITAS.

Caſtitas, quando vouetur ſimul cum ingreſſu Religionis, in dubio præſumitur intenta per ordinem ad ingreſſum: Diſcept. 6. cap 1. §. 20. nu. 3. fol. 128.

CAVSSA.

Cauſſa bifariam ceſſare poteſt totaliter, & ſolùm negatiuè in aliqua perſona particulari: Diſcept. 6. ca. 3. §. 3. n 11 fol 165

Cauſſa ceſſante, num ceſſare debeat effectus? ibidem:

Cauſſa, ob quam diſpoſitio odioſa emanauit in dubio præſumitur finalis: ibidem cap. 5. § 4. num. 10. fol. 193.

Cauſſa diſpoſitionis fauorabilis præſumitur impulſiua: ibidem fol. 193.

CENSVRA.

Cenſura, & peccatum in ordine ad ſuos vltimatos effectus, quomodo pariſicentur: Diſcept 6. cap. 7. §. 1. n. 19. fol. 206.

Cenſura, quæ ſub conditione fertur, quando dubium inſurgit, num conditio ſit, nec ne, adimpleta, præſumitur non adimpleta: ibidem n 20. fol 206

Cenſura in dubio ſit ne lata, aut ferenda, exiſtimabitur ferenda: ibidem num 22. fol. 206. Vide verb Excommunicatio.

CERTITVDO.

Certitudo moralis ſatis eſt in operationibus ad mores pertinentibus: Diſcept. 1. cap 9 num 6 fol. 18.

Certitudo præcepti non eliditur incerta executione: Diſcept 6. cap. 2. §. 3 num. 2. fol. 145.

Certitudo phyſica de omnibus conditionibus, quæ ad validitatem Sacramenti requiruntur, à nobis haberi nequit: ibidem cap. 11. § 9. num 8 fol. 298.

Certitudo tamen moralis haberi poterit: ib. fol. 298.

CITATIO.

Citatio, quando eſt dubium fuerit, nec ne, ex Iudicis mandato, pars negatiua præſumitur: Diſceptat. 6. capit. 9. §. 27. num. 1. folio 237.

Si

Si dubium ſuboritur ex diuturnitate temporis, tunc citatio iuxta aliquos præſumitur legitima, & cum debita ſolemnitate. ibidem nu 2. fol. 137.

Citatio realis ex vnius Iudicis mandato concurrens cum verbali ex mandato alterius, præfertur huic. ibidem §. 18. fol. 238.

CLERICVS, CLERICATVS.

Clericus intrinſecè importat quid ſacrum Deo dicatum, eius autem bona dicuntur extrinſecè ſacra. Diſcept.6. cap.2. §.16. num.7 fol 137.

Clericatus aſſumptio poſt delictum commiſſum præſumitur in fraudem ad declinandum forum ſeculare. ibidem §. 17. num 3 fol. 159.

Limitatur, quando de aſſumptione clericatus ante delictum fuerit tractatio. ibidem num.5 fol. 159.

Clericatus ſuſceptio eſt actus, plenam ſupponens libertatem. ibidem §. 18. nu. 5 fol. 258.

Præſumitur intuitu religionis aſſumptus. ibidem num 7 fol 159.

Clericalis habitus ſi in fraudem minimè aſſumptus fuerit, Clericus à Iudice Eccleſiaſtico erit puniendus. ibid. §. 7. nu. 8. fol. 58.

Clericatui fit iniuria, cum quis vnum Clericum pro alio percutit ex errore. ib. cap.8. num.4. fol. 215.

COMMODATARIVS CONDVCTOR.

Commodatarius ambigens, num culpa ſua commodatum amiſerit, non aſtringitur ad reſtitutionem. Diſcept.6. cap.9. §.31. nu.1 fol. 221.

Commodatarius qua culpa, iuridica, an theologica, eſt obligandus ad reſtitutionem. ibid num.2 fol 221.

Conductor neque tenebitur, quando Commodatarius excuſatur. ibid. nu.4 fol. 221.

COMMVTATIO VOTI.

Commutatio voti recepta, eſt in libertate vouentis redire ad priſtinam materiam, & in dubio præſumitur tale ius per commutationem renuntiare noluiſſe. Diſcep. 6. cap.1. §.17. nu.1 fol. 126.

Commutatio voti per ſe fieri ſolet in gratiam, & vtilitatem ipſius vouentis. ibid. num.2. fol. 126.

COMPENSATIO.

Compenſatio nequit fieri pro debito incerto. Diſcept.6. cap 9 §.21. nu 6 fol. 134.

Quando in caſu dubio præſumptio iuris eſt pro creditore iuxta proportionem dubij, licita eſt compenſatio. ibidem nume. 7. fol. 134.

COMPLACENTIA

Complacentia de effectu cauſato, vi actionis materialiter, & non formaliter malæ, non eſt peccatum. Diſcept 3. cap. 4. num.4 fol 37.

Complacentia erit laudabilis, ſi feratur formaliter in negationem actus mali. ibidē num.5. fol. 37.

At erit complacentia peccaminoſa, ſi actus ille ex ſe fuerit intrinſecè malus. ibidem num 7. fol. 37.

Secus de complacentia tendente in actum qui ideo eſt malus, quia eſt prohibitus. ibidem num.7 fol. 37.

CONDITIO.

Conditio legato appoſita ſatis eſt, vt ſemel vnico temporis momento adimpleatur. Diſcept.6. cap.16. §.18. nu.2. fol 258.

CONFESSARIVS.

Confeſſarius abſoluere debet pœnitentem quamuis minùs probabilem teneat opinionem eam quàm habet ipſe Confeſſarius. Diſcept.6. cap.21.n 3 fol. 87.

Confeſſarius non ſolùm ordinarius, verùm etiam Delegatus eodem modo quantum ad hoc ſe gerere debet poſt enarrata peccata ibidem nu 4 fol 87.

Confeſſarius Delegatus, cui ex officio non incumbit confeſſiones audire, ante enarrationem peccatorum non aſtringitur ſe conformare pœnitenti. ibidem nume 5. fol. 87.

Confeſſarius nequit cogere pœnitentem, vt propriam deſerat opinionem practicè probabilem. ibidem cap. 26. nu. 14. fol. 94.

Confeſſarius pœnitentem abſoluens, iuriſdictionem exercet, quæ ex ſe cuiuſcumque peccati eſt deſtructiua. ibidem capit. vndecimo, parte ſeptima, §. vndecimo. num 12. fol. 122.

CONFIRMATIO.

Confirmatio ex certa ſcientia in dubio non præſumitur, Diſcept.6. cap.4.§.3.nu.4. fol 186.
Confirmatio priuilegij eſt duplex, videlicet in forma communi, & in forma ſpeciali. ibidem eâ xi. part.4. §.7.num.10. fol.21. Vide Priuil.Confir.

CONSENSVS.

Conſenſus Ordinarij præſumitur interueniſſe in fundatione Cappellæ ex temporis diuturnitate, & inſignibus. Diſcept.6. cap.6.§.6.n 1.fol 197.
Vt conſenſus iſte præſumatur, diuturnitas temporis requiſita, eſt decennium, ibidem n.2 fol 197.
Conſenſus ad Iuris patronatus donationem vt præſumatur non ſatis eſt decennium, ſed requiritur ſpatium triginta annorum. ibidem n.3 fol.197.

CONSCIENTIA.

Conſcientia deriuatur à verbo conſcire. Diſcept.p.cap p.n.5 fol.2.
Importat ſcientiam cum alio. ibidem nu. p. 2.& 3.fol 2.
Significat ſcientiam largè ſumptam. ibidem nu 4 fol 2.
Eſt formalis applicatio principiorum practicorum ad actum particularem, & vtitur ſyllogiſmo formali, aut virtuali. ibiibidem n.6.& 7.fol.2.
Eſt concludens ſcientia. ibidem nu.10.fol.3
Indifferenter ſe habet ad actus ſecundum omnis temporis differentiam ibidem n.11 fol.3.
Ad intellectum pertinet ibidem nu.13.fol.3.
Reprehendit nos vt Pedagogus, & Rector animæ. ibidem n.14 fol.4.
Conſcientia conſiſtit in operatione iudicatiua. ibidem cap.2 n.1.fol 4.
Reperiri poteſt in tertia intellectus operatione ibidem n.2.fol 5.
Immediatè verſatur circa morales actiones ibidem n 2 fol.5.
Non eſt iudicium per modum imperij. ibidem n 7 fol 6.
Neque eſt iudicium practicè practicum. ibidem n 8 fol 6.
Diſtinguitur à ſynteresi. ibidem cap 3. n.1. fol.7.
Num extingui poſſit? ibidem cap.4 nu.7.& 9.fol.10.
Conſcientia reſidet in ſuperiori animi parte. ibidem cap 5.n.5 fol.11.
Ducitur per rationes diuinas, & æternas. ibidem n.6 fol.11.
An reſpiciat ſpecialem habitum, à quo ipſa procedat. ibidem cap.6.per totum. fol.11. Vide Verb Habitus.
Conſcientia multiplices admittit diuiſiones. ibidem cap.7 per totum: fol.15.
Sumi poteſt obiectiuè, & ſubiectiuè. ibidem num 9.fol 16.
Conſcientia propriè non eſt lex, ſed legis oſtenſio. Diſcept.3.cap.5.n.8 fol.39.

CONSCIENTIA RECTA.

Diſtinguitur, ſtrictè loquendo, à recta ratione, veluti ſpecies à genere. Diſcept.2. cap.1.n 13 fol 23.
Conſcientia recta vt ſic non conſtituitur per immediatam conformitatem, ad legem æternam ibidem cap.6.n.2.fol.32.
Eſt recta per conformitatem immediatam ad ſynteresim. ibidem fol.32.
Conſcientia recta quandoq; poteſt eſſe materialiter difformis legi æternæ. ibidem n.3.fol.32.
Impoſſibile eſt, eſſe talem formaliter. ibidem n.4 fol.32.

CONSCIENTIA ERRANS

Eius natura deſcribitur. Diſcept. 3. cap.1. num.1 fol.33.
Conſcientia erronea ex duplici cauſſæ genere ſuboritur, formali, & effectiuo. ibidem n.2.3 & 4 fol.33.
Formale bifariam, effectiuum verò ſeptifariam euenit. ibidem n 5 fol 34.
Eius ſpecies per ordinem ad ignorantiam deſumuntur. ibidem cap.2. n.1.fol.34.
Diuiditur ſecundum triplicem habitudinē. ibidem n.2.& 3.fol.34.
Semper reducitur ad ignorantiam prauæ diſpoſitionis ibidem n.4 fol.34.
Prauitas, quæ in conſcientia erronea reperitur, non culpam formaliter, ſed errorem importat. ibidem n.5.fol.34.
Quo pacto differat ab ignorantia. ibidem n.6.fol.34.
Verſatur circa ius, & circa factum. ibidem n.7 fol.35.
Alia eſt inuincibibilis, alia vero vincibilis, quæ latitudinem habet. ibidem n 8.fol 35.
Per conſcientiam erroneam hominem obligari, & per eamdem ligari, idem importat. ibidem cap.3.n.1 fol.36.
Operari contra conſcientiam erroneam, ſemper eſt peccatum. ibidem n.4 fol.36.

Con-

INDEX

Conſcientia erronea dictans vt bonũ, quod re vera eſt malum, ſi homo vincibiliter id ignoret, peccabit, tale obiectum amplectens. ibidem n.5 fol 36.

Secus ſi inuincibiliter ignoret. ibidem nu.6. fol.36.

Conſcientia inuincibiliter dictante vtrumque contradictorium eſſe peccatum, num voluntas alterutrum eligens, ſemper peccet. ibidem cap. 6. per totum fol. 40. & 41.

Conſcientia erronea in habitu, quid ſit? ibidem cap 9. n. 1. fol. 43.

Plus, cæteris paribus, obligat conſcientia erronea inuincibilis, quàm Prælati præceptum. ibidem cap x. n 2 fol. 44.

Si verò eſt vincibilis, magis extenſiue obligat præceptum Prælati; ſecùs extenſiue cæteris paribus. ibidem n.3 fol. 44.

Cæteris imparibus, minùs poterit obligare conſcientia erronea, quam præceptum Superioris. ibidem n 4 fol 44.

Conſcientia erronea deponi poteſt, tum per principia intrinſeca, tum extrinſeca. ibidem cap. xi. n. 6.

Conſcientia erronea deponi nequit ex ſolo imperio voluntatis, ſine aliqua ratione probabili ibidem

Si pœnitens erronea laboret conſcientia, nũ ſit à confeſſario admonendus? ibidem cap. xii. per totum. fol. 46.

CONSCIENTIA PROBABILIS

Conſcientia probabilis bifariam à Doctoribus ſumitur Diſcept.4 initio nu. 1 fol. 47.

Interdum accipitur quatenus ſignificat dictamen rationis, in quo ſita eſt ipſamet conſcientia; interdum verò per conſcientiam intelligitur proximum fundamentum, ex quo oritur conſcientia propriè dicta ibidem n.2 fol. 47.

De conſcientia in hac ſecunda ſignificatione in hoc tractatu eſt ſermo. ibidem. Vide Verb. Opinio probabilis.

CONSCIENTIA DVBIA

Conſcientia dubia, ſtrictè loquendo, non eſt conſcientia, ſed potius conſcientia priuatio. Diſcept.5 in præm fol. 108.

Large, & ſecundum communem loquendi vſum appellari poterit conſcientia. ibidem fol. 108.

Solet illi comitari iudicium veluti reflexum, quo iudicamus, nos in dubio eſſe. ibidem fol 108.

Tale iudicium vocatur conſcientia dubia obiectiue, non formaliter. ibidem fol. 108.

Conſcientia dubia impedit honeſtam operationem Diſcept.5. capit.2. num. 1. & 2. fol. 119. & 121.

Conſcientia, quæ nullam grauem, aut leuẽ pro vtraque contradictionis parte rationem habeat, & ſit anceps, eſt poſſibilis. Diſcept.6. capit. xi. part. 1. § 2. numer. 8. fol. 181.

Plura de tali conſcientia vide Verb. Dubium: Peccatum.

CONSILIARII CONSILIVM.

Conſiliarij in publicis comitijs ſe habent vt Iudices inter Regem, & Regnum, cum de cauſſa ipſius Regis tractatur. Diſcept. 4. cap. 22. n. 2 fol. 89.

Iudices etiam ſunt, cum agitur de cauſſa pertinente ad communitatem, inter ipſam communitatem, & perſonas priuatas. ibidem nu. 2. & 3 fo. 88. & 89.

Conſiliarij nequeunt minus probabilem ſequi opinionem in præiudicium tertij? ibidem fol 88 & 89.

Nequeunt fidem præſtare Principi, ſuam, aut vnius ſtatus neceſſitatem aſſerenti, niſi aſſertio fulciatur aliquo alio adminiculo. ibidem cap 2 n 4.5. & 6. fol. 89.

Conſilium periti hominis ſufficiens eſt, vt quis Eccleſiæ præcepto eximatur. Diſcept.5. cap.2 § 32. n.6 fol. 153.

Conſilio malo præſtito, non ſtatim in dubium eſt reuocandum, num effectus malus ſequens ſit nec ne ſequutus vi talis conſilij. Diſcept.6. capit.9. § 13. numer. 3. fol. 223.

Conſilio dato, ſi intellectus dubitet; an dãnum fuerit vi illius ſequutum, ad quid conſilians obligabitur? ibidem numer 5. fol 223.

Conſilij exiſtentia ſi in dubium, penſatis omnibus, reuocetur, dubitans ad nihil tenebitur. ibidem n. 10. fol. 223.

CONSVETVDO DESVETVDO.

Conſuetudinem contra legem eſſe præſcriptam, num poſſit quis viro prudenti, qui id aſſerat, fidem præſtare? Diſcept 6. c. 2. § 4. n. 4. & 5 fol 146.

Quando dubium inſurgit, num conſuetudo aliqua pia intuitu ſolius deuotionis, an verò obligationis ſit inducta, quid præſumendum? ibidem. § 7. num. 2 fol 145.

Conſuetudo frangendi regulas inſtituti, non obligantes ſub culpa, non inuoluit grauem contemptum contra præceptum, quo Religioſi aſtringuntur ad perfectionem.

nem. Diſcept 7.cap.6.§.6 num.6.fol.346.
Conſuetudo communicandi ciuiliter cum excommunicato non tolerato, non eſt peccatum lethale. ibidem n 12 fol.347.
Conſuetudo peccandi venialiter vt ſic per ſe non eſt peccatum mortale, neque ratione periculi. ibidem n.14.fol.347.
Per deſuetudinem legem aliquam abrogatam fuiſſe, in dubio, quid faciendum? Diſcept.6.c.2.§.3.fol.145,

CONTEMPTVS, CONTEMNERE.

Contemptus, alius generalis, alius ſpecialis. Diſcept. 7. capit. 6. §. 7. numer. 1. fol.348.
Contemptus, alius circa rem praeceptam, alius circa legislatorem, vt talem. ibidem n.2.fol.348.
Contemptus formalis alius abſolutè, & ſimpliciter, alius ſecundum quid. ibidem n.4 fol 348.
Contemptus formalis non rectè explicatur per hoc, vt res minùs quàm par ſit, aſtimetur. ibidem n 5.fol 349.
Contemptus legis, ſeu regulæ. quid ſit? ibidem n.6 fol.349.
Ad contemptum formalem non ſufficit perpetua regularum tranſgreſſio, niſi procedat ex voluntate, ſe illis non ſubijciendi. ibidem fol.349.
Contemptus Legislatoris, ſeu Superioris conſtituitur per id, quod conſtituitur contemptus legis, ſeu regulæ. ibidem n 7, fol.349.
Contemptus inueniri poteſt etiam in conſiliorum omiſſione. ibidem numero 8. fol.349.
Contemnere executionem praecepti, & contemnere rem ipſam, ſunt diuerſa. ibidem §.7.num.3.fol.348.

CONTRADICTORIA.

Contradictoria ſi eidem intellectui repræſententur vt mala, tenetur homo eligere quod minùs malum apparet. Diſcept. 3. cap.6.num.4 fol.41.
Contradictoria ſi apparent in gradu æquali malitia, quodlibet ex illis voluntas eligit, non peccabit, & hoc defectu libertatis ibidem num 5 fol 41.
Contradictoria eſſe ambo probabiliter vera poſſumus iudicare, non autem eſſe abſolutè vera. Diſcept.4.cap 9.n.16.f.161.

CONTRAHENTES.

Contrahentes matrimonium cum dubio de impedimento, nullam exercent iuriſdictionem. Diſcept 6. cap.xi par.7 num.12, fol 323.
Contrahentes tali pacto, non tollunt reſeruationem, quæ affixa impedimento reperitur.

COPVLA.

Copula habita cum muliere, ſi vir dubitet, num ſemen intra, aut extra vas effuderit, præſumitur intra vas illud emiſiſſe. Diſcept 6. c.xi. part.7 §.xi.n 10.fol 323. Vide Impedimentum.
Copula ſi non fuerit intra, ſed propè vas, in eo dubio non præſumitur ſemen intra vas emiſſum ibidem fol.322.

CREDITOR.

Creditor occultè ſibi compenſans de bonis debitoris, ſi duo contra eumdem habet credita, præſumitur, in dubio voluiſſe minùs priuilegiatum extinguere. Diſcept.6.cap.9.§.18.nu 3 fol.232.

CRVCIFIXVS.

Crucifixi imago apparens, ſub qua dubitatur, dæmonem latere, num ſit adoranda. Diſcept.6.cap.2.§.22 fol.160.

D
DEBITOR DEBITVM.

Debitor integrum ſoluere tenetur quod debet, ſi diligentia adhibita dubius manet, an ſoluerit. Diſcept.6 cap 9.§.16 num.1, fol 229.
Debitor moroſus non aſtringitur ad reſarcienda damna, extante dubio, an à creditore monitus, fuiſſet nec ne ſoluturus. ibidem § 17, n.7 fol 231.
Debitor in dece. n tritici modijs v.g. & ambigens, num tales modij ſint maioris, vel minoris menſuræ, ad minores tantum tenetur. ibidem §.19, nu 1 fol 232.
Debitum, aliud neceſſarium, aliud voluntarium, & quo pacto differant. ibidem cap.x.§.x.n 2 fol.254.
Debitum coniugale, num reddendum, illicitè petenti. ibidem cap. xi.§. 3. num.6. fol.314.
Debitum reddi poteſt animo maritali, & cum animo non reualidandi matrimonium,

nium, cuius valor dependet ab intentione ipſius coniugis. ibidem §. 4. numer. 3. fol. 315.

DELEGATUS DELEGATIO.

Delegatus à Principe in cauſſa commiſſa, eſt dignior ordinario. Diſcept. 6. capit. 2. §. xv. n. 4. fol 155.
Habet annum à die lata ſententia, ad illam exequendam ibidem.
Delegatus in foro ſacramentali ſtatim executioni mandat ſententiam. ibidem.
Delegatio ſtatim perit, quando Delegatus functus eſt officio ſuo. ibidem

DELICTUM.

Delictum niſi probetur non præſumitur. Diſcept. 6. c. xi. par. 4 § 12. n. 5 fol 303.

DEMONSTRATIO,

Demonſtratio in iure quid ſit? Diſcept. 6. c. x §. 20. n 1. fol. 160.
Quo pacto differat à taxatione, ſeù reſtrictione. ibidem n 1. & 2 fol 260.
Demonſtratio, & taxatio in diſpoſitionibus quando locum habent? ibidem n. 5. fol. 260 Vide: Taxatio.

DEPOSITARIUS DEPOSITUM.

Depoſitarius ambigens, num culpabiter depoſitum amiſerit, eximendus eſt ab obligatione reſtituendi. Diſcept. 6. c. 9. §, xi. n. 1 & . fol. 220. Vide commodatum.

DETERMINATIO, Determinare.

Determinatio quando poſtulat repentè fieri, excuſabitur determinans, ſi eligat opinionem, qua tenuem inuoluit probabilitatem. Diſcept. 4. c. 13. nu. 5. fol. 75.

DIGNITAS

Dignitas ſubalterna quænam dicatur? Diſcept. 6 capit. x. §. 13. numer. 6. fol. 256. Vide Vicarius.
Dignitatem aliquam poſſidens intentionem fundatam habet circa eamdem dignitatem contra opponentes; ibidem capit. xi. par. 6. §. 1. n. 6 fol 308.

DIRECTIO

Directiones aliquæ non ſunt præcepta, quamuis à Superiore, ſeu Legiſlatore emanent. Diſcept. 6. cap. 2. § v. numer. 2. fol. 146.

DISCRIMEN.

Diſcrimen aſſignatur inter dubitantem de iuſtitia tributi, & dubitantem de legitima Iudicis interrogatione, quo ad obligationem ſoluendi, & reſpondendi. Diſcept. 6 c. 2. §. x. n. 13. fol. 152.
Diſcrimen inter peccatum dubium, & excommunicationem dubiam, in ordine ad abſolutionem petendam, declaratur. ibidem. c. 7. §. 1. n. 15 fol 205.

DISPENSANDI POTESTAS, Diſpenſatio.

Diſpenſandi poteſtas duplex, ordinaria, & delegata. Diſcept. 6. cap. 5: §. 2. numer. 1. fol. 189.
Per ſe loquendo amplè explicatur. ibidem n. 2 fol. 189.
In quibuſdam caſibus fallit ibidem n. 4. 5. 6. 7. fol. 189.
Diſpenſatio ſtrictam habet interpretationem ibidem c. 5. §. 1. n. 1 fol. 189.
Aliquando latè ſumitur. ibidem numer. 3 fol. 189.
Diſpenſatio directa ad Vicarium Epiſcopi duos habentis Vicarios Generales, ſi alter ex illis ſit principalior, eidem cõmiſſa cenſebitur ibidem §. 3. n. 1 fol. 190
Quando ſunt æquè principales neuter cenſetur Iudex cum effectu, donec accedat Principis delegantis declaratio. ibidem n. 5 fol. 190.
Diſpenſatione dubia exiſtente, quid determinandum? ibidem §. 4. per totum fol. 191.
Diſpenſatio irrita ſit ne cenſenda, ſi deprehendatur, Superiorem diſpenſare non potuiſſe? ibidem §. 5. per totum fol. 193.

DISPLICENTIA.

Diſplicentia Prælati regularis, quæ ſolum eſt de modo donandi, aut recipiendi à ſubdito, & non de ſubſtantia rei, non conſiſtit donationem, aut receptionem intra obiectum paupertatis, ſed obedientiæ. Diſcept. 6. cap. 3. §. 9. n. 9. fol. 179.

DISPOSITIO

Diſpoſitio odioſa etiam intra propriam ſignifica-

gnificationem eſt reſtringenda: Diſcept. 6. cap. 1. § 11. nu. 6. fol. 142.
Diſpoſitio in dubio, potiùs modalis, quàm conditionalis præſumitur: ibidem capit. 10. §. 2. nu. 1 fol. 250.
Diſpoſitio conditionalis, & modalis quo pacto inuicem diſcernantur; ibidem num. 8. fol. 250.

DOCTOR, DOCTRINA.

Docti viri opinionem, num ſemper teneatur quis examinare, quam Confeſſarius, aut Parochus, vt ſequendam proponit: Diſcept. 4 capit. 2. num. 3. & 4. fol 49.
Doctor excellens aliquid teſtificans, præſumptionem gignit in foro externo: Diſcept 6 cap 2 §. 4 nu 4 fol. 146.
In foro conſcientia tutè operabitur, ſequutus talis Doctoris dictamen: ibidem nume. 5. folio 146.
Doctrina adiuncta prudentia ſolet homines mouere, vt à dubijs veritatem inquirāt ibidem num. 7. fol. 146.

DOLOR.

Dolorē requiſitum ad Sacramentum pœnitentiæ non oportet vſſe perfectum: Diſceptat 7 cap 6 § 2. nu 1 fol. 339.
Neque eſt neceſſe, eſſe ſenſibilem: ibid. nu. 3 fol 339.
Dolorem naturalem, ſi pœnitent bona fide procedat, probabile eſt, ſufficere ad huius Sacramenti valorem: ibidem num. 4. fol. 339.
Non requiritur neceſſariò ſimul eſſe cum confeſſione peccatorum: ibidem nume. 5. fol. 339.
Satis eſt virtualiter adeſſe, & declaratur; num. 6. fol 339.

DOMINIVM, DOMINVS.

Dominium fundatum in lege naturali, gignit in Patre poteſtatem irritandi filiorum vota, vſque ad certum tempus à lege præſcriptum: Diſcept. 6. cap. 1. §. 28. num 11 fol 139.
Dominium actuale, & certum, quod in Superiore inuenitur erga ſubditum, eſt ſufficiens ad legitimam voti irritationem, quocunque dubio minimè obſtante: ibidē §. 29. num. 2 fol 140.
Dominus irritare poteſt votum ſerui baſitantis, num illud emiſerit, nec ne ante ſubiectionem: ibidem fol. 140.

DONATIO.

Donatio Iuriſpatronatus, vt in dubio præſumatur, requiritur triginta annorum ſpatium: Diſcept. 6. cap. 6. §. 6. num. 3. folio 197.

DVBITARE, DVBIVM.

Dubitans ſpeculatiuè, per ſe loquendo, tenetur etiam practicè dubitare: Diſcept. 5. cap. 2. nu. 3 fol. 111.
Dubitans de voto emiſſo, tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inueniendā: Diſcept. 6. cap 1. §. 1. nu. 1 fol 116.
Dubitans, num votum, nec ne, adimpleuerit, tenetur illud ſeruare: ibidem §. 4. num. 1. fol. 117.
Dubitans, num intentionem habuerit ſe obligandi, quando votum emiſit, aſtringitur ad illud adimplendum: ibidem §. 5. num 1 fol 118
Dubitans, an votum fuerit, nec ne, emiſſum, tempore ſomni, ebrietatis, furoris, &c. non tenetur ad illud: ibidem §. 6. nu 6 fol 120.
Secus ſi conſtet, votum emiſſum fuiſſe in furore, ebrietate, &c. ibidem § 7 per totum: fol 120.
Dubitans de qualitate voti, ſi verborum ſit immemor, non tenebitur ad votum tali qualitate affectum; ſi verò verba recordetur, illis est ſtandum: ibidem §. 9. nu. 1 fol. 121.
Dubitans Profeſſus Societatis Ieſu in dignitate extra illam conſtitutus, num conſilium Patris Generalis ſit melius eo quod ipſe Profeſſus ſentit, an teneatur, vi voti emiſſi in profeſſione, ſequi dictum Generalis: ibidem § 27 per totum: fol. 137 Vide Profeſſus Societatis.
Dubitans, an vigeſimumprimum annum ſuæ ætatis compleuerit, eximitur à ieiunio Eccleſiaſtico poſt factam diligentiam ibidem §. 29. nu. 3 fol. 150.
Dubitans, an media nox Iouis ſit elapſa, non tenebitur abſtinere à comeſtione carnium: ibidem.
Dubitans, an hodie ſit dies feſtiuus, poterit ſeruilia exercere, Sacrum non audire &c. ibidem.
Dubitans, num media nox Sabbathi ſit, nec ne elapſa, nequit carnes comedere. ibid.
Dubitans, an falſum, quod expreſſit, ſeu verum quod tacuit, fuerit nec ne, cauſa finalis, an verò ſolùm impulſiua, quid dicendum? ibidem cap. 5. §. 4. nume. 9. fol. 192.

Dubitans de legitima ætate, nequit ad ordines promoueri: ibidem cap. 11. par. 6. §. 1. num 2 folio 308.

Dubitans, num creditum ſoluerit, nequit differre ſolutionem vſque ad finem vitæ. ibidem cap. 11. par 4. §. 2 n 9. folio 281.

Dubitans, an adulterium patrauerit necne, vel an adulterium committens promiſerit adulteræ, eam ducturum poſt mortẽ viri, nullum contrahit impedimentum, vt cum illa matrimonium ineat. ibidem par. 7 §. 8. num 4 folio 319.

Dubium ſpeculatiuum non officit electioni opinionis probabiliter honeſtæ. Diſceptat. 4. cap 9. nu. 19 folio 62.

Dubium practicum tolli poteſt per aliquod vtrique contradictorio cõmune. ib fo 62.

Dubium preſſe acceptum quid ſit? Diſceptat. 5. cap. 1. nu. 1. folio 109

Dubium iſtud bifariam contingere poterit. ibidem nu. 4. folio 109.

Dubium aliud negatiuum, aliud poſitiuũ. ibidem folio 109.

Dubium, vt conſtituat Conſcientiam formaliter titubantem, debet eſſe non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. ibidem n 5 fol 109.

Dubium negatiuum ſumi poteſt metaphyſicè, & moraliter, & declaratur ibidem n. 6 folio 109.

Dubium moraliter negatiuum neceſſariò fundatur in ratione aliqua, & quo pacto. ibidem Verb. Dubium verò fol. 109.

Dubium aliud iuris, aliud facti ibidem nu. 8. folio 110.

Aliud ſpeculatiuum, aliud practicum, & vtriuſque ratio explicatur. ibidem num. 9. folio 110.

Vtrumque dubium circa idem obiectum verſari poterit. ibidem folio 110

In dubijs non ſemper tenemur ſequi quod eſt tutius. ibidem cap. 3 nu 4 folio 113.

Poſt præſtitam diligentiam, perſeuerante dubio de voto emiſſo non tenebitur ad illud. Diſcept. 6 cap .§ 1 n. 3 folio 116.

Dubium de ſufficienti deliberatione, ſi oritur ex defectu ætatis, ante ſeptennium non obligat, ſecùs ſi poſt ſeptennium votum emiſſum fuerit ibidem § 6. nume. 2 folio 119

Si verò dubium ſit, num emiſſio voti fuerit ante, vel poſt ſeptẽnium, obligabitur hæſitans ad votum ibidem nu. 3. folio 119.

Si dubium ſit, an votum fuerit emiſſum ante, vel poſt amẽtiam pro voto erit decidendum; at ſi conſtet, vouentem ante voti emiſſionem diuturna amentia affectũ fuiſſe, & ambigatur, num tempore voti adhùc durauerit, pro libertate eſt concludendum: ſecùs ſi in quibuſdam tantũ actionibus fuerit amentia ibidem §. 8. per totum fol. 120.

Dubium an materia voti ſit nec ne licita, aut illicita Prælato, quid faciendum, & quid ſi ſolùm dubitet, num voti materia ſit de meliori bono? ibidem § 10. per totũ folio 122.

Dubium de ætate, qua votum fuit emiſſum, eſt longè diuerſum à dubio de poſſeſſione, in qua Pater reperitur ad irritanda vota filiorum ibid §. 28 nu 9 folio 148.

Dubium de ſuperiorit ate alicuius, in fauorẽ poſſidentis eſt decidendum: ibidem cap. 5. § 4 nu 2 folio 191.

Dubium ex parte ſubditi de valore diſpenſationis, ſi oriatur ex parte cauſſæ, tutus manebit ſubditus, tali vtens diſpenſatione, ſi cauſſam illam Superiori aperuerit ibidem nu 3 fol 192.

Dubium prædictum ſe tenens ex parte Superioris, ſi non ſit de exiſtentia cauſſæ, ſed ſolùm de qualitate, poterit Superior diſpenſare: ſecus ſi ſit de exiſtentia ipſa. ibidem num. 4 fol 192.

Dubio exiſtente, an ſub diſpenſatione talis includatur caſus; præſumitur non includi ibidem nu. 5 folio 192

Si verò ſubditus, qui fuit diſpenſatus, dubitet: num verum, aut falſum expreſſerit, pro valore diſpenſationis eſt iudicandũ. ibidem nu 6. folio 192.

Dubia, quãdo ſunt in confeſſione aperienda? ibidem cap. 11 par. 4. §. 1. nu. 2. folio 275.

Dubium in tribunali forenſi eſt explicandum in fauorẽ Rei, ſecùs in tribunali Sacramentali: ibid nu. 15 folio 278.

Dubium duplex, vnum eſt oppoſitũ certitudini phyſicæ, alterum verò certitudini morali ibidem § 9. nu. 8 folio 298.

Dubium prius nõ oportet vt tollatur, ſecùs ſecundum: ibidem folio 298.

Dubiũ circa myſteria fidei, quatenus dicit puram intellectus ſuſpenſionẽ, non eſt hæreſis, neq; conſtituit dubitantem hæreticum, quamuis talis ſuſpenſio interdum ſit peccaminoſa, interdum verò nullum ſit peccatum ibidem nu 6 & 7 folio 300.

Dubium in fide, ſi habeat concomitanter iudicium erroneum, eſt formaliter hæreſis ibidem § 10 nu 8. folio 300.

Dubium prædictum, quando eſt peccaminoſum, ſi exteriùs manifeſtetur, non erit peccatũ reſeruatum: ibidem n 13. fol. 301

Dubia circa validitatẽ ordinis recepti rarò ſunt rationabilia, & quare? ibidẽ cap. 11. par. 6. §. 2. nu. 3. folio 309.

Dubium de validitate alicuius ordinis recepti, quando eſt rationabile, & poſitiuum, ſi ſuperueniat poſt factum, & agatur de ordine infra presbyteratum, poteſt deponi adhærendo probabili opinioni; ſecùs ante factum: ibidem nu.4. fol.309.
Dubium verò ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum de presbyteratu, quando eſt rationabile, ſiue poſt, ſiue antè factum prudēter deponi nequit, proinde ſub conditione ordo iſte iterum eſt conferendus: ibidem num. 6.
Idem aſſerendum de dubio circa gradum Epiſcopalem: ibidem nu.8. fol.310.

E
ECCLESIA

Eclesia, in qua eſt Capellania, ſi deſtruatur, vel violetur, & dubium ſit de intentione inſtituentis, alibi erit celebrandum. Diſcept 6. cap.10.§.19:n.2.fol.259.

ELECTIO, ELIGENTES, ELECTVS

Electio vnius ex contradictorijs, ſi vtrumque æquè malum appareat, erit prudens & honeſta: Diſcept 3.cap.6.nu 5.fol 41.
Electio iſta non fertur in obiectum præciſè vt malum, & quare? ibidem n.6 fol 41.
Electio ad alterutram partem ex contradictorijs, licet indeterminatè ſit neceſſaria, non tollit libertatem electionis determinatæ: ibidem num 8 fol.41.
Eligentes alterutram ex opinionibus contradictorijs æqualem inuoluentibus probabilitatem, etiam ſi opinio quæ eligitur, ſit materialiter mala, non peccabunt: Diſcept.4 cap 9 nu 18.fol. 62.
Electus, & conſtitutus ad beneficium fundatam habet intentionem circa ætatem requiſitam: Diſcept.6.cap.6.§.8.num.2. fol. 199.

ELEEMOSINA

Eleemoſina præceptum obligat dubitantem de extrema proximi neceſſitate, vt veritas inquiratur: Diſcept.6. cap.9. §.31.n. 1.fol 239.
Si facta diligentia, adhùc ſub dubio erit neceſſitas, non aſtringetur dubitans ad eleemoſynam erogandam: ibidem num. 4.

EPIIKIA

Epijkia eſt quædam iuris benignitas. Diſcept.6. cap.3 .§.1.nu.1.fol.161.
Eſt iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata. ibid.
Magis propriè eſt emendatio, ſeu legis correctio: ibid.
Epijkia differt à lege in quantum iſta, eſt de vniuerſalibus, illa verò de ſingularibus: ibidem num. 2.
Eius finis eſt emendare legis defectum in contingentibus: ibidem nu.3.
Epijkia differt à generali legis interpretatione; licet interdum confundantur: ib id. num. 4.
Epijkia ſupponit caſum ſecundum ſpeciem ſub lege comprehenſum, ſicuti etiam, & perſonas vniuerſaliter loquendo, ſed hic, & nunc in particularibus eximit à lege. ibidem.
Faciens contra verba legis, non tamen contra mentem legiſlatoris, imò ſecundum illam: ibid.
Differt à ratihabitione: ibidem n.5 fol.162.
Ea licitè non vtuntur ſubditi in lege humana, quando extat dubium, & datur recurſus ad Superiorem, vt legem declaret: ibidem § 2. nu.4 folio 162.
Neque ea licitè vtimur, cum adeſt dubium circa ipſam, & caſus moram adeundi Superiorem non permittit: ibidē §.3. num.5 folio 163.
Quando probabile eſt, caſum non comprehendi ſub lege, ex quocumque capite probabilitas oriatur, licitè ea vtimur, ſi caſus moram non permittit: ibidem §. 5. n. 4.& 5.folio 167.
Secùs ſi tempus adeundi Superiorem concederetur: ibidem nu 9 folio 168.
Epijkia quatuor poſtulat conditiones, vt ea licitè vtamur. ibidem § 6.n.13.folio 171.

EPISTOLA.

Epiſtola de obedientia edita a S. Ignatio de Loyola laudatur Diſcept.4. cap. 10, §.1. num.6.fol.07.

ERROR.

Error in opinione fundatus faciliùs detegitur, quàm in exiſtimatione falſa communi: Diſcept.4 cap.19 n 8 fol.82.
Error non confert poteſtatem determinatiuam in eo, qui ſolùm putatiuè eſt Pater. 6.cap.1 §.28 nu.14.in fine fol 140.
Error circa veram materiam, aut formam Sacramentorum compoſſibilis eſt cum vera intentione conficiendi Sacramentū ibidem cap 11.par.7 § 3.num.2 fol 325.
Error circa materiam iuſtitiæ, quando nocet contrahenti: ibidem §.13, n.3 fol 326.

ESSE

E S S E

Eſſe, & non apparere, idem eſt in iure, ac non eſſe: Diſcept. 6. cap. 11. par. 7. §.1.num.2.fol 310.

E V B V L I A

Eubulia eſt ſpecies prudentiæ,& eius actus eſt conſiliari per rationes communes, & ordinarias: Diſcept. 3. cap.6. nume. 11 folio 14.

Per Eubuliam prudentia concurrit ad conſcientiam: ibidem. Vide Prudentia, Gnomen Syneſis.

EXCOMMVNICATIO, Excommunicatus.

Excommunicatio in dubio iuris non præſumitur contracta: Diſcept.6. cap 7. §. 1. num. 1 folio 203.

Idem aſſerendum, quando eſt dubium facti: ibidem nu 2.

Excommunicationis effectus quo ad ſui exiſtentiam non dependent à noſtra exiſtimatione: ibidem nu 17 fol 205.

In ordine ad effectus vltimatos æquè independentes ſunt effectus excõmunicationis, ac effectus peccati: ibidem num. 19. fols 206.

Excommunicatus per contritionem iuſtificatus, num participet Eccleſiæ ſuffragia: ibidem nu 9 & 10 fol 205.

Participat bona opera aliorum:ibidem n.10

Excommunicatus denunciatus, niſi de eius abſolutione conſtet, eſt vitandus:ibidem num.15 fol.206.

Quibus modis id conſtare valeat? ib n 16.

Excommunicatus aſſerens ſe eſſe abſolutũ, deberet id probare in foro externo:ibidem cap.11. par.4. §.8 num.17.fol.297.

EXTREMA VNCTIO.

ExtremaVnctio, quando dubitatur, num ægrotus ſit, nec ne, mortuus, ſub conditione eſt danda: Diſcept.6. cap.11 par 5 §.1. num.4 fol 304.

Extrema Vnctio peculiares cauſſat effectus; ibidem.

Non eſt medium per ſe neceſſarium ad ſalutem: ibidem.

Applicanda eſt infirmis in periculo vitæ verſantibus: ibidem §. 2. num 1. & 2. folio 305.

Quando determinatum iudicium de periculo vitæ ferri nequit, non eſt applicanda: ibidem nu. 5.

Extrema Vnctio, neceſſitate apertè non vrgente quamuis ſub conditione, cum aliqua tamen irreuerentia conferitur: ibidem num. 6.

Ad Extremam Vnctionem adminiſtrandã, ſufficit probabile vitæ periculum ib nu 7.

Vt hoc Sacramentum validè conferatur nũ ſatis ſit vitæ periculum præſumptum? ibidem §.3.n.4.fol.306.

F
F A C T V M

Ad factum ea dicuntur pertinere, quæ circa operationem verſantur:Diſcept. 5.cap 6. n 1.fol.11.

Factum per ſe loquendo, debet probari,& non præſumi ibidem num. 2.

Limitatur: ibidem num.3.

F A C V L T A S

Facultas conceſſa à Superiore ad peccata reſeruata remittenda, tali determinato tempore commiſſa, eo tempore elapſo, remitti valet à Confeſſario ordinario. Diſcept 6 cap.11 par.4.§.per totum fol.293

Facultas prædicta conceſſa Confeſſario extraordinario in dubio cenſetur reſtricta etiam quoad approbationem ibidem nu. 5.fol.294.

FALSITAS FALSVM

Falſitas conſiſtit in diſconuenientia, veritas in conuenientia prædicati cum ſubiecto Diſcept 4 c.10 §.1 n 4 fol.67.

Falſum eſt malum intellectus, eius oppoſitũ nempè veritas eſt bonum eiuſdem intellectus.Diſcept.2.cap. 1.nu.12.fol.23.

F A M V L V S

Famuli, qui Mercatoribus inſeruire ſe dedicant, non ſe obligant primò, & per ſe ad miniſtrandum in contractibus dubijs quoad iuſtitiam. Diſcept 6.cap.9. § 15. n. 9 fol 228

Famuli non aſtringuntur in progreſſu famulatus examinare contractus cum eiſdem mercatoribus initos, quando eorum iniuſtitia non conſtat: ibid.

Famulus præſtans obſequia, ad quæ non tenetur in dubio præſumitur, animo mercenario ea præſtitiſſe: ibid §.32. num. 1. fol.239.

F I D E S

Fidem amitti bifariam ſumitur: Diſcep. 6. cap 11. par.4. §.10 nu, 12 fol. 301.

FILIVS, FILIATIO.

Filijs ſimul natis, ſi ignoretur, quis eorum primus ſit natus, & qui debet in re aliqua ſuccedere, res illa erit inter eoſdem diuidenda. Diſcept. 6. cap. 9. §. 9. num. 1. & 2. fol. 220.

Vni eſt aſſignanda res ipſa, alteri dimidia æſtimationis pars: ibidem nu. 3.

Filius præſumitur legitimus, quamuis natus ſit tempore, quo eius mater adulterium commiſit, quibuſdam tamen cõcurrentibus conditionibus: ibidem cap. 12. §. 14. num. 4. fol. 327.

Filius, de quo eſt dubitatio, num ſit legitimus, poſt debitam diligentiam, perſeuerante dubio, poteſt ad ſacros ordines promoueri. ibidem num. 7.

Poteſt etiam conſanguineam adulteri in vxorem ducere abſque vlla diſpenſatione: ibidem nu. 7. fol. 328.

Filiationis ſubiectio in dubio non præſumitur in fauorem Patris, ſuam allegãtis poteſtatem; ſecùs in fauorem ipſius filij. ibidem num. 12.

FINIS.

Finis in agibilibus ſe habet veluti principium in ordine ad rationem conſiliatiuam, & iudicatiuam mediorum. Diſcept. 2. cap. 1. nu. 9. fol. 22.

FOETVS.

Fœtus maſculinus, & fœmineus, quanto tempore poſt conceptionem animantur? Diſcept. 6. cap. 7. §. 4. num. 2. fol. 208.

In dubio, num fœtus fuerit, nec ne animatus, quid præſumendum? ibidem num. 3.

FORMA.

Forma, ſub qua ſit conceſſio, alia eſt ordinaria, alia verò extraordinaria: Diſceptat. 6. cap. 4. §. 3. num. 3. fol. 186. Vide Priuilegium.

Forma Sacramenti non habet efficaciam, niſi dependenter ab intentione Miniſtri: ibidem capit. 11. par. 4. §. 9. numero 11. fol. 299.

FORNICARIVS, FORNICATIO

Fornicarij, qui publicam agnouerunt meretricem, non tenentur eius filium alere: Diſcept. 6. cap. 9. §. 21. num. 6. folio 233. & 234.

Fornicationis materialiter ſumpta periculoſè exponere, num ſit peccatum? ibidem cap. 11. par. 7. §. 14. nu. 8. fol. 328.

FORVM

Forum externum, & internum conueniũt, quando illud non fundatur in falſa præſumptione. Diſcept. 6. cap. 7. §. 3. nu. 3. fol. 207.

Forum vtrumque in ordine ad delictum dubium diſcriminantur. ibidem capit. 11. par. 4. §. 1. num. 15. fol. 278. Vide dubium.

FVNDAMENTVM

Fundamentũ, quo nititur intentio, eſt probandum. Diſcept. 6. cap. 11. p. 6. §. 1. nu. 4. fol. 308.

FVGA.

Fuga eſt actus procedens communiter ex libertate diminuta: Diſcept. 6. cap. 2. §. 1. S. num. 8. fol. 159.

Fuga poſt formatam inquiſitionem delicti præſumitur arrepta ex metu pœnæ, ſecùs ſi ante formatam inquiſitionem: ibidem.

FVRTVM.

Furtum vltimum connotans præcedentia, & complens notabilem quantitatem, rei ſingulis effectum notabiliter repugnantẽ iuſtitiæ: Diſcept. 6. §. 6. nu. 11. fol. 346.

G

GNOMEN.

Gnomen eſt prudentiæ ſpecies. Diſcept. 1. cap. 6. num. 11. fol. 14.

Eius actus eſt iudicare per rationes extraordinarias. ibidem.

Per Gnomen prudentia concurrit ad conſcientiam: ibidem num. 12. Vide Prudentia, Eubulia, Syneſis.

H

HABITVS, HABITATIO.

Habitus ſpecialis, num detur in ordine ad conſcientiam. Diſcept. 1. cap. 6. per totum: fol. 11.

Habitus fidei diuina, aut humana, ſiue habitus opinionis, num immediatè concurrere valeant ad conſcientiam. ibidem num. 6. fol. 12.

Ha-

Habitus prudentiæ immediatè concurrit ad conſcientiam actualiter rectam. ibidē n.10.fol.14. Vide Prudentia.

Habitus malus verſans circa materiam aliquam, concurrere poteſt ad conſcientiam erroneam prauam. ibidem n. 15.

Habitus Clericalis num fuerit in fraudem aſſumptus, ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinet determinare. Diſcept 6.c.2.§.17. num 9 fol 138.

Habitus Clericalis eodem die aſſumptus à Reo, quando cauſſa delata fuit ad Iudicem Laicum, num fraus præſumatur ibidem §.18.n.2.fol.158.

Habitatio requirit frequentem commorationem ibidem cap.10. §.11.nu.2.fol.255.

HAERES.

Hæres in vtroq; foro tenetur in dubio ſoluere mercedem famulo teſtatoris mortui, ſi ſtipendium poſtuletur ante elapſum tempus à Iure præſcriptum, ſecùs poſt tale tempus. Diſcept 6. cap.9. §.33 nu.6. fol.240.

Hæres vt præſcribat, bona fide procedere debet. ibidem n. 5.

Hæres ſoluens eleemoſynam perſonæ, quā fidelem putat, vt ſatisfaciat voluntati teſtatoris pro miſſis celebrandis, num ad aliquid teneatur, ſi miſſæ ob culpam Sacerdotis non celebrenturè ibidem cap. 10. §. 22. per totum fol. 261.

Hæres præſumitur magis à teſtatore delectus, quam legatarij. ibidem §. 22. nu.7. fol.263.

HAERESIS HAERETICVS

Hæreſis exteriùs prolata in foro externo præſumptionem gignit, proferentem incidiſſe in excommunicationem Pontifici reſeruatam, & eſſe hæreticum. Diſcept 6. cap. 11 par.4 §.3 n.15 fol.287.

Hæreſis nequit formaliter conſiſtere in pura, & ſimplici intellectus ſuſpenſione. ibidem §.10 n.6.fol.300.

Hæreticus non eſt, qui etiam cum peccato ſuſpendit actum intellectus circa myſteria fidei ibidem n.7.

Hæreticus formalis eſt, qui poſitiuè iudicat, rationabilem eſſe ſuſpenſionem illam, putans obiectum eſſe dubium ibidem n.8.

Hæreticus ſimiliter eſt, poſitiuè reuocans in dubium animam rationalem eſſe formam corporis ibidem n.10.

HOMICIDA.

Homicida incertus nequit à Iudice puniri, niſi conſtet, cauſſam ſufficientem ad occidendum appoſuiſſe. Diſcept.6. cap.9. §.21 n 6 fol.233.

HONESTAS.

Honeſtas materiæ vt apprehenſa probabilitatem fundat. Diſcept.4.cap.11.nu.11. fol.72.

I

IGNORANTIA.

IGnorantia duplex, puræ negationis, & prauæ diſpoſitionis. Diſcept.3. cap. 2. n.3 fol.34.

Ignorantia inuincibilis, qua iudicetur, eſſe peccatum Deum amare; eſt impoſſibilis ibidem c.3 n.9 fol.31.

Ex ſuppoſitione quod talis ignorantia ſit poſſibilis, non poſſet voluntas, perſiſtente errore illo, Deum amare. ibidem n.10.

Ignorantes non aſtringuntur ad examinandas rationes, quibus Docti nituntur ad opinionem aliquam recipiendam. Diſcept. 4 cap 5.n.3 fol.53.

IMPEDIMENTVM.

Impedimentum contrahendi matrimonium, quando penſatis omnibus, manet in ambiguo, non prohibet, quin matrimonium contrahatur. Diſcept 6 c.11 par.7.§ 11. n.7 fol 322.

Impedimentum ita dubium non indiget diſpenſatione Epiſcopi. ibidem n.8.

Impedimento innoteſcente poſt contractum matrimonium poſtulat diſpenſationem ibidem n 9. Vide Matrimonium.

Impedimentum contrahendi matrimonium præſumitur, quando ille, qui petit contrahere, rem habuit cum ſorore mulieris, & ambigit, num ſeminauerit intra vas nec ne. ibidem numer.10.

IMPOTENTIA.

Impotentia coeundi duplex, naturalis, & accidentalis. Diſcept.6.cap.11 par.7.§.5. n.3.& 5 fol.316.

Impotentia naturalis præſumitur præceſſiſſe matrimonium, ſecùs accidentalis. ibidem n.3.& 5.

Impotentia præſumitur ſimilitudinaria, & non vera, quando de hoc ſuboritur du-

dubium. ibidem §.6.n.3.fol.317.

Impotentia potius accidentalis, quàm naturalis præſumitur. ibidem n.4.

INCERTITVDO.

Incertitudo de Iudice ex incertis euaneſcere facit diſpoſitionem, ſecùs, quando eſt incertitudo ex certis. Diſcept. 6.c.5. §.4. n.7 fol.191.

Incertitudo iſta in reſcriptis merè gratuitis, non tollit valorem commiſſionis. ibidem num. 8.

Incertitudo requiſita ad præſumptionem duplex.ibidē c.11. par.3.§.2.n.16.fol.273.

INFANTES.

Infantes expoſiti.ſi nullum de baptiſmo collato externum habeant ſignum.ſunt ſub conditione baptizandi. Diſcept.6.cap.11. par 1.§ 3.n.1 fol.265.

Infantes, completo ſeptennio, etiam inuitis parentibus, poſſunt baptizari. ibidem § 4 n.1.

Si tamen dubium ſit de eorum rationis vſu, & renuant baptizari, & parentes illos offerant, quid faciendum? ibid.§.2.fol.266

INFIDELIS.

Infideles negantes Sacramentum baptiſmi, validè baptizare poſſunt. Diſcept.6.c.11. par.7.§.12 n 8 fol.325.

INGRESSVS.

Ingreſſus in religionem ſub voto promiſſus, an ſit differendus, ſi vouens debitis ſit aſtrictus, & ſpem dubiam habeat, an in ſeculo manens valeat illa ſoluere. Diſcept.6.cap.1 § 22.per totum fol.131.

Ingreſſus quo ad dilationem, & exequutionem nonnullas admittit animaduerſiones ibidem n.7 fol.132.

Ingreſſus iſte eſt actus, qui ex plena libertate procedere conſueuit. ibidem c.1.§.18. n.5 & 6 fol.159.

Ingreſſus in religionem, & Profeſſio ſunt diuerſa etiam moraliter. cap.10.num. 2. fol 158.

Fallit interdum. ibidem. Vide: Legatum relictum ſub conditione ingreſſus.

INTELLECTVS INTELLIGENTIA

Intellectus nequit obedire imperio voluntatis, nulla apparente probabili ratione. Diſcept.3.c.11.n.3.fol.45.

Intellectus, imperio voluntatis, poteſt aſſentiri vni ex opinionibus contradictorijs æquè probabilibus. Diſcept.4. cap.9.n.17. fol.62.

Intelligentia eſt recta in eo, qui operatur ſecundum probabilem opinionem. ibidem cap.10.§.2 n.7.fol.69.

IRREGVLARITAS Irregularis.

Irregularitas in dubio iuris non præſumitur. Diſcept.6. capit 7. §.2. numer. 1. fol.207.

Irregularitas in dubio facti, ſi eam, quæ oritur ex homicidio, excipiamus, neque præſumitur. ibidem n.2.

Irregularis eſt exiſtimandus ille, de quo dubitatur, num influxum habuerit in homicidium iam commiſſum. ibidem §. 3. n.2 fol.207.

Irregularis ex dubio homicidio non contrahit alias pœnas, niſi circa ordines. ibidem n.4.fol.208.

Irregularis an ſit habendus dans cauſſam abortui, cum dubitatur, num fœtus fuerit nec ne animatus. ibidem §. 4. per totum. folio. 208.

IRRITATIO.

Irritatio voti euaneſcit, ſi poſt ipſam innoteſcat carentia poteſtatis dominatiuæ in irritante. Diſcept. 6. capit. 1. §. 30. numer. 1. fol.140.

IVDEX IVDICIVM.

Iudex inferior nequit obligare ſubditum, ſi Superior contrarium præcipiat, ſecùs ſi id ignoretur. Diſcept 3. capit.3. num.11. fol. 37.

Iudex in cauſſis ciuilibus tenetur ſententiam ferre iuxta probabiliorem opinionem circa factum. Diſcept.4. capit. 27. num.2 fol.97.

Limitatur, ſi exceſſus probabilitatis ſecundum factum non ſit notabilis, & rationes ſecundum ius pro altera opinione ſint efficaciores. ibidem n 4 fol 98.

Iudex in criminalibus potiùs pro Reo, quam pro Actore debet ſententiam proferre. ibidem n. 5.

Iudex, quando rationes ex parte facti ſunt æquè probabiles, quomodo ſe gerere debeat? ibidem n.8 & 9.

Iudex ſtrictè obligatur ad ſententiam ex parte

parte iuris probabiliorem, ferendam. ibidem n. 13. fol 99.

Probabilitas iſta maior declaratur. ibidem.

Iudex Superior, & inferior in re hac eodem modo decidere debent ibidem.

Iudex poſita aquali probabilitate ex parte Iuris, & etiam ex parte facti, tenetur litigantes inuicem concordare, ſi nulla ſit poſſeſſio ex parte vnius. ibidem nu. 22. fol. 110.

Iudex poteſt iuxta ſui Collega opinionem decidere, relinquendo propriam, ſecus ſi propriam non deſerat. ibidem c. 28. nu. 3. & 4. fol. 101.

Iudex Eccleſiaſticus excommunicationem imponens nequit obligare ſubditum ad reſpondendum iuxta ipſius Iudicis mentem, quando eſt dubium de legitima interrogatione. Diſcept. 6. c. 2. §. 10 n. 8. fol. 151. Vide Reus.

Iudex tenetur Reo ſtatum cauſſa aperire. ibidem n. 13. fol. 150.

Iudex Laicus in dubio an Reus ſit Eccleſiaſticus, an Laicus, tenetur determinationem expectare à Iudice Eccleſiaſtico. ibidem §. 16. n 3 fol 156.

Iudex Laicus, ſi Reus eſt pariter Laicus, praefertur Iudici Eccleſiaſtico, quando eſt ambiguitas, quis prius ex ipſis praeuenerit. ibidem c 9 § 29 n 2 3 fol 238.

Iudex, extincto officio nequit amplius ſe intromittere in delicti examine, & iudicio, licet delictum commiſſum fuerit tempore, quo iuriſdictionem habuerit. ibidem c. 11. par. 4 § 8 n. 11 fol 296.

Iudicium practicum conſcientia, an ſemper conforme eſſe debeat ſpeculatiuo. Diſcept. 1. c. 8 per totum fol. 16.

Iudicium vt regula operationis debet eſſe certum, & euidens. ibidem cap 9 num. 5. folio 18.

Tale iudicium ſequi poteſt ex opinione probabili ibidem n 9 fol. 19.

Iudicium certum non requiritur ad actionem illicitam. ibidem n. 12.

Iudicium recta conſcientia num praecedere debeat operationem rectam, & quomodo? Diſcept. 2. capit. 2. per totum folio 24.

Iudicium de honeſtate rei eſt diuerſum à iudicio de probabilitate honeſtatis in actione. Diſcept 3. c 9. n. 14 fol. 61.

Iudicium probabilitatis verſans circa honeſtatem actionis ſufficit ad rectè operandum. ibidem n. 15.

Iudicium de probabilitate honeſtatis, quam agnoſcimus in aliqua re, excludit dubium practicum ibidem n. 18. fol. 62.

Iudicium, quod fertur in probabilitatem opinionum, eſt ſemper euidens ibidem cap. 10. § 1 num. 1. folio 66.

Iudicium iſtud extenditur ad veritatem, ſeu falſitatem rei per aliud vel realiter, vel ſolùm virtualiter diſtinctum ibidem numer 3.

Pro vt extenditur ad veritatem, vel falſitatem, non eſt abſolutum, ſed modale: ibidem num 4.

Iudicare abſolutè eamdem rem eſſe licitam, & illicitam, eſt impoſſibile. ſecùs modaliter ibidem num 4 & 5 fol. 67

Iudicium, in quo formaliter conſiſtit conſcientia, debet abſolute dictare ſuum immediatum obiectum eſſe honeſtum, aut inhoneſtum, at iudicium, quod conſcientiam praecedit, ſolùm modaliter id dictat: ibidem §. 2. num 2 folio 68 69.

Iudicium probabile ſufficit ad ratihabitionem de praeſumpta Superioris voluntate. Diſcept 6 cap 2. § 10. num. 1. folio 131.

Iudicium probabile de peccatorum mortalium explicatione in confeſſione Sacramentali ſufficit ad eximendum poenitentem ad ea iterum aperienda. ibidem c. 11. par. 4 § 2. n, 7 fol. 282.

Iudicium etiam prudens, quo iudicamus eſſe excommunicatum non toleratum, nõ eſt ſatis vt illum vitemus. ibidem cap. 7. § 1. num. 23 folio 206.

Limitatur à Suar. ibidem n 24.

Iudicium ſpeculatiuè probabile de peccato iam explicato licitè trahit ſimile iudicium practicum ibidem capite 11. par. 4. §. 2. num: 13 folio 283.

IVRAMENTVM.

Iuramentum de ſeruandis ſtatutis, in dubio non extenditur ad futura Diſcept. 6 c 1 § 13 n. 4 folio 123.

Iuramentum praedictum comprahendit nouum ſtatutum, ſi ſtatutum hoc erit declaratiuum veterum. ibidem n 7 fol. 124.

IVRISDICTIO.

Iuriſdictio conceſſa pro determinato tempore in ordine ad peccata reſeruata remittenda eodem tempore commiſſa transacto tempore expirat in confeſſario extraordinario, ſecùs in ordinario: Diſcept 6. c xi. par. 4 § 8, numer 2 folio 293. & numer. 5. folio 294.

Iuriſdictio delegata, eo modo in delegato radicatur, quomodo à delegante conceditur. ibidem n. 2. fol. 293.

Iuriſ-

Iuriſdictio delegata tranſacto tempore delegationis re incœpta non perit: ibidem nu. 3. Vide verb. Delegatio.

IVS PATRONATVS.

Iuris patronatus vſurpatio non præſumitur in perſonis priuatis: Diſcep. 6. capit. 6. §. 3 num. 2. folio 196.
Secùs in Magnatibus: nu: 4 & 5.
Ius patronatus aliud eſt hæreditarium, aliud verò gentilitium, & in quo differunt. ibidem § 4 num. 1 folio 196.
Ius patronatus in dubio præſumitur potiùs hæreditarium, quàm gentilitium, ibidẽ num. 2. folio 197.

IVSTITIA

Iuſtitia commutatiua potiùs eſt ordinata in beneficium creditoris, quàm debitoris: Diſcept. 6. capit. 11. par. 4. §. 2 num. 13. folio 283.

L.

LEGATVM.

Legatum pro miſſis celebrandis, ſi nihil fuerit à teſtatore expreſſum, in dubio præſumitur pro anima ipſius teſtatoris relictum Diſcept 6. cap 10. § 3. nu. 3 *folio* 251.
Legatum Epiſcopo relictum in dubio præſumitur intuitu Eccleſiæ, ſi fuerit ab extraneo relictum: ibidem §. 4 nu. 2 fo 251.
Secùs ſi fuerit à conſanguineo, licet in aliquo caſu fallat. ibidem nu. 3.
Legatum, quod pro determinato paupere diſpoſitum fuit, ſi iſte obierit; an hæres teneatur alteri pauperi illud erogare: ib § 5. per totum folio 252.
Legatum, quod fit Parochiæ teſtatoris, nomine Parochiæ minimè expreſſo, ſi teſtator poſtea moriatur in alia. Parochia vtri ex illis debeatur: ibidem § 6. per totũ folio 252.
Si in diſpoſitione legati exprimatur nomen Eccleſiæ, & in eadem ciuitate plures ſub eodem nomine reperiantur Eccleſiæ, in dubio cuinam Eccleſiæ ſit legatum aſſignandum: ibidem §. 7 per totum fol. 253.
Si Teſtator relinquit legatum pro miſſis celebrandis in beneficium ſuæ animæ, & locum in quo celebrandum ſit, non declaret, arbitrio hæredis locus eſt ſeligendus ibidem §. 8. nu. 1 folio 253.
Legatum relictum propriæ Eccleſiæ Parochiali æquiualens quartæ funerali, vtrũ in dubio, factum fuerit animo compenſandi cum ipſa quarta? ibidem §. 9. per totum folio 254.
Legatum à teſtatore relictum creditori, ſi debitum eſt voluntarium, nòn præſumitur factum animo compenſandi: ibidem §. 10 nu. 3. folio 254.
Si verò debitum eſt neceſſarium, oppoſitũ erit dicendum: ibidem nu. 5 folio 255.
Limitationes pro vtraque concluſione: ibidẽ num. 6.
Legatum domus propriæ, in qua teſtator inhabitat, non præſumitur comprehendere domum ruralem, in qua teſtator rarò inhabitat: ibidem §. 11 num. 1 folio 255
Cenſebitur comprehendere, ſi in illa domo frequenter teſtator inhabitauerit: ibidẽ num. 2.
Legatum, per quod relinquetur domus in ſingulari intelligitur de vr- ana ibid.
Domus aliqua legata, ſi per partes de nouo reficiatur non ſit caducum? ibidem §. 12 nu. 1 folio 256.
Si verò tota readificetur, oppoſitum eſt aſſerendum: ibidem nu. 3.
Legatum relictum dignitati in dubio non præſumitur relictum perſonæ, ſed dignitati: ibidem §. 13. nu. 1 folio 256.
Secùs dicendum, ſi fiat dignitati ſubalternæ: ibidem num 2. Vide ver. dignitas. Vicarius.
Legatum, quod ſit Fratri cuiuſdam Abbatis Regularis, in dubio, num ſit relictum fratri carnali, an relegioſo, quid præſumendum: ibidem §. 14 numero primo fol 256.
Legatum in dubio cenſetur factum intuitu Legatarij, non ratione alicuius qualitatis, qua legatarius ipſe eſt affectus: ib. §. 15 num 1. fol 257.
Limitatur: ibidem num. 2.
Legatum relictum Eccleſiæ, deficientibus coniecturis, probabile eſt eſſe perpetuum, licet etiam probabile ſit oppoſitum: ibidẽ §. 16 nu 6. folio 257
Si legatum fiat pro cauſſa pia, & inueniatur deletum in teſtamento, & dubium ſit de voluntate teſtatoris, eſt ſoluendum ab hærede? ibidem §. 17. num. primo folio 258.
Legatum relictum vxori ſub conditione, ſi habitum Sancti Franciſci gerat, ſi vxor habitum dimittat, legatum non acquiret ibidem §. 18 nu 4 folio 258.
Legatum ſub conditione ingreſſus in religionem, num à legatario acquiratur, profeſſione nõ ſequuta ib. n. 4. fo. 258. 259

Lega-

Legata prophana ſtrictè ſunt explicanda. ibidem §.22. nu.0. fol.263.
Legata pia amplam inuoluunt interpretationem: ibidem nu. 8.
Legatum pium, & votum quoad interpretationem diſcriminantur: ibidem num. 12. folio 264.

L E X

Lex æterna bifariam ſumitur, per habitudinem ad intellectum, & ad voluntatem diuinam. Diſceptat. 2. cap. 6. nume. 1. folio 32.
Lex in dubio, an extet, non obligat: Diſceptat. 6. cap. 2. §. 1. nu. 1. fol. 144.
Quando lex eſt certa, licet dubia ſit acceptatio, non eximuntur ſubditi ab eius obſeruatione: ibidem §. 2. nu. 3.
Cum eſt promulgata, aſtringit ſubditos ad ſui acceptationem: ibidem numero 4. folio 145.
Sub opinione manens, fuerit nec ne acceptata, probabilius eſt obligare: ibidem n. 6.
Lex obligat, quamuis dubitatio ſit, num per deſuetudinem fuerit abrogata: ibidem §. 3. nu. 1. fol. 145.
Lex ciuilis vim habet obligandi in foro cõſcientia; licet non ſemper: ibidem §. 6. nu. 1. folio 147.
In dubio præſumitur non obligare in conſcientia: ibidem nu. 5 folio 148.
Si conſtat de graui obligatione ex parte intentionis legiſlatoris, & dubium ſit de leuitate, aut grauitate materia, tunc ſub peccato mortali tenentur ſubditi legem illam ſeruare ib.
Lex Eccleſiaſtica non obligat ſubditum dubitantem, num ratione ætatis, aut temporis ſit aſtrictus: ibidem §. 9. nume 2. folio 149.
Lex eſt de vniuerſalibus, & nequit ſe extẽdere ad caſus omnes in particulari: ibid. cap. 3. §. 1. nu. 4 folio 161.
Promulgata incipit libertatem ſubditi poſſidere: ibidem §. 2 n 5 folio 163.
Lex ceſſat contrariè, non ſolùm cum eius obſeruatio eſt mala, verùm etiam cũ eſt nimium difficilis: ibid. n. 10.
Lex naturalis quatenus dicit lumen in mẽte impreſſum, nullam admittit Epijkiam ibidem §. 6. nu. 7. folio 169.
Lex naturalis pro vt eſt in decalogo expreſſa, eſt capax ſimplicis interpretationis, at nõ admittit Epykiã ꝓpriè dictã. ib. n 8. 9.
Lex diuina poſitiua admittit ſimplicem interpretationem ib §. 7. nu. 2. folio 171.
Admittit etiam Epijkiam. ib. n. 5 folio 172.
In lege Euangelica non dantur alia præcepta poſitiua diuina præter ea, quæ ſpectant ad receptionem, & adminiſtrationẽ Sacramentorum. ibidem nu 6.
Non datur lex declarans ad quos Beneficiarios extendatur obligatio recitãdi horas Canonicas. Cap. 6 § 12 n 5 folio 202.
Neque datur lex poſitiua, neq; naturalis directè præcipiens fidelibus, vt curent participes fieri ſuffragiorum Eccleſiæ. ib. cap. 7. §. 1. nu: 14. folio 205.
Lex poſitiua, quãdo falſa præſumptione nõ nititur, obligat in cõſcientia: ib. §. 3. nu. 3. fol. 207.

LIBERTAS LIBERVM

Libertas præſumenda eſt in dubio, & non ſeruitus: Diſcep 6 cap. 6. § 2. n. 1. fol. 195.
Liberum eſt diuerſum à morali remiſſiuè. Diſcept. 3. cap. 6. nu. 8 folio 41.

L I C E N T I A

Licentia nõ expreſſa diuiditur in tacitã, & præſumptã, & quo pacto inuicem differant: Diſcep. 6. c. 3. §. 18. n. 2. 3 & 4. f. 181
Licentia Parochi præſumitur quando extraneus Sacerdos matrimonio interfuit, & onus probandi oppoſitũ pertinet ad opponentem ſi eſt tertia perſona, ſecùs ſi eſt Parochus: ib. c. 11. p. 7. §. 9. n. 5. & 6. fo. 319
Limitatur: ibid.

L V D V S

Qui per fraudem in ludo lucratus eſt, an præter quod iniuſtè acquiſiuit, teneatur aliquid aliud reſarcire pro ſpe, quam habebat colluſor ad lucrandũ fraudibus remotis: Diſcep. 6. c. 9. §. 12 n. 3. & 8. fol. 222

M

MAGISTRATVS

Magiſtratus non habet directum dominiũ in bonis ſubditorum: Diſcep. 4. cap. 26. nu. 16. folio 95.

MALEFICIVM, MALEFICVS

Maleficium eſt intrinſecè malum, & nunquam licitè vſurpatur ad aliud maleficium diſſoluendum: Diſcept. 6. cap. 2. §. 20. nu. 1. folio 159.
Maleficij ſolutionem nequimus petere à mago ignorante media honeſta: ibidem nu. 2. folio ibid.

Poſſumus tamen tam poſtulare dubitantes de voluntate non verò de poteſtate malefici ad media licita; ibidem nume. 6. ibidem.

Si verò ambigimus, nũ maleficus ſciat media licita, nequimus ab illo petere maleficij ſolutionem: ibidem num. 7. ib.

Maleficio vexatis, ſi quis mederi ſe offerat, quid à nobis faciendum: ibidem.

Malefico agnoſcenti vtriuſque generis media, num abſolutè proponere poſſimus deſtructione operis ſuperſtioſi, nullum eidem determinando medium: ibidem nu. 8. *folio* 160.

Limitatio Thomæ Sanchez refertur, & approbatur: num. 14.

Maleficij tollendi petitio non æquiparatur in omnibus petitioni mutui. nu. ib.

MARITVS

Maritus adultera præſumitur vixiſſe tempore, quo patratum fuit adulterium, & promiſſum fuit futurum matrimonium Diſcep. 6. *cap.* 11 *par.* 7. § 8. *nu.* 2 *fol.* 318.

Maritum obijſſe cum non conſtat, nequit ſuperſtes cõiux aliud inire matrimoniũ; ibidem §. 11. nu. 15. folio 323.

MATERIA

In Sacramento pœnitentiæ datur duplex materia, certa vna, incerta altera in ordine ad iuriſdictionem Confeſſarij, *ſecùs in Sacramento baptiſmi: Diſcep. 6. c. 11. §. 4. nu. 12. folio 289.*

MATRIMONIVM

Matrimonio bona fide inito, ſi de eius valore dubium ſuperueniat, ambigens ante præſtitam diligentiam reddere tenetur debitum alteri coniugi non dubitanti, petere tamen nequit; ſecùs poſt diligentiam etiam ſi adhuc dubium illud perſiſtat: Diſceptat. 6. capit. 11. par. 7. §. 1. nu. 6. folio 312.

Dubitans, ante diligentiam reddendo debitum, neque ſupponit, mulierem illam eſſe ſuam, neque eſſe non ſuam: ibidem num. 8.

In pri ri bimeſtri durante dubio coniux dubitans, nequit debitum reddere: ibid. num. 9.

Matrimonium, de cuius validitate, ratione impotentiæ ambigitur, non eſt ſtatim irritum iudicandum, ſed expectanda eſt triennalis experientia ib. nu. 12.

Quando vterque coniux de valore matrimonij hæſitat, neuter petere, aut reddere poteſt; ibidem §. 3. nu. 3. folio 313.

Matrimonium non irritatur ab Eccleſia præciſè ex eo, quod impotentia ſit ex maleficio, niſi conſtet præceſſiſſe contractionem ipſius matrimonij: ibidem §. 5. nu 9. folio 317.

Matrimonium initum coram Sacerdote extraneo ex præſumpta Parochi licentia, quamuis priùs contractum, cedit matrimonio inito coram Parocho, quãuis ſit poſterius: ibidem §. 10. numero 3. folio 320.

Matrimonium licitè contrahitur nulla interueniente diſpenſatione, quamuis dubium ſit de impedimento dirimente, ſi diligentia ad veritatem acquirendam ſit exhibita: ibidem §. 11. numero 7. folio 322.

Si verò poſt contractum matrimonium innoteſcat impedimentum diſpenſatione eſt opus: ibidem num. 9. Vide verb. Impedimentum.

Duo concurrẽtia matrimonia cũ eadẽ perſona sũt ambo ſecundũ ius fauorabilia, eiuſdemq; ordinis, ideoq; quod certò initum fuit cũ omnibus requiſitis conditionibus, erit alteri præferẽdũ. ib. n. 13. f. 323

Matrimonium validè contrahitur, quando exiſtente errore circa factum, errans decipitur ſecundum ius. ibidem §. 12. nu. 5 folio 324.

Inualidè contrahitur, quando eſt error facti, & nullus error iuris: ib. nu 6.

Limitatur. ibidem nu. 11. folio 325.

Matrimonium licet ſit quid facti, atque adeo ex hoc præciſè probandum, in fauorem tamen filiorum in iure præſumitur: ibidem §. 14. nu. 5. folio 327.

MEDICVS MEDICAMENTVM

Medicus nequit certò relicto medicamento applicare illud, quod eſt ſub opinione poſitum, num ſit nec ne proficuum? Diſcep. 4. cap. 30. num. 1. folio 104

Medicus ſi dubitet; num infirmitas ſit ita grauis, vt excuſet ægrotum ab aliquo Eccleſiæ præcepto, tenebitur infirmus diſpenſationem petere à Superiore: Diſcept. 6. *cap. 2. § 12. nu. 7 folio 154.*

Medicamentum certum ſi nõ exiſtat, quod eſt tutius adhibendum erit: Diſcept 4. c. 30. nu. 2. folio 104.

Medicamentum dubium, quando ſalus infirmi eſt deſperata, num licitè applicetur? ibidem nu. 3 folio 105.

METVS

Metus incuſſus multiplex eſt. Diſceptat. 6. cap. 1. §. 21. nu 1 fol 133.
Metus, quo quis religioſam emiſit profeſſionem, quando ambigitur fuerit nec ne grauis, quid præſumendum? ibidem num. 3.
Metus in dubio non præſumitur, ibid. cap. 11. par. 7. § 7. nu. 2 fol. 318.
Metus incuſſus potius leuis, quàm grauis in dubio præſumendus erit: ib. nu. 2.
Metus cenſetur iuſtus, ſi oriatur ex minis, de quarum executione dubitatur. ibidem num. 4.

MVTVATARIVS.

Mutuatarius in dubio non præſumitur gratis donaſſe mutuanti exceſſum illum, qui eſt ſupra ſortem. Diſcept. 6. cap. 9. §. 2. nu 2. folio 236.
Limitatur ibidem nu. 3.

N

NATVRA

Natura hominis, vt rationalis ex ſuis principijs bonitatem duxit. Diſcep. 6. cap 5. §. 18 nu. 2. folio 158.
Natura humana mens talis cōditionis eſt, vt valdè attēdens circa aliquod obiectū, alia obliuiſcatur: ibidem cap. 11. par. 4. §. 2 nu. 8. folio 182.

NEMO

Nemo præſumitur velle ſuo proprio iure priuari. Diſcept. 6 cap. 6 §. 7. nu. 5 folio 148

NOMEN, NOMINATIO.

Nomen abſolutè prolatum ſtat pro ſuo principali ſignificato. Diſcep. 6. cap. 7 §. 3. n. 1. folio 190
Nomen eſſe proprium, aut appellatiuum nihil iuuat, quando diſpoſitio committitur deſignando nomen officij, & plures eiuſdem generis ſunt officiales: ibidem num. 6 folio 191.
Nomen æquiuocum delegati in commiſſione gratuita, contra quam nulla eſt pars aduerſa, dat facultatem ei, qui commiſſionem poſtulauit, vt ex pluribus eligat quem maluerit: ibidem nu 9.
Nomen hoc, Frater, abſolutè dictum, ſumitur pro fratre conſanguineo, & non pro eo, qui ratione Religionis appellatur Frater: ibidem capit. 10 §. 14 num. 2. folio 252.

NOTÆ.

Notæ, ſeu ſigna, ex quibus colligi poteſt voluntas Prælati in ordine ad donandam, vel recipiendam rem aliquam à ſubdito religioſo, vel ad eam denegandam, debent euidentiam habere in ratione ſigni. Diſcep 6. cap 5. §. 11. nu. 5. fol. 182.

NOVITIVS

Nouitius, peracto Nouitiatu ius acquirit, vt ad profeſſionem admittatur, niſi impedimentum habeat: Diſcep. 6. cap. 9. §. 38 num. 5. folio 249.

NVMERVS.

Numerus tranſgreſſionum circa regulas religionis complens grauem contemptum, vtrùm detur, ne quæ ſciri poteſt? Diſcep. 7 cap. 6 §. 6. num. 7. 8 & 9. fol. 346.
Numerus peccatorum venialium, ex quo reſultet periculum habendi mortale, nequit à nobis aſſignari: ibidem §. 6. nu. 18 folio 348.
Duplex datur limitatio: ibidem numero 19. & 20.

O

OBLIGARI, OBLIGATIO

Obligari interdum poteſt homo à Deo ad aliquam actionem materialiter malam, formaliter verò honeſtam? Diſcep. 3 cap. 3 nu 8 folio 16.
Obligari hominem ad cōtradictoria ex ſuppoſitione aliqua, non eſt impoſſibile ibid. num. 2 fol 17.
Obligamur interdum noſtram deponere opinionem, & alteri adhærere. Diſceptat. 2 cap. 26 num 17 folio 95.
Obligatio eſt quædam proprietas legem neceſſariò conſequens Diſcept 6 cap. 2. §. 5 num 5 folio 147.
Obligatio vt ſit latiùs patet, quàm obligatio in foro conſcientiæ ibid nu 7.

OPERARI

Operans iuxta minùs probabilem ſententiā licet non operetur cum ſumma diligentia, operatur tamen cum ſufficienti. Diſcep.

4 cap. 19 §. 2. nu. 6. folio 69.
Operari contra propriam opinionem non eſt idem, quod operari contra conſcientiam ibidem cap. 26. nu. 11 folio 94.

OPINIO OPINARI

Opinio quid ſit? Diſcep. 4. capit. 1. nume. 1. folio 47.
Opinionum probabilitas ex duobus vniuerſalibus procedit capitibus: ibidem num. 2. folio 48.
Quo pacto opinio probabilis ſit definienda? ibidem num. 3.
Opinioni plurium ob eorum authoritatem adhærens non tenetur, per ſe loquendo, rationes, & veritates huius opinionis inquirere: ibidem cap. 2. nu. 3 fol. 49.
Secùs ſi aduerteret, rationem aliquam ab eius ſectatoribus cognitam, & examinatam non fuiſſe: ibidem nu. 4.
Opinio communis non eſt cum probabiliori confundenda: ibidem capit. 3. num. 2. folio 50.
Opinio communis eſt illa, quæ à probatioribus, quamuis paucioribus hominibus defenditur: ibid. nu. 4.
Duæ opiniones contrariæ dici poſſunt communes. ibid. nu. 5.
Opinio vnius contra plures poterit eſſe probabilis, tum in rebus pertinentibus ad ius humanum, tum etiam diuinum. ibidem cap 4. nu 10 fol 52.
Opinio Recentiorum, num ſit præferenda ſententiæ veterum; & opinio Theologorũ ſententiæ Canoniſtarum: ibidem cap. 6. per totum fol. 53.
Opinio ſolùm ſpeculatiuè, & non practicè probabilis eſt concedenda. ibid. cap. 8. nu. 3. fol. 59.
Opinio tantùm ſpeculatiuè probabilis, non eſt illa, quæ praxim reſpicit; ibidem nu. 13. fol. 59.
Duæ opiniones contrariæ æquè probabiles apparentes, non tollunt, quin intellectus alterutram, quam maluerit, eligat: ibid. cap. 9. nu. 10. fol. 61.
Opinio minus probabilis licitè eligitur probabiliori relicta: ibidem cap. 10. § 1. nu. 6 fol. 63.
Opinio probabilis poteſt eſſe falſa. ibid n. 4. fol. 67.
Opinionem aliorum, contra noſtram, ſequẽtes, non dicimur operari contra conſcientiam: ibidem cap. 12. nu. 5 fol. 74.
Opinio tenuiſſimum habens probabilitatis gradum, recipi nequit per ſe loquendo. ib. cap. 13. nu. 3. fol. 75.
In caſu aliquo vrgentis neceſſitatis admittitur. ibid. n. 4.
Opinio probabilis interdum iuriſdictionem confert, licet in re ſit falſa. ibid. cap. 17. nu. 1. fol. 81.
Opinionum eligibilitas interdum à poſſeſſione depradet. ibidem. cap. 18. num. 7. folio 84.
Opinio, quam ſubditus habet, verſantem circa obligationem parendi, & eſt probabilis, permittit, vt ſubditus non obediat: ibidem cap. 16. nu. 18 fol. 95.
Talis opinio eſt practica, & quare? ibidem.
Eſt diuerſa ab ea opinione, quæ tendit in honeſtatem, aut inhoneſtatem rei præceptæ: ibidem nu. 20. fol. 96.
Quæ dicatur opinio probabilior ſecundum ſe, & quæ ſecundum factum? ibid. cap. 19. nu. 1 fol. 97.
Opinio probabilis dicitur, vel per ordinem ad obiectum, vel per ordinem ad principium operandi, & vtraque declaratur: ibidem nu. 20. fol. 100.
Tutior opinio eſt neceſſariò eligenda, quando de validitate actus agitur in ijs, quæ à diuino iure dependent. ſecùs in ijs, quæ ſunt de iure humano Diſcept. 6. *cap. 11 par. 4. §. 1. nu. 12 fol. 286.*
Opinionem minùs probabilem recipiens, ſequitur inclinationem rationis. Diſcept. 4. capit. 10. §. 2. num. 5. fol. 69.
Opinari quodlibet, non eſt nobis liberum abſolutè loquendo. ibidem §. 1. num. 6. folio 67.
Secùs poſito aliquo motiuo. ibid.
Opinans voniſſe, etiam ſi ſit probabile oppoſitum, non aſtringitur ad voti obſeruationem. Diſceptat. 6. cap. 1. §. 5. num. 1. fol. 117.

ORATIO

Oratio ad Deum eſt optimum remedium pro ſcrupulis tollendis. Diſcep. 7. cap. 5. num. 6. folio 336.

ORDO

Ordo Sacramentalis cum ſub conditione iterum confertur, debet fieri ſecretò ad ſcandalum vitandum: Diſcept. 6. cap. 11. par. 6. §. 2. nu. 9. fol. 310.

P

PATER

Pater poteſt irritare filiorum vota, quamuis dubium ſit, an emiſſa fuerint

rint nec vè ante pubertatem: Diſcept. 6. cap. 1. §. 28. num. 7. fol. 138 Vide verb. Dubium

Pater prædictus certam habet poteſtatem irritandi prædicta vota, non obſtante dubio de tempore emiſſionis, licet ſpeculatiuè quando dubia ſit talis poteſtas. ibidem num. 11.

Pater priùs fuit in poſſeſſione poteſtatis dominatiuè ad vota filiorum annullanda, quam votum fuerit in poſſeſſione liberæ voluntatis filiorum in ſeipſis obligandis, ibidem fol. 139.

PECCARE PECCATVM

Peccans contra veram conſcientiam, an duplicem committat culpam. Diſcept. 1. cap. 10. per totum fol. 20.

Peccare contra conſcientiam vincibiliter erroneam, an grauius ſit, quàm peccare ſecundum illam, certa, & firma regula dari nequit: Diſcept. 3. capit. 5. num. 6. fol. 39.

Si verò cætera ſint paria, grauius eſt peccare contra illam conſcientiam, quàm ſecundum eadem operari. ibidem n. 7.

Peccatum procedens ex conſcientia erronea eſt eiuſdem ſpeciei cum peccato, quod procedit ex conſcientia vera, ſi ſint circa idem obiectum. ibidem cap. 7. num. 2. fol. 41.

Neque in confeſſione oportet, vt diſtinctè aperiantur. ibidem num. 3. fol. 41. & 42.

Peccatum, quod contra conſcientiam dubiã committitur, eſt illius ſpeciei, circa quam dubium verſatur. Diſcept. 5. cap. 2. nu. 10. fol. 101.

Peccata mortalia dubia neceſſariò in confeſſione ſunt declaranda. Diſcept. 6. cap. 11 par. 4. §. 1 nu. 4. fol 276.

Peccata venialia interdum per accidens debēt aperiri in Sacramento pœnitentiæ. ibid. nu 17. & 19. fol. 279.

Peccata mortalia, quæ certò fuerunt commiſſa, ſi dubium inſurgat, fuerint necne explicata, neceſſariò ſunt aperienda. ib. §. 2. nu 6 fol. 281.

Peccatum, quod pœnitens dum in humanis degit, non tenetur fateri, neque in fine vitæ tenebitur: ibidem numero vndecimo, fol. 283.

Peccata probabiliter explicata non ſunt ex neceſſitate iterum aperienda: ibidem num. 13 Vide verb. Sacramentum pœnitentiæ.

Peccatum dubium non eſt habendum, vt reſeruatum, niſi etiam dubia à Superiore apertè reſeruentur: ibidem § 3. nu 8. fol. 285.

Peccatum præſumptum non eſt reſeruatū. ibidem nu 13 fol 287.

Si tale peccatum à Confeſſario inferiori fuerit remiſſum, & poſtea eius reſeruatio innoteſcat, non tenebitur pœnitens abſolutionem iterùm petere à Superiore. ib. §. 5. nu. fol. 289.

Peccata ſecundum qualitatem, & quantitatem debent Confeſſario innoteſcere: ibidem §. 9. nu. 12. fol. 299.

Peccatum dubium non eſt abſolutè in confeſſione aperiendum. ib.

PERICVLVM

Periculum vitæ, aut notabilis nocumenti, cum fũdatur in qualitate morbi, ſi Medicus dubitet de ipſo fundamento, nequit infirmus abſque diſpenſatione frangere legem Eccleſiaſticam, cuius obſeruatio ambigitur eſſe nociua: Diſcept. 6. cap. 2. §. 12. nu. 8 fol. 134.

Periculum frangendi votum paupertatis ceſſat, quando Religioſus prudenter operatur ex præſumpta voluntate Superioris. ibidem cap. 3. §. 10. num quarto, fol. 181.

Periculum morale irritandi Sacramentũ vitatur, cum pœnitens Confeſſario Ordinario fatetur peccatum dubium, quoad reſeruationem: ibidem cap. 11. par. 4. §. 3. nu. 10. fol. 285.

PERPLEXVS, PERPLEXITAS

Perplexus inter duo contradictoria cum inuincibiliter nequit diſcernere, quodnam ex iſtis ſit eligendum, quodcumque eligat ex eiſdem minimè peccabit Diſcep 3 cap. 6: nu. 5. fol. 41.

Perplexitas iſta à Deo permitti poteſt. ibid. num. 7.

POENITENS.

Pœnitens licitè accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita, ſaltem extra mortis articulum. Diſcept. 4. cap. 31. nu. 10 fol. 107.

POSSESSIO, POSSIDENS.

Poſſeſſio reddit cauſſam fauorabilem pro ipſo poſſidente, quando reliqua ſunt paria. Diſcep. 4. cap. 18. n 3. fol. 83. & 84.

Fauet

Fauet etiam, ſi probabiliores ſint rationes pro non poſſidente: ib nu 4.
Poſſeſſio eſt triplex, naturalis, ciuilis, ciuiliſſima. Diſcep. 5 cap. 5. num 2. folio 113.
Poſſeſſio interdum ſumitur pro ipſa rei detentione, interdum pro facultate, & iure ad rem illam habendam. ib.
Poſſeſſiones iſtæ; quandoque coniunctæ, quandoque ſeparatæ inueniantur: ibi
Poſſeſſio in dubijs pro eo ſtat, pro quo eſt iuris præſumptio: ib nu. 3.
Poſſeſſio vt agnoſcatur, pro qua reperiatur in dubijs, firma traditur regula ibidem cap. 5. per totum.
Poſſeſſio, cui ius reſiſtit, non fauet poſſidenti: ibidem nu 9 fol. 114.
Poſſeſſio fauet in dubijs poſſidenti, quando verò ſunt præſumptiones, pro non poſſidente, quæ generant opinionem, tunc poſſeſſio poteſt non fauere poſſidenti ib. num 9. fol. 115.
Poſſeſſio libertatis, quæ eſt in ſubdito, cum agitur de re graui, præualet poſſeſſioni iuriſdictionis, quæ in Superiore reperitur. Diſcep. 6. cap. 1. §. 10. nu. duodecimo fol. 152.
Poſſidentis conditio in omni materia eſt melior: ibidem cap. 4. nu 4. fol. 113.
S. cùs ſi lus illi reſiſtat ib. nu 5.
Poſſidens dignitatem, habet ſuam intentionem fundatam in ijs, quæ ad eamdem pertinent dignitatem: ibidem cap. 11. par. 6 §. 1. nu 6. fol. 308.
Poſſidens, perſeuerante dubio, num res poſſeſſa ſit aliena, poſita diligentia pro veritatis elucidatione licitè rem illam alienat, admonendo tamen emptorem: ibidem cap. 9 §. 3 n. 2. & 3. fol. 217.
Si verò nulla exiſtit ſpes, vt Dominus illius rei compareat, ceſſat obligatio admonendi: ibidem §. 4 nu. 1.
Si rem conſumpſit poſt præſtitam diligentiam, Domino poſtea comparente, ſolum tenebitur reſtituere id, in quo ditior eſt factus: ibidem §. 5. nu 3 & 4. fol. 218.
Dubitans, niſi ditior euaſerit, ad nihil aſtringitur: ibidem §. 6 nu 1.
Si tamen culpabiliter diligentiam omiſerit ad veritatem indagandam, poſtea verò impotens effectus ad eam aſſequendam, non eſt obligandus ad totum, ſed ad partem reſtituendam: ibidem §. 7 num. 3 & 4 fol. 219.
Dubio exiſtente, quiſnam ex pluribus ſit Dominus, eſt diuidenda inter plures illos in ea proportione in qua eſt dubium: ib. §. 8. nu. 2. fol. 220.
Si verò res ſit indiuiſibilis, vni applicanda eſt pars æſtimationis rei, alteri verò res ipſa ib
Cui nam ſit aſſignanda res, ſorte determinari poteſt: ib.

POTESTAS.

Poteſtas tollendi reſeruationem, ſicuti & culpam exiſtere debet in eo momento, quo vtraque aufertur: Diſcep. 6. cap. 11. par. 4 §. 8. nu. 11. fol 396.

PRÆLATVS.

Prælatus Regularis nequit obligare ſubditum, vt reſpondeat iuxta ipſius intentionem, quando ſubditus prudenter dubitat, num interrogatio ſit nec ne legitima: Diſcep. 6. cap. 2. §. 10. num. nono fol. 151.
Limitatur multipliciter: ibidem num. 19. & num 11. fol. 152.

PRÆSERTIM.

Eſt dictio, quæ importare interdum poteſt id, quod importat particula tantùm: Diſcept. 6. cap. 11. par. 5. §. 3. num. 11. fol. 307.
Eſt dictio implicatiua, ibid.

PRÆSVMPTIO

Præſumptio iuris, exiſtente dubio, pro quo ſtet? Diſceptat. 5. cap 5. num 4. & 5. folio 114.
Præſumptiones plures ſi concurrant ſimul pro vtraque parte, eſt iudicandum pro parte illa, pro qua efficaciores reperiuntur præſumptiones: ibidem nu 6.
Si verò præſumptiones hinc inde ſint æquales, & non permittant, vt formetur iudicium ad agnoſcendum, pro quo ſtet poſſeſſio, perinde eſt, ac ſi nulla extaret præſumptio: ibidem nu. 7
Præſumptio de voto emiſſo non extenditur ad reſeruationem tali voto annexam: Diſcep. 6. cap. 1. §. 5. nu 4 fol. 118.
Præſumptio, qua præſumitur votum ingrediendi religionem, & ſtatim exeundi fuiſſe per modum vnius, eſt fortior, ea, quæ eſt pro validitate huius voti: ib §. 21. nu. 5 fol 129
Præſumptio pro valore actus recipitur in fauorabilibus, non in odioſis: ibidem num. 7.
Præſumptio pro valore actus ſimul cum

præ-

præſumptione, qua delictum, ſeu fraus remouetur, ſunt validiores præſumptiones, quæ libertati fauet. ibidem §. 25. nu. 7. fol. 135.

Præſumptio Iuris habenda eſt pro veritate, quando certitudo deficit: ibidem cap. 11. §. 3. nu. 7 fol. 285.

PRINCIPIVM

Prima principia practica ſemper intellectui ſiuè explicitè, ſiue implicitè repræſẽtantur: Diſceptat. 1. cap. 4. num. nono folio 10.

Principia intrinſeca, & extrinſeca, quæ ſint? Diſceptat. 3. capit. 11. num. 6. folio 45.

PRIVATÆ PERSONÆ.

Intelliguntur illæ, quæ temporale dominiũ non habent: Diſcep. 6. cap. 6. §. 3. nume. 3. folio 196.

PRIVILEGIVM.

Priuilegium in dubio, num perſonale ſit, an verò reale, ſi alicui præiudicet, præſumitur potiùs perſonale; ſecùs ſi nemini præiudicium afferat. Diſcept. 6. cap. 4. §. 1. nu 3. fol. 185.

Priuilegium de non ſoluendis decimis ipſimet concedenti extenditur ad prædia in futurum obtinenda. ibidem §. 2. n. 2.

Secùs ſi eſt in præiudicium tertiæ perſonæ, tunc enim eſt reſtringendum: ibidem num. 4.

Priuilegia Societatis Ieſu ſunt ampla, atq; adeo extendenda etiam ad prædia in futurum acquirenda: ibidem num. quinto folio 186.

Priuilegiorum confirmatio, alia eſt ſub forma communi, alia verò ſub ſpeciali, ſeu ex certa ſcientia: ibidem §. 4. num. 1. folio 187. Vide verb. Confirmatio.

Plures effectus ſequuntur ex confirmatione priuilegiorum ſub forma ſpeciali: ibi. num. 2.

Priuilegia, quę eximunt Regulares à iuriſdictione Epiſcopi, quando verba ſunt obſcura, eorum interpretatio non pertinet ad Epiſcopum, ſed ad Summum Pontificem: ibidem §. 5. num. 2 & 4. fol. 187 & 188

Priuilegium in dubio non præſumitur reuocatum. ibidem §. 6. nu. 2.

PROBABILITAS

Probabilitas fundatur in eo, quod eſt naturæ rationali, vt rationali conſentaneũ: Diſcep 4. cap. 1 nu 4 folio 48.

Probabilitas ex quibus aſtruitur conditionibus? ibidem n. 6.

Probabilitates opinionum contrariarũ etiã in æquali gradu concurrentes non ſe mutuo deſtruunt: ibidem cap 9. nu. 11. folio 61.

Vim retinent mouendi intellectum ad aſſenſum, & voluntatem ad electionem. ibidem.

Probabilia motiua generant prudentem aſſenſum, & ab eo temeritatem depellunt: ibidem nu. 14.

Probabilitas æqualis inter duas contrarias opiniones non eſt ſecundum quid, ſed ſimpliciter talis: ibidem nu. 20. fol. 62.

Probabilitas in moralibus conſiſtit in motiuis ſuadentibus honeſtatem: ib cap. 10 §. 1. nu 4. fol. 67.

Probabilitati adhærens non dicitur leuis corde, aut citò credens: ib. §. 2. num. 12. folio 69.

Probabilitatis exceſſus ex parte non poſſidentis, interdum euincit poſſeſſionem, in qua alius reperitur: ibidem cap. 18. nu. 4 fol. 84.

Probabilitas practica deſumitur ex conſideratione omnium circumſtantiarum ib. num. 6.

Probabilitas verſans circa ſolam honeſtatẽ actus, & probabilitas circa valorem actus, inter ſe differunt: ibidem cap. 31. n 9 fol. 107.

Probabilitatis exceſſus, quando non eſt notabilis, non obligat ſub graui culpa ad ſequendam opinionem ita parum excedẽtem: ibidem nu. 12. fol. 108.

PROCVRATOR.

Si contra eum opponatur minor ætas, non erit in iudicio repellendus, niſi ab opponente ætatis inſufficientia probetur Diſcept. 6. cap. 11. par. 6. §. 1. num. quinto fol. 308.

PROFESSIO, PROFESSOR, *Profeſſus.*

Profeſſio religioſa emiſſa cum dubio de ſufficientia ætatis, an ſit valida, ſi re vera, qui eam emiſit legitimam habuerit ætatem? Diſcept. 6 cap. 1. §. 24. per totum. folio 133.

Profeſſio valida cenſenda erit, dubio emergente de legitima ætate; ibidem §. 25. nu. 4. folio 135.

Profeſſio religioſa differri poteſt, peracto Nouitiatu, ex cauſſa rationabili: ibidem cap. 9. § 38. nu. 6. folio 249.

Profeſſor moralis theologiæ conſultus, num teneatur iuxta propriam, an verò aliorum ſententiam reſpondere? Diſcep. 4. cap. 10. nu 5. 6. & 7. folio 86.

Profeſſi Societatis Ieſu ad dignitatem aliquam extra Societatem promoti, laudabiliter votum emittunt, ſe aſſenſuros cõſilio P. Generalis, quando id melius eſſe iudicauerint: Diſcep. 6. cap. 1. §. 27. nu. 1. folio 136.

Nũ teneatur prædicto conſilio adhærere, quando ambigunt ſit nec ne melius? ibidẽ Vide verb. votum. Dubitans.

PROLES

Proles ſecundi viri, in dubio, erit præſumẽda, ſi primo viro mortuo, uxor ſtatim cum alio nubat, & intra nouem circiter menſem à die ſecundi matrimonij pariat: Diſcept. 6. cap. 9. §. 20. nume. 3. folio 232.

Prolis fauor non iuuat, cum præſumptio contraria fundatur in ipſamet natura: ibidem cap. 11. par. 7. §. 5. nu. 6. fol. 316.

PROMISSIO

Promiſſio communiter fieri non ſolet, quando ex illa notabile damnum promittenti obuenit: Diſcept. 6. cap. 11. par. 7. §. 1. num. 5. fol. 311.

Promiſſio de futuro matrimonio cum adulterio coniuncta, ſi ambigatur, num eo tempore alter ſuperuixerit coniux, quid decidendum in ordine ad impedimentum dirimens: ibidem cap. 11. par. 7. §. 8. nu. 2. fol. 318. Vide verb. Maritus, Dubium.

PROPOSITVM

Propoſitum non ſeruandi regulas non obligantes ad culpam grauem in Religioſa per ſe loquendo non eſt peccatum lethale: Diſcept. 7. §. 11. num. 15. & 16. folio 347. Vide verb. Religioſus.

PRVDENTIA.

Prudentia eſt recta agibilium ratio. Diſceptat. 1. cap. 6. nu. 10. fol. 14.

Eius actus ſunt tres: Inquirere, Iudicare, præcipere; ibidem num. 11.

Prudentia influit in prædictos actus per Eubuliam, Syneſim, & Gnomen: ib.

Prudentia concurrit ad conſcientiam medijs prædictis habitibus: ibidem nu. 12.

Prudentia non concurrit ad conſcientiam præcipiendo: ibidem nu. 13.

PVER

Puer, de cuius vſu rationis ante ſeptenniũ dubitatur, ſub conditione debet ſacramentaliter abſolui: Diſcep. 6. cap. 11. par. 4. § 9. nu. 5. fol. 298.

Q

QVALITAS

QValitas deſignans adiecta legato duplicem habere poterit ſignificationẽ: Diſcep. 6. cap. 10. §. 20. fol. 260.

Qualitas adiecta ſi ſtat demonſtratiuè, re non exiſtente, inualidam non reddit diſpoſitionem ſecùs ſi ſtat taxatiuè: ibidem num. 3.

Traditur regula ad agnoſcendum, quando legatum ratione qualitatis adiectæ ſumitur demonſtratiuè, aut reſtrictiuè: ibidem nu 5 6 7. fol. ib.

Qualitas deſignans corpus ſupra quod adimpleri debet legatum valet etiam in legatis pijs, ibidem nu 8. fol. ibid.

Qualitas adiecta in dubio num demonſtratiuè, an taxatiuè ſumi debeat quid decidendum ibidem num. 9. folio ibidem. Vide Verb. Demonſtratio, Taxatio.

Qualitas, ſeu conditio non repetita, in odioſis præſumitur reuocata. Diſceptat. 6. cap. 11. par. 4. §. 7. nu. 7. fol. 292.

QVINQVENNIVM

Quinquennio tranſacto, ſi dubium emergat, num profeſſio religioſa inualida fuerit nec ne confirmata, præſumitur confirmata. Diſcept. 6. cap. 1. § 26. per totum folio 136.

R

RATIO

RAtio multiplicem inuoluit ſignificationem, quandoque intellectum, quandoque habitum, quandoque etiam actum importat: Diſcept. 2. cap. 1. n. 1. folio 21.

Ratio

Ratio non dicitur reciprocè cum conſcientia. ibidem.

Ratio deſinitur per conformitatem ad appetitum rectum. ib. nu. 2.

In eius deſcriptione nullus vitioſus committitur circulus.ib nu.3.

Ratio non benè deſcribitur ab Arriaga. ib. nu 8 fol. 22.

Ratio practica nō reſpicit verum, & fal ſū abſolutè, ſeu in ordine ad obiectum ſecūdum ſe, ſed per ordinem ad appetitum, ſecùs ratio ſpeculatiua: ibidem num. 12. folio 23.

RATIHABITIO

Ratihabitio differt ſtrictè loquendo ab Epijkia Diſcep 6. cap.3 §.1. nu. 6. fol. 152. Vide verb. Epiſkia.

Ratihabitio locum habet in voto paupertatis religioſa ibidem §.8. nu.10 fol. 174.

Ratihabitio in materia paupertatis non redditur illicita per opinionem ſpeculatiuè contrariam Prælati. ibidem §. 11. nu. 7. fol. 182.

Ratihabitio quoad neceſſitatem petendi licentiam, quando patet aditus ad Superiorem, differt ab Epijkia: ibidem §.12.n. 11. folio 184.

REGNVM

Regnum an ſit diuidendum inter prætenſores, quando à nemine ex illis poſſidetur, & rationes ex parte facti ſunt æquales: Diſcep.4 cap.24.nu.5.& 6.fol.91.

RELIGIOSVS

Religioſus contra paupertatem delinquit, ſi vtatur ratihabitione, poſtquam Superior declarauit intentionem ſuam nolendi licentiam concedere, vt ratihabitione ſubditi vtantur: Diſcept. 6. cap. 3. § 9. num.4. folio 177.

Peccat tamen venialiter, ſi vtatur ratihabitione, donans, aut aliquid recipiens, & ſi iudicet prudenter, Superiorem non eſſe inuitum quoad ſubſtantiam, ſed quo ad modum tantùm: ibidem nu 8 fol.178.

Religioſus per ratihabitionem ſiue bona, ſiue mala fide rem aliquam accipiens, ſi eam conſumpſit, non tenetur id manifeſtare Superiori, niſi in aliquo caſu per accidens: ibidem §. 12. num. 3. 4. & 5. folio 183.

Re tamen extante ſi adæquata ratio præſumendi licentiam fuerit impedimentum recurrendi ad Superiorem tenebitur Religioſus id Superiori aperire: ibidem num 6.

Secùs ſi vſus ratihabitionis fuerit præſumpta Superioris voluntas: ibidem num. 7.

Religioſus donans, aut aliquid per ratihabitionem recipiens, etiam ſi facilè licentiam petere poſſit, nihilominus non peccabit ſaltem grauiter: ibidem numero 9. folio 184.

Religioſus magis aſtringitur propria religioni in ſuffragijs ferendis pro admittendis Nouitijs ad profeſſionem, quàm ipſis Nouitijs: ibidem cap.9. §. 38 nu. 5. folio 249. Intellige quando reliqua ſunt paria.

Religioſus tenetur ſub graui obligatione vitæ perfectionem curare. Diſcep.7 cap.6.§. 5. nu 3.fol.344.

Non aſtringitur actu eſſe perfectus: ibidem num. 4.

Obligatur tendere ad perfectionem per media illa, quæ præſcribuntur in proprio inſtituto regulari ib nu.6.

Sub eo gradu obligationis, ſub quo media illa obligant: ibid nu.7.

Religioſus proponens perfectionem non attingere peccat mortaliter: ibidem n.8.

Transgrediens regulas, & media ad perfectionem ex contemptu, lethaliter delinquet etiam ſi regula illa ſub culpa minimè obligent: ibidem n.9.fol.345.

RELIQVIÆ

In dubio, an ſint alicuius Sancti, num ſint adorandæ? Diſceptat.6. cap.2. §. 24. per totum fol. 160.

RES

Res, quæ reſtitutioni eſt obnoxia, quando in genere, & non in ſpecie debetur, antequam a creditore acceptetur, ſi perit, cenſetur perire debitori, & non creditori. Diſcept.6. cap.10. §.11.nu.4.fol.261.

RESERVATIO

Reſeruatio, quando eſt dubium iuris, non præſumitur. Diſcept.6. cap.11. par.4. §. 3. nu 1. folio 284.

Reſeruatio dubia ex facto oritur ex multiplici capite ib.nu.2.

Reſeruatio peccati ſimpliciter prolati non comprehendit caſum dubium. ibidem nu 10. fol. 286.

Reſeruatio in dubio poſitiuo non præſumitur:ibidem § 4. nu 4 fol.288.
Reſeruatio formaliter eſt ablatio poteſtatis abſoluendi ab aliquo peccato:ibidem § 8, nu.10. folio 295.
Reſeruationis ablatio, in quo differt ab ablatione culpæ? ib.
Reſeruationis ablatio ſi maneat ſub dubio, pro ipſa reſeruatione, & non pro eius ceſſatione eſt præſumendum: ibidem nu, 15. & 16 fol 296. & 297.

R E V S

Reus, dilicto ſemipleno probato, ſi ipſi id cō-ſtet, num teneatur Iudici legitimè interroganti veritatem fateri. Diſcept.4. cap. 26 nu.15. folio 95.
Reus non tenetur in foro conſcientiæ reſpō-dere ad intentionem Iudicis interrogantis, quando ambigit, num legitimè interroget. Diſceptat.6. cap.2. §. 10.nu.3. folio 151.
Limitatur multipliciter: ibidem num. 5.6. & 7.
Reus poſt delictum patratum ſtatim habitum clericalem aſſumens præſumitur id in fraudem feciſſe: ibidem § 17.num. 3. folio 157.
Secus ſi ante delictum indicijs conſtet intentio habitum illum aſſumendi. ibidem num. 5.
Iuramento ipſius Rei in hac re minimè eſt credendum: ib nu.6 fol. 158.
Reus in fraudem etiam Clericus effectus nequit corporaliter, ſed ſolùm in bonis puniri à Iudice Laico.ib nu 8.
Reus eſt totaliter abſoluendus, quando nulla contra ipſum eſt præſumptio: ib.capit. 9 §.11. nu.8. folio 334.
Reo potius in obſcuris fauendū, quàm Actori. ibidem cap.11. par.4. §. 14 nu. 10, folio 328.
Reus dubitans, an Iudex legitimè interroget, num teneatur ad eius mentem reſpondere. Vide Verb. Iudex, Prælatus.

R E X

Rex nequit ſpoliare Regno eum, qui illud poſſidet vi ſolius opinionis probabilis, imò probabilioris ex parte facti. Diſcept, 4. cap.24 nu.2. fol 90.
Rex, aut alius Princeps abſolutus num valeat in ſui fauorem contra aliam ſententiam ferre? ibidem nu.7. folio 91.
Cuius iudicio cauſſa ſit remittenda: ibidem Verb. Difficultas.

S

SACRAMENTVM

Sacramentorū recta adminiſtratio poſtulat ritum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſeruari. Diſcep.4. cap. 31. num.2 folio 105.
Sacramenta, etiam præciſo Eccleſiæ ritu, exigunt, vt nos in eorum vſu ſequamur certam opinionem, omiſſa probabili:ibid. nu 3. folio 106.
Sacramenta, quæ conficiuntur omiſſa forma certa, in Parocho eſt peccatum contra iuſtitiam: ib.
Et idem dicendum de alio Miniſtro ex ſuppoſitione quadam: ib.
Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſtrictiùs quàm reliqua obligant, & quare? ibidem.
Sacramentorum materia, & forma minùs probabiles, quando vrget neceſſitas, & nequit haberi certa materia, & certa forma, licitè applicantur:ib.n.4.
Miniſter adhibens materiam, aut formam dubiam, num licitè id faciat metu mortis:ibidem nu.5. & 6.
Sacramentum etiam ſi ſpectemus ſolam virtutem Religionis, exigit, vt ipſum iuxta probabiliorem opinionem conficiamus. ibidem Verb. Dico Quinto.
Sacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum in leuamen, & liberationem peccatoris pœnitentis. Diſcep 6.cap. 12. par.4 §.3. num. 13. folio 283.
Sacramentorum aliquorum valor dependet à validitate Ordinis presbyteratus. ibidem par.6. §.2. nu.7 folio 310.

SCANDALVM.

Scandala vitāda ſufficiens præbent fundamentum admittēdi opinionē ſenuis probabilitatis, quæ ſcādalis præciſis, nō eſſet admittenda Diſcep 4.c.13.§ 2.n.1 fol.75.
Scandala fugienda reddunt extrinſecè probabilem opinionem illam, quantùm ſatis eſt ad honeſtè operandum ib. nu. 5.

SCRVPVLVS, SCRVPVLOSI.

Scrupulus dicitur à ſcrupo, & ſignificat lapilli tactu aſperum in calceo latentem. Diſcep.7. cap. 1.nu.1 fol. 329.
Scrupulus per trāſlationem vſurpatur ad ſignificandā quandā animi anxietatem, ortā ex apprehēſione peccati cōmiſſi, aut ex obligatione illud vitandi. ibid.

Scru-

Scrupulus quo pacto ſecundum realitatem deſiniendus? ib nu.2.

Scrupuli rationem non habet opinio illa, quę ex leuibus indicijs ſuborta eximit opinantem ab obligatione: ibidem nu.3.

Scrupuli ſuboriuntur ex indicijs ſecundũ ſe leuibus, quę à ſcrupuloſo diſcerni valent ibidem nu.4. fol 330.

Scrupulus vniuerſaliter ſumptus varijs nominibus appellari conſueuit: ib nu.5.

Scrupulus reperitur tum in prima, tum in ſecunda intellectus operatione; ibidem num. 10.

Scrupulus ſtrictè ſumptus eſt ſpecies diſtincta à conſcientia erronea: ibidem num. 13 folio 330.

Moleſtia, triſtitia &c ſolent ex ſuſpenſione animi, & non ex iudicio determinato reſultare: ibidem nu. 14 folio 331.

Scrupuloſa conſcientia habitualis ſupponit frequentias ſcrupulorum, ſiue in pluribus materijs, ſiue in vna, aut altera ibidem num. 15.

Scrupulus principaliter eſt actus intellectus: ibidem cap.2. nu.2.

Completur tamen pluribus actibus: ibidem num. 3.

Dicit apprehenſionem, quatenus coniunctum habet timorem in appetitu: ibidem nu.5. folio 332.

Scrupulorum cauſſa varia ſunt, tum intrinſeca, tum extrinſecę, corporales, & ſpirituales: ibidem cap.3. nu.1. fol. 332.

Scrupulus cauſſari ſolet ex frigida hominis complexione, & pariter ex melancholia ibidem nu.2. & 3.

Ex ignorantia ſcrupuli gignuntur ibidem num. 5.

Ex acumine ingenij, & doctrina rarò, & per accidens cauſſantur, ibidem nu.6.

Eius cauſſa, interdum eſt ſuperbia, ſeu inordinatus amor ipſius hominis. ibidem n. 9. & 10. folio 333.

Scrupuli fouentur ex nimia familiaritate ſcrupuloſorum, & etiam lectione librorum agentium de caſibus conſcientia. ib. num. 11. & 12.

Scrupulorum cauſſa extrinſecę, & ſpirituales ſolent eſſe Deus, & Dęmon, ſed ad diuerſos fines: ibidem nu. 15.

Scrupulus preſsè ſumptus conſiſtens in ſimplici apprehenſione, non requirit deponi ad hoc vt honeſta ſequatur actio: ibidem cap.4. nu 5. folio 334.

Tenemur interdum agere contra ſcrupulũ. ibidem nu. 6.

Scrupulus, quatenus conſiſtit in iudicio erroneo, eſt omninò deponendus, vt contra illum operemur: ibidem num. 7. folio 335.

Scrupulus, qui eſt iudicium erroneum interdum eſt compoſſibile cum iudicio oppoſito: ibidem nu.8.

Scrupuli, qui oriuntur ex intrinſeca ipſius hominis complexione à medico potiùs, quàm à Theologo ſunt curandi: ibidem cap.5. nu.2. folio 336.

Scrupulorum optimum remedium eſt pręparatio ad diuinam gratiam: ibidem num. 4.

Declarãtur nonnulla pro ſcrupulis abigendis remedia: ibidem à num 5. per totum

Non ſunt illis permittendę iteratę eorundem peccatorum confeſſiones: ibidem cap. 6. §. 1. nu.2. & 3. folio 338.

In ſcrupuloſis dubietas eſt credulitas exiſtimanda. ib.

Scrupuloſus poterit interdum ità ſcrupulis vexari, vt illi prohibeatur confeſſio eorum peccatorum, de quibus nequit iurare eſſe mortalia, & ſe illa numquam confeſſum fuiſſe: ibidem nu.4.

Eadem regula eiſdem danda eſt, etiam pro tempore mortis: ibidem num.8 folio 338. & 339.

Eo tempore non ad neceſſitatem, ſed ad animi ſolatium permitti poterit talium dubiorum confeſſio: ibidem nu. 9

Scrupuloſi ſibi perſuadeant ſufficientem habuiſſe dolorem in pręteritis confeſſionibus: ibidem §. 2. num. 10. folio 340. Vide Verb. Dolor.

Omittere debent confeſſionem dubiorum de conſenſu prauis ſuggeſtionibus praſtito. ibidem §. 3 nu. 3. & 4 folio 341.

Remedium, quod Rodericus Arriaga circa hoc punctum ſuggerit, vt ſcrupuloſis nociuum eſt refellendum: ibidem nu. 3.

Scrupuloſus ambigens, num in precibus recitandis, pſalmum, aut hymnum v. g. omiſerit, non debet illum repetere: ibidẽ §. 4. nu. 3 folio 341.

Pro ſcrupuloſis ſatis erit incœpiſſe preces, & ad finem perueniſſe, vt eximantur ab obligatione repetendi partem aliquam, de qua dubitat fuerit nec ne omiſſa: ibid. nu 4. folio 342.

Scrupuloſus dubitans de aliqua integra hora canonica, aut de aliquo alio ſimili, num horam illam, aut aliud ſimile ex obligatione recitauerit, aut protulerit nec ne? quo pacto ſe gerere debeat? ibidẽ num 10. & 11.

Limitatio quędam pro vitando tertię perſona damno ſpirituali ibidem nu. 12.

Scrupuloſus nõ debet nimiùm affligi, ſi inter

 ter

ter recitandum ſibi videatur defeciſſe in requiſita attentione. ibidem num. 13. folio 343.
Neque debet anguſtijs premi haſitans, an recitauerit ex formali intentione ſatisfaciendi ſuæ obligationi: idem n 16. & 17.
Religioſi ſcrupulis laborantes, num deliquerint grauiter contra obligationem tendendi ad vitæ perfectionem, debent exiſtimare minimè deliquiſſe, ſaltem grauiter. ibidem §. 5. num. 10. & 11. fol. 345.

SEDVCTIO, SEDVCTOR

Seductio quid ſit? Diſcep. 6. capit. 9. §. 22. num. 1. folio 234.
Seductio dubia, an in deflorante præſumatur? ibidem per totum folio 235.
Seductor quibus pœnis eſt mulctandus? ib. num. 8.

SEMIPATER

Semipatres, an dentur? Diſcep. 6. cap. 9. S. 21. num. 8. folio 234.

S E N S V S

Senſus grammaticalis eſt diuerſus à legali Diſceptat. 6. cap. 1. §. 31. num. 11. folio 143. & 144.

SENTENTIA

Sententia vnius interdum proponenda eſt ſententia plurium: Diſcept. 4. capit. 2. num. 2. folio 49.

S I G I L L V M

Sigillum Sacramentale, quando eſt dubietas, num res aliqua in ordine ad confeſſionem ſit explicata, in rigore iuris non præſumitur ſub tali ſigillo fuiſſe manifeſtatam. Diſcep. 6. cap. 11. par. 4. S. 11. n. 4. folio 302.
Sigilli fractionem opponens, debet illam probare, ſi Confeſſarius neget delictum ab opponente reuelatum fuiſſe: ibidem §. 12. nu. 5 folio 303.
Si verò Confeſſarius fatetur, delictum reuelatum fuiſſe, ex licentia tamen ipſius pœnitentis, & Confeſſarius eſt prudens, & probus, præſumptio erit pro ipſo: ibid. num. 6.
Secùs ſi reuelatio in damnum pœnitentis, aut alterius redundaret, vel ſi Confeſſarius fateretur notitiam illius delicti ali-

unde habuiſſe: ibidem n. 7. & 8.

SIGNIFICATIO

Significatio ciuilis, & moralis potiùs, quàm materialis, ſeu grammaticalis in actionibus humanis eſt attendenda: Diſcept. 6. cap. 3. S. 5. num 8. folio 168. Vtr. Cæterum; quando.

S I L E N T I V M

Silentium in aliquibus circumſtantijs gignit coniecturam de conſenſu præſtito ab ipſo, qui ſilet: Diſcep. 4. cap. 17. num. 10. folio 83.

SIMILITVDO

Similitudo in facie eſt fallax coniectura ad præſumendum aliquem eſſe filium illius, cuius effigiem gerit, facit tamen aliquã coniecturam: Diſcept. 6. cap. 11. par. 7. S. 14. num. 6. folio 307.

S O M N I V M

Somnium, quando ambigitur, num fuerit à Deo, an verò à Dæmone emiſſum, præſumitur eſſe a Dæmone: Diſcep 6. cap. 2. S 23 nu 1. folio 160.
Quando ſomnium eſt à Deo, ſolet homo de hoc certus reddi. ibidem nu. 2.

S P O N S A L I A

Num diſſolui poſſint ab eo, qui tempore promiſſionis non agnouit defectum, qui reperiebatur in ſponſa? Diſcep. 6. cap. 11 par. 7. S. 1. nu. 3. folio 311.

S V B D I T V S

Subditus probabiliter opinans eſſe illicitum quod à Superiore præcipitur, ſi etiam probabiliter iudicat eſſe licitum, tenetur obedire: Diſcep. 4. cap. 20. nu. 12 folio 94.
Oppoſitum nonnulli exiſtimant: ibidem num. 13.
Subditus habens probabilem opinionem de iniuſtitia tributi non tenetur illud ſoluere: ibidem nu. 16. folio 95.
Subditus dubitans negatiuè de iuſtitia belli, poteſt licitè bellare. Diſcep. 6. cap. 9. §. 14. nu. 9. folio 226.
Non tenentur examinare rationes de illius belli iuſtitia. ib.
Idem aſſerendum ſi dubium ſit poſitiuum: ibid.

ibidem numero decimo.

Subditus ſiue cogatur, ſiue non cogatur, ſiue ſponte ſe offerat, licite prælietur in caſibus prædictis: ibidem nu. 11.

Subditorum nomine in re hac quid veniat? ibidem num 12.

Subditus miles practicè dubitans de iuſtitia belli ſi prælietur, licet peccet, non erit tamen obligandus ad reſtitutionem, ſi bello abſoluto, agnoſcat illud iniuſtum fuiſſe: ibidem §. 15. *num.* 11. *&* 12. *folio* 228.

Non ſubditi nequeunt ſe offerre ad bellandum, ſi dubitent de iuſtitia belli: ibidem §. 14. *nu.* 15. *folio* 227.

Subditi nequeunt bellare in eo bello, de cuius iuſtitia, & ipſi dubitant, & ſciunt etiam Principem dubitare: ibidem capit. 11. *par.* 7. § 3. *nu.* 3. *folio* 314.

SVFFRAGIVM

Suffragium negatiuum nequit dare Religioſus ſolùm dubitans, an Nouitius ſit nec ne habilis ad profeſſionem. Diſcept. 6. *cap.* 9. §. 38. *nu.* 2. *folio* 249.

Suffragium negatiuum contineret in tali caſu pernicioſum mendacium: ib. nu. 3.

SVPERIOR.

Superiores in foro externo, & Confeſſarius in foro Sacramentali quoad præcipiendū inuicem differunt: Diſcept 4. *cap.* 26. *nu.* 14. *folio* 94. *&* 95.

Superiori manenti in poſſeſſione iuriſdictionis nequit ſubditus non parere, ſi probabilitas cadat ſupra factum. ibidem nu. 21. *folio* 96.

Secùs ſi cadat ſupra Ius. ibid.

Superiori docto, & prudenti tenetur ſubditus obedire, quando dubium, eſt an res præcepta ſit licita nec ne? Diſcept. 6. *cap.* 2. §. 8. *nu.* 2 *folio* 149.

Superior ſi ſit indoctus, aut imprudens, debet ſubditus in dubijs vel per ſe, vel per alios veritatem explorare: ibidem n. 3.

Superiori eſt parendum, quando ſubditus nequit neque per ſe, neque per alios veritatem indagare. ibidem nu. 4.

Quando Superior eſt in poſſeſſione, & ſubditus ambigit de eius poteſtate, aſtringitur obedire; ſecùs ſi non ſit in poſſeſſione: ibidem nu. 5.

Idem dicendum, quando dubitatio eſt de extenſione iuriſdictionis, ib. nu. 6.

SVSPENSIO

Suſpenſio intellectus bifariam contingere poterit; Diſce 5. *cap* 1. *nu* 4 *folio* 109.

Suſpenſio ex defectu medij prouenìens appellatur dubium negatiuum, ſi verò habetur ex æqualitate mediorum probabiliſ., erit dubium poſitiuum: ibidem.

Suſpenſio ad hoc vt ſit verè dubium, oportet vt ſit non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem: ibidem num. 5.

SVSPICIO

Suſpicio de voto emiſſo non obligat ſuſpicātem. Diſcep 6. *cap.* 1. §. 2. *nu.* 1 *fol.* 117.

SYNTERESIS

Syntereſis eſt quædam conſcientiæ ſcintilla Diſcept. 1. *cap* 1. *num.* 14. *Ver. S. Hieronym folio* 4.

Accipitur tum pro actu primo, tum etiam ſecundo ibidem cap 4. *nu.* 1 *fol.* 8.

Synteresis formaliter eſt habitus ſuperadditus diſtinctus à potentia intellectiua, radicaliter eſt ipſe intellectus ib. nu. 2.

Synteresis, quatenus importat actum primum, manente anima, eſt ineſtinguibilis. ibidem nu. 3.

Synteresis, quatenus conſiſtit in actu ſecundo, qui eſt quidam habitus, eſt de potentia Dei ſeparabilis. ibidem num. 4. *folio* 9.

Quandoque appellatur lex naturalis in cordibus ſcripta. ibi

Synteresis, quatenus verſatur circa prima principia vniuerſalia, non deficit, per ſe loquendo. ib.

Neque inclinat ad oppoſitum ib. n. 5.

In ordine ad aliquod particulare operabile poteſt ſecundum quid extingui. ibidem num. 6.

Synteresis in quantum eſt habitus, num concurrat ad conſcientiam? ibidem cap. 6 *num.* 8. *Ver. Ad quintum. & num.* 9. *folio* 13.

SYNESIS

Eſt ſpecies prudentiæ, & iudicatiua per rationes communes. Diſcept. 1. *cap.* 6. *nu.* 11. *folio* 14.

Per Syneſim prudentia concurrit ad conſcientiam; ibidem nu. 12.

T

TACTVS

Tactus moralis, quo tangitur ab ordinandis inſtrumentum, quod porrigitur ab Epiſcopo ordinante, ſecundum aliquos ſufficit ad valorem Sacramenti. Diſceptat. 6. capit. 11. par. 6. §. 2. num. 7. folio 309.

TAXATIO

Taxatio quid ſit, & quo pacto differat à pura demonſtratione. Diſcept. 6. cap. 10. §. 10. num. 1. & 2. folio 260. Vide verb. Demonſtratio.

TERMINVS

Terminus propoſitionis receptus ſecundum ſuum proprium ſignificatum, non cenſetur accipi reſtrictiuè, quando reſtrictio ſolùm eſt in ſignificato improprio. Diſcept. 6. cap. 1. §. 31. num. 6. folio 142. & 143.

TESTAMENTVM TESTATOR

Teſtamentum debita carens ſolemnitate, quando dubia eſt teſtatoris mens, an valorem habeat? Diſcept. 6 capit. 10. §. 1. per totum folio 250.

Teſtator ſi in vna parte teſtamenti mentionem faciat de filijs maſculis, in alia verò parte ſimpliciter loquatur de filijs, qualitas illa expreſſiua maſculorum nõ cenſeatur repetita ibidem cap. 11. §. 7. n. 7. folio 292.

THEOLOGI

Præferuntur Canoniſtis in materia, quæ ad Ius diuinum pertinet: Diſcep. 4. cap. 6. num. 8. folio 54.

Secùs in rebus, quæ Ius Pontificium important, num. 9.

TITVLVS

Titulus poſſeſſionis eſt vniuerſalis transcēdens per omnem materiam. Diſceptat. 5. cap. 4 num 4 folio 113.

TRANSITVS

Tranſitus immediatus à ſeculo ad vitam eremiticam eſt periculoſus. Diſceptat. 6. cap. 1. §. 16. nume. 4. ver. Addo quod folio 126.

TRANSLATIO

Tranſlatio rerum eſt duplex, alia ordinaria, ſeu naturalis; alia verò per conceſſionem à Principe: Diſcep. 6. cap. 4. §. 3. n. 3. folio 186.

Tranſlatio ordinaria, ſeu naturalis non trahit ſecum perſonalia. ib. nu. 4.

Quæ verò eſt per conceſſionem Principis, ſi eſt ſub forma conſueta non includit priuilegia perſonalia; ſecùs ſi erit ſub forma extraordinaria. ibidem nu 5.

TRIBVNAL

Tribunal forenſe, & ſacramentale inter ſe quomodo differant: Diſceptat. 6. capit. 11. par. 4. §. 1. nu. 15 fol. 278.

TRIBVTVM

Tributum iuſtè imponitur, quando pro vtraque parte probabiles ſunt rationes. Diſcept. 4. cap. 25. nu. 2. fol. 92.

Nequit tamen imponi, ſi probabiliores pro illo non imponendo concurrant rationes: ibidem num 3.

V

VALOR

Valor actus non dependet à noſtro iudicio etiam prudenti. Diſcep. 4. capit. 31. num. 9. fol 107.

Valor actus requirit, vt licentia, quæ poſtulatur, præcedat; ſecùs ſi de honeſtate ſola actus ſit ſermo Diſcept. 6. cap. 3. §. 9 nu. 11. folio 180.

Valor firmus prærequirit actualem licentiam, ſecùs actus irritabilis. ibidem n. 15

Valor Sacramenti, ſicuti, & inualiditas, non dependet à præſumptionibus. Diſcep. 6. cap. 11. par. 4. §. 9. nu. 6. folio 298.

VELLE

Velle aliquod obiectum cum ignorãtia alicuius circumſtantiæ quæ ſcita, obiectum illud non fuiſſet volitum, non cauſſat inuoluntarium; ac velle tale obiectum ſub conditione negationis illius circumſtantiæ, reddit actum conditionalem, & inuoluntarium, ſi adeſt circumſtantia illa Diſcep. 6. cap. 1. § 24. n. 6 fol. 134.

VEN-

VENDITIO

Vendere arma præliaturis, non obſtante periculo ne ementes iniuſtè prælientur, poterit cohoneſtari. Diſcep.6. cap.9. §.15 num.8. fol.228.

VERBA

Verba regulariter circa actum aliquem exercendum, intelliguntur de primo actu, quando de hominis diſpoſitione agitur. Diſcep.6. cap.10. §.16. n.1. fol.257.

Verba teſtatoris ſumi debent iuxta rectam & prudentem diſpoſitionem: ibidem §.18 num.5. folio 259.

Verba Sacramenti, & Miniſtri intentio debent eſſe conformia, non iuxta ſonum grammaticalem, ſed prout intentioni ſubſtant. ibidem cap.11. par.4. §.9. num.13. folio 299.

VERITAS, VERVM

Veritas duplex, vna circa media, altera circa finem: Diſcept.2. cap.1. nu.6. fol.22.

Veritas conſiſtit in connexione prædicati cũ ſubiecto. Diſceptat.4. capit.10 §.1. nu.4 folio 67.

Veritas practica non conſiſtit in indiuiſibili: ibidem nu.5.

Secùs veritas in re. ib.

Verum, eſt bonum rationis Diſcept.2. cap.1. nu.6. fol.22. Vide verb. Falſum.

VESTES

Veſtibus Sacerdotalibus benedictis, ſi aliqua exigua addatur pars non benedicta, omnes erunt benedictæ. Diſcept.6. capit.10. §.12. nu.2. fol.256.

VICARIVS

Vicarius vnum conſtituit Tribunal cum Epiſcopo. Diſcep.6. cap.2. §.13. num.9. folio 155.

Vicarij iuriſdictio eſt ordinaria, & collata à iure, facta electione ab Epiſcopo. ib.

Vicarius de iure ſucceſſorem neceſſarium non habet. ibidem cap.10. §.13. num.2. folio 256.

VIR

Vir irritare poteſt vxoris vota ambigentis, num fuerint nec ne emiſſa ante matrimonium: Diſcep.6. cap.1. §.19. nu.2. fol 140.

VIRGINITAS

Virginitas præſumitur præceſſiſſe in puella per vim deflorata. Diſcept.6. cap.9. §.13. num.3. folio 236.

VNIVERSITAS

Vniuerſitates æquiparantur Magnatibus, Diſcept.6. cap.6. §.3. num.6. fol.190.

VOTVM VOVENS

Votum recitandi Roſarium ſufficienter adimpletur recitando tertiam partem. Diſcep.6. cap.1. §.9. nu.1. fol.121.

Votum erogandi quaſdam tritici menſuras in dubio intelligitur de minoribus menſuris ibidem.

Votum emiſſum ante pubertatem, ſi ambigatur, an poſt pubertatem fuerit confirmatum, negatiuè eſt præſumendum: ib. §.11. nu.1. fol.122.

Si conſtet confirmatum fuiſſe, ſed dubitetur, num confirmatio fuerit ante, vel poſt pubertatem, in fauorem libertatis eſt iudicandum ibidem nu.2.

Votum ſub pluribus emiſſum conditionibus in dubio copulatiuè potiùs, quàm diſtributiuè emiſſum præſumitur. ibidem §.12 num.2. fol 123.

Votum de aliqua materia obligat ad inſtar legis Eccleſiaſticæ circa eamdem materiam ibid § 14 nu 2 folio 124.

Votum inuiſendi v.g. Virginem Lauretanam in obiecto vt ſic non includit laborẽ, expenſas itineris, &c. Secùs ſi fuerit votum peregrinationis ibidem §.15. num.4 & 5. fol.125.

Votum nolendi manere in ſæculo, vt obiectum non reſpicit negationem huius actus ſcilicet, volo manere in ſæculo, ſed negationem realis permanentiæ in ſæculo. ib. §.16. n.2. fol.125.

Votum prædictum in dubio licet ſpeculatiuè non trahat ingreſſum in Religionem, practicè tamen illum trahit. ibid. nu.3 & 4. folio 126.

Votum ingrediendi Religionem non habet imbibitam intentionem profitendi, ſaltem abſolutam ibidem § 19. n.3 & 4. fol.129.

Vota, quæ Profeſſum conſtituunt, faciunt, vt Religio fundatam habet intentionem in Profeſſum illum. ib §.25. n.5. fol.135.

Votum emiſſum à Profeſſis Societatis Ieſu de recipiendo conſilio P. Generalis, quando ſunt in dignitate extra Societatem cõſtituti, ſi illud melius iudicauerint, malè im-

lè impugnatur:ib § 27 nu 1 fol.136.
Commendatur eiuſdem voti honeſtas: ib.
Vi talis voti non ſubmittuntur Prælati Generali Societatis,vt falſò quis putauit; ibidem fol 157.
Votum prædictum num obliget,quãdo Prælatus ambigit, an Conſilium P. Generalis ſit melius: ibidem nu.4.
Votum nunquam rem cum fœminis habendi,num legitimum excludat coniugium? ib.§.11.per totum.nu.2.& 4.fol 142.
Votum obedientiæ eſt capax Epijkia. Diſcep.6.cap.3.§ 8.nu.3.fol.173.
Votum caſtitatis aliquando etiam admittit Epijkiam ibid nu.4.5.&6.
Votum Religioſæ paupertatis eſt capax ſolùm ſimplicis interpretationis,& ratihabitionis, non autem Epikiæ,niſi rarò:ib, num.10. & 11.fol.174.& 175.
Votum paupertatis, quod Religioſi emittũt intelligitur ſub conditione, vt non prohibeat; quin ipſi Religioſi vti valeant prudenti ratihabitione.ib.§.10.n.4. circa finem folio 181.
Votum vt præſumatur validum non requiritur neceſſariò ſeptennium completum in vouente; ibid.cap.11.par.3.§.2.nu.13. folio 273.
Votum quoad reſeruationem dubium, ſi ab inferiori commutetur, poſtea innoteſcenti reſeruatione, remanet legitimè commutatum:ib par.4.§.5 nu 3 folio 290
Vouens recitare orationem aliquam indeterminatè, ſatisfacit ſemel recitando Angelicam ſalutationem:Diſcep.6. ca.1.§.9. nu.4.Ver Rurſus vouens fol.121.
Vouens ieiunium plurium dierum ſatisfacit duobus tantùm diebus ieiunans, niſi aliud de intentione ipſius vouentis deprehendatur: ib.
Vouens peregrinationem aliquam, & iter faciens ad aliquod negotium expediendũ ſi intentionem itineris etiam dirigat ad votum adimplendum, ſatisfacit ſua obligationi:ib.§.15.nu 6 fol.125.
Vouens ſoluere tot nummos, ſi amplius ludat, prima vice tantùm tenebitur; ſi verò voueat non ludere ſub tali pœna, toties quoties obligabitur ibidem §. 18. nu. 3. & 4 folio 127.

V S V S

Vſus rationis in dubio, præſumitur, ſeptennio completo. Diſcep.6.cap.11. par.4.§. 9. num. 1.folio 297.

F I N I S.

Impr. Reuerend. D. Franciſcus Salernus V.G. S.V.

Impr. Illuſtriſſ. Don Lucius Denti Præſidens.

ANT 174248

Digitized by Google

Digitized by Google

5402

K 43.

Digitized by Google

Digitized by Google